HORATII AVGENII A MONTE SANCTO,

IN GYMNASIO PATAVINO MEDICINAE THEORITICÆ PROFESSORIS PRIMARII,

DE RATIONE CVRANDI PER SANGVINIS MISSIONEM LIBRI XVII. IN DVOS TOMOS

diuisi: quorum prior decem, posterior septem continet.

In quibus extirpatis erroneis opinionibus passim hodie apud nouatores Medicos vigentibus, omnia ad hoc argumentum pertinentia, secundum Galeni doctrinam explanantur.

Cum indice duplici: Vno capitum, altero rerum copiosissimo.

Hac editione quinta ab innumeris propemodum erroribus, quibus priores editiones scatebant, expurgati, & nunc primum in Germania correctiori typo decorati.

FRANCOFVRTI

Apud heredes Andreæ Wecheli,

Claudium Marnium, & Ioan. Aubrium.

M. D. XCVIII.

MICHAEL COLVMBVS IN HORATII AVGENII PRÆCEPTORIS SVMMOPERE OBSERVANDI

EFFIGIEM.

EN magni pulchra ora senis, faciemq́ decoram
AVGENII, reduces animas qui subtrahit Orco.
En pulchrè vt Diui Sacra hic effulget imago
Hippocratis; nemo è cunctis mortalibus illum
Ore magis speciesq́ refert, factisq́ animoq́
Mens eadem, genius, mores, cognataq́ virtus.



IDEM.

QVEM picta hic cernis vultum faciemq́ tabella
Auferet atra dies, & funere merget acerbo:
At nomen toto magnis iam plausibus orbe
Exceptum, perdet numquam longæua vetustas.

ILLVSTRISSIMO,

ET AMPLISSIMO VIRO, PAVLO PARVTÆ EQVITI, DIVI MARCI PROCVRATORI,

Horatius Augenius S. D.

CVM alia multa in Arte Medica sunt difficilia, Paule Paruta, Vir sapientissime: tum nihil mea quidem sentētia existit difficilius, quàm mittendi sanguinis ratio: quæ quidem eò difficilior existimanda est, quò periculosius ea in re versatur, quam nonnulli veterum, vt Critias, eiusq; sectatores, animam esse: nonnulli, vt Empedocles, & alij, animæ receptaculum sunt arbitrati. Atq; hæc causa fuit, cur & plurimi in eà cognoscenda maximopere elaborauerint: & ego inter cæteros, qui omne meum studium, officium, laborem, diligentiam, quantum deniq; ingenio, atque industria efficere vnquam possim, ad communem vtilitatem statui conferendum, cū plurima hac de re conscripsissem, non facile in ijs, quæ diuulgaueram, acquieuerim, donec nouis laborib. ac vigilijs susceptis, multisq; & quidem, vt censeo, magni momenti additis, opus antea affectum mihi, quodammodo perficere visus sum. Has autem nouas lucubrationes meas, quæ, quas antea feceram, & Vincentio Laureo, Episcopo Montis Regalis, S.R.E. Cardinali dicaueram, quantum in me fuit, perfecerunt, illo patrono meo extincto, venire in hominum manus volui ornatas commendatione nominis tui, Vir Illustrissime, quoniam eis parū ex me auctoritatis habituris, multum ex te accessurum dignitatis, & gratiæ intelligebam, qui cum Patriæ serenitate fulgeas, familiæq; claritate splēdeas, eo simul lumine animi, atq; ingenij enites, quod & quamlibet vel obscurā patriam, minusq; claram familiam illustrare posset, & Serenissimæ Reip. ac Illustrissimæ, Domui egregiè respondet. Ac inter cætera quidem, quæ mirabiliter te collustrant, incredibile quoddam lucet sapientiæ desiderium, cum eius, quæ in contemplādo versatur, tum eius, quæ humanas actiones propositas habet, quæ viam felicitatis ostendit, quæ causas negotiorum aperit, quæ virtutis pulchritudinem, vitij deformitatem patefacit: cumq; ad hanc Philosophiam accedat Historia, tanquam virtutum, vitiorumq; ac omnis domesticæ, publicæque administrationis (quæ argumenta nobilissimæ sciētiæ Ethica, Oeconomica, politica complectuntur) diligens & perspicua demonstratio: hanc cū illa egregie coniunxisti: nimirum intelligens, Philosophos, quid agere homines tum publice, tum priuatim debeant, Historicos, quid præclare egerint, docere. Illos agere de virtute, atque optima rerum administratione: hos, qui egerint cum virtute, optimeq; res administrauerint, demonstrare: illos vniuersa persequi: hos singularia: quæ via ipsis etiam Philosophis consentientibus multo intelligentiæ nostræ planior, aptiorq; est, vt potius à singulis ad vniuersa ascēdamus, quod facere possumus per Historiam, quàm vt ab vniuersis ad singula delabamur, quod illi factitarunt. Quæ fuit causa, quamobrem tu post occultiorem

Philosophiam, cuius studio Patauij diuturnam operam dedisti, has duas facultates in primis, quarum altera alterius videtur indigere, quæq; aperiunt, quomodo homines, familiæ, respublicæ, magistratus, regna, imperia debeant administrari, quibusq; nihil nec priuatim, nec publice potest vtilius inueniri, Philosophiam agendi, atq; Historiam studiosissime es persecutus. Vtque magis excelleres ad imitationem eius, qui mores hominum multorũ vidit, & vrbes, multas terrarum partes peragrasti, multas Principum aulas inuisisti, & in sacrosancto Concilio Tridentino per aliquot dies cõstitisti, vbi Illustriores Prælati, & viri in re literaria clarissimi tuam maximam præstantiam cognouerunt, atq; admirati sunt. Cum autem in Patriam rediuisses, in ædibus tuis illã celeberrimam Academiam instituisti, ex qua tanquam ex equo Troiano plurimos, eosdemq; præstãtissimos Heroas prodijsse, Illustrissimos Senatores, Legatos, Prælatos, & S. R. E. Cardinales, atq; inter cæteros Laurentium illum Priolum Patriarcham Venetiarum, quem Clemens VIII. Pontifex sapientissimus, ad Cardinalatum meritissime euexit, notius, atque exploratius est, quàm vt plurib. verbis à me debeat commemorari. Quantum vero valeas inter cætera, in ijs quas modo dicebam duabus facultatibus declarant tua præclara literarum monumenta in lucem producta, & impressa ad memoriã hominum sempiternam, quib. facile tibi nominis immortalitatem cõparasti. Nihil enim aut ad laudẽ illustrius, aut ad famam honestius potest excogitari, quã tuum illud Opus in tres libros distributum, ea lingua elegãtissime conscriptũ, quam sibi Hetrusci nunc vindicãt, & de vita Politica inscriptũ, quod omnes virtutes morales complectitur, & quidquid ad ciuilem pertinet felicitatem, quasi digito commonstrant, quodq; sæpius editum in manib. literatorum hominum versatur, & posteritati omnium sæculorum propagabitur. Declarat itidem excellentiam tuam, munus egregium ex publico decreto tibi delatũ Historiæ Venetæ conscribendæ: Quod statim tanta tua cum laude, ac tam admirabili plurimorum cum approbatione, quibus cum insignes lucubrationes tuas nondum editas communicasti, & Italice, & Latine obiuisti, vt nemo sit, qui eas peruulgari incredibiliter non desideret, communisq; omnium Patriciorum vox te ad eas edendas cohortetur. Quorum desiderio cum satisfeceris, non est dubitandum, quin plurimum tibi ex eis ad celebritatem nominis, & famam sit accessurũ: etiam si adhuc nihil tibi deesse ad honoris amplitudinem, vnde per opportunã ostendendæ præstãtiæ tuæ occasionẽ habes, videatur. Hac tanta claritate, atq; celebritate mirũ non est, si quo pauciora petis, plura cõsequeris honoris insignia, si ipsa ꝑ te prensat virtus, ac tibi viã ad altiores omnes dignitatis gradus, nõ appellãdus, non rogãdis, non officiose salutandis Patricijs, sed gloriosis, admirãdis, immortalitate dignis edẽdis operib. munit: si tota Vrbe nemo est, qui non omnia tibi prospere succedere cupiat, qui te non amet, non in sinu, non in oculis ferat, qui non & optet, & auguretur fore, vt omnia summa in Rep. consequaris. Quo factum est, vt cum primum ad Reip. administrationem animum appulisti, ad maximas dignitates adhibitus fueris: & in adolescentia Sapiens Ordinum factus, propter insigne specimen quod tunc dedisti prudentiæ ciuilis, eloquentiæ, omnisque virtutis, dignus iudicatus sis, qui

omnes maiores honores gradatim assequereris, posteaque sine ulla prensatione sæpe fueris Sapiens continentis oræ, negotiumq; ex publico decreto tractaueris finium terminandorũ cum Serenissimis Austriæ Principibus, non sine maxima Reip. utilitate, ac dignitate: & motu proprio Excellentissimi Senatus Consilij Sapiens declaratus sis, iunior quidẽ cæteris, sed maturo consilio senex, & Senator egregius: neq; solum in Vrbe in præcipuis magistratib. enitueris, uerum etiam extra Vrbem Præfecturam Brixiæ administraueris: quæ Ciuitas te, tamquam alterum Aristidem, atque alterum Niciam deprædicat: Et dum tam præclaram Præfecturam gereres, tibi non petenti Illustrissimum illud munus delatum sit, quod non unius partis, sed totius Reip. Maiestatem præ se fert, non unius Senatoris, sed uniuersi Senatus grauitatem repræsentat, nõ unius uirtutis, sed fidei singularis, maximæ eloquentiæ, moderationis summæ, admirabilis sapientiæ, ac totius uirtutum orbis indiget, ut apud Clementem VIII. Pontificem Optimum & Sapientissimum in urbe gentium Principe, Legatus esses ordinarius: quod munus ita obiuisti, ut nemo in curandis Serenissimæ Reip mandatis, aut diligẽtiam, aut facultatem dicendi, aut prudentiam, aut splendorem, aut aliud quidquam, quod ad incolumitatẽ, & dignitatem publicam pertineret, in te unquam desiderarit, cum tecum sæpe colloqui familiariter ipse Summus Pontifex cupiebat, cum tuam grauissimã, & iucundissimam consuetudinem appetebat, cum te mirabiliter complectebatur propter tuum summũ ingeniũ, suauissimos mores, singularem probitatem, doctrinam, atque eloquentiam, quam Illustrissimam Legationem, cum illustrissime administrares, creatus es, quamuis absens, Consiliarius Venetiarũ, à qua cum fuisti in patriam reuocatus, dici non potest, quàm ægre ab amplexu te suo ipso Beatissimus Pater dimiserit, quàm libenter te patria receperit, ut fidelissimis tuis sapiẽtissimisq; Consilijs, quemadmodum solita erat, adiuuaretur, quã certo omnes statuerint post lumen tuum cognitum in Vrbe Roma, tamquã in quodam per omnes terras longe lateq; resonanti theatro, & post famam tuam latius disseminatam, nihil propemodum dignitatis esse in Repub. quod tibi nõ deberetur, quodque, si denegaretur, non ipsi uirtuti denegari uideretur, ut mirum non sit, si nuper summo omnium consensu facile, atque expeditum iter tibi datum est ad Procuratoriam, id est ad eam, qua nulla summæ propior est, dignitatem: & quidem ætate sex, & quinquaginta annorum, cum talis dignitas non nisi senioribus, præstantioribus, illustrioribus tribui soleat. De te enim merito canere possum:

Tu decus anteuenis meritis, & honoribus annos.

Quamobrem ex tuo, ut dixi, nomine auctoritatẽ uolui aliquam libro meo quærere, ac simul meæ singularis in uirtutes tuas illustrissimas obseruantiæ, ac deuotionis, qualemcumque possem, significationem dare. Quem animũ meum, ut pro benignitate tua complectaris, meq; in tuorum numerum recipias, te etiam atq; etiam rogo. Vale. Datum Patauij Kl. Februarij. M.D.XCVII.

)( )(3

RVGERII TRITONII
VTINENSIS ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI CARDINALIS MONTIS REGALIS A SECRETIS,

AD HORATIVM AVGENIVM
MEDICVM PRAESTANTISSIMVM: EPIGRAMMA.

AVGERE vt posset Medicam Cyllenius artem,
Dicitur excelsum consuluisse Iouem.
Cui pater, en illam iam dudum laudibus auget
Piceni Augenius splendor, honosque soli:
En noster surgit, dicas Epidaurius alter
Doctrina ingenio sic valet iste suo.
Arrisit Maia natus, moxque addidit, hic iam
Gloria sit Medici, sit decus ipse chori.

PAMPHILI CARANTIAE I.V.D.
CLARISSIMI, ET IN GYMNASIO TAVRINENSI

Iuris Pontificii professoris primarii Tetrastichon ad Augenium.

ARTE quidem Medica nos posse extrudere morbos
Pæonij docuit pagina multa chori.
Posse sed amissam moribundis reddere vitam,
Vnum diuini est hoc opus Augenij.

Aliud eiusdem.

VLTIMA laus non est, artem callere medendi
Humanæ tamen hoc esse fatemur opis,
Dogmatibus sed enim ditare recentibus auctam,
Non nisi cœlesti conuenit ingenio.

OMNIVM

OMNIVM LIBRORVM DE METHODO CVRANDI PER SANGVINIS MISSIONEM,

ARGVMENTVM.

Auctore Henrico Ellenbergero Hombergensi Chatto, Augenij Discipulo.

QVIA omnis medendi via, ac Methodus qualitate, & quantitate singulorum medicaminum perficitur, necnon & modo eorum usus, & ex temporis occasione, quæ præ omnibus est cognitu difficillima, circa quam præcipuem existentem, cernimus plerũque Medicos non modo vulgares, sed & præstantissimos aberrare. AVGENIVS *explanaturus Methodũ curandi per sanguinis missionem, primis quatuor Libris omnia ad qualitatem huius remedij pertinentia diligenter prosecutus est. Quinto & sexto de quãtitate tum continua, tum discreta edisserit. Tribus ordine subsequentibus de utendi modo, ac tempore, pertractat. Decimus autem liber tractationem de Hirudinibus, Cucurbitulis, & scarificatione complectitur.*

Singulorum Librorum de ratione curandi per sanguinis missionem Argumentum.

Primi Libri Argumentum.

P*Ost accommodatã præfationem, qua de difficultate, necessitate, ac ordine agitur tractationis huius, quatuor opiniones afferuntur recentiorum de eo, quod vere indicat sanguinis missionem, quæ sigillatim reprobantur.*

Argumentum Secundi.

M*Ox explicaturus, a quo sumatur eiusmodi indicatio, in primis agit de Plenitudinis natura, generibus, differẽtijs, speciebus signis, & curatione longe diligentius & accuratius, quàm factũ ab aliis hactenus fuerit. Postea docet, quid indicet sanguinis missionem, ut reuulsiuũ præsidium: quid ut deriuatiuum, quid ut euacuatiuũ. Siquidem cõtendit sanguinis missionem fuisse institutam, ut sanguis educatur. Debere autem educi inutilem natura, aut copia, aut motu existentem.*

Argumentum Tertii.

D*Isputatio de magnitudine morbi cõtra Medicos recentiores dilucidatur. Ostẽditurque haud omnem magnitudinẽ morbi indicare phlebotomiam. Singuli recensentur morbi hoc generosum postulantes auxilium. De contraindicantib. viribus agitur. Denique de iis, quæ secundo quodam ordine, aut indicant, aut contraindicant.*

Argumentum Quarti.

E*Xplicatur, in intemperie sine humorum affluxu non conuenire sanguinis missionem: atque in simplici puraque cacochymia esse periculosam. Respondetur omnib. rationib. primo libro propositis reprobatarũ opinionum. Omnes difficiles tum Hippocratis, tum Galeni, tum Auicennæ, tũ denique aliorum Medicorum loci dilucidantur.*

Argumentum Quinti.

I*Am per indicationem inuento genere auxilii, de quantitate tractationem Auctor aggreditur. generatim primum docens quid eã indicet, mox in specie quid ipsam in sanguinis missione quantitatẽ demõstret. Ambigui in Galeno loci exponũtur. De vacuatione usque ad animi deliquium contra Auerroem disputat. De iteranda sectione venæ doctrinam hactenus a nemine tẽtatam, absoluit. Postremo quibus indiciis quãtitatem sanguinis sufficiẽtem fuisse vacuatam ipso in opere cognoscere possimus, expenditur.*

Argumentum Sexti.

O*Stenditur utero gerentes usum huius præsidii non impedire, sed quantitatẽ limitare duntaxat. Idemque sentiendum de puerilia, & senectute opinatur. Disputatur aduersus recentiores Medicos, quando sit in prægnantib. utendum sanguinis missione, ac licere, ut ipsas præseruemus, ne faciãt abortum, interdum venam incidere.*

Argumentum Septimi.

Explanatis iis, quæ ad quantitatem pertinebant, de vtendi modo tractationẽ exorditur. Atque primum de ipsa Reuulsione & Deriuatione adeo accurate disserit, vt in hoc argumento, (mihi quidem vt videtur) recentiores Medicos superauerit. In vltima parte libri huius de rectitudine tractat. In iis vero explicandis contra nouatores Medicos passim disputat.

Argumentum Octaui.

De occasione, & tempore tractatur octauo libro, in quo hæc præcipua sunt; Sanguinis missionem pro reuulsione institutam conuenire solum in inflammationis vniuersalis principio. Deriuationem, cum materia iam influxit, aut leuius monetur. In putridis in solo principio exercendam: numquam repetendam in augmẽto, numquã in statu, etiam si morbus recrudescat. Quando in accessione ab hoc remedio abstinendum: quo die vacuandum: quaue hora. Quæ præparatio ante venæ sectionem conueniat. Qui ordo in exercenda venæ sectione & purgatione, cum vtraque indigemus, debeat seruari.

Argumentum Noni.

Quæ venæ in quouis affectu secandæ. Quem vsum afferant sectiones singularum venarum. Quando arteriæ, & quomodo, & in quibus morbis secandæ. Quid ipso sectionis tempore faciendum à Medico, à ministris, ab ægroto. Quid in sanguine misso considerandum. Qua ratione symptomatis superuenientibus, aut in ipsa sectione, aut opere iam perfecto, subueniendum.

Argumentum Decimi.

Quæ hirudinum electio, quæ præparatio, qui vtendi modus antiquis, & recentioribus sit, quem sanguinem vacuẽt, quibus morbis, & quando conueniant. De cucurbitulis ex Galeno differitur: quam ob causam illarum vsus instituatur, quo tempore administranda, quibus morbis vtiles: quomodo vtendum, & quo ordine. & quibus partibus applicandæ. Postremo de scarificatione ex antiquis authoribus, vt breuiter sic diligenter tractat.

FINIS.

INDEX

INDEX OMNIVM CAPITVM HVIVS LIBRI.

Capitum Libri Primi.

Index Capitum Libri secundi.

Index Capitum Libri tertii.

Index Capitum Libri quarti.

Index Capitum Libri Sexti.

Index

Index Capitum Libri septimi.

Index Capitum Libri octaui.

Index Capitum Libri Noni.

Index Capitum Libri Decimi

HORA-

HORATII AVGENII A MONTE SANCTO, DE RATIONE CVRANDI PER MISSIONEM SANGVINIS;

LIBER PRIMVS.

Cap. I.

De neceßitate, difficultate, ordineq́ue tractationis huius.

PRopositvm eſt tractationis huius, docere rationem curandi per ſanguinis miſſionem, non modo quidem vtilem ac neceſſariam, ſed etiam omnium maxime difficilem. Verum antequam ad eam ipſam aggrediar, primum cauſam explicabo, qua motus hoc de argumento poſt alios authores conſcripſerim. Nam fore quamplurimos arbitror, quibus hæc mea tractatio diſplicebit. Quorum ſane quidam ſupervacaneam eſſe iudicabunt: quoniam (vt alios taceam) Galenus, vir profectò admirabili præditus ingenio, tribus libris, atque alibi paſſim, de miſſione ſanguinis adeo diligenter perfecteq; diſſeruit, vt nihil, quod in eo authore deſideretur, inueniri poſſit. Quorſum igitur repetenda, quæ olim veteres perfecte conſcripſerunt? Alii vero prouinciam hanc tanquam nimis temerariam culpabunt. Nam putare me noſtri temporis Medicos fere omnes circa propoſitam diſceptationem fuiſſe deceptos, neminemq; hactenus (excepto duntaxat Galeno) id explicaſſe, quod vere indicat miſſionem ſanguinis, inſolens quidem & arrogantiæ plenum videbitur. Poſtremo autem nonnulli putabunt odioſum eſſe, noſtris hiſce temporibus ea innouare velle, quæ multis ſeculis, veluti firmiſſimis apud omnes ſtabilita ſunt legibus, ac potiſſimum cum is, qui eiuſcemodi onus aſſumit, homo ſit nouus, ac vt dici prouerbio ſolet, vix inter proprios lares cognitus: Qui enim tum alios refellere, tum nouas opiniones promulgare deſiderat; hic non infimæ authoritatis & exiſtimationis apud homines eſſe debet. Hæc ſunt, quæ fortaſſe obiici poſſent, quibus breuiſſime ſatisfaciendum duxi. Quamuis ego nunquam huius opinionis fuerim, Galenum perfeciſſe omnia, quæ ad Medicinam pertinent, & hunc nullibi erraſſe: Homo enim fuit, proq; omnium hominum natura & conſuetudine non ſemel deceptum fuiſſe ſcio, Medicinamq; ipſam, vt reliquas artes omnes in dies incrementum ſuſcipere, & ſummam perfectionem adipiſci. Hoc tamen dubio procul affirmo, me hoc ſcribendi onus minime ſuſcepiſſe, vt Galeni doctrinam refellerem, eiuſque libros ex hominum manibus eriperem; ſed certe potius, vt arduas illius ſententias interpretarer, eiuſq; viri doctrinam perperam, & cum ingenti alioquin humanæ vitæ diſcrimine à quibuſdam Medicis & magni quidem nominis perceptam fuiſſe demonſtrarem: atq; ſimul vt eorum errorem patefacerem, qui nimium ſunt in ſanguine mittendo temerarii. Nam dum Galenum legunt, dicentem: Saluberrimum eſt in omnibus febribus non continuis modo, ſed in omnibus, quas putreſcens humor concitat, ſanguinem mittere: ac dum ait, miſſionem ſanguinis refrigerare vniuerſum corporis habitum: & alibi, hoc generoſo præſidio omnes humores euacuari tradit, adeo quidam in hoc exercendo præſidio ſunt audaces, vt paſſim in febribus & continuis & intermittentibus, ſiue à calidis, ſiue à frigidis humoribus ortum habeant, ac in omni corporis habitu venæ ſectionem conſulunt: quinimo in refrigerando hepate, aut alia quapiam corporis parte nullum eſſe vtilius præſidium ſanguinis miſſione conten-

dunt: & non in febribus solum, verumetiam in omnibus materialibus morbis idem auxilium admittunt. Tantum autem hodie peruersa hæc viget consuetudo, vt si quis hoc præsidium prætermittat, dum scilicet in ægrotantium curatione incumbit, hunc sane Medicæ artis parum omnino peritum iudicant; huic honores & præmia desunt, atq; aliquando pro meritis haud exigua vitæ pericula imminent. Sciunt Medici fere omnes huiusce nostræ prouinciæ, quantæ olim contra clarissimum quendam Medicum concitatæ fuerint turbæ, dum scilicet ipso iudicante in morbo hominis cuiusdam nobilissimi, venæ sectionem fieri non debere, eamq; propterea omittente, alius quidam insurgens dixerit, missionem sanguinis fuisse citra rationem prætermissam, hominemq; non potuisse hac de causa sanitati restitui. Iam quintus agitur mensis, cum ego tutelam cuiusdam optimi ac docti senis accepi: ostendens oblatranti Medico, recte quidem factam fuisse, & optime saluti ægrotantis consultum, quod morbo non postulante missionem sanguinis, auxilium prætermiserit. ille vero tandem rationibus conuictus, publice confessus est, quæ dixissem omnia, veritatem continere, at nihilominus notandum esse Medicum, quod pro consuetudine iam multis annis confirmata, venam minime secauerit. Vide corruptum iudicium, quasi quod pessimi abusus, & humano generi lethales obseruari debeant. Verum quemadmodum hi temeritatis nomine non immerito damnantur, sic profecto neque apud antiquos, neque apud recentiores Medicos defuerunt, qui temeritatem vitare fortasse cupientes, in contrarium vitium peruenerunt, persuadentes nunquam mittendum esse sanguinem citra plenitudinem. Huius opinionis primus fuit Menodotus Empiricus, contra quem Galenus tum libro de plenitudine, tum de ratione curandi per sectionem venæ, & in methodo medendi passim inuehitur. Atque inter neotericos quidam Auicennæ interpretes eandem opinionem inuexerunt. Hanc igitur rem, cum ego diligenter contemplarer, ac eam mihi ab ineunte ætate viuendi legem proposuerim, vt & aliis prodesse, & me ipsum honeste exercere possem, cogitare cœpi, an peruersam hanc & periculosam medendi consuetudinem, quæ passim viget apud quosdam nostræ huiusce regionis Medicos, extirpare possem, & hanc medendi partem præstantissimam quidem, ac maxime necessariam ab hoc errore expurgare, & quoad eius fieri posset, illustrare. Impium enim videbatur mihi, & magnopere detestandum, conniuere & assentire, vbi de hominis agitur vita: quamuis vbi de leuissimis rebus agitur, aliquando conniuere absurdum fortasse non fuerit. Hæc autem mihi diu noctuque meditanti, duas potissimas causas offendi, quæ in eiuscemodi errores ducere potuerunt. Harum prima & præcipua fuit, quod ignorauerint, quid vere indicet missionem sanguinis: cum scilicet vnusquisque hac in indicatione explicanda non parum, vt infra docebimus, deceptus fuerit: Altera vero, quod Galeni verba male perceperint: Nam illi, qui hoc nostro seculo doctiores habiti sunt, & Galenum ducem sequuntur, illius verbis & sententiis muniti proprias opiniones tueri conantur: cum tamen interim male Galenum percipiant, vt clarissime posthac docebimus. Propter hanc igitur causam tractationem libenter conscripsi: in qua huc mihi fuit præcipuum, docere, quid vere indicet missionem sanguinis: atq; primum aliorum opinionibus explicatis & reprobatis, quid pro veritate sentiendum sit, euidentissime, nisi meum me fallit iudicium, expono. Quod vero ad Galenum pertinet, difficiles eius viri sententias explico, & quæ oppositæ propriis principiis videntur, à me citra difficultatem componuntur; & quo magis noster hic labor Medicinæ studiosis satisfaceret, nihilque amplius esset, quod facere dubitationem posset, eius librum de ratione curandi per missionem sanguinis commentariis illustrauimus, quos vita superstite; breui admodum tempore in lucem edimus. Hac ipsa contemplatione absoluta, de iis postea diligenter tractabimus, quæ ad quantitatem, vtendi modum, & occasionem pertinebunt huius auxilii, ac denique de hyrudinibus, cucurbitulis, & scarificatione particularem librum conscribemus. Sic quidem absolutam (quod ad me pertinet) recentiores

centiores Medici, (quorum potiſſimum vtilitati incumbo) de hoc argumento tractationem habebunt. Itaque ſi non ſunt repetenda, quæ olim veteres perfectè conſcripſerunt, eſt tamen humano generi conſulendum, ſunt abuſus extirpandi, & Galeni ſententiæ, quæ errandi occaſionem dederunt, ac difficultatem habent interpretandæ. Porrò autem aliorum opiniones refellere tantum abeſt, vt ego temerarium ducam, vt potius ingenioſi hominis munus, atque de propria arte optimè merentis officium eſſe exiſtimem. Hæc enim antiqua fuit apud probatiſſimos quoſque authores tum docendi, tum ſcribendi conſuetudo, vt vnuſquiſque libere, nullaque ſcriptoris ratione habita, id quod verum aut falſum eſſe arbitraretur, explicaret. Sic legimus Ariſtotelem Peripateticorum principem acerrimè antiquiores reprehendiſſe, quinimo neque etiam Platoni pepercisſe, dum illum ſcilicet nunc abſurda, nunc aliena à ratione, nunc verò etiam minus probabilia, quàm alii, quos ineptiſſimos iudicauit, tradidiſſe commemorat. Galenus antiquiores, atque etiam ſui temporis Medicos, Philoſophoſque admodum inſignes, maxime verò vnum Ariſtotelem arguit. Sed quid hos memoro? cum aliquando Hippocratem, quem alioqui Medicinæ parentem, & omnium bonorum authorem nuncupat, reprehendat. Hunc enim non obſeruatæ proprietatis, obſcuritatis, non exactæ narrationis, mendacii, ſuperfluitatis, diminutionis, ineptitudinis, negligentiæ, erroris, obliuionis, non ſeruati ordinis, atque improprii ſermonis arguit. Auicenna maximus Medicus, & Philoſophus ab Ariſtotele diſſentit. Galenum verò, cuius tamen ſeſe profitetur interpretem, haud rarò erroris inſimulat. Auerrois autem Galenum frequenter arguit: & paſſim contra Auicennam inuehitur. Eadem etiam docendi libertate vſi ſunt recentiores Medici, qui labore ſuo medicam facultatem illuſtrauerunt. Ac vt alios ſexcentos taceam, prætermittere tamen non poſſum Weſſalium, qui proximis annis admirabile illud opus de re Anatomica conſcripſit, vbi paſſim aliorum omnium, tum verò vnius Galeni errores patefacit. An propterea Ioannem Fernelium, poſt Hippocratem, Galenum, & Auicennam, omnium Medicorum (me iudice) facilè principem arguemus, quòd aliquando non ſolum contra alios Medicos, ſed etiam contra Galenum ſcribat? Quis non maximas habebit gratias Argenterio, qui contra Galenum de morbis, ſymptomatis, horum cauſis, ſignis, & de Medici officio diſertiſſimè diſputat? Alios quidem in medium afferre poſſem, ſed hi ſufficiant pro multis. Hæc, quæ à me hactenus dicta ſunt, eò pertinent, vt doceam non eſſe temerarium alios refellere, ſed munus ingenioſi hominis, ac eius, qui de propria arte benè mereri deſiderat. Itaque ſi ego alios refello, & hæc præter aliorum opinionem ediſſero, non alia quidem cauſa id facio, niſi quod cum in alicuius magiſtri verbis minimè iurauerim, ac propterea abſurdum eſſe duxerim citra rationem ſcriptoribus adhibere aliquam fidem, antiquiorum & recentiorum exemplo liberè veritatem ipſam patefacere conſtituerim. Et qualibertate alios arguo, eadem ſanè perlibenter patiar ab aliis omnibus reprehendi, quinimo maximam ſum gratiam habiturus, ſi ab aliis factus aliquando doctior palinodiam recantabo. Non enim aliud eſt laboris, & conſilii huiuſce mei inſtitutum, quàm veritatem docere, & aliis prodeſſe. Quamobrem Medicos omnes etiam atque etiam obſecro, obteſtorque, vt hæc æqui boniqúe conſulentes, tractationem hanc meam, ſi veritatem edocuerit, libenter approbent: ſin minus, vt liberè arguant, id quod ſum, vt dixi, in maximam gratiam habiturus. At verò illis, qui dicunt, odioſum eſſe, ea immutare velle, quæ multis ſeculis confirmata ſunt, id equidem ego veriſſimum eſſe dico atque profiteor, in omni ætate contigiſſe. Galenus enim dum contra Methodicos Romæ diſputaret ac ſcriberet, adeò magnum contra ſe ipſum concitauit odium, vt profectò illinc diſcedere fuerit coactus, & niſi quidam impedimento fuiſſet, à quodam Aſclepiadeo, alioq́; ſophiſta, vt is teſtatur, occidebatur. Noſtris verò temporibus quid Weſſalio atque Montano contigerit, dum ſcilicet vnuſquiſque methodo ipſa, pro more maiorum, liberè veritatem patefacere conabatur, cer-

tius eſt, quam quod in præſentiarum explicari debeat. Hi tamen ſcribere minime deſtiterunt, ſed omni ſpreto periculo nihil aliud curatunt, quam propriis laboribus publicæ vtilitati conſulere. Poſtremum autem, quod inquiunt, non decere homines nouos, veterum opiniones refellere: id equidem non ſolum caret omni probabilitate, ſed etiam, vt libere dicam, ridiculum eſt. Non enim Galenus, dum Romæ medicinam faceret, & contra Theſſalum atque alios celebratiſſimos Medicos ſcriberet, nouus homo fuit; Cuius famæ atque exiſtimationis credimus Ariſtotelem extitiſſe, dum contra antiquiores diſſereret? Equidem admodum exiguæ fuiſſe puto. Nam vix cœpit poſt annos quadringentos, aut etiam fortaſſis, vt aliis placet, ſexcentos in pretio aliquo haberi, dum tamen interim diuinus Plato plurimum vigebat. Hoc vnum poſſum dubio procul affirmare, rarum quidem eſſe, & fere inauditum, vt dum ſcriptores viuunt, magnam authoritatem conſequantur: id enim vtplurimum poſt mortem conſequi videtur. Cæterum quis hanc tractationem non maxime difficilem iudicabit, cum mihi negotium inſtitutum ſit contra clariſſimos Medicos, quorum iudicium atq; ingenium, tum alii fere omnes, tum ego præſertim obſeruare ſoleo & admirari. Difficultatem auget, quod Galenus adeo varius, ſibiq; contraria, ac ſuis principiis repugnantia dicere videtur, quod fortaſſe quibuſdã impoſſibile videbitur eius ſententias componere, & à contradictionis nomine vindicare. Porro quod ad ipſum ordinem pertinet, talem in hac tractatione obſeruabimus. Quia vniuerſalis methodus in quatuor potiſſimum conſiſtit, in qualitate & quantitate remedii, & in recto vſu, & in occaſione de inuentione remedii prius agam, & quia explicari veritas nequit, niſi primum aliorum opiniones conſiderentur, atque in his oſtendatur veritatem minime contineri, idcirco in pr ma tractationis noſtræ ſectione docebimus, quid alii ſentiant, & ſigillatim omnes opiniones reprobabimus. In altera vero parte quid pro veritate ſentiendum ſit, enarrabimus, noſtramq; opinionem Galeni principiis maxime conformem exiſtere demonſtrabimus, quæ primis tribus libris abſoluemus. Sed quoniam hoc explicaſſe non ſufficit, niſi omnes dubitationes perſoluamus, quæ his dictis accidunt: propterea in quarta huius operis ſectione omnes difficultates perſoluemus, atq; ita quidem nihil amplius reliquum erit, quod facere dubitationem valeat. Deinde vero docebimus omnia ad quantitatem pertinentia libro quinto ac ſexto. Poſtea de vtendi modo ac tempore diſſeremus tribus ſubſequentibus libris. Deniq; de cucurbitulis & hyrudinibus agemus, atque ita tota hæc tractatio decem libris abſoluetur; ſed hæc ſatis præfati ad rem ipſam accedamus.

CAP. II.

Recentiorum Medicorum opinio.

HOc igitur loco tradituri, quid vere indicet miſſionem ſanguinis, aliorum opiniones primum afferemus. Quatuor itaq; ſunt opiniones circa propoſitam materiam. Quidam enim indicari miſſionem ſanguinis à magnitudine morbi, virium robore, & ætate conſiſtenti, nullo amplius adhibito diſcrimine dixerunt, hacq; ratione, modo ſcopi iam propoſiti ſint præſentes, in ſingulis morbis venæ ſectionem conſulunt. Alii vero non in omnibus vniuerſaliter magnis affectibus, ſed in his duntaxat, qui à calidis humoribus concitantur, hoc generoſum præſidium admittunt: Indicariq; à tribus illis ſcopis, non tamen indiſcriminatim, ſed hac diſtinctione habita, quod calidorum humorum vitio ingens ſit morbus: porro quia calidi duo ſunt, bilis & ſanguis, in horum redundantia, aut etiam vitio, aut mala qualitate venæ ſectionem admittunt. Rurſus autem alii à ſola plenitudine indicationem hanc deſumi, hacque præſente ſemper, abſente vero nunquam mittendum eſſe ſanguinem dixerunt. Poſtremo aliqui putantes falſas eſſe opiniones propoſitas, arbitrantur, ſanguinis vitium venæ ſectionem inſinuare. Hæc quidem ſumma eſt opinionum omnium, quas recentiores

res

res Medici circa propositam disputationem introduxerunt. Sed præstat has ipsas cumulatius & clarius singularum rationibus adhibitis explicare. Itaq; quoniam sanguinis missio generosum & magnum est præsidium, adhiberi non debet, nisi magnus fuerit morbus. Namq; vt extremis morbis extrema præsidia optima sunt, quemadmodum censet Hippocrates: sic equidem magnis magna, & paruis parua conueniunt. sed quia vires imbecillæ non ferunt magna præsidia, cum ab eiusce modi remediis humani corporis facultates labefactentur, in hoc exercendo opus est vires validas esse. At vero hoc minime sufficit, quoniam aliquando vires validæ sunt, morbusq; magnus, haud tamen necessaria est missio sanguinis. Hoc autem euenit, cum innata quædam euacuatio in subiecto corpore continetur, vt in puerili ætate contingit, qui propter substantiæ mollitiem atque fluxibilitatem non patiuntur missionem sanguinis, propterea alter scopus adhibendus est, nempe ætas consistens. Quamobrem hi tres soli, & præcipui scopi obseruandi sunt, quibus præsentibus semper, absentibus autem, aut omnibus, aut duobus, aut horum altero, nunquam nobis indicatio de mittendo sanguine suggeritur, at vero certe constare putant, nullum amplius discrimen adhibendum, modo hi tres conueniant scopi, quin statim sanguinem mittamus. Cæterum multa sunt à clarissimis Medicis conscripta, quæ propositam opinionem confirmant. Atque inprimis maximus Hippocrates opinionem tuetur his verbis, libro quarto de ratione victus in morbis acutis. In acutis morbis sanguinem mittes, si vehemens morbus videatur, floruerit que ægrotanti ætas, & virium adfuerit robur.] Galenus vero, quamuis eum librum non esse Hippocratis dicat, sed vel Pelopis, vel alterius discipuli diuini illius hominis, eam tamen sententiam admittit, atque Hippocrate dignam iudicat, admiraturque, cur eam inter aphoristicas sententias non reposuerit: eamque non solum eodem commentario optime exponit, approbatque, sed etiam in methodo medendi libro potissimum quarto confirmat his verbis: Quando si valens morbus sit cum virium robore, nemo est, qui sanguinem non mittat, qui vtique in artis operibus sit exercitatus.] & paulo infra inquit: Ex quo patet non hoc esse, quod mittendum sanguinem indicat, sed magnitudinem morbi cum virium robore, exceptis tamen à sermone pueris.] idem confirmauit libro de ratione curandi per missionem sanguinis, dum ait: Recte ergo admonemur in iis, quæ exempli gratia in libro de ratione victus acutorum proponuntur, sanguinem mittere si morbus sit magnus, & æger iuuenili sit ætate, roburque adsit] & capite decimotertio eiusdem tractationis inquit: Morbi itaque magnitudo cum virium robore primi erant mittendi sanguinis scopi: ille quidem, quæ facienda sunt indicans: hic tanquam illud haud prohibens; id quod contra indicare iuniorum Medicorum quidam appellant.] Magnus ille Oribasius libro primo synopseos inquit: Si morbus magnus expectetur, sanguis omnino mittendus erit, etiam si plenitudinis signa non adsint, habita tamen ratione ætatis, anni, temporis, & virium,] & infra eodem capite: An statuendum omnino est, vt in omnibus magnis morbis necesse sit, venæ sectionem confestim adhiberi?] Hic notare oportet ea verba [in omnibus magnis morbis] quandoquidem ex his appareat, nullum amplius adhibendum esse discrimen, modo sint præsentes illi tres scopi. Confirmatur præterea ex ratione curandi, quam Galenus adhibet in omnibus febribus putridis, in quibus necessariam esse missionem sanguinis docuit; at vero putridæ febres fiunt tam à calidis, quam à frigidis humoribus: non est igitur opus adhibere discrimen, an morbus magnus à calidis, an autem contra à frigidis humoribus originem ducat; Galeni verba in hunc modum habent. Saluberrimum autem, vt prædiximus, est in febribus venam incidere non continuis modo, verum etiam aliis omnibus, quas putrescens humor concitat, vbi præsertim nec ætas, nec vires prohibeant. Leuata namque quæ corpus nostrum regit natura, exonerataque, eo quo velut sarcina premitur, haud ægre quod reliquum est, vincet. itaque proprii muneris haud oblita, & concoquet, quod concoqui est habile, & excernet, quod po-

reſt excerni.] Amplius in crudorum humorum copia Galenus conſuluit miſſionem ſanguinis: Quid igitur fiet vbi humores fuerint calidi, qualis eſt flaua bilis, & ſanguis? in his namque nullam habere difficultatem videtur, quod ſanguinis miſſio ſemper conueniat. Quamobrem malè ab Auicenna dictum eſſe concludunt, in venarum ſectione cauendum, ne ægrotantes ad bilioſorum humorum efferueſcentiam, aut ad crudorum copiam deducamus. Quod autem, vbi crudorum humorum adfuerit copia, hoc remedium adhibendum ſit, docet Galenus libro vndecimo methodi medendi; quo loco explicans rationem curandi lethargū, ſic inquit. Cum ergo humor, qui in capite redundat, frigidus eſt, inſenſibilitas immobilitasque hominem arripit: cum verò calidus eſt perpetuus potius motus vnà cum rationis noxa. Accidit enim, veluti demonſtratum in libris de his eſt, ex frigore ſegnitia, ex calore immodicus motus; ex humoris verò vitio dementia, itaque incidenda eſt in talibus affectibus vena ſtatim ab initio.] & in libro de ratione curandi per miſſionem ſanguinis rem euidentius expoſuit, dum ait. Vbi ergo multa euacuatione eſt opus, verum vires ſunt imbecilliores, in his euacuationem partiri expedit, vti nimirum & me feciſſe vidiſtis in iis, in quibus inerat crudorum humorum copia. Nam pauculo ſanguine detracto protinus mellicratum exhibeo probè coctum cum incidentium medicaminum quopiam veluti hyſſopo, origano, & interim etiam nepita, aut certè cum mellicrato oximel, aut oxiglixi, & ſic rurſus ſanguinem diminuo, vel ipſo eodem nonnunquam die, interdum die poſtero: in quo rurſus exhibito propoſitorum medicaminum quopiam, iterum de ſanguine quid aufero, ac rurſus tertio die ſimiliter bis.] deinde extant alia Galeni verba, quibus idem videtur efficaciſſimè perſuaderi. Nam docens rationem curandi febrem ephemeram ex obſtructione ortam à craſſis humoribus ſic habet. Quippe niſi vitioſus ſuccus penitus tranſpiret, neceſſe eſt putreſiat. Ergo vt tranſpiret, maiore auxilio iam eſt opus: ac, ſiquidem vel puer, vel ſenex ſit, ſanguinem detrahere non licet: inter has ætates vbi ægro robur non deeſt, ſecanda vena eſt, etiam ſi plenitudinis ſigna non adſint. Præſtat enim vitioſi ſucci maiori parte emiſſa ad detergendas obſtructiones accedere, cum alioquin metus ſit, ſi obſtructionibus liberandis, priuſquam vacuaueris, ſtudeas, ne ipſas magis impingas.] Ex his quidem verbis maximum argumentum colligitur, ſectionem venæ præſtantiſſimum auxilium eſſe pro obſtructionibus liberandis, à quacunque cauſa originem duxerint. Tres enim ſunt cauſæ, vt idem auctor exponit, vna humoris multitudo, ſecunda eiuſdem craſſities, poſtrema, tenacitas, & lentor. In hac diaria febre antequam ad detergendas obſtructiones citra plenitudinem accedat; ſanguinem mittendum eſſe primum conſuluit. ergo neceſſarium eſt obſtructionem à craſſis, aut viſcidis humoribus originem traxiſſe. Afferri etiam poteſt in huiuſce opinionis confirmationem, quod Galenus, dum proſequitur rationem curandi per miſſionem ſanguinis libro huic tractationi dicato, docet; Epilepſiam, Apoplexiam, vertiginem rectè curari per ſectionem venæ; at verò hi affectus ſunt, omnium iudicio, à frigiditate geniti. Quin etiam in vehementiſſimis doloribus, qui fieri ſolent tam à calidis, quam a frigidis excrementis, non ſolum voluit ſanguinem eſſe mittendum, ſed hoc remedium vſque ad animi deliquium adminiſtrandum eſſe conſuluit. Quo etiam loco in ardentiſſimis febribus, quas flaua bilis putreſcens concitat, idem auxilium exercendum præcipit. Poſtremò autem in omnibus materialibus morbis, modo magni fuerint, aliis duobus ſcopis præſentibus tradunt neceſſariam eſſe miſſionem ſanguinis, hac ratione, quod ea ſit vniuerſalis euacuatio, qua ſucci omnes æqualiter educuntur. Quicunq; igitur is humor fuerit, qui peccauerit, is commodè ſecta vena educi poterit. Porrò non ſolum vbi morbi præſentes fuerint, ſed etiam vbi expectentur mittere ſanguinem expedit. itaq; magnitudo morbi & præſens & futura obſeruari debet, quemadmodum Galenus paſſim admonuit. Ex his igitur colligunt in omnibus magnis morbis, ſiue à plenitudine fuerint geniti, ſiue à malis ſuccis, Græci κακοχυμίαν vocant (at-

quo

quae siue hi fuerint calidi, siue frigidi) virtute & aetate annuentibus missionem sanguinis saluberrimam esse. Alii vero, quibus haec opinio non satisfacit, indicationem de sanguine mittendo ab his tribus suggeri docuerunt; non tamen, vt illi tradunt, nullo amplius adhibito discrimine, a quibus, inquam, humoribus generentur; sed hoc esse praecipue obseruandum in sanguine detrahendo, vt antequam ad scopos accedamus, prius humorum peccantium conditionem examussim cognoscamus, & ex horum varietate pendere auxiliorum, materiaeque medicae varietatem. Si enim corpus plenitudine, quam Graeci πληθώραν vocant, laborauerit, mittendus vtique sanguis est: verum si citra plenitudinem vitiosi succi abundauerint, & qualitate peccauerint (nam in qualitate vitium Galenus vocat κακοχυμίαν, quemadmodum πληθώραν humorum in quantitate errorem) frustra adhiberi missionem sanguinis, sed necessariam esse purgationem: Hincque tradunt deductũ esse commune illud apud omnes Medicos axioma, quod passim Galenus affert, humores qualitate peccantes, purgandos, quantitate autem euacuandos. Non minores autem fautores habet proposita opinio, quam superior; nec Galeni sententiis destituta videtur, quibus confirmatur, ostendatque ex illius principiis atque fundamentis desumptam. Primum vero illud maxime persuadet, quod Galenus postquam praecepit, euacuandum esse vsque ad animi deliquium, adhibendam esse distinctionem docuit, an mittere sanguinem, an autem purgare oporteat. Sed quam ob causam Galenus distinctionem adhibet, si propositi illi tres scopi sufficiunt nullo amplius adhibito discrimine? Deinde vero idem author libello huic tractationi dicato, statim in principio, antequam doceat scopos circa missionem sanguinis obseruandos, prius admonuit, contemplandum esse, an affectiones curari soleant per missionem sanguinis, necne. Prius namque videndum est, an morbus curari debeat per euacuationem; deinde autem, quia euacuationum differentiae multae sunt, perpendendum quali euacuatione indigeat morbus, at postquam constiterit eam postulare, quae fit secta vena, scopi considerandi veniunt. Haec igitur methodus est Galeni. Et confirmatur, quia hydrops magnus est morbus, atque vt plurimum insanabilis, hanc tamen nemo nunquam ausus est sanare per missionem sanguinis, vt Galenus testatur libro quarto de ratione victus in morbis acutis: Vires tamen validae sunt, vt puta quae ferunt validissima medicamenta. Haec sane, & alia quam plurima, de quibus nos infra, dum priorem opinionem impugnabimus, mentionem faciemus, in confirmationem opinionis huius adduci possunt. Verum, quia satis de hac opinione diximus, reliquum est, vt ad alteram opinionem accedamus. Tertia opinio fuit quorundam Medicorum, qui olim in Gymnasio Romano medicinam fecerunt, ac publice professi sunt, cuius tandem haec summa est, quod sanguinis missio non indicatur, nisi à plenitudine, siue ea sit, quo ad vasa Graeci κατὰ τὰ ἀγγεῖα vocant, siue quo ad facultates & vires humanum corpus regentes. hac vero potissimum ratione vtebantur, dum hac de re publice disputarent. Illud, quod per se, & primo à missione sanguinis euacuatur, dicitur primo, & per se indicare ipsum remedium. Nam, vt Galenus in methodo medendi docuit, absurdum est dicere, aliud curari, aliud vero esse, quod curationem indicet: sic profecto absurdum fuerit putare, euacuari per se multitudinem sanguinis missione, & aliud esse à multitudine, quod hoc generosum praesidium indicet. Deinde vero si indicatio est agendorum insinuatio, aut eius quod sequitur, vt idem author testatur, id quod agitur, indicat actionem faciendam esse. porro sanguinis missio primum plenitudinem euacuat; quamobrem sequitur, plenitudinem sectionem venae indicare. Quod vero multitudinem (liceat hoc loco promiscue vti nomine in eodem significato plenitudinis ac multitudinis) euacuet missio sanguinis, vnum ex illis est, quae apud omnes euidentissima sunt. sic enim Auicenna phlebotomiam definit, dum dicit, esse multitudinis euacuationem. Sic passim Galenus, tum in Aphorismorum commentariis, tum etiam in methodo medendi hoc nobis inculcat, mittendum esse sanguinem, cum fue-

rit corpus plenitudinis paſſionibus obnoxium: contra verò purgandum, ſi corpus vitioſis humoribus fuerit refertum,&c,quod dicere ſolet,qualitate peccauerit. Præterea idem Galenus libello de ratione curandi per miſſionem ſanguinis, velle ſe explicare pollicetur ,qui morbi eam euacuationem deſiderant, quæ fit miſſo ſanguine,atq; ſolos morbos qui fiunt,ab vtraque plenitudine recenſet.Sic maximus Hippocrates habitu Athletarum confeſtim ſoluendos eſſe præcepit miſſo ſanguine.Tandem autem, vt ad ipſum Auicennam redeamus,is videtur diligẽter,& clariſſimè totam rem,de qua agitur explicaſſe,dum inquit:Phlebotomia eſt euacuatio vniuerſalis, quæ multitudinem euacuat. Multitudo autem eſt humorum augmentum ſuper æqualitatem ipſorum in venis, & nemo quidem eſt phlebotomandus,niſi vnus duorum; vnus eorum eſt ægritudinibus præparatus, qui cum ipſius ſanguis multiplicatus fuerit, cadet in eas: alter eſt cadens in eas: vnuſquiſque autem eorum, aut phlebotomatur propter ſanguinis multitudinem additam,aut propter ipſius malitiam,aut propter vtrumque.] Hæc Auicenna. Ex quibus manifeſtò colligere eſt, vnam plenitudinem ſanguinis miſſionem indicare, & citra plenitudinem nunquam accedendum de eiuſcemodi remedium. Poſtremo autem alios quoſdam audiui, qui ab his omnibus longe diſſident. Siquidem putant à ſanguinis vitio indicari miſſionem ſanguinis. Nam cum nos aliquando citra plenitudinem ad hoc præſidium accedamus, vt confluentem à naribus, à mariſcis, aut alia quapiam parte ſanguinem compeſcamus, nullam penitus dubitationem habet, quòd hoc auxilium ſanguinis multitudo non indicat. Nunquam tamen mittitur citra aliquod ipſius vitium: quia dum reuellimus, aut etiam deriuamus, ſanguis peccat, quoniam nimis profluit. & hoc dicebat Auicenna admonens phlebotomiam fieri, aut propter multitudinem,aut ſanguinis malitiam, aut propter vtrunque. Similiter etiam in omnibus febribus putridis ſaluberrimum eſt ſanguinem mittere, vt Galenus admonuit in methodo medendi, at non omnes putridæ febres fiunt à multitudine ſanguinis. Præterea pro omnibus obſtructionibus liberandis conuenit venæ ſectio, non tamen in omnibus obſtructio fit à plenitudine. at verò nunquam fit obſtructio, quin aliquod adſit ſanguinis vitium, quia ſcilicet non euentatur.Ergo,quia & in plenitudine, & citra plenitudinem ſanguis mittitur, plenitudo non indicabit. Quia verò nunquam citra ſanguinis vitium, hoc planè illud erit, quod nobis eiuſcemodi indicationem inſinuabit; hocque præſertim ex Galeno confirmatur, qui agens de ſanguinis miſſione, teſtatur hanc non ob aliam cauſam adhiberi, quàm ſanguinis euacuandi gratia. Oportet igitur in ſanguine cauſam eſſe, quæ indicet ſectionem venæ. ſed de aliorum opinionibus hæc ſufficiant.

CAP. III.

Quid indicatio, contraindicatio, quæve natura ſit eorum, quæ indicant.

AGE verò, quoniam in hac tractatione noſtra haud raro indicationis & contraindicationis facere mentionem oportebit, ne ignotis nominibus vtamur, priuſquam propoſitas opiniones ſigillatim refellamus: quid ſit indicatio,& contraindicatio, quęve natura eorum, quę indicant, docere primum breuiſſimè inſtituimus. Hæc enim tractatio non eum duntaxat, quem dixi, vſum afferet, ſed etiam erit optimum maximumque fundamentum diſputationis noſtræ. Tres igitur apud Galenum indicationis definitiones inuenio: duas in libello de optima ſecta ad Tranſibulum: alteram verò in ſecundo methodo medendi. Harum definitionum reliquis prætermiſſis, vnam ſolum exponemus. Ea quidem in hunc modum habet: Indicatio eſt perceptio rei iuuantis ſimul, cum perceptione nocentis adueniens ſine obſeruatione, & ratiocinio. Quotieſcunque affectus præter naturam nobis innoteſcunt, ſtatim percipitur illud, quod iuuat, & vtile eſt, vt cognito affectu aliquo in frigida intemperie, ſtatim ſeſe nobis

bis offert, calida admouenda esse præsidia, quæ contraria sunt citra omnem obseruationem, analogismum, aut argumentationem. Sed hæc verba (cum perceptione nocentis) quomodo intelligi debeant, non paruam difficultatem habet. quoniam nonnulli ex recentioribus Medicis, atque ex eorum numero, qui Galeni doctrinam profitentur, putant intelligere Galenum materias nocentes, & causas morbificas, in hunc sensum. Indicatio est perceptio rei iuuantis] id est, remediorum, quæ prosunt pro morbis abigendis, & rei nocentis] id est, illius materiei, quæ nocet: quia cognito vno contrariorum nullo negotio cognoscitur etiam & reliquum. Quod enim iuuat primo cognoscendum est, & eadem ratione postea quod nocet, deprehenditur: quæ itaque (addunt) per indicationem comprehenduntur & inueniuntur, in natura rei sunt designata. Percepta enim natura eius, quod nos ad agendum mouet, & molliendum aliquid impellit, protinus etiam vna cum eo, quid agendum sit, & quid fugiendum, quasi digito ostendit. Vnde ἐνδείξεως, id est, indicationis nomen ductum esse intelligitur, rem exemplis prosequuntur, quod febricitantibus frigida conueniat, ita indicante febris natura, cognoscimus: contra, calida illis obesse scimus, quod hæc contraria sit iis, quæ prodesse morbus indicauit. Ego verò, quamuis hanc opinionem à Clarissimis Præceptoribus meis confirmatam audiuerim, puto tamen aliter sentiendum; Galenum, inquam, nocentis vocabulo non intelligere materias nocentes, ac in vniuersum ipsa salubribus causis contraria, quæcunque sint, sed intelligendos esse affectus præter naturam; id, inquam, quod nocet, & nostras actiones offendit: quam rem possumus hisce rationibus persuadere: atque primum omnium, quod indicatio, sic definiente Galeno libro secundo methodo medendi, est insinuatio eius, quod agendum est: porrò id quod agere oportet, est id quod iuuat; id autem quod obest, minime: est enim hoc euitandum, non agendum. Et confirmatur, quia libro de optima secta ad Transibulum dicebat: Iuuantia enim per indicationem patefiunt.] & addebat. quandoquidem ipsa nocentia quid expediat manifestat.] quibus verbis per nocentia significauit, atque clarissime expressit, morbos, ac in vniuersum affectus omnes præter naturam. Rursus nihil indicat, quod sibi nocet: Omne enim quod indicat, id insinuat quod prodest. Amplius, si hoc modo nocentis nomen intelligeremus, Galenus in ea definitione non fuisset complexus naturam indicantem: quod illi vitio vertit Argenterius, putans, addendum esse in definitione. cum re indicante proueniens] sed frustra certè ita sentit, quia Galeni definitio omnia complectitur ad indicationis naturam necessaria, si nomine nocentis] intelligamus affectum præter naturam. Postremo quodcunque indicat, aut sui conseruationem, aut ablationem significat: at verò vtraque actio obiri solet cum his, quæ prosunt: & nunquam cum materiis nocentibus. Itaque per nocentia non possumus intelligere nocentes materias: sed, vt diximus, affectus præter naturam. nam quamuis cognito vno contrariorum, cognoscatur etiam reliquum; id quidem, quod ad ipsam indicationem pertinet, ex accidenti congruit, vt perbelle recentiores Medici adnotarunt. Quamobrem cognito affectu præter naturam, atque illius natura perspecta statim sese nobis offert, adhibendum esse remedium, quod corpori prosit, morbumque propulsare valeat. Sed quid sibi volunt ea verba, quæ in definitione addidimus. sine obseruatione, aut ratiocinio?] Quoniam, vt Galenus inquit, aliud est per indicationem inuenire; aliud verò per experientiam, & obseruationem: qui enim per indicationem inuenit, hic quidem dogmaticus & rationalis est; qui verò per experientiam inuenit; obseruator & Empiricus dicitur. est enim hoc instrumentum Empiricorum proprium: siquidem nunquam dicent Empirici, hoc illud ve indicari ab altero: sed sic obseruasse, aliis profuisse, affirmabunt. Argumentationem præterea seclusimus, quia indicatio non indiget aliqua cogitationis ope. Intercedit enim quædam proportio ipsi indicationi cum iis, quæ tum sensui, tum intellectui manifesta sunt. statim enim cognita affectuum præter naturam substantia & quidditate, citra omne

ratiocinium apparet nobis quid agendum ſit; atque quod vtile fuerit pro morbis propulſandis. quare (dicebat Galenus) quod in apertiſſimis, & ſine controuerſia conceſſis reperitur, id nimirum & in perceptis ex indicatione contingit, cum illis mens noſtra propter euidentiam citra negotium aſſentiatur. Quin etiam ſunt ſenſui manifeſta aliquando, quæ per indicationem innoteſcunt, vt album & nigrum: quod Galenus exemplis explicans dicebat: Animalia ratione carentia æſtum, algorem, ſimulque omnia nocere valentia, quo ad eius fieri poteſt, vitare conantur, ſimul videlicet eo, quod iuuat ſeſe offerente.] Additque. Paxillo enim aut aliquo alio in membrum defixo, nulla cogitatione præmiſſa reuellit.] Poſtremo ſciendum eſt, indicationem longe ab analogiſmo differre: quia analogiſmus eſt comparatio, & perceptio cauſarum iuuantium per ſimilitudines: percipitur autem ex eo iuuans, quando cauſa quidem deliteſcit, nullaque obſeruatio habetur, ſed affectus quàm ſimillimus ex caſibus eſt: quia analogiſmo vtentes tranſimus à ſimilibus ad ſimilia: quamuis Empirici ſecus atque nos rationales eiuſcemodi tranſitum vſurpent. itaque quoniam indicatio maximam habet ſimilitudinem cum ſenſu, atque etiam cum ijs, quæ noſtro intellectui notiſſima ſunt, nullam requirit ratiocinationem, neque præterea obſeruationem, quoniam hæc non ſequitur naturam rei, & non continentur in affectuum eſſentia; de quibus Medicæ actiones inſtituuntur: ex his profectò patet, quid ſit indicatio. Porrò indicans, ſiue illud, quod indicat, eſt affectus corporis; quod vtile, ſeu iuuans poſtulat, quodque requirit id, quod fieri expediat. Indicatum vero eſt illud vtile poſtulatum ac iuuans quod ab ipſo indicante ſuggeritur. Sed animaduertere oportet, quod non vna eſt eorum, quæ indicant differentia: quædam enim primo ac per ſe hanc vim habent. quædam vero ſecundo loco, hæc ſane proprie dicuntur coindicare, & indicationes, quæ ab his capiuntur Græce συνενδεικνύμενα, Latine coindicationes recte nuncupabantur. ſunt autem coindicantia, quæ ſimul cum ipſis primo indicantibus iuuantia atque vtilia exigunt. Nos igitur in hac præſenti tractatione, qua vt præfati ſumus, id conabimur explicare, quod miſſionem ſanguinis indicet, de iis perpetuo ſermonem habebimus, quæ proprie primo atque per ſe vere indicant; quibus poſitis, ponatur de ſanguine mittendo indicatio: & remotis, omnis indicatio prorſus amoueatur. Verum quo ea, quæ infra dicturi ſumus, clariora appareant, obiter doceamus, quæ ſit natura eorum, quæ indicant, & quid in Galeni doctrina per contraindicantia intelligendum ſit, quia nos non ſemel in hoc opere contraindicantium mentionem faciemus. Quoniam itaque indicatio à natura rei deſumitur, neceſſarium eſt vnumquodque indicare pro natura ſua, & qualis natura fuerit eius, quod indicat, talis eſt indicatio, quæ ab eiuſcemodi natura deducitur: ſi enim ea ſimplex fuerit, ſimplex emanat indicatio: at vero ſi compoſita, ſimiliter compoſita indicatio deſumitur: eodem etiam modo ſe res habet in communibus naturis; ac in particularibus & indiuiduis: quia communium naturarum communis eſt, particularium vero indiuidua & ſingularis indicatio. neque hoc profecto mirum eſt, quia cum vnius rei vna ſit natura, oportet vnam indicationem ab eo, quod vnum eſt, deduci. Ergo vnum vnam de ſe continuo indicationem promet, vnumq; perpetuo indicabit: & qua ratione vnum ſemper indicat, impoſſibile eſt, quod ab vno primo atque per ſe plura indicentur. Præſtat autem hæc, quæ diximus, Galeni verbis confirmare. nam quamuis veriſſima ſint, nullam tamen dubitationem habebunt apud eos, qui aſſueti ſunt omnia huius viri monimentis corroborare. is igitur libro nono methodi medendi ſic inquit: Porro vnum ſemper eſt, quæ ab hac præſtatur conferentis indicatio, veluti etiam reliquorum omnium: nam quicquid pro natura ſua indicat, id vnum ſemper indicabit, ceu quod vnum habeat naturam; atque id vnum, ſi quod indicationem facit, ſimplex eſt, ipſum quoque ſimplex erit, ſin illud eſt compoſitum, hoc quoque erit compoſitum: ſane quædam ſui cuſtodiam indicant, quædam ſui amotionem, ſiue autem hanc indicent, ſiue illam, quod ſimplex eſt, ſimplicem quoque indica-

tionem

tionem habet, quod non simplex, etiam non simplicem.] Hæc Galenus. Verum habet hoc loco non contemnendam dubitationem, quod dictum est, à Galeno, atque ab omnibus Medicis passim confirmatum, quod scilicet ab vno vnum, & non plura perpetuo indicentur: quia vires vel ipsius Galeni testimonio ad morborum curationem maxime necessariæ sunt, & illam dicuntur indicare: tamen habent vires aliam indicationem peculiarem, nempe sui custodiam: quod ab ipso Galeno passim tanquam proprium ipsarum virium admittitur: quamobrem non semper vnum indicat vnum, cum aliquando vnum indicet plura. Deinde confirmatur, quia naturale corporis temperamentum sui custodiam & conseruationem indicat, nihilominus aliam etiam de seipso indicationem promit, cum indicet curationem & præsidiorum mensuram, & quantitatem præfiniat, vt Galenus animaduertit. Quid igitur ad hæc? nonne videntur id principium subuertere? quod nos tanquam axioma supra posuimus; scio equidem nodum hunc fere inextricabilem videri recentioribus quibusdam Medicis: qui cum ipsam veritatem propius attingere non valerent; Galenum reprehendere ausi sunt; quod sua non obseruans principia, propriæ doctrinæ parum sit memor. Ego vero quod illis maxime obscurum est, sic tandem breuiter explico. Nihil sane impedit, quin vnum plura indicet, modo inter hæc ordo statuatur, vt scilicet aliquid sit primum & per se indicatum; aliquod vero secundo loco. at impossibile est plura eiusdem ordinis indicari: vtpura fieri non potest, quod idem indicet primo & per se curationem, suique remotionem; & indicet sui custodiam: non enim idem est morbus, & sanitas: nec idem est affectus præter naturam; & naturale temperamentum, siue affectus secundum naturam. Vires itaque primo, ac per se conseruationem indicant, vt infra dilucidius dicemus: minime vero aliud primo demonstrant: sic naturale temperamentum primo sui custodiam indicat. Quid igitur prohibet, quin hæc aliud quidpiam secundo loco indicare possint? cum potissimum indicatio postrema sit instituta, quo facilius possit prior indicatio executioni demandari? Vt temperies indicat mensuram præsidiorum, qua possint ipsæ vires facilius conseruari. Cæterum quod ad vires pertinet, hoc vnum sciendum est, necessarias illas esse in omni curatione, & considerari oportere, non tanquam ea, à quibus desumatur indicatio curatiua (cum sit indicatio, quam suggerunt vires, non curatoria, sed vitalis; vt ait Galenus nono methodo medendi) sed tanquam indicatio salubris: hoc itaque constanter affirmandum, nunquam vires indicare curationem, quamuis mensuram & quantitatem remediorum indicent, non vt curentur, sed solum, vt conseruentur. & vero nunquam Galenum obseruaui dixisse, vires ipsas primo indicare curationem, vt nos alibi multo subtilius disputauimus. Reuersi igitur vnde nostra discesserat oratio, concludimus ab vno, vnum per se & primo perpetuo indicari, & non plura, Axioma quoddam Medicæ artis esse, quod à nemine venit refellendum. Diximus de eorum, quæ indicant, natura; dicamus modo de contraindicationibus atque contraindicantibus. Recentiores quidam Medici, quibus ego in Gymnasio Pisano præceptoribus olim sum vsus, contraindicare nihil aliud esse dicunt, quam prohibere, quod ab ipso indicante primum suggeritur, demonstraturque. Horum quidem opinionem Fucsius in suis Institutionibus, quas crebro transcribit, nunquam prioribus contentus, vt de Olympico tradit Galenus, insecutus est. Horum sane sententiam admittere non possum; quoniam apud Galenum alium esse vsum huius vocabuli reperio, atque idcirco fit, Fucsium maxime errasse; vtpote qui institutionem scribens secundum Galeni placita, non viderit, quid hac de re idem author clarissimis verbis tradidit. Quod vero ad alios pertinet, ex quibus Fucsius transcripsit, quamuis opinionem non admittam, fortasse ii reprehensione digni non sunt: quoniam cum de iis rebus scribere aggressi sint, nullum sibi, quem imitarentur, authorem proposuerunt, nec iurantes in magistri verba, sola methodo ipsa pro veteri Medicorum & Philosophorum consuetudine, id tandem explicare conati sunt, quod metho-

do reſponderet, non quod hic aut ille author dixerit. Quamobrem hi ſunt hoc nomine plurimum laudandi. Sed prætermiſſo Fucſio, atque aliis, qui contra Galenum ſcripſerunt, ad rem propoſitam reuertamur, doceamusque, propter quam cauſam contraindicare non ſit prohibere. Atque primum id, quod aliquid non prohibet, contraindicare dicitur, vtputa vires cum ſanguinis miſſionem admittunt, eamque fieri non prohibent, contraindicare dicuntur: quaſi dixeris idem remedium indicare, quod ab indicante ſuggeritur, contrario tamen modo. hoc Galenus libro de ratione curandi per miſſionem ſanguinis hiſce verbis adnotauit: Morbi itaque magnitudo cum virium robore primi erant mittendi ſanguinis ſcopi, ille quidem, quæ facienda ſunt indicans: hic tanquam illud haud prohibens, quod contraindicare iuniorum Medicorum quidam appellant.] Et in alio opere inquit: Sed quod appetit facultas, ſi ab aliquo ſumi impediatur, illud contrarii indicantium, ſeu contraindicans; haud iure quis appeller. Præterea confirmatur eiuſdem verbis libro de ratione victus in morbis acutis, quæ ſic habent: Rurſus & hoc in loco remediorum indicationem ab affectu corporis accepit, ſimulque virtutem conſiderauit, neque tanquam remediorum vſum aliquando indicantem; ſed tanquam contraindicantem, ſeu contrario indicantem modo, interdum autem & prohibentem.] Quid apertius dici poſſit ad probandum, quod contraindicare non ſit prohibere, ego quidem non video. Amplius quæ fieri aliquid impediunt, quemadmodum inter indicantia nequeunt connumerari: ſic etiam neque inter contraindicantia ponenda ſunt, quia hæc re ipſa & genere idem ſunt inter ſeſe, & quod indicat, aliquando contraindicat, & econtra. quam rem Galenus eodem libro de optima ſecta tradit his verbis: Quamobrem id, quod aliquid poſtulat, quoniam eius, quod poſtulatur, propoſitum eſt, quod nos poſtulatum ſumere impedit, propoſitum non erit.] Poſtremo, ſi id quod vtile, aut remedium fieri impedit, contraindicans dicendum ſit, vtique morborũ tempora contraindicantia diceremus, ægrotantium timiditatem, & aſſiſtentes, qui aliquando impediunt fieri aliquid, eſſent contraindicantia & poſtulata; quod ſane habere veritatem non poteſt, vt omnibus vel tantillum in arte Medica exercitatis, manifeſtum eſt. Itaque quoniam contraindicare non eſt prohibere, doceamus, quid ſecundum Galeni doctrinam nomine contraindicantium intelligere oporteat. Ego itaq; quantum apud hunc authorem obſeruare potui, duplicem inuenio ſignificationem vocis huius: harum prima eſt, quod contraindicare ſit idem ſignificare, quod ab ipſo indicante fuit primo indicatum, ſed tamen modo quodam contrario: cum igitur ſit aliquod idem admittens vtile, & poſtulatum, quod ab indicante poſtulabatur, ſed tamen modo contrario, vt dixi, illud ſane nuncupabitur contraindicans. Hac ſignificatione vſus eſt Galenus, rum libro primo de ratione victus in morbis acutis: tum libro de ratione curandi per miſſionem ſanguinis: quibus locis contraindicare dicebat, non prohibere remedium, quod ab indicante primum ſuggeritur & ſignificatur. Exemplo res fiet illuſtrior. ſit aliquis corporis affectus cum maxima plenitudine: hic ſane poſtulat euacuationem affatu dignam, ſiue per miſſionem ſanguinis, ſiue per purgationem, ſiue per vtrumque præſidium. ſed ſi fuerint cum eiuſcemodi affectu vires validæ, adeo quod hanc ferre euacuationem poſſint, non erunt impedimento, quin ſtatim fiat euacuatio: quinimo eandem indicabunt, contrario tamen modo, affectu primo, atque quod dici ſolet, per ſe: vires autem ſecundo loco, vt conſeruentur: quia exoneratæ eo, quo veluti ſarcina premebantur, multo melius in poſterum habebunt. Altera eſt ſignificatio, cum per contraindicans intelligimus contrarii indicatiuum, cum id ipſum poſtulet, exigatque contrarium eius, quod ab ipſo primo indicante ſignificatur. hac ſignificatione vſus eſt Galenus libro decimotertio methodo medendi, cum dicebat: Interdum contrarias incidere agendorum indicationes: & libro nono eiuſdem operis. contraindicationes indicationum: & libro vndecimo methodo dicit, contingere aliquando contrarias indicationes, & inuicem pugnantes: & in eodem

dem decimotertio. cum simul contrariæ indicationes conueniunt, dicebat; Hoc itaq; modo dicimus, contraindicantia ea esse, quæ indicantibus sunt contraria; aduersæ quoq; sunt indicationes, quæ ex eisdem proficiscuntur, indicata etiam contraria: quæ res potetit hoc exemplo appositissime confirmari. Morbus à multitudine mali succi purgationem indicat. Vires admodum imbecillæ hanc renuunt, contrariumq; indicant. est quidem morbus contrarius viribus, vt Galenus dicebat vndecimo methodo medendi: Indicatio contraria est indicationi: quia morbi indicatio est pro sui sublatione: at virium pro sui conseruatione sunt porro ablatio & custodia sibi inuicem contraria: Deinde vero indicatum est indicato contrarium. Siquidem exigit morbus remedia contraria, nam sunt contraria contrariorum remedia: vires autem & humani corporis facultates postulant similia. similia enim similibus conseruantur. His quidem modis apud Galenum sumuntur contraindicantia. Nos vero in hac nostra tractatione Galenum similiter imitari, modo vna, modo autem altera significatione vtemur. Explicauimus igitur huc vsq;, quid sit indicatio & coindicatio: quæ natura sit eorum, quæ indicant, nempe quod ab vno vnum perpetuo indicatur, & non plura: quid per contraindicantia indicantia intelligere oporteat; quibus expositis, reliquum est, vt falsitatem propositarum opinionum ostendamus.

Cap. IIII.

Quod missio sanguinis non indicatur à magnitudine morbi, virium robore, atque ætate consistenti.

PRIMVM vero illorum opinionem euertamus, qui dixerunt indicari missionem sanguinis à tribus illis peruulgatis scopis, magnitudine, inquam, morbi, virium robore, atq; ætate consistenti: hæc enim præterquam quod ex omnibus maxime communis est, inuentores quidem atque fautores habet clarissimos viros, inter quos præcipuum fuisse Matthæum Curtium doctissimum sane Medicũ, & maximi nominis audiuimus, cui prorsus consentit Leonardus Giacchinus Empotiensis, atque alia nostra ætate non ignobiles Medici. Explicamus itaque propositæ nostræ opinionis falsitatem. primum docebo, quod ab illis tribus scopis simul sumptis, nulloque amplius adhibito discrimine indicari non possit sanguinis missio: deinde vero particularius declarabo, quid singuli ex propositis scopis indicent: atque sic obseruabimus methodum. Prima itaq; ratio, qua hæc opinio validissime refellitur, in hunc modum habet: Quorum vna est natura, illa vnam duntaxat indicandi vim habent: quia ea, quæ non habent vnam naturam, vnum indicare non possunt: nam quodcunq; indicat pro sui natura, & semper indicat, siue illud fuerit simplex, siue compositum, prout fuerit natura eius quod indicat, aut simplex, aut composita, quemadmodum capite superiori demonstrauimus. porro hæc tria proposita non habent communem naturam, in qua conueniant, & ex qua curationis indicationes desumere oporteat; quomodo igitur vnum aliquid, vtputa missionem sanguinis indicabunt? persuadent hæc nullam vim indicandi habere, tantum abest, vt sectionem venæ insinuare possint: quod vero horum trium communis aliqua natura non sit, adeo manifestum est, vt nullam penitus difficultatem habeat, cum hoc etiam pariter constet, vel tantillum in Dialecticis disciplinis exercitatis, ne habere quidem solum commune nomen, aut æquiuocum, aut analogum. quamobrem si verum est, quod sane verissimum putatur, quod id, quod indicat, pro sui natura indicat; hæc tria cum vnam naturam hon habeant, minime indicabunt. Præterea quodcunq; indicat, pro sui natura semper indicat; quia natura, ex qua indicatio proficiscitur, semper adest. Sed his tribus præsentibus scopis non semper adest de mittendo sanguine indicatio, non itaque indicabunt. quod vero res sic habeat, hinc colligito: quod hi scopi sunt indifferentes pro missione sanguinis, & pro purgatione exercenda, vt Galenus testatur libro quarto methodo medendi, capite sexto, ex magni Hippocratis sententia. Er-

go si æqualiter vnum & alterum diuersum præsidium postulant, quomodo semper vnum indicabunt? cum potissimum sint hæc duo præsidia longe diuersa, & diuersis morbis adhibeantur, vt infra docebimus. Præterea confirmatur, quia cum præseruationis gratia sanos homines, ne scilicet in morbos cadant, expurgamus, quod potissimum fit verno tempore, vt admonuit Hippocrates. neminem quidem futurum arbitror, qui validas vires non esse, sit affirmaturus. Adest itaque vnus scopus, adest præterea secundus, scilicet magnitudo morbi, quia ad eiuscemodi præsidia, quæ magna sunt, nunquam accedimus, nisi fuerit magnus morbus, aut immineat, at vero in sanis imminet, propterea de magno remedio deliberamus. præsentibus igitur hisce duobus scopis, si illi vere indicant, oporteret semper sanguinem mittere. quod tamen falsissimũ esse docet Hippocrates hisce verbis: Quibuscunque venæ sectio vel purgatio cum medicamentis conuenit, his vere purgare vel venam incidere oportet. Et Galenus in Commentario sic loquitur: hos enim oportet, vt anticipemus euacuare Vere adueniente, vel per venæ sectionem, si plenitudinis passionibus subiiciuntur; vel purgationem si iis, quæ ex humorum corruptela proueniunt.] Amplius si ab his tribus indicatur sanguinis missio, vtique si ex supradictis scopis aliquis defuerit, nunquam aderit de sanguine mittendo indicatio: at vero morbo magno existente cum virium robore citra consistentem ætatem, vtpote in ipsis pueris, tuto sanguinem mittimus: quemadmodum nos infra plutibus edocebimus. minus enim, dicebat Galenus, quod ad ætates pertinet, in pueris detrahimus. Ergo puerilis ætas non semper indicat abstinendum à sanguinis missione, sed potius eius quantitatem limitat; itaque si illa indicare dicuntur missionem sanguinis, vtique non tria sunt, sed duo, cum hac in re ætas consistens nullam vim habeat, vt suo loco dicemus. Et hoc clarissime docuit Galenus libro de ratione curandi per missionem sanguinis docens, quod scopi obseruari debeant in sanguine mittendo, duorum duntaxat meminit, virium roboris, & magnitudinis morbi: ipsamque morbi magnitudinem indicare sectionem venæ: virium autem robur non prohibere, quod contraindicare Medici recentiores vocant. En igitur, quod Galenus meminit solius magnitudinis morbi, tanquam indicantis hoc auxilium. aliorum autem scoporum non meminit, qui proprie indicare non possunt: sed non prohibere, quod est contraindicare, vt docuimus. Hic certe locus maxime refellit horum hominum opinionem: quoniam cum in verba magistri iurauerint, nullum habere possunt refugium, quo Galeni verba modo suo interpretari valeant. sed hic obiter afferamus, quid ad hasce rationes huius nostræ prouinciæ Medici quidam celeberrimi respondendum putant, atque huiusce rei per literas me ipsum certiorem fecerunt. Primum quidem, quo priores rationes euitarent, dixerunt, minime absurdum esse in Galeni doctrina, quod plura vnum indicent: atque in huius opinionis confirmationem afferunt, quód passim à nostro Galeno profertur, nempe naturale corporis temperamentum, & morbum curationem indicare, cum tamen non habeant communem aliquam naturam. Deinde vero virium robur non esse necessarium ad purgationem, sed ad missionem sanguinis duntaxat, atque propter hanc causam quarto methodi Galenum solius magnitudinis morbi meminisse, cum de purgatione agit, viresq; prætermisisse affirmant, tanquam minime necessarias. Adde his, aliquos extitisse, qui dixerunt, necessarias esse validas vires in exhibitione medicamentorum purgantium; non tamen perindeatque in sanguine mittendo: in quo maius virium robur postulatur: viresque ipsas propterea magis deiici euacuato sanguine; quam corpore per ipsa medicamenta expurgato. Nec defuerunt, qui dixerint, nunquam vires validas existere citra sanguinis multitudinem, & semper sanguinis copiam necessario validas vires indicare: cum malitia autem succorum semper esse imbecillas. Hæc quidem potissima sunt, quæ recentiores Medici pro responsione in medium afferunt, quibus nunc sigillatim satisfaciendum est. Primum vero illud constat, tum apud Galenũ, tum vero apud omnes classicos authores, falsum esse,

quod

quod plura vnũ indicent per se & proprie: addidimus quidem per se & proprie: quoniam non est absurdum, quod duo vnum quoddam indicent, ratione tamen diuersa: vtputa vnum quidem per se; alterum vero per accidens, & quod dici solet secundo loco. vt naturale temperamentum per se indicat sui custodiam: at vero per accidens indicat contrarietatis mensuram; id est, contrariorum remediorum, quæ pro morbis remouendis adhibentur, quantitatem & mensuram: hoc vero non alia sane ratione, nisi pro ipsius naturalis temperamenti conseruatione: quemadmodum in annotationibus in methodum medendi explicauimus. Sanatio enim nihil aliud est, quam temperamenti præter naturam mutatio in naturale temperamentum: quoniam vero hæc permutatio fieri non potest, nisi quis cognouerit, quantum distent inuicem hæc temperamenta, & qua mensura contrariis præsidiis vtendum sit; quandoquidem metus est, ne hac mensura incognita, contrarium morbi genus inducamus; & propter hanc causam mensura remediorum semper indicatur à naturali temperamento, vt scilicet conseruetur, & non inducatur contrarius aliquis morbus. Ergo nullam habet difficultatem, quod vnum, perpetuo vnum indicat, ceu quod vnam habet naturam; aut simplicem, aut compositam, vt capite superiori demonstrauimus. Conferamus modo hæc tria, quæ non habent vnam naturam communem cum iis, quæ proxime diximus, vtiq; manifestam, fiet, non indicare vnum quoddam, vt sanguinis missionem per se: quod si indicare statuamus, vnum ex illis tribus per se, alia secundo loco, vt ex accidenti indicabunt. Porrò quod aliqui dicunt, vires non esse ad purgationem necessarias, falsissimum est, totoque cœlo aberrant: Nam omnia purgantia medicamenta, quibus Hippocrates & Galenus vtebantur; deleteria sunt, ignea, atque toto genere humanis corporibus obnoxia, quæ sane nunquam humores educunt, nisi è potentia ad actum deducantur: deduci autem non possunt, si vires non fuerint validæ. Præterea purgatio magnum quoddam est auxilium, vt sæpe diximus, quemadmodum etiam venæ sectio; magna vero exerceri nequeunt præsidia, nisi vires fuerint validæ: Quoniam, vt morbis paruis existentibus, parua adhibita remedia, ne minimum vires lædunt; sic profecto magna remedia vires ipsas maxime prosternunt. His adde, quod Hippocrates in Aphorismis non scripsisset, confert, & facile ferunt, si talia purgantur, qualia purgari oportet, sin minus contra: perinde enim est, ac si dixisset, si euacuantur illi humores, qui debent euacuari, vires validæ conseruabuntur, optime ferentes eiuscemodi purgationem, at si purgantur humores, qui purgari non debent, vires non erunt ferendo talem purgationem: dum itaque ad purgationem faciendam accedimus, consulendæ sunt vires, atque nunquam purgandum, nisi validæ extiterint. sed pudet amplius immorari in re tam aperta ac dilucida; quæ omnibus iam iam in hac arte initiatis apertissima est. Potius autem illud inquiramus, an magis à purgantibus medicamentis deiiciantur vires, an autem magis à missione sanguinis. Putant enim recentiores quidam magis à sanguinis euacuatione deiici, quam à purgatione, & idcirco in illa virium robur esse necessarium; in purgatione autem minime. Hic ego breuiter dicam, quid sentio: Primum quidem illud supponere oportet, nempe quod cum de medicamentis purgantibus sermo instituitur, non intelligere nos de iis medicamentis, quæ à Medicis lenientia nuncupantur (hæc enim ne minimum quidem vires ipsas debiles reddunt) nec status fere aliquis esse potest, qui commode eiuscemodi medicamenta non ferat. Horum igitur relatione habita, venæ sectio magis prosternit vires, quam purgatio: sed loqui nos de validis medicamentis, & electiue, vt aiunt, educentibus: de his sane dicimus, quod si vere inter se conferri possunt hæc præsidia (fortasse enim non possunt, cum circa diuersos morbos, & diuersos humores, & diuersa morborum tempora, sanguinis missio & purgatio exerceri soleant) longe maius virium robur necessarium esse pro medicamentis purgantibus exhibendis, quam pro missione sanguinis; quam rem hac validissima ratione demonstramus. Id auxilium postulat vali-

diores vires, quod cum maiori periculo exercetur. quod enim citra periculum administratur, vt linimenta, cataplasmata, atque id genus alia, non postulat validas vires: Omnis enim corporis status eiuscemodi remedia ferre potest. At vero cum periculo maiori exhiberi medicamenta purgantia, quam phlebotomiam, Galenus hisce verbis testatur. Adde quod & Medicus huiusce solius euacuationis liberam habet facultatem sistendæ, quandocunque illi placuerit; aliarum autem nullius. nam vbi propinatum sit aliquod medicamentum, prima exhibitio in tua potestate sita est, cætera vero fortuna administratrice obtingunt. ingens præterea in propinationibus pharmacorum periculum est, cum vel non commoueatur purgatio, vel quod in aluum attractum est, non facile excernitur, vel cum dolore, torminibus, refrigeratione, pulsus euanescentia, ac animi deliquio exprimitur, vel cum corpus vehementer perturbatur, interimque parum admodum euacuatur, aut euacuatio modum excedit, id quod sæpius ceu extremum malum contingit; neque enim, vt venæ incisæ fluxum mox digito superposito sistes, sic sistere alui profluuium poteris.] & in alio opere collationem faciens securitatis horum præsidiorum, pulcherrime propositum confirmat, dum inquit: Nempe & si minus quidem auxilium, quam per purgationem sequatur, securius tamen multo existit, imo nullum ex eo, quod per sectionem venæ fit, periculum impendet, eo discrimen maximum subeunte, quod per purgationem tentatur, & potissimum si labotantis naturam expertus quis non fuerit: nempe alii difficulter natura purgantur, alii modico assumpto medicamento purgantur copiose. &c.] Vides igitur maius multo imminere periculum in pharmacorum purgantium exhibitione, quam in sanguinis missione: atq; propter hanc causam id postulare validiores vires. Sed aliquis fortasse dubitabit, maius robur virium desiderate φλεβοτομίαν, quam purgans medicamentum, quod illa euacuet sanguinem, à quo naturalis calor conseruatur, vt dicebat Galenus libro de ratione curandi per venæ sectionem: vacuenturq; simul spiritus optimi in sanguine consistentes. at purgatio educet humores excrementitios, à sanguinis natura plurimum distantes. Respondeo, rationem hanc à Christophoro à Vegha propositam libro secundo de arte medendi non concludere: quandoquidem si sola materia respiceretur vacuanda, vtiq; maior fieret virium ex sanguinis, quam ex humanorũ excrementitiorum vacuatione dissolutio, at respiciendo rem, cum qua & modum, quo fit eiuscemodi vacuatio, alio modo rem habere cognoscimus. Nam pharmacum deleteriam habet facultatem, à qua plurimum virtus redditur imbecilla: mox vacuat cum magna totius corporis agitatione: ex qua multorum spirituũ sequitur dissolutio. Adde his, quod si venam incidimus ratione vacuationis, cum hoc remedium non fiat, nisi pręsente plenitudine illa sanguinis, vacuatio onus naturę subleuans maxime prodest, nullam faciens imbecillitatem, humore scilicet euacuato, quo veluti sarcina premebatur. Si vero ratione reuulsionis mittatur sanguis, vires etiam aliqua ex parte imbecilliores repetitam ferre possunt vacuationem, de qua dicebat Galenus, agens de fluxu sanguinis ex naribus, quod si æger resolutus non fuerit, mittendum esse sanguinem. Secus omnino res habet in exhibendis medicamentis purgantibus. Hæc enim licet noxium euacuent humorem, secum tamen magnam semper optimorum spirituum copiam ducunt, vt ostendit vacuatio aquæ inter cutim, facta sectione aut vstione in abdomine, vt etiam contingit in abscessus vacuatione, & in omni superpurgatione, atq; in vniuersum inanitione facta à pharmaco vere expurgante. Quam magna vero sit differentia reuulsionis factæ, venæ sectione & purgante medicamento, nihil est, quod hic afferam in medium, cum lyppis & tonsoribus, vt in prouerbio est, notissimum esse censeam. Quamobrem siue postulet purgatio validiores vires, quam venæ sectio, siue æque validas, aut etiam, vt illis id vltro concedam, aliqua ex parte imbecilliores exigat, hoc vnum constat, vires ad purgationem validas desiderari: atq; propterea nihil habere Medicos nouatores nostri temporis, quod possit nobis satisfacere. Nunc vero reliquum est, vt videamus,

quem

quem euentum habere possit illorum subterfugium, qui dixerunt, vires nunquam esse validas citra sanguinis multitudinem. Vel enim per sanguinis multitudinem intelligunt redundantiam sanguinis supra alios humores, quæ res potissimum accidit in sanis corporibus, in quibus maior adest sanguinis portio, quam aliorum humorum, vt secundo tractationis huius libro dicemus. Verum si hoc modo intelligamus, vires in omnibus erunt validæ, quia in singulis sanguis copiosior inuenitur: tam igitur in malorum succorum abundantia, quam aliis affectibus vires cum sint validæ, sanguis tuto mitti potest: quod tamen his hominibus minime satisfacit. Vel audiunt multitudinem pro sanguinis abundantia, supra mediocritatem & sani corporis conditionem veteri seruata proportione, tunc sane sequetur, Galenum male passim docuisse, tum libro huic tractationi dicato, cum in methodo medendi atq; libro de plenitudine, sanguinem aliquando citra plenitudinem mitti oportere, perperamque Menodorum obseruasse illam plectoricam syndromem. Præterea consequens fuerit, nunquam vires esse validas in cacochymia, atque falso tradidisse omnes Medicos morbi magnitudinem, roburq; virium ad purgationem esse necessarium. Amplius plurimum aberrant, dum colligunt, ibi plus adesse virium, vbi plus adest sanguinis, putantes robur virium necessario insequi multitudinem sanguinis, contra quos audire oportet Galenum sic dicentem: Libro de multitudine cap. 11. Actionum siquidem fortitudo ad virium robur consequitur, sicut & virium robur fortitudinem comitatur functionis: at à sanguinis multitudine consecutio nulla necessario est futura, cum neq; si is maiori sit copia, quam antea validior sit homo ex necessitate futurus; neq; si minori imbecillior: sicut neq; si æqualis sit, necesse est illum viribus eodem se habere modo. Liquet itaq; actiones validas propriam esse, ac inseparabilem virium vigentium notam, sanguinis autem aucti nequaquam.] Hæc Galenus. Ex quibus videtur mihi, horum hominum opinionem adeo euidenter impugnari, vt nihil magis. Ad reliqua igitur accedamus.

Cap. V.

Morbi magnitudinem non indicare missionem sanguinis.

QVONIAM hactenus in vniuersali docuimus, missionem sanguinis non indicari à magnitudine morbi, virium robore, & à consistenti ætate: nunc particularius expendamus, quid singuli ex propositis scopis indicare valeant, exorsi ab ipsius morbi magnitudine: vbi enim hoc diligenter explicuerimus, facile patebit ab illis, neq; in genere, neq; sigillatim de sanguine mittendo indicationem suggeri. Morbus itaq; quoniam est aliquid præter naturam (est enim constitutio corporis præter naturam) sui ablationem indicat, quia quod est, secundum naturam, custodiam, & conseruationem significat, quod vero præter naturam, remotionem indicat. At vero, quoniam id, quo morbi abiguntur, præsidium dicitur, factum est, vt vniuersaliter à Medicis dicatur morbum præsidium indicare. Porro quemadmodum sunt morborum differentiæ quamplures, sic etiam non vna est auxiliorum differentia. Nam vt genus auxilii à morbi genere, ita differentia auxilii à morbi differentia insinuatur: siquidem proportione inuicem respondent morbus & auxilium. Ergo paruus morbus, paruum auxilium, magnus vero magnum, mediocris vero medio se habens modo auxilium indicat. Hoc profecto illud est, quod magnus Hippocrates admonuit in Aphorismis, dum inquit: Extremis morbis extrema præsidia optima sunt.] Quid igitur indicabit morbi magnitudo? nihil quidem aliud, quam magnum auxilium: Hęc propria est indicatio, quam natura magni morbi de se profert, nec aliam vnquam inuenies. Quomodo concludemus indicare missionem sanguinis? quia, inquies, magnum est præsidium. fateor. sed non est vnicum magnum hoc præsidium. recte enim atq; necessario concluderetur, si alia non inuenirentur magna præsidia, quam sanguinis missio: quia vero non est vnum magnum auxilium, idcirco non recte concluditur, vnicum ex magnis præsidiis

à magnitudine morbi indicari. Supponamus autem in præsentiarum, esse duo magna præsidia, venæ sectionem, & purgationem: magnitudo morbi ad hæc duo sese habebit indifferenter, non vnum magis, quam alterum indicans. quia vero contingit aliquando magnum affectum curari sola sectione venæ, aliquando sola purgatione: aliquando autem vtroque, opus est quandam esse cum morbo magno naturam, quæ aut vnum, aut alterum, aut ambo simul insinuet: qualis vero hæc natura sit, suo loco explicabitur. Interim vero ne aliquid huic nostræ tractationi desit, quod facere dubitationem possit, potissimum apud nostrates Medicos, qui nunquam, nisi auditis Galeni verbis, acquiescunt, doceamus admirabilis huiusce hominis autoritate, rem sic se habere, vt proposuimus. Phlegmon magnus aliquando est morbus; incipientis tamē phlegmonis, eum magnam fore suspicamur curationem, exorditur Galenus aut missione sanguinis, aut purgatione, sic enim inquit libro de ratione curandi per missionem sanguinis. Sed illud prius videndum est, quid sit, quod in illis aceruetur: si quidem nonnullis amaræ bilis succus plus cæteris colligitur; quibusdam bilis atræ aut pituitæ, aliis ex æquo omnes in quibus sanguis abundare dicitur: Hos ergo omnes euacuabis: sicuti etiam podagticos, & artriticos veris principio exhibito, videlicet aut medicamento purgante, aut sanguinis diminutione.] atque parum infra dicebat. Turgente materia morbus non solum est magnus, sed etiam maximus, nemo tamen fuit adeo temerarius, qui in hisce affectionibus, in quibus humores turgent, sanguinem mitteret; sed omnes vnam duntaxat purgationem consulunt. Concocta enim medicari, & mouere non cruda nisi materia turgeat, plurima vero non turgent, dicebat in Aphorismis Hippocrates. Opinionem præterea confirmat, quod multi sunt ex humorū corruptela morbi magni, in quibus perniciosum est mittere sanguinem, contra vero saluberrimum vti medicamentis purgantibus: sic enim Galenus inquit in nono, methodo medendi. Porro in iis continentibus febribus, quæ ex stipatione meatuum accenduntur, quoniam valida plerunque est virtus, citra periculum euacuatio adhibetur. In aliis vero morbis maxime est periculosa, veluti si ea forte incidit in corruptela humorum.] propter quam vero causam in his affectibus sanguis mittendus non sit, Galenus alibi exponens, in putredinem tanquam in causam recurrit: quia putredo quatenus putredo, non corrigitur missione sanguinis. Verba Galeni sic habent. Verum quoniam nec obstructio, nec putredo, curari per sanguinis missionem potest; vt quæ alia remedia, ceu prius est monstratum, desiderent, reponi sanguinis aliquid ad curationis spatium debebit, quo minus intempestiue nutrire necessitate vlla cogamur.] Quæ autem ea sint remedia, quæ necessaria sint pro putredine, quatenus putredo est, remouenda, eodem libro recensuit, dum inquit. Ita vtique & putredinem, quæ in viuis est orta, sanabimus, id scilicet quod iam corruptum est, omni ratione vacuantes, quod reliquum est moderatis motibus, & refrigerante perspiratu ad exactam symmetriam reducentes. Ac vacuationem quidem illius per vrinam deiectiones, vomitum, ac sudores moliemur, post hanc dimotiones mediocres cum ambientis bona temperie adhibebimus] Præterea quidam sunt magni morbi, in quibus saluberrimum est medicamentis purgantibus vti: contra vero perniciosissimum, sanguinem mittere, vti est febris cum dolore stomachi, potissimum oris eius, (Græci καρδιαλγίαν vocant) & quibus nimio sensu præditum est ostium ventriculi: si enim in his venam incideremus; maxima imminerent pericula: si vero statim purgabimus, illico sanitas aduenit, vt Galenus meminit in medendi methodo. Amplius inter morbos magnos quidam sunt à frigidis humoribus orti, quos nullus equidem per missionem sanguinis euacuare tentauerit, exemplo sit Hydrops maximus morbus; de quo sic legimus apud Galenum, quarto de ratione victus in morbis acutis. Nempe hic solus (agit de Hydrope hyposarca, quæ fit à multitudine sanguinis) cum incipit, indiget interdum missione sanguinis: cum scilicet ex retentione vel hæmorrhoidis, vel muliebrium, vel ex quapiam quæ ita plectorica sit causa, inceperit. Timpaniam autem, & A-

scitem

scitem nullus per sanguinis missionem sanare est ausus.] Postremum vero in confirmationem eorum, quæ diximus, illud afferri potest, quod superiori capite ex Hippocrate tradidimus, de purgatione & venæ sectione, præseruationis causa. Atque etiam commune illud artis Medicæ principium quo admonemur, humores, qui sua qualitate, quod est dictum, κακοχυμία peccant; purgatione indigere, & quantitate peccantes euacuatione per missionem sanguinis. Est enim purgatio, vt recte Galenus definit, humorum sua qualitate infestantium euacuatio. Ex his manifestum fecimus, quid indicet magnitudo morbi: quodque vim non habet aliquam proprie indicandi missionem sanguinis. Sed duo sunt, quæ hoc loco dubitationem non contemnendam faciunt. primum, quod Galenus libro de ratione curandi per sectionem venæ docens, quinam sint scopi in sanguinis missione obseruandi, duos duntaxat recensuit, magnitudinem inquam morbi, & robur virium, atque magnitudinem ipsam indicare missionem sanguinis, robur virium contraindicare. Alterum vero, quod dubitationem facit, est: quod recentiores Medici, quo priores rationes effugiant, rursus ad ipsas vires concurrunt, dicentes in his affectibus idcirco non conuenire missionem sanguinis, quia vires ferendo non sunt, at si validæ essent facultates, vtique oporteret hoc generosum præsidium admittere, hoc equidem est nostrorum Medicorum subterfugium. Quod itaque ad primam dubitationem pertinet, nihil venit hoc loco dicendum, quoniam nos infra omnes Galeni locos, qui videntur nostram opinionem euertere, diligenter exponemus, ostendemusque illam Galeni doctrinæ esse maxime consonam. Verum hoc non possunt recentiores Medici negare, locum hunc maxime vrgere illos, cum contendant, tres scopos indicare missionem sanguinis, cum tamen Galenus fateatur quidem illos esse scopos, non tamen indicantes, sed vnum duntaxat indicare, memor sui principii, quod vnum ab vno indicatur, & non à pluribus, de quo principio supra locuti sumus. quamobrem prætermissa hac difficultate, ne idem bis repetatur, reliquam persoluamus. Vires (inquiunt) non sunt validæ, fateor hoc quidem, sed non simpliciter, quod autem ego dicere volo hoc est. Virium robur duobus modis considerari, atque expendi potest, vno modo simpliciter, & secundum se: altero modo ad opus collatæ, cum nos vires validas dicimus, tales perpetuo consideramus relatione habita ad opus, & quod pertinet ad nostram tractationem, non ad quodcunque opus, sed ad missionem sanguinis, & purgationem. Rursus autem alio modo distinguendum est. Vires validæ ad opus, vel intelliguntur tales relatione habita ad opus proprium, quod scilicet morbus exigit, vel relatione ad id opus, quod ipse morbus minime postulat. Rem exemplo in hunc modum declaro. sit aliquis affectus, qui solam sanguinis missiunem exigat, minime autem purgationem, vt extremus athletarum habitus, sit præterea alter quidam affectus, qui solam purgationem postulet, minime autem sectionem venæ. His stantibus explicent recentiores Medici, an si mittimus sanguinem vbi purgandum est, aut contra purgamus, vbi missione sanguinis indigemus, an inquam vires ferendo sunt eiusce modi euacuationem, necne? Respondebunt vires non esse ferendo: quia in neutra euacuatione humor is educitur, qui peccat, ac expurgari debuerat, & merito quidem, quoniam si talia purgantur, qualia purgari oportet, confert, & facile ferunt, sin minus contra: sic & vasorum inanitio si talis fiat, qualis oportet; confert, & facile tolerant, sin minus contra, vt in Aphorismis admonuit Hippocrates. Sed quorsum hæc (inquies) dicta sunt? vt ostendam, quanto in errore Medici recentiores versentur; & potissimum quidam clari in hac nostra prouincia nominis; qui in morbis magnis, quorum supra meminimus, non conuenire missionem sanguinis, sed solam purgationem dixerunt, quia vires id remedium ferendo non sunt. nam non ea causa est, propter quam non inciditur vena; sed quia morbus curari non potest per eiuscemodi remedium; sed aliud postulat, quo sane prætermisso, si ad alterum accederemus, vtiq; nõ essent feren-

do, atque imbecillæ essent merito dicendæ. Ergo in iis morbis magnis, in quibus purgamus, vires sunt ad opus validæ, nempe ad ipsam duntaxat purgationem, sunt autem imbecillæ ad missionem sanguinis, quia sectionem venæ non postulant eiuscemodi affectus. Vides igitur quomodo dictum fuerit aliquando à clarissimis Medicis, non esse mittendum sanguinem in his affectibus, quia vires sunt imbecillæ; nempe relatione habita ad id opus, quod morbus minimè postulat. sed quoniam hæc videntur mihi notiora, quàm quod pluribus explicari debeant, concludimus cum vtroque habitu, plethorico quidem & cacochymo, virium robur posse reperiri. & hæc satis.

CAP. VI.

Vires non indicare missionem sanguinis.

PORRO quod ipsæ vires non indicant missionem sanguinis, satis meo quidem iudicio, euidenter propria virium indicatio declarat. Ea verò est custodia, & conseruatio. Igitur quicquid vires ipsæ indicabunt, pro hoc fine consequendo indicabunt, & citra hunc nihil penitus, neq; id profectò mirum. Cum enim vires conseruantur & custodiuntur, vitam ipsam seruamus. Namq;, vt ait Galenus, idem est nostri corporis facultates conseruare, quàm vitam tueri. siquidem ipsum viuere nobis constat ex harum custodia, vtpote cum vitam, aut ipsas esse vires, aut earundem actiones oporteat. Hęc igitur cum ita sint, minimè curationem indicabunt, quoniam curatio actio quædam est conseruationi contraria, illa enim fit adhibitis contrariis, hæc vero similibus: nam contraria contrariis curantur; & similia similibus conseruantur. Idcirco prima omnium indicationum, quæ in curandis præter naturam affectibus spectatur, est ea, quæ à viribus desumitur, sed non tanquam indicatio quędam curatoria, sed conseruatoria. Neque enim, vt valeamus (dicebat Galenus) neque, vt à morbis liberemur ab eis quicquam desumimus; sed vt viuamus, quapropter virtutis indicatio ex viralium, seu quæ ad vitæ custodiam pertinent, numero existit, & non curatricium. Itaque si curationem in vniuersali non indicant vires, quanto minus in particulari vnam sanguinis missionem indicabunt? quæ sanguinem atque spiritus vacuando aliquid semper de ipsarum virium substantia diminuit? hæc sanè mihi nullam habere difficultatem videntur. sed quo fiant clariora, vnum aut alterum Galeni locum addendum putauimus, pro dictorum confirmatione, atque vt Medici nostrates maiorem fidem adhibeant. Is itaque quod vires per se, ac propria natura non indicent curationem, neque auxilium, præterquam quod nono methodi, & vndecimo eiusdem tractationis libro, rem clarissimis verbis exposuit, in libro de optima secta ad Transibulum euidentissimè significauit his verbis. Cæterum ob id fortasse quispiam facultatem conferens nunciare crediderit, sed ex his nullum remedium à facultate indicari cognoscat, nam si constans vis remedium indicat, in sanis quoque quoniam constat, remedium indicabit: sed in sanis remedium non indicat, ergo neque etiam in ægris modum seruans facultas remedium indicabit: quamobrem, si vbi facultas indicare deberet, auxilium non admittens, ideo iam in confesso est, nihil opem ferens à facultate demonstrari. opus est enim propositum demonstrare præsentia: sed quod requirirur prohibere ne recipiatur, vt supra dixi, facultas valet: remedii verò propositum nequaquam.] hæc ille. rursus verò in libro de ratione curandi per sanguinis missionem sic inquit: Duo sunt primi scopi in missione sanguinis obseruandi, magnitudo morbi, & virium robur: ille, ceu indicans, hic verò haud prohibens, quod contraindicare recentiores quidam Medici appellant.] quid igitur clarius dici aut excogitari in meæ opinionis confirmationem possit, ego equidem non video. Sed sunt hoc loco etiam molesti recentiores Medici, nam asserunt, vires ex se non indicare curationem, neque auxilium: at verò annexæ simul cum alio habere vim indicandi missionem sanguinis. sed hoc profectò subterfugium est, quod nequit consistere: Vnde enim quæso te, ab hac

ab hac virium complicatione cum magnitudine morbi vires potestatem sumũt indicandi remedium? an fortasse propriam naturam amittunt, quam semper conseruationem, & tutelam indicare significauimus? aut cum hanc retineant, aliam etiam naturam adipiscuntur? horum sane alterum necessarium est; quoniam quod indicat pro sua natura indicat, neque aliquid indicare aliquando potest, quod pro modo naturæ suæ non indicet. Deinde vero non est vera connexio, & complicatio, sed rerum diuersarum vnio quædam secundum considerationem nostri intellectus, qua res in se naturam non mutant, neque nouam aliam acquirunt. Tandem causam explicent, propter quam, cum Galenus inuicem hosce scopos connexisset: illud manifestissime significauit ex propositis scopis vnum indicare missionem sanguinis, nempe morbi magnitudinem, alterum vero minime, nempe virium robur: quas dixit, non prohibere, & contraindicare? Quorsum igitur Galenus hanc adhibuisset distinctionem? sed pudet profecto me ipsum in hoc manifestissimo negotio amplius immorari. Illud igitur statuamus, vires nunquam per se indicare curationem, remedium, neque in particulari missionem sanguinis, sed continuo victum, & sui custodiam insinuate. hæc de viribus sufficiant.

Cap. VII.

Aetatem non indicare missionem sanguinis, quodq; ante annum decimumquartum tuto vena secari potest.

Dictvm est hactenus, quid indicare valeat magnitudo morbi, viriumq; robur. Nunc vero quod ad tertium scopum attinet, similiter agendum est. In acutis morbis (inquit Hippocrates quarto de ratione victus in morbis acutis) sanguinem mittes, si vehemens morbus videatur, floueritq; ægrotanti ætas; & virium adfuerit robur.] florens igitur ætas vnus ex tribus scopis ab Hippocrate propositis. Porro vt prætermittam hoc loco, quæ de florentis ætatis significatione dici possent, Galenus, atque passim omnes Medici audiunt hoc nomine omnem ætatem intermediam ab ipsa, inquam pueritia, quæ terminatur ab anno decimoquarto, vsque ad eam senectutis partem, quæ anno incipit sexagesimo. in oratione addidi [senectutis partem] quoniam vt alibi diximus, tres constitui solent senectutis gradus, inter quos primum, aut etiam alteram secundi partem, florens ætas complectitur. Quæ igitur ætates extremæ sunt, abnegant missionem sanguinis, causa tamen atq; ratione haudquaquam pari. Vltima quidem senectus à sanguinis missione secluditur, quia cum calidi innati maxima portio exhausta iam sit, generosum hoc auxilium ferendo non est. at pueritia, quæ virium substantia abundat; (nam quæ crescunt corpora, plurimum habent calidi innati, vt dicebat Hippocrates) alia quidem causa non admittit. Ea vero est, quia habet insitam quandam euacuationem ab ipsa natura institutam; qua illorum substantia tenuis, atque mollis per cutaneos meatus continuo difflatur atque discutitur: non est autem necessarium natiuæ alicui euacuationi aliquam artificialem addere. Arcendi ergo semper sunt pueri propter hanc causam à missione sanguinis. Hanc opiniónem ex Galeni verbis confirmant, quibus id passim testatur: & quamuis hic ego locos omnes non afferam (nimis enim esset fortasse tædiosum) non potui tamen vnũ aut alterum prætermittere, ex quibus maxime potest recentiorum opinio confirmari. Nec pueris (inquit Galenus) venam secabis, vsque ad quartumdecimum ætatis annum, post quem si multus congestus sanguis appareat, tempusq; anni vernum fuerit, regio natura bene temperata, & pueri natura bene sanguinea, sanguinem minues; idq; multo magis, si aut peripneumoniæ, aut anginæ, aut pleuritidis, aut alterius acuti grauisque morbi periculum immineat.] Hæc Galenus. ex quibus manifestum fecit nulla ratione pueris ante annum decimumquartum conuenire missionem sanguinis, atque elapso eodem anno, neque temere accedendum esse. Quatuor enim præcepit esse diligenter animaduerten-

da, regionem videlicet temperatam: Anni tempus vernum: sanguineam temperaturam: postremo autem morbi speciem. causam vero propter quam venam secare non expediat, idem author hisce verbis exposuit. Ergo puerorum substantia omnium facillime digeritur ac dissipatur, propterea quod est omnium humidissima, nulla vero frigidior: fit autē profecto, & propter calidam siccamq; regionem, & tempus æstiuum, & statum cœli impense calidum & siccum, notabilis per cutim vacuatiò, itaq; etiam huius causa iis, qui sanguinis detractione egent, aut prorsus venam non secabimus, aut parum detrahemus.] & multo quidem apertius alibi rem ipsam expressit, dum inquit: At si in puerum incidat, qui quartumdecimum annum non attingat, mitti illi sanguis non debet: propterea quod tantillis cum præsertim calidi & humidi sint, plurimum corporis substantia continuo digeratur; itaque quod ex incidenda vena moliendum nobis fuerat, id vltro nobis ex curandi corporis natura præstatur.] hæc ille. Patet igitur ex his, non licere pueris, etiam si aliquo acuto morbo prehendantur, sanguinem mittere. Sed si voluerimus hoc diligenter perpendere, illud quidem inueniemus, ætatem ipsam nullam habere vim indicandi curationem, multoq́ue minus euacuatorium auxilium, nempe missionem sanguinis: Deinde vero licere etiam pueris citra periculum aliquod ante annum decimumquartum sanguinem mittere cognoscemus, quod ego docere iamiam aggredior. Primum hoc manifestissimè opinionem euertit: quod si florens ætas curationem indicat, oporteret quidem semper indicare, quoniam, (si vera sunt ea, quæ supra posuimus principia,) quod indicat pro sui natura, id facit: quod vero secundum naturam propriam aliquid indicat, illud perpetuo indicabit. Falsum autem est, & à ratione alienum, florentem ætatem indicare curationem, quandoquidem hac ratione sana corpora semper indigerent curatione: at si dixeris non habere hoc florentem ætatem, nisi propter morbos, huic sanè venit dicendum ex accidenti, habere vim indicandi non per se, quia quod vni competit propter aliud, quod non sit de illius essentia, dicitur conuenire per accidens, deinde vero non indicabit secundum naturam, quam vim habere debent ea, quæ indicant. Præterea hoc etiam vrget, quod quæ sunt secundum naturam, vt ætas, corporis temperamentum, atque id genus alia, curationem indicare non possunt, sed solam conseruationem, quæ fit adhibitis similibus. His adde, quod sanguinis missio non est annorum numeris præfinienda. Omnes enim ætates videntur aliquando ferre hoc generosum auxilium, vt posthac docebimus. Quomodo igitur potest hoc peculiariter florenti duntaxat ætati conuenire? quod si dixeris, habere vim coindicandi, hoc vtique fatebor, naturalis tamen temperamenti interuentu: hoc enim modo nos soliti sumus Galeni sententiam interpretari.) At vero hoc ipsum facit multo magis coniecturam quantitatis, quam generis auxilii, vt alibi fortasse docebimus. Itaque quoniam florens ætas non semper indicat sectionem venæ, qua existit secundum naturam, atque etiam quia citra florentem ætatem minuendus est sanguis, statuamus ipsam non indicare missionem sanguinis. Atque interim doceamus, quod citra periculum pueris ipsis incidenda sit vena. Propositam itaque tractationem expositurо, illud mihi commodissimum videtur principium, vt doceam, quomodo veteres venæ sectione vtebantur. Hoc enim non solum lucem præbebit ad ea, quæ infra sumus dicturi, sed etiam Galeni sententias interpretabitur: deinde vero eam causam, quam Galenus affert, ostendemus in pueris non inhibere missionem sanguinis: Atque postremo loco totum negotium illustrium Medicorum authoritatibus, quinimo fortassis ipsius etiam Galeni confirmabimus. Quod igitur ad primum pertinet, sciendum est antiquiores Medicos largissima sanguinis euacuatione vsos fuisse: nam frequenter vsque ad animi deliquium sanguinem mittebant, vt passim apud Galenum legitur. quæ res potest præterea optime confirmari, quia pueris postquam annum decimumquartum prægressi fuerint, vbi acuto aliquo morbo teneantur, sanguinem mittit, primo quidem die vsque ad vnam cotylam,

altero

altero autem die ad dimidiam. Eſt autem Cotyla (vt author eſt Lacuna libello de ponderibus & menſuris) quædam menſura continens nouem vncias; prima igitur vice, qua Galenus pueris poſt annum decimumquartum ſanguinem mittit, libram vnam, aut etiam amplius exhauriendam eſſe voluit: hoc ſanè Galenum tradidiſſe eius teſtantur verba libro de ratione curandi per miſſionem ſanguinis, quæ nos ſupra recenſuimus. Quamobrem cum hæc ſic habeant, quid mirum, ſi pueris ante annum decimumquartum ſanguis mittendus non eſt; innatam enim habent euacuationem, quoniam per cutaneos meatus illorum caro mollis, & late patens, plurimum difflatur atque diſſoluitur: cuius cauſa, quod fuerat à nobis molliendum, id ſane vltro præſtatur ab ipſa natura, quæ maximas illas euacuationes (pro veterum conſuetudine) minimè ferre poſſet. Quid autem dicendum, ſi hac exiſtente corporis natura, euacuatio quædam artificialis proponatur, exigua quidem, nec modum excedens? Putandum profectò fuerit, eam cauſam non inhibere miſſionem ſanguinis. Nam ſi artis Medicæ munus eſt naturam ipſam bene operantem imitari, videamusque in pueris morbo aliquo acuto tentatis naturam ſæpe copioſiſſimas emollire vacuationes per ſudores, per fluorem alui, per fluxum ſanguinis ex naribus, hocque viribus admodum conſtantibus fieri; naturaq; morbum penitus propulſante, cur non audebit Medicus ad illius imitationem, vbi oportuerit, aliquam ex his euacuationibus tentare? Atque poriſſimam miſſionem ſanguinis, quæ (vt inquit Galenus) in noſtra poteſtate eſt; vtpote quam, vbi libuerit, ſiſtere ſine aliqua difficultate poſſumus? Pueris quidem audemus exhibere medicamenta purgantia, id quod ab omnibus Medicis paſſim exerceri ſolet, & non audebimus interim ſanguinem mittere, quod ſanè fit maiori cum ſecuritate, quemadmodum nos ſupra ex Galeno demonſtrauimus? Audendum igitur pueris ſanguinem mittere ante annum decimumquartum. Confirmatur præterea, quia in dies obſeruamus pueros vulnerari, ſanguiniſque hæmorragiam fieri, & copioſiorem: quàm ſi nos ſecta vena eam euacuationem moliremur. At verò natura optimè fert eiuſcemodi vacuationem: cur igitur non licebit nobis ſimilem aliquam, minorem tamen facere? Deinde verò hoc vnum compertum eſt experientia apud clariſſimos quoſque Medicos, ſaluberrimum eſſe præſidium pueris aliquo graui affectu tentatis, vnam, aut etiam duas hyrudines venis hæmorroidalibus apponere, aut in ipſis naribus; maximo quidem & certiſſimo ægrotantium commodo. Poſtremum omnem videtur litem dirimere, quòd non eſt numerus annorum in ipſis ſenibus præfinitus ac limitatus, cum quidam ſexagenarii non ferant miſſionem ſanguins, alii autem annos nati ſeptuaginta optimè tolerant. Cur itaque hæc limitatio, atque annorum præfinitio in ſolis pueris obſeruabitur? cur inter pueros non aderunt, qui ſanguinis miſſionem ferent anno ætatis decimo, & duodecimo, & alii annos nati ſexdecim non admittant? Quamobrem non oportet annorum numeris hoc negotium præfinire. Quæ nos de ſenibus diximus, Galenus hiſce verbis confirmat. Itaque non numero ſolummodo animum aduertes, quod quidam faciunt, ſed corporis habitui, nam ſunt, qui ſexageſimo ætatis anno venæ ſectionem non ferant, cum quidam, qui ſeptuaginta nati ſunt annos, perferant.] Hæc ille. quam rem optimè declarans Cornelius Celſus libro ſecundo, ſic ait: Intereſt enim non quæ ætas ſit, aut quid intus in corpore geratur, ſed quæ vires ſint: firmus enim puer & robuſtus ſenex, & valida mulier vterū gerens, valens tuto curantur.] Ex his puto iam docuiſſe, ante annum decimumquartum poſſe nos ſanguinem mittere. ſed hoc loco duo obiter notanda ſunt. Primum quidem, quod nos nunquam in pueris auſi ſumus euacuationem per miſſionem ſanguinis ante annum ſextum. Nam venæ ante id tempus vix videntur conſpicuæ. Alterum vero eſt, quod nos ſanguinem mittentes venas phlebotomo non incidimus, niſi tranſacto octauo, aut decimo ætatis anno, ſed brachium puerculi ſecundum conſuetudinem fricantes, ligantesque, et venæ, ex qua haurire ſanguinem volumus, duas hyrudines admo-

uemus, atq; ita quidem maxima facilitate, & non minore vtilitate, semper sanguinem mittimus. Licet in puerulis dura carne & densa præditis id non succedat. Causa verò propter quam semper suspectus mihi fuit vsus phlebotomi, est, quia propter carnis mollitiem nimis altè penetrat, & quoniam olim expertissimum quendam hominem cognouerim in sanguine mittendo, pueros duos pessime tractasse; quorum alter continuo conuulsum brachium habuit, alter acuta inflammatione humoreque ad suppurationem perducto, non nisi longo tempore potuit liberari. Porrò obseruandum est, quod non in omnibus pueris hoc generosum præsidium admittimus, sed in iis dumtaxat, qui sunt pleno corporis habitu, sanguine redundent, neque sint nimium alba & molli carne præditi: in his audacter accedendum ad missionem sanguinis: in aliis abstinendum. Itaque si Galenus hoc præsidium negasse in pueris videtur, sciendum est, illum inhibuisse duntaxat pleniorem euacuationem, qua passim vtebatur, non antem simpliciter missionem sanguinis. An autem hoc veritatem habeat necne, allatis Galeni verbis iam docebimus, quæ eius sententiam optimè interpretantur: quam rem nos loco postremo facturos pollicebamur. Minus (inquit Galenus) detrahimus quàm plenitudo postulat, quod ad ætates attinet, in pueris, quod ad corporis habitum in candidis, & quibus mollis teneraque caro est.] Vides igitur Galenum non inhibere pueris hoc remedium? sed pueritiam quantitatem potius limitare, ac præfinire; quam simpliciter negare? Alter etiam extat locus in libro de sectis, ex quo idem potest confirmari, nam sic ait. Cum experentia didicerint, nec senectute confectis, nec idem admodum pueris, etiam si laborent plenitudine, venam secandam esse.] notes, quod hic habet Galenus. [admodum pueris] hoc enim perinde est, atque si diceret: non conuenire missionem sanguinis puerulis, iis, inquam, qui nati sunt annos tres, aut quatuor, aut quinque. Isti enim rectè nuncupari possunt admodum pueri, & qui hosce annos iam effugere, non sunt admodum pueri, sed sunt simpliciter pueri. Ego quidem vt hunc authorem à contradictione vindicarem, & ostenderem non tradidisse eum præcepta contra rationes & experientias, sic eius verba interpretari soleo. Relinquitur modo, vt doceam, alios etiam authores hanc rem animaduertisse. Inter antiquos authores, atque præcipuos, Auenzoar maximi nominis inter omnes Arabas Medicus, filio suo Trimo, vt Auerroes tradidit in collectaneis, misit sanguinem: quamuis ego hanc actionem, propter ætatem admodum tenellam, haud quaquam probem. Dixi autem sic Auerroem tradidisse, quoniam in omnibus eius viri operibus, quæ hodie legimus, hoc minimè ab ipso Auenzoar scriptum fuisse obseruauimus. Quod verò pertinet ad recentiores Medicos, quamuis multi sint, qui eandem opinionem habent, inter omnes tamen clarissimus Fernelius vir profectò omnium Medicorum sui temporis facilè princeps, totum negotium diligentissimè hisce verbis exposuit. Puerorum ætas virium quidem substantia abundat: cæterum, quia corpus calidum & humidum obtinet, molle, tenerum, ac patens, quòd sponte sua assiduè digeritur ac defluit, sanguinis missionem tutò non feret; quantum enim ex incidenda vena vacuandum fuerat, id vltro ex vacuandi corporis natura præstatur. Has ætates nullis annorum finibus Hippocrates circumscripsit: at Galenus neque ante annum decimumquartum, neque post septuagesimum, iis quas protuli causis adductus, venam pertundit. Quod profectò de pleniore illa, veteribusque assueta vacuatione audiendum. Nam moderatam, quæ tum viribus, tum plenitudini aut par, aut inferior sit, vtrique pro eo ipso quantulocunque præditi sint modo facilè ferent. Sic Razes ætate decrepita, quæ vrgente pleuritide, vel peripneumonia torquebatur, sanguinem emisit. sic Auenzoar filio suo Trimo se vtiliter venam secuisse commemorat. Hoc & ipsi plerunque experimur quinto aut sexto ætatis anno, tres sanguinis quatuorve vncias pleuritim, interioresque inflammationes, hisque grauiores, morbos finiuisse. Sponte natura tum pueris, tum infantibus lactentibus sanguis interdum abundè prodit è naribus

tibus

tibus, nulla corporis & virium iactura. Suis viribus, iisq́; validis prædita est puerorum ætas, cur igitur ad illarum proportionem euacuare non possumus: cum præsertim Eusarchus est puer, plene ac liberaliter educatus, cui amplæ venæ probeneq́; cocto sanguine tument? Ad extremum vero donemus virium robur lædi, vtrum magis optandum fuerit, vel, vt puer seruata plenitudine atque succi copia intereat, vel, vt ea imminuta ostensisq́; quodammodo viribus à morbo vindicetur?] Hæc Fernelius. Videor igitur hactenus docuisse, pueris mittendum esse sanguinem, & nihil ab ætate, quod ad indicationem spectat, circa venarum incisionem præstari posset. Atq; illud etiam diligenter explicasse, primum quidem in genere: deinde autem sigillatim non indicari missionem sanguinis à magnitudine morbi, virium robore, atque consistenti ætate. Quamobrem de prima opinione hæc sufficiant.

Cap. VIII.

Non esse mittendum sanguinem in omnibus morbis magnis, à sanguine aut bile proficiscentibus, secundæ opinionis impugnatio.

IAM vero omnes rationes, quas contra primam opinionem attulimus, hanc etiam videntur funditus euertere. In hoc enim vno duntaxat à priori discrepat, quod magnitudinem affectus distinguit, missionemq́; sanguinis non ab omni morbo magno indicari, sed ab eo magno morbo, quem humores calidi atque mordaces concitauerint: quoniam autem calidus humor est sanguis: mordax & æris bilis genus omne, ad hæc pituita salsa, idcirco in morbis vehementibus, quando ab illis humoribus originem habent, missio sanguinis adhibenda est: at in aliis omnibus penitus respuenda. Cum igitur in hoc vno differant, manifestum est, superius positas rationes hanc similiter euertere. Verum particulariter contra hanc opinionē facit, quod ardens febris magnus est morbus, & à flaua bile concitatus: nihilominus, si Galeno credimus, non semper admittit missionem sanguinis, sed purgans medicamentum exigit, vt puta cum humores turgent, de qua re primo Aphorismorum ait, nullum maius iuuisse præsidium in ardentibus febribus, atque in doloribus vehementissimis, quam vsque ad animi deliquium vacuare, adhibita tamen distinctione, an purgare, an autem contra mittere sanguinem expediat. Cur igitur adhibendam esse distinctionem voluit, si omnes calidi affectus venæ sectionem postulant, indicantque? Dici autem fortassis posset, præcepisse Galenum adhibendam esse distinctionem, an vacuatio vsque ad animi deliquium fieri debeat, non quod dubitet in ardenti febre, & vehementissimis doloribus venam esse incidendam. Scio, quosdam nostri temporis Medicos locum hac ratione interpretari: sed eam non conuenire contextui, hæc manifestum faciunt, quæ nunc addo. Si in vehementissimis doloribus omnibus φλεβοτομία indiscriminatim conuenit: in colico igitur à flatuoso spiritu, à pituita vitrea, à vermibus proficiscente hoc vsurpabitur remedium: atqui hoc absurdissimum esse sciunt omnes, vel mediocriter in artis operibus exercitati. Eadem est ratio de aliis doloribus, factis ab humoribus à sanguinis natura maxime dissidentibus. Deinde vero Galenus remittit Lectorem ad ea, quæ scripsit in libro de ratione curandi per venæ sectionem: in quo docuit, quando purgandum, & quando venæ sectione vacuandum: nunquam vero explicauit, quando liceret venam incidere, aut purgare vsque ad λειποθυμίαν. Solum docuit, nonnunquam vsque ad animi deliquium φλεβοτομίαν exerceri posse. Cæterum quod pertinet ad ardentem febrem, multa huic proposito conuenientia docebimus infra diligenter, cum dubitationibus à fautoribus huius sententiæ propositis, satisfaciemus. Præterea falsum est, & à ratione prorsus alienum, omnes morbos biliosos curari missione sanguinis. Dolores enim colici, aut etiam cardiaci, aut quomodocunque ventriculi passiones nuncupare voluerimus, nunquam sanantur misso sanguine, quinimo cane peius & angue, vt in prouerbio est, hoc remedium euitari

debere, testantur probatissimi quique Medici, qui in hisce morbis curandis ne verbum quidem illius fecerunt. Ad hæc vero quis aliquando in omnibus morbis ab atra bile creatis sanguinem mitteret? quis in iis, quos pituita salsa producit? Amplius magnus quidam morbus est erysipelas, huius tamen curationem Galenus pertractans, purgans medicamentum admisit, missionem vero sanguinis reprobauit. Quomodo igitur statuendum est omnes biliosos morbos indicare missionem sanguinis? Galeni verba, quibus hoc ipsum edocet, in hunc modum habent: Non tamen ex vena in talibus sanguis mittendus est, sed ventrē tantummodo expurgare sufficit, dandum autē medicamen quod bilem flauam educat.] sed quoniam nos de hac re plura diximus eo loco, quo sententiam Auicennæ sumus interpretati, qua is admonuit cauendum esse in missione sanguinis, ne ad alterum duorum ægrotum perducamus, aut ad biliosorum humorum efferuescentiam, aut ad crudorum copiam, hoc loco contra præsentem opinionem nihil aliud addere constituimus.

Cap. IX.

Quod plenitudo non indicat missionem sanguinis, tertiæ opinionis impugnatio.

NVNC vero doceamus falsum esse, quod tamen quibusdam recentioribus Medicis maxime placuit, plenitudinem indicare missionem sanguinis. Proposita enim opinio habere veritatem non potest; siue missionem sanguinis, vt reuulsorium præsidium, siue, vt euacuatorium consideremus. non me hercle, tanquam euacuatiuum præsidium: quia in omni plenitudine mittere sanguinem oporteret; quod falsissimum esse tum ratio, tum experientia testantur. Plenitudo enim quatenus plenitudo est, nihil aliud per se indicat, quam euacuationem; porro euacuationum differentiæ cum sint multæ, ab vna plenitudine, vt plenitudo est, indicari non possunt, sed prout fuerint plenitudinis differentiæ, aut gradus, sic euacuationis differentiæ & gradus indicantur. Aliquando enim procuranda multitudine satisfacit frictio: aliquando balneum: aliquando inædia: aliquando purgatio: aliquando venæ sectio: & nonnunquam omnia simul adhibenda sunt: Igitur aliud adesse oportet ab ipsa plenitudine, quod missionem sanguinis indicat. Præterea nunquam sanguis mittetur citra plenitudinem, si ea indicat eiuscemodi remedium: at vero non semel sanguinem exhaurimus citra aliquem plenitudinis affectum, vt cum fluorem sanguinis ex naribus, ex mariscis, aut vndelibet confluentem reuellere cupimus, cum vulneratos, ne inflammatio adueniat, secta vena curamus, cum aliqua dolente particula ab ea sanguinem fluentem auertere cupimus, nulla quidem adest plenitudo, sanguis tamen mittitur. Amplius hæc opinio cum Empiricorum opinione, cuius author fuit (teste Galeno) Menodotus, maxime concidit: siquidem dicebant nunquam esse mittendum sanguinem absque plenitudine, perpetuoque obseruandam plectoricam illam syndromem, id est, plectoricorum signorum congeriem, quibus præsentibus semper mittendus sit sanguis, absentibus autem nunquam: Hanc tamen opinionem Galenus, tum libro de Plenitudine, tum alibi passim refellit. Cæterum præstat vnum, aut alterum Galeni locum in eorum gratiam referre, qui nihil verum putant, nisi quod fuerit illius verbis cōfirmatum. Quarto methodi medendi sic inquit: Neque hoc dico propterea, quod purgatio vacuatio sit, quam redundantis sanguinis concursus non indicet, sed quod etiam, tametsi redundantis sanguinis concursus non adsit, ad ipsam tamen sanguinis missionem interdum sit confugiendum.] & paulo infra. Nam & alia ratione; si quis etiamnum sanus, nec adhuc quicquam læsus in sanguinis redundantis concursu sit, non statim huic mitti sanguinem est necesse. Immo aliis satisfacit inædia, aliis cibi parcitas, aliis soluta aluus, vel purgatio, vel sequens balneum; aliis

sola

sola exercitatio vel multa frictio satis abunde fuit.] & in eodem opere. Ergo (inquit) plectoratum sanguinis missione curatur, tum frequenti balneo, tum exercitatione, tum frictione, præterea digerentibus medicamentis, & præter hæc omnia inedia.] & libro de ratione curandi per missionem sanguinis ait: Cæterum non contemnenda venæ sectio est, tanquam sit auxilium reuulsorium, cum me sæpenumero conspexeris in valida sanguinis è naribus eruptione, eo vsum, repente fluxionem sedasse.] & supra eodem libro: Recte ergo admonemur in iis, quæ exempli causa in libro de ratione victus acutorum proponuntur, sanguinem mittere, si magnus sit morbus, & æger iuuenili sit ætate, roburq; adsit: perperamq; Menodotus in sola syndrome plectorica, seruari venæ sectionem, inquit: Contra enim sanguinis mittendi scopi, primum in se plenitudinem non comprehendunt, sed fientis, vt sic dicam, passionis suspicionem. Nam si eam magnam fore appareret, omnino sanguinem mittemus, etiam si nulla existat plenitudinis nota.] Ex his quidem Galeni locis (alios enim qui sexcenti sunt, studio breuitatis prætermittimus) manifestum est, à plenitudine quatenus plenitudo est, non indicari missionem sanguinis.

CAP. X.

Quod sanguinis vitium non indicet missionem sanguinis, quartæ opinionis impugnatio.

PORRO haud minores difficultates patitur ea opinio, quam olim quosdam de hoc argumento publice differentes sustinuisse audiui, nempe indicari missionem sanguinis à vitio sanguinis: quandoquidem si intelligunt illi, vitio sanguinis omnes, qui in ipso sanguine adueniunt errores, sensus hic admodum communis est, nec proprie potest ad vnam venæ sectionem coarctari, si quidem tum alteratio, tum putredo, tum tenuitas, tum crassities & visciditas, tum abundantia atq; defectus sub sanguinis vitio contineri videntur, quorum sane neutrum, quantum sit merito sui, vim habet indicandi missionem sanguinis. Nam ipsæ intemperies hoc præstare non valent; quoniam per contrarias temperaturas corriguntur: calida quidem frigidis, frigida calidis, humida siccis, sicca humidis, atq; similiter de complicatis dicendum est. Ergo sanguis aliquam habens intemperiem, alterationem indicat per contrariam qualitatem, at vero missionem sanguinis nunquam. Putredo autem, quatenus putredo, non curatur sectione venæ, ceu quæ alia remedia desiderat, vt alio loco ex Galeno adnotauimus. Quandoquidem, si hanc vim haberet semper, atq; omnis putredo indicaret missionem sanguinis. Primum vero ab omni ratione alienum est, quod semper putredo indicet venarum sectionem, vt diximus in nostra tractatione de febribus, quo loco rationem curandi docuimus putredinem, quatenus putredo est. Deinde, si in aliqua putredine mittere sanguinem expedit, id quidem contingit, vt putredo est, sed alterius annexi ratione, vt in eodem opere declarauimus. Postremo nec in omni putredine, sed in aliqua mittitur sanguis, ergo putredo, vt putredo non indicat missionem sanguinis, sed hæc alibi diligentius docuimus, atq; fortasse in sequentibus, si occasio dabitur, explicabimus. Tenuitas vero ex omnium Medicorum sententia suum contrarium postulat, nempe crassitiem: quemadmodum hæc tenuitatem exigit: hæcque propria est indicatio, quæ ab his suggeritur. Cæterum quid indicet plenitudo, superiori capite demonstrauimus, quo docuimus, ab ipsa plenitudine non indicari missionem sanguinis, sed euacuationem duntaxat. Quod si hoc à plenitudine minime potest præstari, multo sane minus sanguinis defectus & atrophia venæ sectionem iudicabit. Hæc enim exhaurit sanguinem, illa vero sanguinis abundantiam indicat. igitur si hæc vera sunt, quemadmodum putantur, constat sanguinis vitium non indicare missionem sanguinis.

HORATII AVGENII A MONTE SANCTO.

DE RATIONE CVRANDI PER MISSIONEM SANGVINIS;

LIBER SECVNDVS.

Cap. I.

De quibus agendum sit hoc Libro.

QVONIAM itaque hactenus propositarum opinionum falsitatem ostendimus; reliquum est modo, vt ipsam veritatem doceamus. Cæterum, quia hæc minime doceri potest, nisi prius cognoscamus, quid sit plenitudo, quot plenitudinis genera & differentiæ sint; & quibus signis cognoscatur; atque tandem nisi rationem curandi multitudinem exponamus; propter hanc causam accedendum est ad propositæ tractationis, quæ semper apud omnes Medicos maximas difficultates habuit, absolutionem; antequam doceamus, quid sit id, quod vere indicat missionem sanguinis.

Cap. II.

De quorundam nominum explanatione, quibus in hac de plenitudine tractatione vtendum est.

EXPEDIT autem prius quorundam nominum aperire significationem, anteaquam ad plenitudinis definitionem accedamus: hac enim ratione futurum spero, vt vnusquisque multo facilius atque dilucidius, quæ sim dicturus, percipiat. Nomina vero dilucidanda hæc sunt: πλησμονή, πλεονεξία, πλῆθος, πληθώρα, κακοχυμία. Est autem πλησμονή proprie alimentorum satietas atque ingurgitatio: Id enim ex nominis vi deducitur. At vero Hippocrates ad humorum redundantiam nominis notionem diuertit, cum in Aphorismis inquit: Ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νοσήματα γίνεται, κένωσις ἰῆται, καὶ ὁκόσα ἀπὸ κενώσιος, πλησμονή. καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις.] Quandoquidem cum eiuscemodi affectum vacuatione sanari dicat: negari quidem non potest, quin eam vocem pro communi genere multitudinum vsurpet. Id enim erat eius authoris institutum, docere methodum, qua sanari possit, non omnis modo ciborum satietas, sed etiam humorum multitudo, & κακοχυμία. Aliquando videtur mihi multo contractius sumere pro multitudine, quo ad vires: vt quando in libro de plenitudine, capite quarto, plenitudinem, quæ ad quatuor vires refertur, & quæ in venis & arteriis, & qualibet corporis parte constat, πλησμονῆς nomine vocauit. πλεονεξία vero significat aliis plus habendi, acquirendive cupiditatem immodicam, auaritiam circumscribentem, quæ sibi partem maiorem iusto præcidit, & virium eius, qui in omni re præcipuum quippiam habere vult: opponitur ei [illegible] ciuilis iustitiæ conseruatrix. Medicis autem denotat multitudinem & redundantiam, & in hac significatione proprie vtuntur Galenus, & alii antiqui, licet hoc nomen per se quantitatem solam complectatur, aliquando tamen solent etiam efferre illud de qualitate: vt quando Galenus agens de febri magna & calore, quo plurimum ægroti conflictantur, dicebat consistere illum in πλεονεξίᾳ caloris. Sed hoc factum est improprie, quia nomen quanti non potest commode ad qualitatem referri, vt Galenus ait tum primo Aphorismorum, & primo de

mo de febrium differentiis, tum aliis in locis admodum frequenter: licet idipsum ex omnium antiquorum consuetudine verborum significationibus abutentium contigerit. At πλῆθος Eustachio multitudinem πρὸς τὴν δύναμιν significat: Ego vero nomen commune & genericum esse arbitror, quo vtraque plenitudo comprehendatur: Sicq; non modo à Galeno in libro de plenitudine & alibi vsurpatum fuisse scio: Sed etiam à veteribus scriptoribus Thucydide & Homero: Ille quidem sic ait: πλήθει βιαζόμενοι ἡσύχαζον.] Hic vero Ilia. ν. ἕκτωρ μηκέτι πάμπαν Ἀχίλλῃ προμάχιζε. ἀλλὰ κατὰ πλῆθύν τε καὶ ἐκ φλοίσβοιο δέδεξο.] Porro πληθώρα secundum Erasistratum, sic referente Gal. lib. huic tractationi dicato, vnam duntaxat plenitudinis speciem significat, qua vasa ipsa tenduntur: neqne perperam, vt ego sentio, nam ἀπὸ τοῦ πληθωρεῖν,] hoc est, præter modum crescere & abundare, nomen deductum fuisse suspicor. Galenus in gratiam Erasistrati banc admittere opinionem videtur, tum libro de causis procatarcticis, tum libro aduersus Iulianum, in quo sic scriptum legimus. At vero si eatenus sanguis augeatur, vt venas nondum distendat, adhuc plethora non est.] At quando ex propria loquitur sententia, eo nomine vtitur, tanquam genere ad plenitudinem quo ad vasa, & quo ad vires: etiam libro de febrium differentiis primo hæc habet: Nihil igitur mirum, si ex plethoris febres eueniant: etenim obstructiones multæ fiunt, atque vniuersum corpus in huiusmodi affectibus male difflatur: Sicuti sane in altera multitudine, quæ ratione potentiæ dicitur, cito ad corruptionem humores deueniunt.] Vides hic, vtramque plenitudinem πληθώραν nuncupasse, eo vsum nomine tanquam genere: quod etiam ex eo colligitur, quod libro de multitudine, capite vndecimo, vtramque plenitudinem eadem definitione complexus videtur, cum ait: Nunc vero non de iis, sed de illa, vt supra diximus, multitudine sermo est, quæ πληθώρα dicitur, consistente in corpore toto immodica humorum portione.] Cæterum κακοχυμία non est proprie humoris abundantia, vt placuisse quibusdam scio: sed est vitiositas succi, quicunque sit: nominis enim etymologia hoc significat: cum hoc autem humoris vitio abundantia potest aliquando complicari: vt libro de κακοχυμία demonstratum à nobis fuit. Explicatis in hunc modum hisce nominibus consequens est, vt doceamus, an plenitudo, de qua instituta tractatio est, sub horum aliquo contineatur. Inprimis certissimum esse arbitror, hunc affectum non esse κακοχυμίαν: quandoquidem toto, quod dici solet, cœlo inter se differunt. Est autem proprie is affectus plenitudo, quem Græci πλῆθος, & magis familiariter, vt cum Aristotele loquar, πληθώραν vocant, vtemur nos perpetuo vtroque vocabulo: multo tamen magis postremo: Cum nobis constet, idem etiam fecisse antiquos Medicos. πλησμονὴ vero & πλεονεξία videntur veluti genus: quoniam omnem complectuntur suæ significationis ambitu multitudinem: siue fuerit vitio malorum humorum, siue sanguinis, & eorum, quæ cum sanguine necessario continentur, procurata. Dixi, veluti genus esse: non autem proprie genus: quia habet vtrumq; nomen nonnihil (nisi tamen fallor) quod impedire videtur, verum & vt Logici loquuntur, vniuocum esse genus. πλησμονὴ ad satietatem ingurgitationemque refertur. πλεονεξία ad qualitates: at neutrum huic potest conuenire. Idcirco sum non parum anceps, an hoc, an illo vsi fuerint in definitione plenitudinis nomine, tanquam genere: Si quispiam autem dixerit, vtrunque aptari posse, non reclamabo, nec mordicus contendam, modo ille mihi vicissim concedat, tum vtendum nominibus, vt placuerit, tum etiam me cum Latinis agentem posse dilucidius illius definitionem afferre, quod nunc experior, sumpto in hunc modum tractationis meæ principio.

CAP. III.

Plenitudinis definitio explicatur; in qua obiter aliorum omnium errores manifestantur.

EGo itaque plenitudinem definire in hunc modum soleo: Plenitudo est sanguinis supra mediocritatem abundantia. Humorum, qui in humano sunt corpore, alii vtiles sunt, atque simul alendo corpori idonei: alii vero superuacanei, non tamen inutiles: illi proprie vocantur succi: hi autem, humores, aut excrementa; illis venas tanquam receptacula dedit natura: his ventriculum pro pituita: chystim in hepate, pro flaua bile; lienem pro melancholia constituit, plenitudo in his minime consistit; sed proprie est affectus succorum corporis. Porro succos nuncupamus quicquid in venis continetur pro nutriendo corpore idoneum. at vero in venis nihil aliud secundum naturam continetur, quam sanguis, ac illius partes; quas aliquando excrementorum nomine, pro eorundem similitudine nuncupamus. Tenuiorem enim illius partem flauam bilem: crassiorem, melancholiam; crudiorem, pituitam recepto nomine vocamus: at vero pars temperatior, sanguis dicitur. Nec est quod absurdum alicui videatur, sanguinem ex tot conflari partibus, seu in vnam substantiam partes quatuor conuenire. quoniam hoc idem in musto, in lacte, aliisque succis manifeste conspicitur. Atque, vt de aliis taceamus, in musto certe est aliud, quod grauissimum existit, aliud quod leuissimum; aliud tertium, quod toti musto permistum est, in eoque feruet: adhuc quartum ipsum videlicet purissimum, ac sincerissimum; cuius reliqua tria sunt velut excrementa. Quippe postquam mustum recens ab vuis expressum coniectumq; in dolia fuerit, ab innato sibi calore efferuescit, mutatur, & coquitur: tumque excrementa, quæ prius quidem confusa inerant, apparere incipiunt; atque cum primis concoctionis vi secernuntur, & secedunt: alterum sane grauius magisq; terreum, quod in fundo subsidens fæcem appellant: alterum leuius, magisq; aereum, quod per summa innatat, & flos vini dicitur: porro vbi mustum à fęcibus, & à spuma fuerit expurgatum: tamen crudis adhuc partibus visum effugientibus prędirum est quas tandem dierum numero vini calor euincit, & concoquit, idq; sincerum & purum, quod remanet vinum nominatur. Quamobrem, vt omnes musti partes vnius musti, viniq; nomine nuncupantur; sic sane omnes sanguinis partes, quas nomine excrementorum propter similitudinem nuncupari diximus, sanguinis vocabulo nuncupantur: Igitur duo per sanguinem intelligamus: alterum quidem congeriem quatuor partium, siue quatuor humorum in venis consistentium: alterum vero quartam partem, à tribus imaginatione, non re ipsa secretam, omnium temperatissimam. Itaque cum plenitudinem esse sanguinis supra mediocritatem abundantiam definimus, quam significationem audimus? Omnes recentiores Medici putant, sanguinis nomine intelligendum esse humores omnes, qui in venis consistunt, siue secundum, siue pręter naturam: idq; probant, quia nunquam sanguis in venis sincerus est, atque impermistus: sed semper continet pituitam, & vtramque bilem: deinde quia Galenus quotiescunq; sanguinem dicit, intelligere semper omnium humorum congeriem solet. sic enim is auctor inquit: fieri haud potest, vt vnquam in venis tam exquisitus, sincerusque sanguis contineatur, vt nihil vel bilis, vel pituitæ, vel serosæ humiditatis inferatur: vnde & ego in superioribus idem intelligendum esse volui, siue humores, siue sanguinem abundare dicerem; quippe immistus, & ab aliis humoribus sincerus sanguis nunquam in venis continetur.] hæc Galenus. verum proposita opinio mihi nunquam, vt libere dicam, satisfecit; quoniam non solum sanguinis appellatione omnes humores intelligere oportet; sed etiam puriorem, atque sinceriorem eius partem: nam, vt rationes prætermittam, quæ hoc ipsum persuadent, de quibus ego infra sigillatim dicam, cum differentias plenitudinis prosequar, Galenus huic opinioni clarissime reclamat; dum scilicet plenitudinem definiens libro de composit. med. loc. 2. cap. dicebat esse, cum omnes

omnes humores æqualiter augeantur, aut etiam solus sanguis. quibus verbis distinguit plenitudinem, cum omnes succi æqualiter, veteri tamen seruata proportione, adaugentur: ab ea, cum non omnes, sed solum purior sanguinis portio super reliquas adaugetur. Hæc enim dictio [aut] semper est dictio disiunctiua: & hæc dictio altera [solius] distinguit puriorem partem ab aliis omnibus humoribus: sed quia hæc infra clarius explicabuntur à nobis, accedentes ad reliqua, statuamus in plenitudine, semper augeri sanguinem, siue quod humores omnes, à quibus singulæ partes nutriri possunt, æquabiliter augeantur; siue quod temperatior & suauior illius pars duntaxat increscat. Quod vero ad ipsum Galenum attinet affirmantem, idem esse dicere sanguinem, quod omnes humores: dico diuersis rationibus considerationibusque, sanguinem esse cum illis idem & diuersum. Primum enim aliud est dicere sanguinem absoluto sermone, aliud solum sanguinem: nam priori modo intelligitur sanguis secundum omnes suas partes: posteriori autem solum purissimam atque totius massæ perfectissimam vidimus: propterea idem est dicere sanguinem absolute, quod omnes humores, non autem idem solum sanguinem. Deinde non est idem dicere sanguinem, quod omnes humores, si appellatione humorum, tum alimentales, tum excrementitios intelligas. Multoq; magis elucescit differentia, si solos audire volueris excrementitios. At vero est omnino idem specie sanguis cum aliis humoribus, vbi sanguineam massam audiamus, qualem supra musti & lactis exemplo declaraui, communis autem natura in hoc potissimum consistit, quod omnes partes extrauenatæ concrescunt, quod omnes fibras habent: quod omnes nutriant: denique quod omnes eodem colore præditæ sunt, differentia duntaxat existente in eo quod magis & minus: bilem igitur sanguini permistam vocabimus sanguinis portionem tenuiorem, pinguiorem, magisque feruentem: pituitam, crudiorem: melancholiam, crassum & terrenum existere sanguinem dicemus. Hæc substantiarum permistio non prohibet, quin vna duntaxat augeri possit, aliis minime adauctis. Sed expendamus, quæ iusta sit in venis humorum proportio, quoniam vbi fiat super hanc incrementum, plenitudo est ac dicitur. in homine bene temperato, & optime sano minus est flauæ bilis, quam melancholiæ: minus huius, quam pituitæ: & pituitæ minus, quam sanguinis puri. Iusta illa, & conueniens omnium humorum proportio consentanea & naturalis est æquabilitas: atque is sanguis optimus & benignus censetur, qui ex quatuor succorum naturalium æquabilitate constat, non sic quidem, vt is parem habeat omnium portionem, sed pro ratione, quam dixi, cuique idoneam. Cum igitur secundum proportionem expositam, vel omnes humores augentur: vel si non omnes, purior sanguis: vel cum purioris sanguinis incremento vnus, vel duo ex aliis succis incrementum assumunt, tunc sane adesse plenitudinem dicimus: nam hisce tribus modis contingit augeri sanguinem, vt loco suo declarabimus. Verum, vt satisfaciamus recentioribus Medicis, aliorum definitiones explicemus. Galenus itaque non vno modo definire mihi videtur plenitudinem, Quoniam primum sic definit libro decimotertio methodi medendi, cum inquit: ὅταν μὲν ὁμοτίμως ἀλλήλοις αὐξηθῶσιν οἱ χυμοί, πλῆθος αὐτὸ καὶ πληθώραν ὀνομάζουσιν.] id est, cum æqualiter inter se succi adaucti sunt, id & plenitudinem & plectoram nominant. Alibi vero sic definit: πλεονεξία καὶ ἐστὶ τὸ πλῆθος τῶν καθ' ὅλον τὸ σῶμα σύμπαντων χυμῶν.] quod est: plenitudo est humorum in animantis vniuerso corpore redundantia. Et in alio quodam opere sic definit: πληθώρα γίνεται, τῶν τεσσάρων χυμῶν ἀνάλογον αὐξηθέντων, ἢ τοῦ αἵματος μόνου.] Plenitudo (inquit) generatur, quatuor humoribus proportione auctis: aut solo sanguine. Quid igitur sibi vult hæc definitionũ varietas? cur nõ vno atq; eodem modo semper ipsam plenitudinẽ definit? Ego quidem puto Galenũ varias definitiones attulisse, vt varias plenitudinis differentias complecteretur. Pro primæ autẽ definitionis intellectione primũ scire oportet, hanc vocem [ἰσοτίμως] quam [æqualiter] interpretamur, nihil aliud significare, quam proportionaliter. Falsum enim est, esse plenitudinẽ cum æqualiter (id est, vt tanta sanguinis, quanta aliorũ succorum sit quantitas) aucti sunt succi:

nam hic affectus potius esse cacochymiam. Opus enim est, vt libro de plenitudine idem author significauit, sanguineam partem supra alios succos abundare, vt vera consistat plenitudo. Quamobrem est intelligenda ea vox secundum sensum, à nobis in nostra definitione propositum, atq; vt idem author significauit libro de compos. medic. sect. loc. Veteri scilicet seruata proportione, quam nos supra declarauimus. Deinde vero opus est animaduertere, propositam definitionem non complecti species omnes plenitudinis, sed vnam duntaxat, cum scilicet omnes succi veteri seruata proportione adaucti sunt: aliæ vero minime sub definitione continentur, cum videlicet solus sanguis auctus est, reliquis minime auctis: vel cum sanguine aucto vnus aut duo ex tribus humoribus simul cum ipso sanguine increuerint, de quibus nos loco suo dicemus: nostra vero definitio omnes complectitur differentias. Cur vero Galenus vnam tantum differentiam siue speciem complectatur, quamuis difficile sit diuinare, nec ego is sim, qui plurimum in authoribus componendis laborem, tamen dicerem, idipsum fecisse, quia hæc vniuersalior est plenitudo: atque quia in communi vsu fortasse sic fuit, eo tempore plenitudinem definire. Quod vero ad secundam definitionem pertinet, multa sunt, quæ mihi parum satisfaciunt. Horum primum est, quod possunt humores in vniuerso corpore abundare citra plenitudinem, cuius natura & essentia hoc ipsum postulat, vt semper sanguinea pars adaugeatur: hac igitur non aucta humoribus aliis increscentibus, eodem authore confirmante libro de plenitudine, non est plenitudo, sed cacochymia. Deinde vero leucophlegmatia, ictarus humores habent per totũ corporis habitum adauctos, citra tamen plenitudinem. Rursus non explicat definitio modum particularem augmenti, an scilicet veteri seruata proportione, an autem citra hanc intelligatur. Adde, quod qui dicit, plenitudinem esse humorum incrementum, non distinguit plenitudinem ab aliqua specie cacochymiæ, qua cum adest humorum incrementum. Amplius, quia plenitudo non solum est vniuersalis, cum scilicet per omnes venas continetur, sed etiam aliqua est particularis, vt nos infra declarabimus, cum inquam, omnes succi veteri seruata proportione aucti sunt indeterminata quapiam particula, vt in capite, omnes humores veteri seruata proportione augentur: quæ certe differentia in proposita definitione non continetur. Postremo admodum vitiosa videtur mihi eiuscemodi definitio: quia definiens ille πλεονεξίαν affectum multo vniuersaliorem πληθώρας καὶ πλῆθος, vt superiori capite declarauimus, non potuit vti nomine πλῆθος, tanquam genere: quoniam species ingredi non potest definitionem generis: dicit enim πλεονεξία ἐστὶ πλῆθος,] id est, pleonexia est plenitudo,] cum id semper verum non sit: potest enim esse κακοχυμία. Perinde enim est, atque si diceremus, animal est homo. Multo quidem rectior esset oratio eiuscemodi: πλῆθος, vel πληθώρα, est πλεονεξία. quamuis hoc genus mihi videatur ambiguum: hæc certe manifestum faciunt, Galenum non infrequenter abusum fuisse nominibus, ac de rebus omnibus non semper accuratissime scripsisse. Nisi tamen, vt aliqua ex parte Galenus exponamus, tueamurq;, dicere voluerimus, ibi per humores solum alimentales intellexisse, vniuersalemq; ac maxime famosam plenitudinem definiuisse, atq; subaudiri oportere, quod alibi dixit veteri seruata proportione. Cæterum longe videtur melior postrema definitio, vt ego interpretor, vtpote quæ duas complectatur differentias plenitudinis, vt ego interpretor, atque vnam duntaxat omittat. Primam continet, cum inquit [quatuor humoribus proportione auctis] secundam vero cum inquit [aut solo sanguine] quamuis recentiores Medici, dum hæc postrema verba interpretantur, toto, quod aiunt, cœlo decepti sint, vt suo loco infra docebimus. Hæc quidem, quod pertinet ad Galenum. De recentioribus autem Medicis in præsentia nihil venit dicendum, quoniam ii in Magistri verba iurantes, Galeni definitiones afferunt.

Dege-

CAP. IIII.

De generibus plenitudinis.

PORRO duplex est in vniuersum simplex plenitudinis genus: alterum quidem dicitur plenitudo quo ad vasa: alterum vero plenitudo quo ad vires. His tertium genus addimus ex vtroque extremo permistum, quo ad vires scilicet, & vasa simul: quod sane plurimum admiror, neminem hactenus ex recentioribus Medicis animaduertisse. Plenitudo quo ad vasa est, quando venæ corporis propter nimiam sanguinis abundantiam tument, & adeo quidem vt maximum tensionis sensum inuehant: periculumque non mediocre immineat, ne homines, aut subito suffocentur, aut ipsa vasa rumpantur: Vocata est ab Erasistrato κατὰ τὸ ἔγχυμα: quoniam, vt idem scripsit Galenus. κατὰ τοῖς ἐγκεχυμένοις τοῖς ἀγγείοις χυμοῖς συνίσταται καὶ νοεῖται.] id est, infusis per vasa humoribus consistit atque intelligitur: de qua sic loquitur Hippocrates in Aphorismis. Habitus athletarum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint; neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere; cum vero non quiescant, neque possint proficere in melius, reliquum est igitur vt decidant in deterius.] & Galenus in eius loci commentario: Cum enim vasa (inquit) cibis & potibus fuerint supra modum repleta, periculum est ne disrumpantur, aut calor natiuus suffocetur, aut extinguatur.] hæc igitur de qua nunc loquimur plenitudo respicit vasorum capacitatem, minime autem necessario ipsas vires, quæ validæ cum hoc affectu plerunque permanent, vt patet athletarum exemplo. De hac sic Galenus loquitur libro de plenitudine. Quando propter multitudinem aliquod distenditur, aut disrumpitur, affectus is ad continentia vasa pertinet, & non ad aliquas vires.] & in nono, methodo medendi. Plenitudine (ait) existente, quo ad vasa, dum copia bonitatem suam seruat, pariter augeri cum robore virium est nata; ita si quando has grauat, nec de cætero augebitur, tunc naturæ bonitatem amittet.] Hæc ille. Plenitudo, de qua loquimur, indifferenter reperiri potest in rebus animatis, atque inanimatis. Videmus enim vtres, atque alia vasa adeo repleri, vt periculum immineat ne disrumpantur. Plenitudo autem quo ad vires minime vasorum capacitatem per se respicit. In hac enim quamuis abundantia sit sanguinis supra mediocritatem, non tamen est tanta vt vasa distendat: sed hæc necessario respicit vires & facultates nostri corporis. Sæpe igitur mediocris plenitudo infirmiori naturæ, & facultati molesta est, & grauis, ideoq; merito plenitudo quo ad virtutem dicitur: hæc humores, vbi diu perdurauerit, ad corruptelam ducit, & fluxionem in particulis imbecillioribus prorirat, vt docuimus in commentariis nostris in Galeni librum de ratione curandi per missionem sanguinis. Verum habet hoc loco dubitationem, & meo iudicio minime contemnendam, cum tres sint facultates humani corporis, naturales inquam, vitales, & animales, quarum virium respectu eiuscemodi plenitudo ad vires dicatur. Huic ex communi omnium Medicorum consensu respondetur, dici relatione ad vires animales sensitiuas, quam rem perbelle expressit Galenus libro huic tractationi dicato, dum inquit: Dicamus igitur quotiescunque præ multitudine aliquid nimis distenditur, aut disrumpitur, affectum talem ad continentia vasa spectare, non autem ad aliquas vires; cum vero grauatur, ad sensitricem potentiam: nam neque idipsum omnino ad vires pertinet omnes, cum naturalis potentiæ hæc grauitas affectus non sit.] Hæc Galenus. ex quibus illud etiam colligere est eorum sententia, hanc plenitudinem non aduenire indifferenter rebus animatis, atque inanimatis, vt superior plenitudo: quoniam inanimata cum sensu prædita non sint, non possunt eiuscemodi grauitatem sentire. In iis igitur duntaxat reperitur, in quibus sensitiua inest facultas, & quo maiori sensu præditæ sunt particulæ, eo magis huic plenitudini obnoxiæ sunt. Quamobrem tametsi vasa non tument, nec copia distenduntur, plus tamen continent sanguinis & alimenti, quam à natura regi, gubernarique possit. Ego vero, licet tur-

pe videatur ab aliorum ſententia diſcedere, in gratiam veritatis, qua nihil charius habeo, multo aliter ſentiendum eſſe puto. Quam rem breuibus aperiam, expectans alios, acutiori præditos ingenio, diſtinctius explanaturos, aut etiam me ipſum erroris (ſi ita contigerit) admonituros. Oſtendo primum ipſa quæ premuntur à plenitudine grauante vires, ſenſitiuam ex neceſſitate non habere potentiam, atque ſi habent, ad eam non pertinere eiuſcemodi affectum. Certiſſimum eſt plantas à rebus grauibus non mediocriter lædi, quæ tamen moleſtiam illam minime ſentiunt. Quandiu illæ vigent, & florent, propriam ſeruare figuram cernuntur: at ſi ob aliquampiam cauſam imbecilliores redduntur, protinus declinant, concidunt, atq; franguntur. Etiam illud fidem facit quod nos videamus ramulum fructibus quampluribus onuſtum optime illos continere, atque ferre, quamdiu natura regens ſeſe bene habuerit: at ſi legantur & filo appendatur ramulo, is continuo deprimetur, & fractus in terram concidet. Cur quæſo te, id contingit? non alia de cauſa, niſi quod natura illa, qua viuit planta, animat eos fructus, regit, continetque, atque tunc illi non ſunt admodum graues: vbi vero amplius regere non poteſt, aut finit eos ſponte decidere, aut continentes partes rumpuntur. Quis hic dixerit grauitatem hanc pertinere ad ſenſitiuam animalem potentiam? Sed ne plantarum exemplo hoc dilucidare videamur, in animalibus idem contingere Galeni teſtimonio doceamus. Hic afferenda eſt eius ſententia, cuius etiam ſecundo capite tractationis huius meminimus, ex libro de febrium differentiis primo, quæ ſic habet: Nihil igitur mirum, ſi ex plectoris febres eueniant: etenim obſtructiones multæ fiunt, atque vniuerſum corpus in huiuſmodi affectibus male difflatur, ſicuti ſane in altera multitudine, quæ ratione potentiæ dicitur, cito ad corruptionem humores deueniunt: quoniam non bene ſuperantur, neque concoquuntur, cum ea, à qua conficiuntur, vis inualida exiſtat] videntur mihi hæc verba multo clariora, quam dici poſſit. Vis (inquit) non eſt valida (cuius relatione plenitudo dicitur quo ad vires) propterea ſanguinem concoquere & tranſmutare non poteſt, hincque ſuccedit putredo. Sed eſtne facultas ſenſitiua, quæ concoquit, an autem naturalis? Amplius libro de multitudine, capite decimo, ſanguinem dicit multum eſſe non ſolum obtentionem vaſorum, ſed etiam ob commoditatem naturæ, verum, quam hic intelligit naturam? non certe animalem, at potius vegetatiuam, atque naturalem. Huc etiam referenda ſunt quæ ſecundo Aphoriſmorum, decimoſeptimo commentario dicebat, multitudinem, tum ad vaſa, tum ad naturam, quæ nos gubernat, comparari. At quæ nos gubernat virtus, non eſt ſenſitiua, ſed vis eſt in omnibus partibus contenta, quæ omnes regit, omnes viuificat, quã Hippocrates proprio nomine vocauit naturam, & Galenus aliquando calidum innatum. Præterea multo apertius idem videtur mihi docuiſſe libro de multitudine, quando proponit, multitudinem ad vires quatuor naturales comparatam cognoſci non poſſe ex grauitate, & idcirco alia inquiri debere ſigna, quaſi quod ipſum percipere moleſtiam rei grauantis ad concoctricem, retentricem, expultricem & attractricem facultatem pertinere non poſſit, quæ tamen grauantur, & multitudinem quo ad vires patiuntur. Ideo inquit ſi in arteriis conſtiterit; ex pulſu peti debere ſigna: ſi in venis nullum putat ſignum adeſſe, quo queat deprehendi: niſi forte in iis, qui exquiſitiſſimo ſenſu præditi ſunt, obſcura quædam & profunda grauitas in vaſis percipiatur. Poſtremo quemadmodum ſeſe habet ſatietas, & ali[illegible]entorum ingurgitatio in relatione ad ventriculum, ita ſeſe habet plenitudo in reſpectu ad venas & arterias, quæ continent ſanguinem, materiam alioquin proptiam huius affectus. Atqui ſatietas illa nulla ratione pertinet ad virtutem animalem, ſed contra potius ad naturalem, ſic venarum hanc ſatietatem ad eandem facultatem pertinere ſtatuemus: quia certe ſi proprie loqui volumus, nihil eſt aliud vaſorũ plenitudo, quã eorundem ſatietas. Ex his patere arbitror, haud recte ab aliis fuiſſe dictum, hanc ad ſenſitiuam animalem facultatem pertinere. Cęterum quod pertinet ad Galenum, cui innituntur, dicerem, primum quidem illum non fuiſſe locutum de omni

omni plenitudine quo ad vires, sed de illa duntaxat, quæ in partibus residet sensu exquisito præditis, cuius rei signum satis euidens videtur mihi, quod plenitudinem admittens in respectu ad facultates naturales, ex rei grauantis molestia, & perceptione illam multitudinem non significari scribat. Addo quod neque etiam in illis, quę sensum exquisitum habent, id per se contingit, sed qua natura constant. Si vero placuerit dicere ad sentientem pertinere facultatem, hoc quidem sensu libentissime recipiam, nec reclamabo si pręcipue statuerit, nec reclamabo ad sentientem facultatem pertinere, consensus tamen cuiusdam ratione ad potentiam naturalem etiam referendam. hanc responsionem ex Galeni verbis deduco, libro decimosexto de vsu partium, capite duodecimo, vbi scribit: committi arterias ipsas venis, & venas arteriis, & vtrisque neruos: quod si ita est, in venis inseruntur fibræ nonnullæ arteriarum, & venarum. Vsus quidem huius alligaturæ, est conspiratio omnium virtutum corporis, quam primum omnium introduxisse Hippocratem constat, & Galenus ad illius imitationem sæpe prædicat. Consensus est vnus, conspiratio vna. idcirco facultates omnes hanc molestam percipere grauitatem possunt. Postremo dicendum, quod admittunt illi qui mordicus litigare volent de hac re, dari quendam sensum naturalem in singulis partibus alterius naturæ, quam sit animalis sensus. Hunc Galenus, dum agit de fame naturali, sensum alimenti nuncupat, de quo sic scribit libro de causis symptomatum primo, capit. 7. Existuntque in totum quinque symptomata ordine quodam sese deinceps sequentia, quorum primum vacuatio est: secundum vacuatorum appetentia naturalis: tertium ventris suctus: quartum eius sensus: quintum appetentia eius animalis, quæ omniū est vltima.] Quemadmodum igitur naturales partes proprio deficiente alimento suctionis sensum habent, sic eædem habebunt sensum, quo percipient rem aliquampiam grauantem, qui sensus minime ad animalem attinebit facultatem. Porro faciunt dubitationem quędam Galeni verba libro de multitudine, capite octauo, in quo dicit, grauiores fieri, & ægrius moueri, eorum esse proprium, qui multitudinem, quo ad vires patiuntur. Si enim id verum esse statuatur, non solum ad sentientem facultatem pertinebit affectus, verum etiam ad motiuam: hanc enim animalem esse constat. Hoc quamuis multum vrgere nos videatur, tamen facilem (nisi meum me fallit iudicium) solutionem recipit. Quod autem animo concipio, tale est: Nempe ægrius moueri non pertinere protinus ad facultatem animalem, sed etiam ad naturalem facultatem. Ventriculum enim, & arterias moueri cernimus, non tamen mouentem habent facultatem voluntariam: mouetur vterus, ac etiam, si placet, venæ quando contrahuntur, dilatantur, & in longius ducuntur, ac si rebus grauibus offenduntur, afficiuntur molestia: at motus isti non fiunt voluntatis imperio. Quid de cordis motu dicam? an hunc voluntarium esse statuemus? Hæc volui dixisse circa propositam disputationem: meliora cogitabunt alii. Non possum autem hoc loco dissimulare recentiorum Medicorum errorem, qui dicunt idem esse plenitudinem quo ad vires, quod humorum qualitatem peccantium vitium. Qua re videntur malum succum, quem Græci κακοχυμίαν vocant, simul cum plenitudine confundere, quod sane adeo falsum est, vt nihil magis. Est enim cacochymia, quotiescunque humor aliquis, aut excrementum abundat citra sanguinis augmentum, aut etiam malam qualitatem adipiscitur. neque aliud Medici antiquiores nomine qualitatum audiuerunt, cum scilicet dixerunt, purgationem humoribus deberi sua qualitate peccantibus. Verum plenitudo non est horum abundantia, sed succorum qui in venis continentur, ea ratione, quam supra nos ipsi diligenter expressimus. Sed de cacochymia plura diximus libro de purgatione, & quædam etiam dicentur infra, hac de causa, ne idem bis repetatur, ad eum locum Lectorem relegamus. His duobus extremis generibus addere oportet, alterum ex vtroque permixtum; potest enim esse plenitudo tum quo ad vasa; tum quo ad vires simul. Pone athletarum habitū, qui plenitudinem habet respicientem vasa in synochū putridam incidere. Sanguis donec suam bonitatem seruat quam-

uis vasa distendat, naturam tamen non grauat, cum vero putrefactus est, grauitatis sensum affert. Quid igitur esse impedimento potest, quin simul hæ duæ plenitudines complicentur? si plenitudo quo ad vires, dicitur, quæ vires premit aggrauatq́; cur vires premere nequit sanguis adeo auctus, vt vasa ipsa distendat? Obscurauit quidem, meo iudicio, hoc plenitudinis genus Galenus, dum nono, methodo medendi, capite quinto dixit, plenitudinem quo ad vasa posse amittere bonitatem suam, & vires aggrauare. Vides hic, quod hæc multitudo siue plenitudo ea ratione, quatenus vasa distendit, dicitur vasorum respectu: quatenus vero hæc copia suam bonitatem amisit, & vires premit, potest merito nuncupari plenitudo virium respectu. Et hoc similiter obseruauit maximus omnium Medicorum, post Hippocratem & Galenum, Auicenna, dum inquit, & cum repletio secundum virtutem est simplex, non sunt venæ adeo inflatæ,] quid sibi volunt hæc verba. [repletio secundum virtutem est simplex] nihil aliud, vt sentio, nisi quod potest superueniri plenitudini quo ad vasa, plenitudo quo ad vires, quo casu venæ erunt maxime tumidæ. Sed si fuerit simplex plenitudo, quo ad vires, non apparebit eiuscemodi tumor in venis. Hoc est illud plenitudinis genus a recentioribus Medicis prætermissum.

Cap. V.

In plenitudine non solum quantitatis incrementum, sed etiam vitium qualitatis reperiri. Atq; in cacochymia adesse peccatum in quantitate.

EX iis, quæ hactenus dicta sunt a nobis, facile potest vnusquisque percipere, cur plenitudinem ipsam affectum in quantitate vocauerit Galenus: & qui post Galenum de rebus Medicis scripserunt, vnanimi consensu vsque ad hanc diem admisere. Nam si vtraque plenitudo incrementum sanguinis in vasis denotat, quantitatem adauctam esse oportet: atque idcirco nunquam consistet plenitudo cum humorum inopia, copiam abundantiamque supponens. Non ita tamen audiendum est, quin manente plectorica dispositione vitium in qualitate inesse nequeat: propterea grauiter aberrare videntur mihi, & à ratione atq; experientia discedere, quicunque idipsum in plenitudine non admittunt: Ego enim nullum inesse in κακοχυμίᾳ vitium inuenio, cuius capacem πληθώραν non esse sciam. Intemperiem inquam omnem, crassitiem, viscididatem, agitationem, defluxionem, permistionem flatus ac mali succi, tandem vero putredinem. Quis enim inficias ire audebit in synocho febre, quæ ex πληθώρᾳ proficiscitur, sanguinem calida intemperie non esse præditum? si feruor inest in sanguine, cur frigiditatis etiam incrementum adesse nequibit temperatum? Hic ego admittere non possum recentiorum quorundam opinionem, putantium, tunc affectum naturam amittere plenitudinis, generata cruditate, ac non esse amplius boni succi copiam. Duplex enim cruditas est, vna, quæ sequitur mali succi vitium, quam putredinem non immerito vocabis, de qua dicebat Hippocrates, Concocta medicari, & mouere non cruda: alia, quæ ex diminuta coctione fit. Illam recte statuemus esse κακοχυμίαν. Hæc vero nomen & naturam adhuc plenitudinis retinere aliquando posse, minime inficiari potest, quandoquidem licet huiusmodi cruditas nondum absolutam, omnibusque numeris perfectam sumpserit formam sanguinis, ab illius natura minime tamen destituitur, cum sit sanguis diminute concoctus, qui ex necessitate naturæ, non ex illius vitio, propter frigidarum humidarumque partium nutrimentum generari oportuit. Hoc animaduertisse mihi videtur Galenus priori libro ad Glauconem, docens curationem febrium puttidarum cum symptomatis, quando sic inquit: Age enim febricitet quis, & adsit plectorica dispositio, verum ex recentibus cruditatibus sit. &c.] Vides hic Galenum profiteri plectoricam dispositionem ex recentibus cruditatibus adesse. Hanc eandem πληθώραν audiuit libro de ratione curandi per venæ sectionem, quando modum docet huius vacuationis in crudorum

Cacochymia Latine scribenda est hac voce, quod voce ablatiuo careat. Plethora.

dorum humorum copia. Oratio illius in hunc modum habet: Vbi ergo multa vacuatione est opus (verum vires sunt imbecilliores) in his euacuationem partiri expedit, vti minimũ & me fecisse vidistis in iis, quibus crudorum inerat humorum copia. Nam pauculo sanguine detracto protinus mellicratum exhibeo probe coctum cum incidentium medicaminum quopiam, veluti hyssopo, origano, & interim etiam nepita, aut pulegio, aut certe cum mellicrato oxymeli, aut oxyglyci: ac sic rursus sanguinem minuo. &c.] At si quispiam diceret eiuscemodi cruditatem minari putredinem, & esse veluti inchoatum quoddam vitium, & nondum absolutam κακοχυμίαν, dicerem primum id non fore necessarium, quia coctione potest emendari cruditas: mox autem si id contingeret, non video, cur à natura plenitudinis arceri debeat affectus. Nam πληθώρα πρὸς τὴν δύναμιν pari ratione diceremus esse κακοχυμίαν, quia ipsa etiam non minus, quam cruditas, imo multo magis putredini obnoxia est. Itaque negari non potest, cum plectorica dispositione frigidam complicari posse leuem intemperiem. Eadem ratione quid vetabit, eundem sicciorem aut humidiorem fieri sine permistione aliorum excrementorum? Hoc dicebat Galenus libro de multitudine, capite vndecimo, eum sanguinem ob solam intemperiem humidiorem factum, maiorem copiam excrementorum atque similium in seipsum aggregare, eamque affectionem simplicem sanguinis intemperiem esse, non autem κακοχυμίαν asseuerauit. Porro crassitiem & viscididatem recipere quis dubitat? aut ex Medicis quis aliquando expertus non est? Permisceri autem posse cum vitiosis humoribus, etiam patet, idq́; duplici modo, aut quod duplex affectus fit, mixtus inquam ex κακοχυμίᾳ καὶ πληθώρᾳ: quem recte diceres, plenitudinem aut cacochymiam notam, pro maiori aut minori bonorum aut malorum succorum abundantia: aut quod illis paululum egredientibus modum plenitudinis ratio permaneat. Neque enim quælibet excremenritiorum humorum permistio, cum abundantia sanguinis plenitudinis naturam tollit, sed solum quæ magna fuerit. Putrefieri autem sanguinem posse, manente adhuc plenitudine, ex Galeni doctrina, non est ambiguum: vtputa qui de hac materia libro secundo Aphorismorum fuerit hisce verbis locutus: Nunc vero hoc tantum sufficiat adiungere iis, quæ prius à nobis sunt enarrata, quod incipere quidem potest ea, quæ ad vires refertur multitudo absque corruptione, verum non potest bona permanere: nam omnino necesse est, vt secundum qualitatem transmutetur, & processu temporis corrumpatur. Verum etsi istud fiat, interim multitudinem ipsam nominabimus, donec ex superflui vacuatione residuum bonum fieri possit. Quod enim in vinis accidit acescentibus, tale quiddam & in sanguinis alteratione contingit. Quod autem in vinis accidit, tale est: Vbi ex toto acida facta sunt, non redeunt rursus ad vini naturam, paruo autem in ipsis facto momento, ita vt acidum quidem habeant saporem, nondum tamen acetum sint, multa multoties ex his pristinam naturam recuperarunt. Hoc idem in sanguine euenit: nam & ipse, vbi magna in eo sit facta corruptio, non redit amplius ad habitum naturalem. Si vero pauca contigerit, vbi id, quod est superfluum, fuerit vacuatum, quod residuum existit, ad suam naturam restituitur. Equidem consuetum est, huiusmodi dispositionem non corruptionem, sed multitudinem nuncupare, illa (vt dixi) sola vocata corruptione, quæ tam affatu dignam habet eam, quæ ad id, quod præter naturam est, euersionem, vt non possit iterum ex naturæ coctione ad primam humoris redire bonitatem.] Hæc Galenus; qui rem, de qua disputare proposui, adeo manifestam facit, vt manifestius fere nihil possit inueniri. Cur vero (inquies) si res ita habet, nuncupatur Galeno πληθώρα, affectus in quantitate? quia denominationem (inquam) ab eo fieri oportere constat, quod rebus inest secundum essentiam, non autem ab accidentaliter inhærentibus. Quantitas necessario aucta est in omni multitudine: in ea, quę vasa respicit, sensibiliter: in alia vero multo obscurius. At certe non est necessarium subire sanguinem eas mutationes in qualitate, quas prædiximus. Res in hoc affectu haud secus habet, quam in κακοχυμίᾳ, in qua licet aliquando mali succi adaugeatur

Verbum Latinum vteredum hi puto ob eadé causam, quá vsus sum supra.

Cacochymia.

quantitas, non tamen dicitur peccatum in quantitate, sed in qualitate. Quia omnis κακοχυμία contraxit vitiosam aliquampiam qualitatem, haud tamen necessario quantitatis peccatum supponit. Bilis enim (quod exempli gratia propono) quamuis adaucta non sit, putredinē tamen & venenatam recipere qualitatem potest, quemadmodum cætera excrementa. Huic igitur nomen affectui imponendum fuit, id exprimens, quod illi inest ex propria natura, non ex accidenti: Nullumq; potuit aptius excogitari nomen: cum (Galeno & aliis probatis authoribus) qualitas, tum rei formam, tum vitium significent, vt in libro huic tractationi dicato explanauimus. Sed de plenitudinis generibus hæc sufficiat dixisse.

Cap. VI.

In quibus vtraque plenitudo conueniat, & de plenitudine particulari.

INTERIM vero doceamus, in quibus vtraq; plenitudo conueniat. Primum autem in hoc vno conueniunt, quod vtraque iam in sanis, quam in ægrotantibus esse potest, quod testantur Galeni verba, libro de plenitudine, dum ait: De plenitudine demonstratum est bifariam, & fieri, & dici plenitudinem: nempe vno significato, vt ad vires: altero, vt ad continentium humores vasorum laxitatem, quod quidam vocant κατὰ τὸ ἔγχυμα. Vtriq; vacuatione est opus, siue in homine valetudinario, siue valente euenerit; sane quemadmodum qui onus gestat, non protinus, vbi grauatur ac fatigatur, iam cecidit, ac victus ab eo est, ad eundem modum, si virtus à plenitudine grauatur, fieri potest, vt nondum homo ægrotet.] Hæc ille. Animaduertere autem oportet hoc loco, quod quamuis plenitudo, quo ad vires in sano corpore possit consistere, diu tamen, vt supra docuimus, perdurare non potest, nam vel humores putrefiunt, vel fluxiones concitantur. Commune rursus est vtriusq; plenitudinis, quod possunt non solum venæ humorum, succorumq; copia repleri, sed etiam corporis habitus. Quamobrem non oportet vtraque corporum genera semper in quauis plenitudine repleri, sed modo hoc, modo illud. Tertio conueniunt, quod vtraque fit ab eisdem succis, nempe aut ab omnibus humoribus simul adauctis, aut à puriori sanguine excrescente, aut ab aliquo ex succis sanguineis vna cum puriori sanguinis parte, nam fieri plenitudinem citra sanguinis abundantiam est impossibile. Postremo conueniunt, quia aliquando totum corpus afficiunt, aliquando autem determinatam eius particulam: illam quidem vniuersalem plenitudinem, hanc vero particularem localemque nuncupamus. Sed quia recordor, dum ego hac de re cum quodam clarissimo Medico disputarem, eum dixisse mihi, nunquam Galenum admittere plenitudinem particularem, sed vniuersalem duntaxat. Confirmare hic oportet ea, quæ diximus illius autoritate: rationem quidem non afferam, quoniam compertum est omnibus, eundem affectum, qui in toto gignitur corpore, posse etiam in determinata quapiam particula generari. Is itaque, dum de plenitudine disserit, hæc habet: Cauendum præterea erit, ne particula illa decliuis fuerit, neue paulo ante cæteris vehementius mota.] declarauerat prius, venarum tumorem indicare plenitudinem, quo ad vasa, sed monet, ne particula, quæ plenitudinem pati dicitur, fuerit decliuis: quia propter decliuitatem tument venæ, neve vehementius mota, quia similiter mota facit eundem tumorem. Cur igitur, si non admittitur particularis plenitudo, inquit, [ne particula illa fuerit decliuis;] & parum infra ait: Plenitudinis autem species, vbi in vniuersum illa corpus dispergitur, his notis sunt distinguendæ;] sed quam ob causam, si à Galeno non admittitur, nisi plenitudo vniuersum corpus occupans, dixit: [si in vniuersum corpus dispergitur?] Hæc enim verba manifestissime indicant, aliquam adesse plenitudinem, quæ nō dispergitur in vniuersum corpus, & supra docens, quomodo grauitas sit nota plenitudinis vires respicientis, clarissime significauit, localē plenitudinem admit-

admittendam esse. Sic enim ait: Nam si in aliqua particula, quæ sensu prædita sit, vlla humorum multitudo aggregetur, in eâ statim grauitatis sensus quoque excitatur: nam quotiescunque pondus loco alicui insederit, ibi etiam humorum multitudo aggregabitur. aliâ quidem essent loci, quibus hoc ipsum confirmare possem, sed quoniam in re manifestissima amplius immotari pudet, pro multis hi sufficiant. Potius autem id obiter adnotemus, quomodo dixerimus plenitudinem esse communem affectum, tum venarum, cum habitus corporis. Dicimus igitur, quod plenitudo primo, ac principaliter est affectus quidam venosi generis, vt colligere est ex definitione plenitudinis, quam supra declarauimus. Sanguis in venis primum abundat, & hæ primum copia tument, distenduntur, disrumpuntur, aggrauantur: ab his tamen secundo quodam ordine est habitus corporis. Porro cum in hoc ipso constiterit plenitudo, præsupponit plenitudinem adesse primum in venoso genere: quæ vero in venis, aut totius corporis, aut determinatæ particulæ consistit, non ex necessitate ponit habitus corporis.

CAP. VII.

De differentiis & speciebus plenitudinis.

AGAMVS nunc de speciebus plenitudinis, quæ sane parum recte à Medicis recentioribus explicatæ sunt. Sciendum est itaque, tot esse species plenitudinis, quot sunt modi quibus contingit, sanguinem ipsum supra mediocritatem augeri. Porro autem hoc tripliciter accidit, vno quidem modo cum omnes humores veteri seruata proportione adaugentur. quem sane modum omnes Medici admittunt: est enim modorum omnium communissimus, atque diuulgatissimus, & nunquam à Galeno, cum de plenitudine agit, prætermissus: quamuis multoties alios sub silentio pertranseat. hic ille est vniuersalissimus plenitudinis modus, de quo supra ex eius viri autoritate in methodo medendi, in libro de plenitudine, ac de compositione medicamentorum localium locuti sumus. altera vero est, quotiescunq; purior sanguinis portio supra mediocritatem suam naturæ limites iam egressos nimium abundauerit, reliquis autem tribus partibus eodem modo sese habentibus. nam quemadmodum potest aliquispiam humor citra sanguinem augeri; sic profecto nihil impedimento esse potest, quin sola purior pars sanguinis, reliquis ne minimum quidem auctis, increscat. Hunc sane plenitudinis modum Galenus exposuit libro de compositione medicamentorum local. cum ait: Fit autem plenitudo quatuor humoribus ex æquo auctis; aut etiã solo sanguine. Nam cum alius quispiam humor redundauerit, veluti est pituita, flaua bilis, itemq; nigra, eiusmodi auctionem, siue redundantiam non plenitudinem, neque simpliciter multitudinem, sed cum appositione pituitæ, aut flauæ bilis, aut nigræ in corpore factam multitudinem dicunt.] Hæc ille. non admittunt hunc plenitudinis modum recentiores quidam Medici in suis institutionibus: eundem enim esse putant cum superiori. Illorum verba sic habent: Neque est cur aliquem turbet, quod hoc loco plenitudinem etiam esse tradat, vbi solus sanguis supra modum, aut proportionem augetur; nam, vt paulo ante est cõmemoratum, sanguinem venarum intelligit, qui purus non est, & simplex, sed alios etiam humores sibi permistos obtinet. Quod plane confirmat, quæ ipsemet Galenus in libro de plenitudine scribit, vbi inquit: Fieri haud potest, vt vnquam in venis tam exquisitus, sincerusq; sanguis contineatur, vt nihil vel bilis, vel pituitę, vel serosę humiditatis inseratur. Vnde & ego in superioribus idem intelligendum esse volui, siue humores, siue sanguinem abundare dicerem; quippe immistus, & ab aliis humoribus sincerus sanguis nunquam in venis continetur.] Hęc illorum verba, & opinio. quæ profecto mihi nunquã satisfecit; primum quia, vt iam diximus, cum Galenus inquit. [aut solius sanguinis] manifestissime segregate videtur puriorem sanguinis partem, à massa sanguinea, quatenus pro humoribus omnibus intelligitur. Demũ vero, quemadmodũ

poſſunt aliæ ſanguinis partes, vt bilis flaua, pituita, & atra bilis, non adaucto ſanguine increſcere, cur ſimiliter non poterit purior pars ſanguinis incrementum capeſcere, aliis humoribus permanentibus intra limites naturæ ſuæ? Cæterum poſſe augeri alios humores in venis non aucto ſanguine, vnum ex iis eſt, quæ manifeſtiſſima ſunt apud omnes, & ex Galeni verbis, quę infra referemus, clariſſimũ fiet. Item cauſam non aſſequuntur, propter quam non ſit plenitudo, cum ſanguis purior duntaxat augetur: quia, inquiunt, ſimplex in venis, atque impermiſtus non eſt ſanguis. fateor, quid tum poſtea? non poterit purior ſanguinis pars augeri reliquis non adauctis, aut ſi poterit, non erit plenitudo? Hoc equidem ſequi non videtur. Nam mihi ſimiliter dabitur ratiocinandi locus contra Galenum, atque contra experientiam ipſam; quia ſcilicet flaua bilis, aut tenuior ſanguinis pars nunquam in venis eſt impermiſta, & ſimplex, atq; augeri non aucto ſanguine non poterit, ac idem eſſet de reliquis humoribus iudiciũ. Quid, inquiet fortaſſe aliquis? hæc eſt Galeni ratio, libro de plenitudine. Ego vero inquam cognoſcere me Galeni rationem; & quamuis abſurdum non fuerit hũc autorem aliquando reprehendere, hac tamen in parte vt in aliis fere omnibus recipimus & approbamus. Sed eius ſententia in hunc modum habet, quod idem ſignificat, ſanguinem dicere, atque omnes humores, quia ſanguis non eſt ſimplex, impermiſtus, & ſincerus in venis; ſed ſemper cum tribus humoribus confuſus. Harum igitur propoſitionum idem eſt ſenſus. Sanguis auctus eſt: omnes ſucci aucti ſunt. At non eſt idem ſenſus harum propoſitionum. Omnes humores aucti ſunt: ſolus ſanguis auctus eſt. Quia dictio hæc [ſolus] & dictio diſiunctiua [aut] qua Galenus vtitur, diſtinguunt puriorẽ ſanguinis partẽ à maſſa ſanguinea; quod autem hæc fuerit mens Galeni, ex ipſiuſmet verbis infra clariſſime docebimus. Sed hęc ſatis de ſecunda ſpecie plenitudinis. Quod autẽ ad alteram pertinet, ſciendum eſt, poſtremam eſſe, cũ vnus quiſpiam humor ex iis, qui in venis cõſiſtunt, ſupra veterem proportionem auctus fuerit, ſed non ſolus verum ſimul cum ſanguineæ partis incremento. Quod dixi de vno ſimplici humore, idem ſane de duobus intelligendum venit. Eſt enim idem in vtroq; caſu iudicium. Hunc plenitudinis modum Medici fere omnes recentiores ignorauerunt; quem tamen manifeſtiſſime Galenus expreſſit his verbis. Sed cum, aut cuncti pro veteri proportione aucti fuerint, aut vnus ex eis breuem quendam ceperit exceſſum; poteſt ergo ſanguis in plethoricis diſpoſitionibus exceſſum ampliſſimũ adipiſci: nullus aliorum poteſt, humorum enim prauitas id genus, non etiam multitudo, neq; plethora nominatur.] & paulo infra. Opus tamen eſt vt in ſingulis horum humorum, ſimul ſangnis augeatur, alioquin non plenitudo aut plethora, ſed cacochymia potius dicenda venit.] His quidem verbis clariſſime ſignificauit tertium hunc plenitudinis modum, cum ſcilicet vnus quiſpiam humor mediocriter ſupra ſuam proportionem auctus fuerit. Cauſam vero addidit, cur is [mediocrem exceſſum] dixerit: quoniam hi nimirum augeri nequeunt, & ſuam, quam à natura bonitatem habent, conſeruare. Secus autem dicendum eſt de puriori ſanguinis parte; quoniam is poteſt maximũ aſſumere incrementum. Verum quia humores dupliciter augeri in venis poſſunt: vno quidem modo citra ſanguinis auctionem, quod in cacochymia potiſſimum contingit: alio modo cum ſanguinis incremento: hic modus eſt plenitudinis à nobis declaratus. Ergo quoniam plenitudo eſt ſanguinis ſupra mediocritatem incrementum, hoc vero fieri tripliciter poteſt, vel cum omnes humores æqualiter augentur: vel cum ſola purior eius pars increſcit aliis non adauctis: vel cum ſimul cum ſanguine aliquiſpiam humor mediocrem exceſſum ceperit, idcirco ab hiſce tribus incrementi modis tres emanant, vt dictum eſt, plenitudinis ſpecies. Hoc autem loco addere oportet, quid recentiores quidam Medici, qui noſtro tempore floruerunt, & artem medicam ſuis laboribus non parum illuſtrarunt, de hiſce plenitudinis ſpeciebus tradiderint. Hi duplicem eſſe plenitudinem dixerunt: aliam ſane ſimpliciter dictam; aliam vero ſecundum quid. Priorem vocant, cum omnes ſucci ęqualiter augentur, aut etiam ſolus ſanguis: poſteriorem

ſteriorem autem, cum aliquiſpiam humor augetur ſimul cum ſanguine: hanc vero denominationem deſumere à prædominanti humore, prout is fuerit aut bilioſus, aut melancholicus, aut pituitoſus, ab horum nomine eſſe plenitudinem ipſam nuncupandam. Verum, profecto hic multa ſunt, quæ mihi parum ſatisfaciunt, quamuis admittam diſtinctionem ab illo propoſitam de plenitudine exacta, & nota, ſiue ſecundum quid. Primum quidem, quia vbicunq; ſanguis ſupra veterem proportionem auctus fuerit, ſemper plenitudo exquiſita eſt, ac dicitur: ſiue ſolus ſanguis adauctus fuerit, ſiue ſimul cum aliis humoribus: permiſtio enim aliorũ humorum cum ſanguine non facit, quod plenitudo ſit ſecundum quid, ſiquidem ea, quæ ſimpliciter (eo autore) dicitur, eſſet vocanda plenitudo ſecundum quid, & cum additione. Præterea ſi audiunt incrementum humorum cum ſanguine, quod ſcilicet illi duntaxat aucti ſint: ſanguis autem minime, ſed tamen ſint ſimul cum ſanguine confuſi, ea quidem non eſt dicenda plenitudo ſecundum quid, ſed malus ſuccus, & cacochymia, vt Galenus auctor eſt, tum lib. de plenitud. tum lib. 13. Methodi medendi. At vero ſi intellexerint, ſanguinem etiam cum aliquo ex prædictis ſuccis adauctum, opus eſt, vt hanc ſimul cum aliis plenitudinem ſimpliciter vocemus, quę res confirmatur, quia Galenus, quem tamen is auctorem ſequitur, ne minimum quidem habet in confirmationem opinionis huius, placet hic referre eius verba, vt propoſita tractatio careat omni difficultate. Sic enim inquit: Nihil eſt igitur, quod neq; tumorum ſigillatim ſpecies, neque cacochymiæ hoc ſermone cupias audire; ſed cum aut cuncti pro veteri portione aucti fuerint, aut vnus ex eis breuem quendam ceperit exceſſum.] deinde vero declarans, cur dixerit: [breuem quendam exceſſum] addit. Poteſt ergo ſanguis in plethoricis diſpoſitionibus exceſſum ampliſſimum adipiſci: nullus autem aliorum poteſt. Humorum enim prauitatis id genus, non plenitudo, neq; plethora nuncupatur. Eam obrem pulſus quoq; in cacochymiis propriis ad amuſſim ſunt humorum notæ, in ſupradictis vero multitudinibus non perinde euidentes ſeruant differentias, quoniam ſuperfluens humor omnino cum copioſo ſanguine eſt.] Hęc Galenus. Ex quibus colligere eſt, differentiam aliquam eſſe veræ plenitudinis (non ſecundum quid dictæ) cum vnus humor breuẽ exceſſum acceperit ſimul cum ipſo ſanguine. Verum, quia dixerat, plenitudinem eſſe, cum aliquiſpiam humor breuem quendam exceſſum acceperit, ne plenitudinẽ & cacochymiam inuicem confundere videretur, voluit explicare, quomodo vnius humoris abundantiam intelligat, ſic enim inquit: Porro ſingulis iis, quos enumerauimus, iuxta ſanguinem quoq; oportet augeri: nam ſi flaua bilis aliquando ſola, vt in ictericis, ſuperauerit, talis affectus, non plenitudo aut abundantia, ſed cacochymia, hoc eſt, humorũ vitium eſt, idem quoq; in atra bile & pituita.] Non conturbent autem nos Galeni verba, quibus is diſtinguens ſigna differentiarum plenitudinis, videtur ſolum in medium afferre ſigna, quæ dominium ſignificant ſimplicis humoris citra ſanguinem. Verba in hunc modum habent: Verum, ſpecies multitudinis cum ſcilicet in totum corpus porrecta eſt, diſtingui hac ratione conuenit. Ruborem præ ſe fert ſanguinis copia: flaua bilis pallorem; pituita, vbi dominatur ad albidius, quam natura poſtulat, vt ſi potior ſit atra bilis, ad nigrius declinat.] Nam his verbis voluit diſtinguere ſpecies plenitudinis à ſignis propriis, quæ hoc modo ſunt intelligenda. Primum vero omnium hoc ſciendum eſt, quod in hoc conueniunt omnes plenitudines, vt ruborem præ ſe ferant, niſi humores alte occubuerint; verum hic rubor aliquando magis, aliquando minus apparet; magis quidem euidens eſt in ea, in qua omnes humores fuerint æquabiliter aucti, atq; in ea ſimiliter, in qua ſolus ſanguis redundauerit. In aliis minus apparet, in ea, in qua ſanguis ſimul cum pituita abundat, color ad albidius vergit, id eſt, apparet quædam rubedo ad albedinem decliuis, & flaua bile cum ſanguine redundante, ſeſe offert nobis rubedo permiſta cum palliditate: & melancholico ſucco ſuperante alios humores, rubedo quædam conſpicitur permixta nigredini. Hic certe ſenſus eſt verborũ Galeni. Hucuſq; igitur diximus, quid ſit plenitudo, quot plenitudinis ge-

nera, quomodo fiat. Cæterum, ne quid tractationi noſtræ deſit, methodo diuiſiua, omnes differentias atq; ſpecies plenitudinis inuenire conſtituit à ſummo genere in hunc modum exorſus. Statuamus vniuerſaliſſimum genus Latinis eſſe abundantiam, Græcis vero πλησμονὴν, aut πληθώραν. Hæc igitur in vniuerſum eſt duplex: quædam eſt mali ſucci redundantia, quam Græci, vt ſæpe diximus, vocare ſolent κακοχυμίαν, de qua nihil eſt agendum hoc loco, cum ad noſtrum inſtitutum non pertineat. Alia eſt abundantia boni ſucci: hanc Græci vocant, vt prędiximus, πληθώραν καὶ πλῆθος. Solus autem ſanguis boni ſucci nomen per excellentiam meretur. Duplex afferri ſolet eius genus: vnum, quod exacta dicetur plethora: aliud autem notha; atq; illius etiam genus duplex eſt: vnum ad vaſorum capacitatem relatum, quod vocant πρὸς ἀγγεῖα: aliud ad facultatem & virtutem, dictum ab eiſdem πρὸς τὴν δύναμιν. Ex quibus tertium etiam eſt à nobis conſtitutũ, ex vtroq; mixtum. Porro horum ſingulorum primum diuiditur in ſpecies tres, prout ſunt tres modi, quibus contingit ſanguinem adaugeri: horum vnus eſt, quando omnes ſucci in venis conſiſtentes, veteri ſeruata proportione adaugentur, qui modus tum à Galeno, tum ab omnibus Græcis frequentiſſime recenſetur: alius, quando purior ſanguinis pars ſupra tres reliquas incrementum ſumit: tertius vero, cum ſimul cum ſanguinis ſinceriotis incremento vna ex aliis partibus, aut duæ ſanguinis increſcunt. Ex hiſce autem ſpeciebus quælibet aut totum corpus inuadit, ac propterea vniuerſalis dicitur, eſtq; maxime propria plenitudinis ratio; aut determinatam aliquampiam partem, vt cerebrũ, iecur, phlegmonemve alicuius loci. Rurſus quædam aut in ſolis conſiſtit vaſis, vt venis & arteriis: aut etiam ſimul habitum corporis obſidet, vt carnes. in hunc modum habere videtur mihi diuiſio plenitudinis exactæ. Quæ vero non exacta dicitur, eſt, quæ fit ex plenitudine & cacochymia ſimul. Quando igitur aut in venis, aut extra venas (ex quo duæ reſultant differentiæ plenitudinis nothæ) malus ſuccus permiſcetur ſanguini, aut alibi continetur, duplex affectus adeſt ſpecie diuerſus. Nuncupatur plenitudo ex maiori ſanguinis abundantia: non exquiſita vero ob malum ſuccum, qui ſi ſanguinem ſuperaret, fieret notha κακοχυμία. Hoc autem modo nos plenitudinem cacochymam admittimus, & cacochymiam plethoricam, vt alio in opere declarauimus. Hinc dici ſolet, aliquam plenitudinem eſſe biliosam, aliquam melancholicam, aliquam pituitoſam, & aliquam ſeroſam. Quando ſcilicet humores excrementitii in venis fuerint cum ſanguine permiſti: Permiſtio hæc non eſt ſanguinearum partium, vt dictum fuit, ſed humorum à ſanguinis natura diſtantium, à quibus tanquam à propria materia cacochymia procreatur: idem faciundum eſt iudiciũ, ſi extra venas malus abundauerit ſuccus. Sed ne videar nouam afferre in medium complicationem horũ affectuum ſpecie inter ſe diuerſorum, id perſuadere volo Galeni autoritate. Hic habet lib. 4. de ſanit. tuend. cap. 2. hæc verba: Tertium autem laboris genus phlegmonodes ſcilic. in plethora ſimul, cum prædicta fit cacochymia.] hic locus eiuſcemodi complicationem aperte docet, quando cacochymia extra venas conſiſtit. Quod vero poſſint mali ſucci in venis etiam adaugeri ſimul cum plethorica diſpoſitione, eſt (meo iudicio) adeo notum, vt nulla indigeat explanatione. Hoc Galenum voluiſſe ſcio in 4. lib. Methodi medendi, cap. 6. quando dicebat: plenitudinem aliquando ſanari balneo, aliquando frictione, nonnunquam digerentibus medicamentis, & aliquando purgatione, vt in quadam epiſtola ad Iulium Pichinum Medicum apprime doctum ſcripſiſſe memini. Porro, plenitudines omnes iam enarratæ magnam habent in eo, quod magis & minus, latitudinem. Etenim cum omnis plenitudo ſupponat quantitatis incrementum, non eſt hoc ipſum in vnaquaq; ſpecie æquale. Idcirco quædam erit plenitudo parua, quædam magna, quædam mediocris: rurſusq; in vnaquaq; ſua aderit latitudo: vt magna plenitudo dicetur tripliciter: quædam enim eſt magna ſimpliciter, quædam maxima, quædam mediocris. Adhæc vero plenitudo πρὸς τὴν δύναμιν, cum virtutem imbecillam ſupponat, quæ à leui copia maxime grauatur, hic etiam aderunt ſuæ differentiæ penes gradus & latitudinem imbecillæ virtutis &

grauitatis, quas vt omnibus notissimas minime persequor. Addo tamen, tanquam maxime vtile nostræ huic tractationi, multitudinem duobus adhuc modis considerari posse: vno, quatenus est in actu: alio, quatenus potestate; futura est actu quidem aliquando, talis nuncupatur, cum humores actu in venis, aut habitu corporis, aut alia qualibet particula supra naturalem mediocritatem redundauerit. Aliquando facultate & potentia dicitur, vt cum ex suppressis mariscis, vel menstruali sanguine, vel alia consueta euacuatione plenitudinem certo exspectamus: aut etiam cum humoribus omnibus fluentibus ad determinatam particulam veremur loci illius plenitudinem. Sed de proposito negotio satis diximus; quæ placet, in sequenti schemate in iuniorum gratiam describere.

- *Abundantia, quam Græci dicunt πληθώραν, vel πολυχυμίαν, est duplex:*
  - *Boni succi proprie vocatur illis πληθώρα, vel πλῆθος, Latinis plenitudo.*
    - *Exacta, siue simpliciter dicta. Huius genera tria sunt: duo simplicia, vnum mixtum.*
      - *Ad vasorum capacitatem: & triplex est, aut*
        - *Solo sanguine aucto*
          - *Vniuersalis.*
          - *Particularis.*
          - *In solis vasis.*
          - *In vasis & carnibus.*
        - *Omnibus humorib. auctis*
          - *Vniuersalis.*
          - *Particularis.*
          - *In solis vasis.*
          - *In vasis & carnibus.*
        - *Sanguine puro aucto cum vno, aut duobus ex aliis*
          - *Vniuersalis.*
          - *Particularis.*
          - *In solis vasis.*
          - *In vasis & carnibus.*
      - *Ad vires, quæ pariter est triplex:*
        - *Solo sanguine adaucto.*
          - *Vniuersalis.*
        - *Omnib. humoribus æque adauctis*
          - *Particularis.*
        - *Solo sanguine cum vno aut duobus ex aliis.*
          - *In solis vasis.*
          - *In vasis & carnibus.*
      - *Ad vasa & vires simul.*
        - *Easdem cum superiori differentias recipit.*
    - *Non exacta, siue notha plenitudo, de qua sequenti pagina hoc asterisco **
  - *Mali succi κακοχυμία Græci vocant, de qua vide librũ nostrũ de Cacochymiæ curatione.*

- ** Non exacta, siue notha plenitudo est, quæ miscetur cum cacochymia: id contingit, aut*
  - *Dominantibus bonis succis vocabitur plenitudo secundum quid, & est duplex:*
  - *Dominantibus malis succis vocabitur cacochymia secundum quid.*
    - *Cum cacochymia extra vasa.*
    - *Cum cacochymia intra vasa, quæ easdem recipit diuisiones: Ab humoribus. A partibus.*
      - *Biliosa*
        - *Vniuersalis.*
        - *Particularis.*
        - *In solis vasis.*
        - *In vasis & carnibus.*
      - *Melancholica.*
        - *Vniuersalis.*
        - *Particularis.*
        - *In solis vasis.*
        - *In vasis & carnibus.*
      - *Pituitosa*
        - *Vniuersalis.*
        - *Particularis.*
        - *In solis vasis.*
        - *In vasis & carnibus.*
      - *Serosa*
        - *Vniuersalis.*
        - *Particularis.*
        - *In solis vasis.*
        - *In vasis & carnibus.*

Hac ratione plenitudinis easdem recipit differentias: ratione autem cacochymiæ diuersitatem recipit ab iis fontibus petitam, de quibus libro de cacochymia ad plenum dicemus.

CAP. VIII.

De communibus signis plenitudinis.

EXPLANATIS omnibus, quæ ad naturam, genera, differentias atq; species plenitudinum pertinebant, nunc ad signorũ tractationem accedamus. Quia vero ab vniuersalibus exordiri oportet, doceamus primum signa plenitudinis in genere, mox autem sigillatim de reliquis pertractabimus. Statuendum est itaque, communia signa sumi à causis plenitudinis, atq; etiam à quibusdam symptomatis causæ rationem subeuntibus. Quia diximus, omnem plenitudinem esse incrementum sanguinis, quæcunque inueniri poterunt causæ sanguinem adaugentes, eæ quidem tanquam signa reputanda sunt, si tamen fuerint conspicua: hoc enim postulare naturam signorũ constat. Primo loco est consulenda victus ratio, quæ si fuerit eusarca & liberalis, alimentorum scilicet optimum & copiosum simul sanguinem generantium, statim opus est in suspicionẽ incidere, hominem affectum pati à plenitudine genitum: præsertim vero si continenter, nullaq; fame cogente, vsq; ad satietatem sese ingurgitare consueuerit. Quibus accedit vita iners, & otio dedita: balnei vsus immoderatus, præsertim à cibo: hominis

minis optima constitutio: vt temperamentum calidum, & frigidum, aut etiam temperatum: naturæ quædam proprietas ad sanguinem gignendum accommodata: anni tempus vernum: regio, & cœli status æqualis, temperataque. Hæc enim vbi simul cum iis adfuerint, videbuntur coniecturam certiorem facere. Sed inter signa communia duo sunt multo magis certa: horum vnum est excrementorum suppressa vacuatio, non quorumcunque, sed duntaxat eorum quæ sub sanguinis specie educuntur: vt si menstruæ purgationes ante statutum tempus fuerint retentæ, aut consuetæ hęmorroides fluere destiterint: aut sanguis ex naribus amplius non stillauerit, satis euidens est coniectura, sanguine suppresso, qui consueuerat vacuari, multitudinem fuisse adauctam. Aliud est, si membrum aliquodpiam fuerit mutilatum affatu dignum, vt brachium, aut crus, opus est sanguinem in reliquum corpus non mediocriter augeri. Cum enim eadem generetur quantitas, quæ prius, tamen non eadem fiat distributio, oportet plurimum eius in reliquis partibus cumulari. Sed quia hæc in vniuersali explicasse non sufficit, de particularibus agamus.

Cap. IX.

Aduersus eos, qui parum recte distinxerunt signa plenitudinis, quo ad vasa.

Expedit incipere à plenitudine quo ad vasa, cuius inuestigantes nonnulli signa, dixerunt duo esse certissima: vnum est tumor corporis totius: aliud venarum tensio. Sed videntur mihi scripsisse de hac materia satis inconsiderate, quia neutrum est huius, de qua agimus, plenitudinis proprium. Non tumor, quia nihil prohibet, vt etiam indies experientia manifestum facit, carnes, adipem, & quæ Græci περιμυχώματα dicere solent intumescere citra venarum satietatem, & quinimo videbis quamplures perpingues, in quibus venæ admodum sunt exiles, ita vt parum sanguinis contineant, quæ res indicat corpora eiuscemodi esse frigida, & exanguia. Neque rursus tensio proprium signum statuendum est, quia vbi artus tenduntur ex labore, sanguis inuadit ambientes partes, etiam in iis, qui modico sanguine abundant. Constat ex his neque tumorem corporis, neq; tensionem signum esse certum huius plenitudinis. At fortasse dicent tumorem vasorum, eorundemque tensionem indicare hunc affectum. Sane multo rectius sentirent, sed neque sic bene sentiunt, nisi distinctionem adhibeant, quemadmodum nunc ex Galeno sum ostensurus. Ponamus partes interiores, & earum vasa plurimum incalescere, partes exteriores, aut eodem modo sese habere, quo prius: aut etiam redditas esse frigidiores: quæ in conspicuo partes sunt, nullum quidem in vasis tumorem, nullamq; tensionem ostendent: solũ aderit tensio & tumor in vasis occultis. Hoc igitur in casu quod signum multitudinis apparebit? Rursus etiam ponamus contrario modo affectas esse partes, nempe externas, aut exercitatione, aut balneis, aut aere calidiori, aut aliqua eiuscemodi causa vehementi esse præter naturæ modum calefactas: necessarium fuerit ad illas sanguinem copiosum confluere, venas intumescere, & tensionis molestiam pati, cum in internis nihil horum contingat, quę res est contra naturã plenitudinis, quę postulat ęquale incrementum in omnibus vasis. Hæ duæ sunt Galeni ratiocinationes, quibus vult ostendere ex simplici tumore, ac tensione vasorũ non esse colligendum, corpus plenitudine laborare. Addit pręterea, aliam in cap. 8. & decimo libri de plenitudine: nempe, quod etiamsi in vniuersi corporis vasis adsit ęqualis tumor, & tensio, haud tamen sufficienter demonstrari posse multitudinẽ: quoniam cum fieri possint à flatuosa substantia sanguine ob caloris ęstum diffuso, aut etiã ab humiditate serosa, nihil certi possumus colligere ex hisce duobus symptomatis: cur enim magis à sanguine, quam à flatu habere originẽ dixeris? Porro in eorum, quæ supra diximus confirmationẽ audire oportet Galeni verba, quæ sic habent: Hallucinantur etiã, qui inter plethorica indicia carnis tumorẽ reponunt.] & parũ infra

dicebat. Carnis autem & adipis moles eorundem multitudinem indicabit, non tamen plethoricæ plenitudinis, quæ desideret euacuationem, signum existet.] Adde, quæ libro de curatione per missionem sanguinis dicebat, corpora scilicet pinguia exiguum sanguinem habere, & venas admodum exiles. Quamobrem constat neq; ex tumore ac tensione, aut corporis, aut vasorum, citra distinctionem colligi posse, adesse multitudinis affectum.

CAP. X.

De propriis signis plenitudinis, πρὸς ἀγγεῖα.

NVNC vero, quibus distinctionibus vtendum sit, secundum Galeni doctrinam explicemus. Primo loco est à nobis considerandus color, tanquam signum quoddam proprium & inseparabile vniuscuiusque plenitudinis, nisi tamen humores alte accubuerint. Cutis enim color indicat humores corporis, vt Galenus testatur in commentariis Aphorismorum, & libri de humoribus: possunt tamen tam profunde contineri, vt ab hoc signo, nisi alia conueniant, aliquid certi nequeat desumi. Quia igitur sanguis rubeus est, colorem adesse rubeum oportet. Atq; hic denuo distinctione indigemus. Dupliciter contrahi potest rubedo: vel à causis internis, vel ab externis, vt à solis æstu, à balneo, ex immoderata exercitatione, ex calore, ex ira, ex verecundia, & ex aliis eius generis causis. Si externæ concurrant causæ, signum necessarium non est: at si ab internis duntaxat proficiscatur rubedo, qua totum corpus æquabiliter sit affectum, euadet tunc signum sanguineæ multitudinis. Hic etiam communia signa supra explanata in memoriam sunt reuocanda, ex quibus iam certiores facti sumus sanguinis ipsis in vasis adesse incrementum, cum horum omniũ syndrome. Sed si tumorem addideris venarum conspicuum & insignem, atq; tensionem, iam amplius nullus dabitur tibi dubitandi locus. Haud abs re diximus tumorẽ conspicuum & insignem,] quia sic distinguitur à plenitudine ratione potentiæ, in qua adesse tumorem aliquem oportet in venis, quia sanguinis incrementum sequitur, vt dictum fuit. Nequit autem sanguis augeri supra mediocritatem, quin intumescant venæ, sed in hac plenitudine non adest tumor conspicuus, neque tensio sensibilis: at in ea, quæ respicit vasa, ingens adest, imo quanto fuit maior, tanto magis hanc significabit plenitudinem. Tumor igitur atq; tensio sunt signa plethorica, vbi corpus ita se habuerit, vt neque interna externis, neque hæc illis caleant magis: neque præterea calor immodicus vniuersum corpus detineat. Cauendum etiam erit, ne particula decliuis existat: neve paulo ante, cæteris vehementius mota: in summa vero indicatur vasorum plenitudo, si omnes corporis partes eandem constitutionem obseruauerint, idq; cum mediocri calore: & alia simul sunt hic animaduertenda, quorum supra ex Galeno meminimus. Quibus adhuc addere conuenit venarum amplitudinem. Namq; si sanguinem immodicum coaceruant, venæq; multum tenduntur, opus est amplas venas existere. Qui enim fieri posset, vt tantam sanguinis copiam possint recipere? Pulsus etiam motio digna est consideratione ob mutuũ consensum, quem habent simul venæ & arteriæ. Est enim pulsus plenissimus propter ingentem sanguinis copiam: est velox & maximus ob virtutem validissimam, cum hæc plenitudo vires necessario minime respiciat.

CAP. XI.

Signa plenitudinis, πρὸς τὴν δύναμιν.

DOCEAMVS nunc signa plenitudinis, quo ad vires: pro qua cognoscenda illud primum facere fidem videtur, grauitatem, & ad motum pigritiem ab ægroto percipi. Non tamen propterea quotiescunq; pondus alicui loco insideat, ibi etiam consequitur, hanc humorum multitudinẽ aggregari, quandoquidem si facultas sit imbecillior, poterit vel ex ipsismet solidioribus membris grauari: quem-

quemadmodum in corporibus resolutis fieri cernimus, in quibus propter paralysin imbecillioribus redditis musculis, perpetuo insignis grauitas percipitur, ita tamen vt resolutus musculus sibiipsi minime grauis videatur. Quocirca minime potest exquisite dignosci, quid sit id, quod primum grauet, nisi inprimis sciatur id, quod primum in nobis vnamquamq; mouet particulam. Ad quod quidem (ait Galenus) virum in discernendis potentiis, quæ nos gubernant, peritus, tum in anatome exercitatus desideratur. Verum contemplari etiam oportet, an simul cum grauitate adsint eæ causæ, quæ sanguinis incrementum ostendunt. Nam quamuis in hac non sit necessarium vasa in tumorem attolli, sensibus conspicuum, atq; maximam pati tensionem, ego tamen sine aliquo tumore & aliqua tensione fieri hanc non posse, vix mihi persuadere possum: quoniam sanguinis cum adsit multitudo supra mediocritatem, opus est venas aliqua ex parte intumescere & tendi, licet aliquando sit adeo obscurum, vt sensibus percipi non possit: cum hoc tamen stat, mea sententia, vt aliquando etiam aliquem conspicuum tumorem liceat obseruare. Propterea nunquam potui illorum opinionem admittere, qui dixerunt, in huiuscemodi plenitudine venas exinanitas esse, ac in seipsas veluti contractas. Id enim naturæ rei adeo repugnat, vt mihi videatur superuacaneum refellere. Statuamus igitur non esse à rei substantia alienum in plenitudine, quoad vires aliquando tumorem in venis aliquempiam ac moderatam tensionem apparere posse. Hac de causa præcedent, quæ copiam sanguinis adaugent, licet non multæ causæ, neq; multum validæ. Aliud postremo notandum est, non insequi plenitudinem, quo ad vires morsum & acrimoniæ sensum in corpore perceptum, hic enim sensus vlcerosus à Galeno nuncupatur, nam hic affectus continuo imitatur malum succum, & nunquam est cum plenitudine coniunctus, quando plenitudinem simplicem intelligimus. Iure igitur libro de plenitudine, cap. 6. Galenus arguit Erasistratum, ex sensu vlceroso iudicari plenitudinem ad vires asseuerantem. Atque hæc pauca volui dixisse de proposito argumento. Plura enim mihi non suppetunt in re tam obscura, de qu pauca admodum scripserunt antiquiores.

CAP. XII.

Signa aliarum plenitudinum.

QVI cognouerit plenitudinem ad vasa & ad vires, hic etiam facile cognoscet permixtum ex vtraq; affectum. Eam, in qua adaugentur singuli humores cum abundantia sanguinis præter communia signa, de quibus hactenus diximus, color apertissime ostendit. In sanguinea color adest admodum rubeus: in biliosa rubeus flauescens apparebit: pituitosam albescens: melancholicam nigricans attestabitur rubedo. Quibus per vniuersum corpus apparentibus, niuersalem adesse plenitudinem: in determinata vero parte particularem, significabitur, quemadmodum contingit in phlegmone cerebri, iecinoris, ventriculi, renum, aliarumq; partium, tam internarum, quam externarum. Fit enim phlegmon ex confluxu sanguinis vberioris, quam ex vsu sit in affectu particula. Non conturbet autem nos, Galenum dixisse in libro de plenitudine, particulares tumores non indicare plenitudinem. Eius verba sic habent: Neq; igitur particularium tumorum, neq; vitiosi succi species in hoc sermone audire desiderandum est, sed cum vniuersi iuxta pristinam proportionem increuerint, vel exiguum quendam excessum vnus inter eos cœperit.] Hæc ille. Vides igitur, quod extra plenitudinis aleam & particulares tumores; qui in variis partibus accidunt, & vitiosi succi redundantiam reiiciendam esse. Soluemus autem præsentem dubitationem, dicentes: particulares tumores nō posse indicare plenitudinē vniuersalem, quam Galenus parū supra definiuerat, dum ait: Plenitudo est humorum in animantis vniuerso corpore redundantia: nihilominus possunt denotare plenitudinem particularem. Secundo dicimus, quod plenitudo est humorum in animantis vniuerso corpore redundantia: nihilominus possunt denotare plenitu-

dinem particularem. Secundo dicimus, quod plenitudo particularis nō indicatur ab vnoquoq; tumore, quia non ab erysipelate, non ab herpete, non a scirrho, non ab œdemate, sed ab vno duntaxat tumore, ab eo inquam, qui concitatur à sanguinis vberioris confluxu. Plenitudo vero cacochymiæ permista indicabitur ab iis signis, à quibus mali succi abundantia, aut cruditas, aut pernicies demonstrari solet, de quibus hic non ago, quia non est huius instituti. Quæ autem non solum in vasis consistit omnibus, sed etiam in habitu corporis, demonstrabitur ex mole optimæ carnis cum venarum amplitudine, tumore, & tensione. Et hic animaduertendum est, me dixisse carnem, nō adipem, aut pinguedinem: quia vbi hæc abundauerint, frigiditatis signum est euidens, atque paucum abundare sanguinem significatur. Verum hic Galeni verba facere videntur dubitationem, quæ in hunc modū habent: Hallucinantur etiam, qui inter plethorica indicia carnis tumorem reponunt] & parū infra. Carnis autem (ait) & adipis moles eorundem multitudinem indicabit, non autem plethoricæ dispositionis, quæ desideret euacuationem, signum existet.] Huic dubitationi satisfacientes, dicimus, carnis molem non indicare plenitudinem simpliciter, sed consistentem duntaxat in habitu corporis. Cuius rei causa est, quia citra venarum plenitudinem moles carnis inueniri potest, vt nos quotidie obseruamus. Duobus enim modis fieri potest carnis incrementum: vno modo cum sanguinis copia in omnibus vasis: alio modo citra venarum plethoricam. Carnis itaque moles cum rubore, & cum venarū satietate mixta, plenitudinem indicat tum vasorum, tum habitus corporis: idcirco dictum à nobis supra fuit, ex venarum multitudine haud sequi ex necessitate plenitudinem totius habitus. At hæc nunquā esse potest sine vasorū multitudine. Plenitudinem actu insinuat nobis, cum adfuerint actu ea signa, de quibus mentionem fecimus supra. Potentia vero cum suppressæ fuerint solitæ quædam euacuationes sanguinis: vt suppressis mensibus, mariscis, narium fluore, ac id genus aliis. Verum satis hæc de plenitudinis signis.

Cap. XIII.

De plenitudinis curatione.

Explicatvrvs hoc libro, quid vere indicet missionem sanguinis, in primis nonnulla in medium afferemus de curatione plenitudinis, quæ huic negotio maxime conducunt. Itaque sciendum est vtrique plenitudini, tam videlicet ei, quæ vasorum capacitatem respicit, quam ei quæ vires premit, aliquando conuenire missionem sanguinis. Nam plenitudo, quæ vires aggrauat, pemitùs venæ sectione curatur; quia cum vires eam humorum copiam ferre non possint, eorundem custodiam destituunt, atque propter hanc rationem necessario computrescunt. Recte igitur præcautum fuerit, si antea quam ad putredinem accesserint, prius vacuentur. Nam opus est continuo putredinem sequi, vbi talis fuerit plenitudo, vt Galenus in secundo Aphorismorum tradidit: Alia est quinetiam causa propter quam hoc idem præsidium administramus, nempe ratione reuulsionis. Solent enim aggrauatæ vires illos ad imbecilliores partes protrudere, sicque fluxionē facere, vt traditum est à Galeno locis sexcentis, potissimū vero libro secundo de humana natura. Sed affetamus in huiusce rei confirmationem eius autoris verba nono methodi medendi, quæ sic habent: Potest sanguis vel ita multitudine creuisse, vt aut vires premat; aut tum venas, tum arterias, vel distendat, vel findat, vel obstruat: ac in his quidem missio sanguinis vtilis est ceu euacuantium præsidiorum vna: in aliis ceu quod humorum vehementiorem impetum ad diuersam partem reuocet, aut per propinqua deriuet.] hæc ille. Ex quibus liquet in plenitudine quo ad vires necessariā esse missionem sanguinis tum ratione reuulsionis, tum deriuationis, quibus nos addimus, conuenire propter euacuationem, vt inhibeatur imminens putredo. In plenitudine autem quo ad vasa venæ sectio administranda est ratione, vt dixit Galenus, euacuationis. Hoc enim pacto nullum amplius imminebit periculum, vel disruptionis

ptionis venarum, vel repentinæ suffocationis. Quam rem docuit Galenus his verbis: Ac illud vel me tacente constat, iis præsertim qui librum de plenitudine studiose perlegerunt, quamquam & nunc quoq; à me dicetur, non esse nunc nobis de ea abundantia sermonem, quæ ad virtutem comparatur (quippe quæ non sic obstruit venarum ora, vt refrigerationem prohibeat, nec tunicas earum distendit, nec ruborem, nec tumorem invehit, multoq; minus, vel carnis, vel cutis transpirationem moratur.) verum de ea, quæ contineri à vasis vltro non valet, quæq; ob id ipsum tum prærumpere vasa, tum recludere solet, obstructionem, distinctionem, tumorem &c.] & paulo post curationem docens enumeratis eius symptomatis inquit: Ergo festinare ad sanguinem detrahendum oportet, quò venarum natura ex transpirando, ventilandoq; naturalem temperiem seruans humoribus eo, quo inter initia modo dominetur, quando si ad intemperiem versa laborabit, metuendum est ne hi putrescant.] hæc ille. Potest etiam in hac plenitudine secari vena propter reuulsionem: si quidem hæc eadem potest in partes decumbere, tumores efficere, atq; apoplexias demoliri, vt à Galeno libro de ratione curandi per missionem sanguinis scriptũ legimus. Habet autem dubitationem hoc loco magnam quid agere expediat, vbi non solum sanguis multitudine creuerit, sed etiã tali affectus putredine fuerit, quod impossibile sit amplius ad pristinam naturæ suæ bonitatem redire. Ego sane ex propriis principiis dubitationi in hunc modum satisfacio: nulla scilicet ratione conuenire missionem sanguinis, quia non est amplius plenitudo: sed humorum vitiũ, cui debetur purgatio; neq; vero hoc admirandum est, quoniam sanguis exquisite putrefactus naturam sanguinis non seruat, sed trãsit in alienam speciem. Eius enim tenuior pars in flauam bilem degenerat, (quę prima mutatio est) crassior autem in melancholiam; vt à Galeno traditum est libro secundo de febrium differentiis: idcirco vti debemus purgantibus medicamentis. Secus autem dicendum esset vbi sanguinis putredo non fuerit admodum intensa, sed leuis, & vt sic dicam, in ipso fieri: quæ videlicet possit corrigi, vt Galenus admonuit acescentium vinorum exemplo, lib. 2. Aphoris. Tunc enim quoniam adhuc multitudo est, neq; in cacochymiam degenerauit, sanguis mittendus venit. Verum de sanguinis putredine, & de ea febre, quam eius putredo concitat, multa disputauimus præter aliorum opinionem libris nostris de febribus. Docuimus hactenus cuiq; plenitudini conuenire missionem sanguinis; nunc vero consequitur, vt doceamus, an semper hoc præsidium administrare conueniat, quod etiam similiter non mediocrem affert propositæ tractationi vtilitatem.

Cap. XIIII.

Quam ob causam in plenitudine sanguinis continuo mittendus non sit.

ID autem cognoscere potissimũ licebit ex vnius quęstionis dissolutione, quam Galenus proponit. Eiusmodi autem quæstio est. An in iis hominibus, qui adhuc præsente affectu plenitudinis solita obeunt negotia, venæ sectionem semper adhibere debeamus. An autem eatenus abstinere, donec morbus aliqui spiam magnus generetur. Quæstioni satisfacerent Empirici, & præsertim Menodotus illius sectæ cultor diligentissimus, semper multitudine præsente sanguinem detrahendum nulla amplius adhibita distinctione. At Galenus id minime pronunciandum citra distinctionem voluit. Nam quæstioni respondens dicit, aut morbum aliquem magnum expectari, aut non expectari. In priori casu statim ad missionem sanguinis esse accedendum, sic enim morbi euentum præcauebimus optima sane ratione. At in posteriori, distinguere multitudinis qualitatem oportere: nam vel fit à sanguine haud multum abundante, qui que mediocrem habeat consistentiam (talem nuncupat, qui neque admodum crassus, neq; admodum viscidus existit) vel à sanguine crassiori, vel ab humoribus crudis. Si temperatus efficiat sanguis plenitudinem, non oportebit accedere ad ve-

næ ſectionem, ſed leuiora præſidia ſufficient, vt balneum, frictiones, exercitationes, & inædia. At ſi fuerit craſſus melancholicusq; ſanguis, cum per halitum digeri non poſſit, venam incidere ſaluberrimum eſt. Crudis exiſtentibus humoribus non item, quandoquidem opus eſt amplius percunctari, an multum crudi ſint, an parum crudi: & in vtroq; caſu conſiderandum, quantum valeant, robuſtaq; ſit virtus. Si multum à ſanguinis natura receſſerint, abſtinendum ab eiuſcemodi præſidio: ſi parum, valida exiſtente virtute, venæ ſectio adhibenda. Sed cur id ipſum in ſanis, non in ægrotis inquirendum Galenus propoſuit? An quia ſatis videtur manifeſtum quid ſit agendum, vbi adfuerit plenitudo cum magnitudine morbi, non ita manifeſtum, ſi citra magnitudinem morbi ſola adfuerit multitudo. Quando Empirici dicerent protinus ad venæ ſectionē accedendum, quod tamen abſolute pronunciatum veritatem non habere diximus.. Propterea ſanguinis miſſio ſuadenda eſt, tum podagricis, tum arthriticis, tum morbo comitiali obnoxiis, cum à ſanguinis vbertate naſcuntur. Ad hæc melancholicis, quique ſanguinem ante expuiſſent, aut in thorace ſtructuram ſortiti eſſent ad id malum idoneam. Præterea vertiginoſis, quiq; aſſidue corripi ſolent angina, peripneumonia, pleuritidibus, hepatidinibus, ophthalmiis vehementibus, aut (vt in ſumma dicam) magno quopiam morbo. Nam in illiuſmodi omnibus neceſſarium eſſe remedium ſanguinis miſſionem arbitror confeſtim adhibi.am, poſt habitam virium, atque ætatis rationem; hęc ſi forte aliquando non dicantur, intelligere oportet. At qui nihil eiuſcemodi aliquid perpeſſi fuerint, omniumque partium corporis inculpatam ſortiti conſtitutionem megeminam vacuationis viam proponere noſtis. Per euacuationem quidem, ſi in victu ſint intemperantes: citra hanc, ſi temperantes; licet enim frictionibus multis, balneiſque & ambulationibus, vt diximus, aliiſque eius generis celeriter plenitudinem exhaurire, ſi vtique videbitur non eſſe craſſi ſanguinis abundantia. Talis eſt, vt plurimum, maximeque melancholicus, raro vero crudorum, quos vocant, humorum. Quocirca in redundantia humoris melancholici, aut ſanguis mittendus eſt, aut purgante vtendū medicamento. Propterea vtilis eſt iis, quibus ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus multus in corpore ſanguis extiterit, etiam ſi antea grauem experti morbum non fuerint. Fieri enim poteſt, vt apti quidem ad aliquem huiuſmodi fuerint, cæterum ob hæmorrhoidum inanitionem nondum perpeſſi. Porro, ſi quæ illis partes prauam ſortitæ ſtructuram appareant, ac potiſſimum in thorace omnino eis ociſſime ſanguinem detrahes. Quia vero diximus intemperantibus vacuationem conuenire, ſciendum eſt, intemperantiam (quod attinet ad propoſitam tractationem) eſſe duplicem. Vna cum quiſpiam vtatur cibis multis, multumq; & optimum ſuccum generantibus, hæc intemperantia multitudinem ad ſummum augere poteſt, vt in habitu athletarū contingit, qui cum non poſſint in melius proficere, & non poſſint quieſcere, neceſſarium eſt, vt in deterius decidant. Nam aut vaſa præ copia ſanguinis diſtenduntur, ita vt rumpantur, aut calor naturalis ſuffocatur, aut interceptis venis, & arteriis, attoniti, apoplecticiq; moriuntur. Propterea hunc habitum ſtatim ſoluere conuenit venæ ſectione adhibita. Alia deinde in victu eſſe poteſt intemperantia, vt ſcilicet alimentis mali ſucci veſcantur, ex quibus cacochymia generetur: fiatque affectus duplex, ex diſpoſitione plethorica, ex cacochymia, cui duplex conuenit remedium. Venæ ſectio, ratione plenitudinis, & purgatio, propter cacochymiam, hæcque ambo fiunt, ſi ægrotus Medico paruerit: & par vtriuſque extiterit exceſſus: aut horum alterum fiet, ſi φλεβοτομίαν admittere noluerit: aut cacochymia fuerit multo maior, quam plenitudinis affectus. At intemperatis vtimur frictionibus mollibus: nam minime poteſt quælibet frictio multitudinem diſcutere, ſed mollis duntaxat, non dura, de quibus frictionibus Hippocrates libro tertio de iis, quæ in medicatrina fiunt, ſic ait: Dura frictione corpus ligatur, molli vero ſoluitur.] Ad hæc vero eiuſcemodi multitudo diſſoluitur etiam ambulationibus. Quia pro conditione varia multitudinis varia poſſunt adhiberi genera exercitiorum. Ambulatio non po-

teſt

test magnam discutere plenitudinem, sed exiguam potest in corporibus molli carne præditis, albis, atq; teneris, in quibus laboriosus motus colliquaret. Hic ego nomine ambulationis non idem cum exercitatione intelligo, sed quidpiam distinctum audio: quandoquidē proprie omnis exercitatio laboriosus est motus; ideo dicebat Hippocrates: Labor cibum præcedat] exercitationem nomine laboris denotans. At ambulatio omnis non est eiuscemodi motus. Adde his, quod ambulatio excipiebat exercitationem, nam postquam corpora ad sufficientiam fuerint exercitata, deambulatione vtebantur, hæcque vocabatur à Medicis apotherapeutica, vt Galenus testatur libris de sanitate tuenda: licet me nō fugiat, nomen aliquando genericum esse, sed hoc loco sumi specifice persuadet mihi primum Galenus, qui, libro de ratione curandi per venæ sectionem, docet rationem curandi exiguam multitudinem in corpore temperato victu vtente, in quo ambulatio mediocris potest optime satisfacere. Aliud etiam fidem facit, nempe quod ille addat postea, aliisq; motibus] quasi quod dicere velit, in quibusdam satisfacere ambulationes, in aliis vero, motus alii necessarii sunt validiores, quam sit simplex deambulatio. Cæterum, quomodo balneum digerens, inunctio, inedia, eiusq; generis alia, multitudinem emendare possint, nō doceo, tum quia de hac materia scripsimus in Methodo medendi, & in epistolarum medicinalium prima parte: tum etiam quia Hieronymus Mercurialis Medicus hac nostra ætate clarissimus suis libris de arte gymnastica videtur mihi omnem mouisse lapidem. Hoc solum concludo, variam existere medendi rationem conuenientem plenitudini, quoniam varii sunt illius gradus, & qualitates. Nam aliquando maxima est in vtraq; specie multitudo, aliquādo minima, aliquando medio quodam modo se habet. Rursus etiam aliquando est simplex, & exquisita, aliquando cum cacochymia permista, variasque recipiens differentias, tum à varia ratione permistionis, tum ab eo quod magis, & minus: secundum horum graduum variationem, varia præsidia adhibenda sunt: nam affectibus magnis, magna; minimis, minima; mediis vero media sunt auxilia accōmodanda: nam inuicem proportionantur, morbus, & auxilium. Ergo si aliqua tibi offertur exigua plenitudo, satisfuerit, vel inædia, vel exercitatione ipsam corrigere. at vero si maior fuerit, frictiones, balnea, atque digerentia medicamenta in vsum venient; at vbi maxima, frustra quidem tentantur hæc leuiora præsidia, sed his relictis ad ea accedere necessum est, quæ magna sunt. Sunt autem magna præsidia quam plura: in præsentiarum statuamus cum Galeno libro secundo Aphorismorum comm. 29. duo existere, venæ sectionem, & purgationem, at vero simplici existenti plenitudine & exquisita, cum minime conueniat purgatio (auxilium enim hoc debetur humoribus sua qualitate peccantibus) necessario sequitur accedendum esse ad sectionem venæ. Sic sane Hippocrates bonum athletarum habitum, cum in extremo bonitatis constiterit, & in melius proficere non possit, venæ sectione tollit. Quamobrem vbi multitudo magna fuerit, modumque & mediocritatem excesserit, semper viget indicatio de mittendo sanguine.

Cap. XV.

Quomodo intensiua plenitudine nullo discrimine, magis etiam in phlegmonode sanguis sit mittendus.

CÆTERVM, quia dictum à nobis fuit in plenitudine quo ad vasa, non esse protinus mittendum sanguinem, explananda est dubitatio ex Galeni verbis emergens, ac etiam distinctius docendum, cur dixerimus, in multitudine quo ad vires, non semper venæ sectionem conuenire. Quod pertinet ad plenitudinem quoad vasa, Galenus causam dubitandi dedit, quia libro de ratione curandi per venæ sectionem dixit: Vbi ergo extantibus plenitudinis signis valentes facultates fuerint, venam incides, videlicet si tensiua quidem fuerit affectio nullo discrimine, magis etiam si phlegmonode] in his verbis nullam fa-

cere exceptionem videtur. Respondeo, quod quando Galenus in tensiua pleni-
tudine venam esse incidendam consuluit, eo in genere haud omnem intelligit,
sed affatu dignam: hac enim de causa in superioribus admonuit, cognoscendam
esse quantitatem multitudinis. Porro idem est dicere, magnam plenitudinem
atque magnum morbum à plenitudine: quia si non ægrotet adhuc quispiam, ta-
men periculum imminet proximum, suspicioque; adest futuri mali satis euidens.
Nullo itaque discrimine in plenitudine, quo ad vasa, vbi magna fuerit, venam in-
cidito. Alioquin nisi hoc modo interpreteris contextum, vix poteris à contra-
dictionis nota Galenum vindicare. Nam quarto methodi cap. 6. & alibi admo-
nuit, non semper sanguinem mittendum esse in plenitudine, quo ad vasa (de hac 1
enim syndrome illa Menodoti intelligebatur) sed sufficere quibusdam inediam,
aliis frictionem, nonnullis digerentia præsidia, atque alia leuiora, de quibus supe-
riori capite tractauimus. Sed quid sibi volunt hæc verba? magisque etiam in phle-
gmonode?] an quod phlegmonodes plenitudo omnium maxima est. Nam hęc
vasa magis implet, magisque tendit, quam plenitudo simplex tensiua: additurque
pręterea alter affectus, vlcerosa scilicet lassitudo, cuius causa periculum nō me-
diocriter augetur. Hac de re præcauere oportet; quam citissime, vt immunem
ab imminentibus malis ægrotum reddamus; idcirco venæ sectio ad animi deli-
quium vsque exerceri debet, vt Galenus lib. 4. de sanitate tuenda manifestum fe-
cit his verbis: Sed ad reliquum & tertium lassitudinis genus, cum sponte oritur, 2
transeundum, quod in superioribus phlegmones similitudinem repræsentare
diximus, & propter doloris magnitudinem, & quod cum euidenti calore etiam
musculos in maiorem molem attollat. Hæc lassitudo ne paucis quidem horis,
nedum duobus tribusve diebus eodem tenore consistit, prout Erasistrato pla-
cet, sed statim febrem accendit vehementissimam, nisi sanguinis detractione
malo prius sit occursum, quin etiam calidissimus est in huiusmodi lassitudine
sanguis, eiusque plurimum detrahi postulant, qui ea premuntur fere omnes: non
pauci vero eorum febricitant, etiamsi sanguinem detraxeris, itaque nec cunctari,
nec parum detrahere conuenit, sed & mature educere, & nisi quid aliud vetet,
ad animi defectum vsque, optimum vero fuerit, his eodem die, si fieri potest, 3
detrahere, ac primum quidem ita mittere expedit, vt animi defectum homo
non adeat, secundo vero, ne defectus quidem ipse est formidandus, quippe qui
priore detractione resolutus est, secundam sustinere haud poterit, in hac vero
si quid tale homini contigerit, facile reuocabitur. Qui vero sic affecti sangui-
nem non miserint, ii si euaserint, vtique fortunæ beneficio id acceptum ferent:
sed nec euadent, nisi alia quapiam ratione leuentur, aut sanguinis è naribus pro-
fluuio, aut largo sudore effuso.] Hæc ille. Quæ loci huius dilucidationem affe-
runt adeo conspicuam, vt alia interpretatione non indigeat.

Cap. XVI. 4

Cur in plenitudine, quo ad vires, non sit protinus mittendus sanguis.

Diximus, crudis humoribus existentibus haud semper accedendum ad
venæ sectionem, verum adhibendam esse distinctionem, an multum, an
parum fuerint crudi, & in vtroque in casu considerandum, quantum valeat robu-
staque sit virtus. Hæc verba de plenitudine, quo ad vires intelligenda sunt, de qua
Galenus hoc modo locutus est. Sin infesta sit degrauans plenitudo, haud semper
sanguinis molienda detractio est: fieri enim potest, vt crudus per corpus colle-
ctus sit succus, in quo aduertendum diligenter est, quantum valeat robustaque 5
sit virtus, & quatenus humor ipse sit frigidus. Nam exoluta ab id genus affecti-
bus virtus, adhibita sanguinis missione in extremū malum incidere solet, vt nu-
quaquam postea restitui possit. Quod vbi euenit, periculū non leue cōsequitur,
potissimum si febris accedat statu ęstiuo, stomachoque male affecto, aut toto adeo
corpore natura molli & tēperie humido: eiuscemodi enim hominib. multa acci-

dit

dit per habitum digestio, repentinumq; animi deliquium, etiam si febris haud magna inuadat.] Horum verborum sententia est, vbi fuerit magna plenitudo, quo ad vasa, aut quo ad vires, simplex nulla affectione alia concomitante, cum magnum aliquem fore morbum liceat suspicari, nihil poterit esse impedimento, quin statim ad venæ sectionem accedamus. At si non fuerit simplex eiuscemodi plenitudo, sed crudorum humorum copiæ permista, non semper conueniet. Nam aut virtus valida est, ac humores non multum refrigerati sunt: aut imbecilla virtus est, humoresque à natura sanguinis plurimum distant: in priori casu negabit nemo præsidium: in secundo autem admittet nemo. Animaduertendum, humorum crudorum nomine varia intelligi posse, sed ne singula prosequar: dicuntur crudi humores, pituitosi à sanguinis natura plurimum distantes; dicitur etiam crudus sanguis pituitosus: qui etsi absolutam habeat naturam suam, quæ talis sanguis est, tamen adhuc absolutiorem habere potest. Ad hæc vero pituita dulcis crudum excrementum est, sed non ita crudum, vt à natura sanguinis omnino recedat: est enim veluti semicoctus quidam sanguis. Ponamus igitur cum sanguinis abundantia vitium respectu adesse copiam sanguinis pituitosi, aut saltem pituitæ dulcis, qua cum virtus constare potest, vtpote humoribus non multum refrigeratis: tunc quidem conueniet venæ sectio, vt Galenus in crudorum humorum copia aliquando declarauit. At si pituita vitrea, quæ vere cruda dicitur, aut acida, aut salsa, plurimum in toto corpore abundans appareat, viresq; non sint validæ, neminem esse putauerim in artis operibus, vel tantillum exercitatum, qui phlebotomiam consulere audeat. Hoc igitur est, quod hisce in verbis dicere voluit. In quo aduertendum diligenter est, quantum valeat, robustaq; sit virtus, & quatenus humor ipse sit refrigeratus.] Quæ vero postea sequuntur verba: Nam exoluta ab id genus affectibus virtus] referuntur ad humores vere crudos, qui ob frigiditatem humiditatemq; spiritus influentes incrassant, obtunduntq; ita, vt facile admodum substantiam mutent ac temperamentum: neque enim illi humores, aut carnosum genus, aut solidum alterant dissoluuntq;. Si horum abundantia excrementorum febrem concitauerit æstiuo cœli statu, stomachoque male affecto, totoq; corpore molli & humido quis auderet venam incidere? iam quidem à calido cœli statu, vt regione, anni tempore, & constitutione particulari, magna fit dissolutio spirituum, propterea magna in corpore imbecillitas: rursusque dissolutio adaugetur in mollibus corporibus algæ modo teneris, vti sunt pueri, & mulieres & eunuchi, in quibus nullo quidem tempore non discutitur magna portio salutaris huiusce substantiæ, maxime stomacho male affecto: cum hisce circumstantiis etiam si febris haud magna inuadat, quin etiam si nulla febris adsit, venam incidere non leue periculum est, ob digestionem spirituum, quæ fit per halitum & repentinum animi deliquium. Hæc quæ hoc loco scripta sunt, eo pertinent, vt doceamus, in morborũ curatione semper inuicem comparandas esse contrarias indicationes, procurandumque diligenter, vt si quando inuicem conspirauerint, illi magis incumbamus, cuius maior fuerit vis, dignitasque in indicando. Hæc regula semper à generoso Medico debet obseruari. Dignitas vero indicationum penes quid attendi debeat, explanatum à nobis fuit in commentariis in quartam sectionem primi libri Canonis Auicennæ, ad quem locum lectorem ipsum relegamus, ne idem sæpius repetere cogamur. Sed quid agendum est, si non adfuerit febris, neque status cœli fuerit æstiuus, aut stomachus male affectus, aut corpus natura molle, ac temperie humidum? Galenus respondet, à venæ sectione abstinendum in contrariis etiam dispositionibus, nempe si hyems fuerit frigida, & regio eiusdem temperamenti, hominisque natura frigidior, illius oratio sic scribitur: Sin vero hominum nihil sit, cæterum hyems fuerit, regio ve natura frigida, tum natura quoque hominis frigidior, iis per sanguinis missionem & totum corpus grauiter refrigeratur, & accidunt nonnulla, quæ ad grauem sequuntur refrigerationem symptomata. Quocirca, qui sic affecti sunt, eos sanguinis missione vacuare non conuenit, sed frictionibus, mediocri-

terque calefacientibus vnctionibus, tum potionibus humorum craſſitudinem incidentibus, ac modice calefacientibus. Nam quæ valenter calefaciunt, nimis ſubito vires deiiciunt, vt in reliquam curationem non ſufficiant: ſępe etiam febres auxere: itaque & inde viribus noxa aduenit: quapropter humorum incidentes craſſitudinem, tum cibi, tum potus mediocris ſunto in excalefaciendo facultatis.] Iam non ſemel à nobis dictum fuit, omnem immoderatam intemperiem, virtutem imbecillam facere: calidam quidem diſſoluendo ſpiritus: frigidam vero hebetando, ad actionesque ſegnes, atque torpidos reddendo: ac etiam illorum generationem prohibendo imbecillitatis cauſam eſſe: aliquando etiam calorem naturalem ſuffocando. Hac de re pernicioſiſſimum eſt ſecare venam, qua vacuantur multi ſpiritus, corpusq; neceſſario refrigeſcit, vt non immerito dixerit Auicennas, fidus alioquin interpres Galeni, in vena ſecanda cauendum eſſe, ne deducamus ægrotum, aut ad bilioſorum humorum efferueſcentiam, aut ad crudorum abundantiam. Quæ vero ad refrigerationem ex vacuatione immodica ſequantur ſymptomata, à Galeno explanatum eſt elegantiſſime his verbis: Quin etiam aliqui in morbos inciderunt longos, poſtquam immodica inanitione reſoluta naturalis vis fuit. Aliis cum immodicæ vacuationis noxam ſarcire non potuiſſent, in omne reliquum vitæ tempus totius corporis temperatum redditum eſt frigidius. Ex qua refrigeratione facile ex quauis occaſione læſi alii decolorati, ac malo corporis habitu vixerunt: alii ex eo ipſo in morbos inciderunt exitiales, aquã intercutem, & orthopneam, & iecinoris ac ventriculi imbecillitatem & apoplexiam, & deliria.] atq; in duodecimo methodi agens de iis, qui crudorum humorum putredine incidunt in febres, dicebat capite tertio. Nulli talium ſanguis mitti ſine maximo diſpendio, cum tamen vacuationem deſiderent. Verum nec ſanguinis miſſionem, nec purgationem ſuſtinent, vtpote quos ſine his ſyncope ſubito adoritur.] Et quarto de ſanitate tuenda inquit: Quibus bonus ſanguis exiguus eſt, crudi autem humores plurimi, his ſanguis mittendus non eſt: nam inciſa vena bonum ſanguinem emittit (is uempe facile fluit) malum, qui in primis maxime venis circa iecur colligitur, in totum attrahit corpus.] Porro cum vacuatione indigeant, quę ſic affecta ſunt corpora, & abſtinendum ſit à venæ ſectione, quid agendum eſt. Hic duplex ſeſe offert indicatio, vna eſt vacuatio, quam poſtulat copia, tum ſanguinis, tum crudorum humorum: alia virtutis conſeruatio, quæ quoniam cum eiuſcemodi circumſtantiis eſt imbecilla, vacuationem à copia indicatam ferre non poteſt: Hac de cauſa vtriq; incumbendum, vrgentiori tamen magis, nempe viribus. Vacuabimus igitur, ſed neque venæ ſectione, neque purgatione: hæc enim duo cum magna ſint præſidia, nequeunt tuto adminiſtrari, niſi vbi vires validæ fuerint, verum frictionibus emolliientibus illis quidem, atq; digerentibus, quales fiunt cum oleo amygdalarum dulcium, aut camomelino, addita etiam ad robur partium vini portione, inunctiones etiam citra frictiones proponit, potionesque humorum craſſitudinem incidentes, & leuiter calefacientes. Nam quæ vehementer incidunt, vbi crudorum humorum in primis venis adeſt copia, illos violenter in totum attrahendo corpus obſtructiones procreant, & ſi quæ ſunt in viſceribus, aut in alto corpore conduplicant, quæ valide calefaciunt ſpiritus diſſipant, & ſæpe febrem efficiunt, hincque imbecillitatis virium cauſa duplex. Quamobrem tum cibi, tum potus, tum etiam medicamenta habere debent mediocrem facultatem incidendi calefaciendiq;. Sunt hæc à nobis in vndecimo Methodi, atq; in commentariis libri de ratione curandi ad Glauconem copioſe declarata: atq; hæc de plenitudine, quantum ad præſentem tractationem pertinet, dixiſſe ſufficiat.

Dedu-

Cap. XVII.

De duplici miſſione ſanguinis, reuulſiua, & euacuatiua.

HVIC quod nos proxime iecimus fundamento, alterum haud profecto minoris momenti addere oportet, hoc autem eſt ſolere nos duplici ex cauſa ſanguinem mittere: harum altera eſt vt ſanguinem reuellamus; altera vero, vt ſanguinem euacuemus. Igitur quamuis in ſectione venæ educatur ſanguis, non tamen continuo educitur, propterea, quod is euacuationem indicet, ſed aliquando quoniam debet ad alias partes transferri. Nos clarioris doctrinæ gratia duplicem ſtatuemus eſſe miſſionem ſanguinis, alteram reuulſiuam, alteram euacuatiuam. Quarum Galenus in nono Methodi medendi, capite quinto meminit hiſce verbis: Memineris vero mihi ad ea, quæ dicenda ſunt, quorum gratia venæ ſectio petitur. Nam quoniam hæc ſanguinis euacuandi gratia adhibetur; ſanguis autem vtilis naturæ eſt, vtique hanc probe adminiſtrari conueniet, ſic vt, quod inutile naturæ ſit, emittat. fit autem ſanguis naturæ inutilis bifariam; vel cum propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat, nec amplius ſicur prius cum vtilis eſſet, nutrire poteſt: vel ita multitudine creuit, vt aut vires premat, aut tum venas, cum arterias vel diſtendat, vel ſindat, vel obſtruat: ac in his quidem miſſio ſanguinis vtilis eſt, ceu vacuantium præſidiorum vna: in aliis, ceu, quod humorum vehementiorem impetum ad diuerſam partem reuocet, vel pro propinqua deriuet.] Et in alio opere. Cæterum (ait) non contemnenda venæ ſectio eſt, tanquam ſit auxiliũ reuulſorium, cum me ſæpenumero conſpexeritis in valida ſanguinis è naribus eruptione eo vſum repẽte fluxionem ſedaſſe.] Quoniam igitur nos propoſuimus docere, quid vere indicet miſſionem ſanguinis, primum docebimus, quid indicet venæ ſectionem tanquam reuulſiuum, deinde vero quid indicet tanquam euacuatiuum auxilium. Quibus expoſitis, iam omnia videbor enarraſſe quæ iudicari poſſent pro præſenti tractatione neceſſaria, nihilque amplius relinquetur, quam iis quæſtionibus ſatisfacere, quæ propoſitas opiniones tueri videntur.

Cap. XVIII.

Quid indicet ſanguinis miſſionem tanquam reuulſiuum præſidium.

QVIA docere non poſſumus, quid indicet ſanguinis miſſionem tanquã reuulſiuum præſidium, niſi prius doceamus, quid ſimpliciter ipſam indicet reuulſionem, & quibus humoribus debeatur: propterea primum de hac vniuerſali pertractabimus indicatione. Sunt igitur, qui dicunt reuulſionem indicari ab humoris motu violento, & affatim irruente, quia ſic videtur natura reuulſionis oſtendere. Eſt enim reuulſio in contrarium retractio, in contrarium vero humores trahi debent, cum fluunt: ſicque ſi deorſum tendant, ſurſum & è contra: ſi à dextris ad ſiniſtras, ſi ante retro, ſi intus extra trahendi ſunt: vt admonuit Oribaſius libello de reuulſione, cucurbitulis, & ſcarificatione, & Galenus libro quarto, & decimotertio Methodi medendi. Verum licet dum reuellimus humores, continuo moueamus motu quodam contrario, quam ferantur, atq; etiam in contrariam partem: nihilominus indicatio reuulſionis non ſumitur à motu humoris, ſed ab affectę particulæ poſitione & conſenſu. Quam rem Galenus explicauit libro decimoquarto Methodi, cum inquit: Quod autem in priapiſmo vomitoriis medicamentis potius, quam ſubducentibus ſit vtendum, in linguæ vitio contra, id ex partium ſitu indicari manifeſtum eſt. Nam auerſionis in contrarium (quæ ab Hippocrate ἀντίσπασις dicitur, non à ſubſtantiæ, ſed à curandi membri poſitu inuentio præſtatur.] idem Auicenna Galenum (vt ſolet) imitatus, in quarta ſectione primi libri explanauit, dum proſequitur indicationes ſumptas a ſitu, hiſce verbis vſus: Nonnunquam etiam obſeruare locum, & cõmunionem ſimul ſummopere conducit, velut cum materia iam per-

fecte fluxerit ad membrum, quidnam agere conueniat, itemque vbi adhuc confluit. Nam si materia adhuc in fluxu fuerit, eam à suo auertemus loco, quatuor tamen conditionibus prius animaduersis.] Hæc ille. Quæ si vera sunt, manifestum faciunt, ab humoris motu non peti eiusmodi indicationem, sed à situ partis, illiusque consensu. Animaduertere quidem oportet partes affectas duobus modis considerari posse: vno quatenus sunt similares, alio modo quatenus, organicæ: sumitur indicatio à temperamento partis, considerantes eam, vt similaris: vt à situ, à forma, a figura, à positione, à consensu: sumitur indicatio à parte, vt instrumentalis est. Nam hæc complectuntur naturam partium organicarum: vt diximus in nostris commentariis ad eum Auicennæ lib. Postquam igitur docuimus quid indicet reuulsionem: nunc quibus illa humoribus debeatur, explicemus. Humoribus qui iam fluunt, & qui non fluunt, sed propter corporis aliquem affectum, aut humorum qualitatem fluxioni parati sunt, debetur reuulsio. Triplex enim est humor: alter qui in partis substantiam iam sparsus: alter qui in venis eius partis continetur: atq; tertius, qui ad affectum locum mouetur, & nisi sistatur, affectum auget, aut moueri aptus est. Hinc triplex à medicis excogitatum est remedium: ei qui fluit, aut impetum facturus est, reuulsio simpliciter adhibenda est: illi, qui continetur in venis partis, deriuatio: alteri autem ab ipsamet læsa parte euacuatio adhibenda. Sic quidem tum apud omnes medicos, tum autem maxime apud Galenum obseruatum legimus, dum docet genu fluxione & inflammatione laborante venam secari oportere in ipso cubito ad fluxionem reuellendam. Nulli autem dubitationem facit, sectionem, quæ fit in brachio, educere non posse sanguinē, qui in venis genuum continetur. Quamobrem is non est, qui reuellitur, sed qui ab aliis partibus confluit actu, aut potentia. Quæ si vera sunt, manifestum faciunt Matthæum Curtium, virum alioquin doctissimum, non parum in hac tractatione aberrasse, dum cōtendit, eundem humorem esse, qui reuellitur, & qui deriuatur, cum tamen, vt prætermittam Arabes Medicos, Galenus passim contrarium admoneat, nempe in inflammationum principio humores prius esse reuellendos, deinde autem deriuandos. Sed hæc, aliaq; maximi momenti contra hunc hominem alibi diligenter prosecuti sumus. Nunc vero ad propositum reuersi statuamus deberi reuulsionem fluentibus humoribus, deberi etiam & quiescentibus, dum tamen solent fluere ad affectam aliquam partem, vt Galenus libro de venæ sectione testatur, vbi scribit, easdem venas secandas esse in præseruatione, quæ in inflāmationum principio secantur, idque optima sane ratione, idem enim est humor, qui in præseruatione, & præsente iam affectu reuulsionē postulat. Differunt autem, quod in vno casu nō fluant, in altero vero iam moueantur: itaq; si in vtroq; fluxionem intercipere volumus, & hunc præcipium scopum habemus, idem remediū reuulsiuum adhiberi debebit. Sed quia omnia, quæ ad reuulsionē pertinent, infra sumus abunde prosecuturi, hic tantum dixisse sufficiat, quantū nostro expediat proposito, quæ hic desiderantur, ibidem legere oportet. Reuertamur nunc ad institutam disputationem. Sciendum est igitur, reuulsionem posse multis modis exerceri, nempe cucurbitulis, scarificatione, frictionibus, deligaturis, enematis, purgatione, venæ sectione, atque id genus aliis. Quamobrem, quid ipsam reuulsionem indicet hactenus videmur explicasse, at vero nondum exploratum, quid reuulsionem per missionem sanguinis. Id igitur venit in præsentia docendum. Memoria id principium repetamus, de quo etiam supra mentionem fecimus, nempe venæ sectionem magnum quoddam esse præsidium, quod equidem adhiberi non debet, nisi morbus fuerit magnus. Quamobrem non qualiscunque sanguinis fluxio generosum hoc remedium postulat: aliquando enim pro fluxione intercipienda satisfacit frictio, aliquando concurbitulæ, quandoque autem scarificationes, vt puta si leuis sanguinis motus fuerit, & corpus plethoricū non extiterit. Verum si fluxio fuerit affatu digna, aut certe vereamur, ne talis fiat, statim profecto ad sectionem venæ confugimus. Sic quidem in vehementibus sanguinis fluxionibus, ab vtero, à mariscis, à naribus, à vulnere, aut vndelibet

bet

fit erumpentibus, quamuis nullum sit in corpore plenitudinis indicium, venam pertundimus, quo sanguinis motus ad contrariam regionem feratur, atq; idem in inflammationibus externis & internis accidit, vt Angina, Pleuritide, Peripneumonia, Phrenitide, Heparide Nephritide, & id genus reliquis. Nam in earum principio fluente sanguine vtiliter ipsa sanguinis missione pro reuulsione vtimur. Porro idem est iudicium de inflammationibus quas futuras suspicimur: tales vero fiunt, aut propter calorem, aut dolorem: hæ enim duæ sunt fluxionis causæ, aut etiam si aliqua sit pars imbecilla, corpus vero ipsum plethoricum fuerit, præsertim quo ad vires, tunc vereri oportet, ne fiat inflammatio, atq; huius causa tuto venam pertundimus. Ergo vt rem ipsam vnico expediam verbo, vbi magnus fuerit fluentis sanguinis impetus, aut talis timeatur, tunc reuulsionis causa præsens est de mittendo sanguine indicatio, quam affecta pars suggerit fluxione liberanda.

Cap. XVIIII.

Quid indicat mißionem sanguinis, tanquam deriuatiuum præsidium.

PORRO autem quibus humoribus debeatur deriuatio, non facile est explicare. In hac enim materia anceps nonnullis videtur Galenus. Is enim scribit decimotertio methodi, deriuandum esse humorem, qui inflammationem facit: siue quod clarius docet libro secundo ad Glauconem, humorum, qui iam obsederunt membrum, deriuationem medelam esse. At vero alibi idem auctor scribit inueteratos affectus deriuatione tolli. Qua sententia constat, nunquam vtendum esse deriuatione in recentioribus morbis; at possunt recentes existere affectus, in quibus humor in partis substantiam iam insederit. At Matthæus Curtius putat fluentibus humoribus deriuationem deberi, hancque perpetuo reuulsionem præcedere. Sed vtrumque profecto, maximo errore arbitratus est. Primum enim, quod proprium est reuulsionis, vt superiori capite docuimus, id ipsum ad deriuationem pertinere non potest. Deinde vero si humoribus, qui iam impacti sunt in partis substantia, vt Galenus docet, deriuatio debetur, quomodo fluentium humorum remedium esse potest? Atq; præterea si inueteratis affectib. in quib. humores vix confluunt, aut certe non violanter mouentur, competit deriuatio, qui potest adhiberi humoribus, maxime fluentibus? His addo falsissimum esse, deriuationem prius exercendam, quam reuulsionem. Clarissima enim est sententia Galeni, tum decimotertio methodi medendi, tum lib. secundo ad Glauconē inflāmationes in earū principio prius reuulsionem exigere, demum vero deriuationem ipsam. Sed quid ego hic Galeni sententiam affero, cum euidentissimum sit axioma apud omnes cuiuscunq; factionis medicos, in quo non parum admiror, virum hunc, alioquin de arte medica optime meritum, toto quod aiunt, Cœlo aberrauisse. Quid ergo in hac re dicendum suppetit, nempe recte Galenum sensisse, deriuationem deberi humoribus in inflāmatione contentis, atque in affectibus inueteratis. Quæ res venit diligenter explicanda, quoniam difficultatem non mediocrem habet. Primum quidem sciendum est, affectum aliquem inueteratum dupliciter dici, vno modo vt tempore diuturno perdurauerit, atque nihil penitus confluat in affectum locū, alio modo pro affectu, in quo humores non adhuc vehementiori impetu mouentur, sed magnus ille fluxionis impetus iam restiterit, aliquid tamen adhuc confluit, mouetur que, quamuis maior sit pars humorum, qui confluxerunt. Deinde autem notandum est, humores in affecto loco contineri, ita quidem vt amplius, ne minimū quidem illorum fluat, aut ita, quod quamuis pars aliqua fluat, sit tamen exigua ad fluxam collatione habita. His in hunc modū sese habentibus, dicendū est, deriuationē esse quandam reuulsionem, sic autē diximus, & non simpliciter reuulsionem, quia est particularis, & localis reuulsio, vt supra demonstrauimus. Statuamus ergo humoribus fluentibus deberi ipsam reuulsionem, siue simpliciter dictam, siue secundum quid. Quoniam vero humores dupliciter fluunt, vel

enim maxime mouentur, quod in inflammationum principio contingit, vel parum fluunt, vt in aliis temporibus, tunc sane, cum impetus maximus est, adhibenda est reuulsio. Cum vero is maiori ex parte restitit, tunc sane præstat deriuare per loca vicina: hoc enim inuicem differunt, quod illa ad partes distantes, hæc vero ad propinquas deducit. Sic sane vteri affectus per vesicam deriuamus, atq; huius passiones per vterum: similiter deriuamus affectiones intestinorum per locos muliebres aut vesicam: ergo leuiorum fluxionum proprium auxilium est deriuatio. Hæc, quæ vniuersaliter diximus de ipsa deriuatione, opus est, vt particulariter ad missionem sanguinis retrahantur, de qua disputatio est. Putamus itaq;, partem leui sanguinis fluxione tentatam, & sanguinem plenam deriuationem indicare, modo tamen pars affecta habeat canales ac riuulos vicinos, per quos eiuscemodi deriuatio commode fieri possit. Non enim, quamuis deriuatio semper fiat per partes vicinas, omnis fit per sectionem venæ: si quidem non omnes affectus habent venas proximas, per quas humores deriuari possunt. Ergo deriuandum per sectionem venæ, tum cum sanguis leuiter confluit, tum etiam cum affectus locus venas habet propinquas, per quas ceu per canales potest sanguis deriuari. Ex his, quæ hoc loco diximus, patet, deriuationem non deberi humoribus, qui iam tenaciter impacti sunt in affectam particulam, sed iis, qui leuiter mouentur, quorum tamen portio locum inflammationis subiit. Deinde vero constat, quomodo Galeni sententiæ interpretandæ sint; atq; postremo, quid deriuationem indicet per missionem sanguinis. Cæterum, quia hæc, quæ diximus de deriuatione, habitura sunt non mediocrem dubitationem apud clarissimos quosdam Medicos, velim, vt hoc loco supponantur: quoniam cum de reuolutione & deriuatione in hac nostra methodo tractabimus, totum hoc negotium diligentissime absoluemus.

Cap. XX.

Quid indicet missionem sanguinis, vt euacuatiuum præsidium.

DOCEAMVS modo, quid indicet missionem sanguinis, tanquam euacuatiuum auxilium, quod totius institutæ disputationis reliquum est. Itaq; vbi plenitudo magna fuerit, modumq; & mediocritatem excesserit, semper viget indicatio de mittendo sanguine: hac ipsa multitudine præsente semper adest indicatio, absente vero abest. Quamobrem si vera sunt, quæ diximus, venæ sectionem, tanquam euacuatiuum præsidium semper modum excedens, multitudo indicabit. Possumus autem dupliciter multitudinem contemplari: vno modo, quatenus est citra morbum: alio modo, quatenus est cum aliquo affectu præter naturam, vtroq; modo semper indicabit missionem sanguinis. Verum quoniam hæc habent nonnullas difficultates, opus est, vt de his agamus diligentius. Primum igitur sciendum est, veterem quæstionem fuisse, an à multitudine venæ sectio indicetur. Nam Empirici semper, vbi illa signorum syndrome apparuerit (sic enim vocant concursum atq; congeriem signorum, quæ plethorica sunt) continuo mittendum esse sanguinem tradiderunt. Contra quos tamen validissimis rationibus æstuat Galenus, docens, conuenire multis sectionem venæ, in quibus non adsunt signa plethorica, atq; tandem plenitudinem ipsam non indicare missionem sanguinis, eo potissimum argumento persuadet, quod plerisq; sanguis mittatur ipsorum etiam Empiricorum testimonio, reuulsionis causa, in quibus minime consistit plenitudo. Cæterum merito quidem Empirici refelluntur: primum, quia in sanguine mittendo fuerunt temerarii: non enim sufficit, vt sanguis commode mittatur, plenitudinem adesse, sed amplius venit distinguendum, an maioribus, an autem minoribus auxiliis veniat vtendum: quæ res innotescit nobis ex varia plenitudinis differentia, vt supra declarauimus. Deinde vero, quia scopum non attigerunt, reprehendendi sunt; si enim res hoc modo haberet, sanguis nunquam esset detrahendus, nisi habentibus plethoricam syndromen, quod tamen falsissimum esse, nemo est, vel tantillum

tillum in arte medica exercitatus, qui non cognoscat. Nos vero, qui plenitudinem esse, verum scopum significamus, longe diuersi sumus ab horũ hominum sententia. Nam hi in sola plenitudine, quo ad vasa mittendum esse sanguinem, consuluerunt; nos vero non solum in hac, sed etiam in altera, quæ vires respicit: illi in omni plenitudinis differentia quo ad vasa generosum hoc præsidium admiserunt: nos vero in sanis ægrotisve vtimur, cum plenitudo est magna, quæ scilicet aliis facilioribus mitioribusq; præsidiis arceri non possit. Empirici citra plenitudinem nunquam sanguinem mittunt: nos vero in plenitudine quidem admittimus euacuationis causa; citra plenitudinem autem reuulsionis ergo, vt supra declarauimus. Empirici solam plenitudinem in actu considerandam duxerunt: nos vero eam etiam, quæ futura est. Tandem Empirici solam admittere videntur vniuersalem plenitudinem: nos vero vniuersalem & particularem esse necessariam tradimus. Rursus autem quemadmodum morbus magnus, cum apud Galenum, tum apud alios auctores dupliciter dicitur, vel actu, vel potentia, sic plenitudo similiter, aut actu, aut potentia dicitur: actu, cum omnes partes sanguinis abundantia turgent: potentia, cum aut vniuersum corpus, aut eius determinata particula recipere multitudinem debet, vt puta cum retento sanguine, qui è mariscis aut ab vtero fluere consueuit, veremur, ne totum corpus plenitudine laboret: aut cum propter dolorem & calorem ad aliquam sedem confluit sanguis, inflammationem facturus. Qua de re optime quidem noster Galenus consuluit, syndromen signorum non esse obseruandam in sanguine mittendo, cum non raro eadem absente venam secare oporteat, tum euacuationis causa, cum futuram aliquam plenitudinem, siue vniuersalem, siue particularem timemus: tum etiam propter reuulsionem sanguine nimium confluente. His equidem distinctionibus adhibitis primum clarissime apparet, quomodo Galenum interpretari debeamus: deinde vero quantum nostra hæc opinio ab opinione Empiricorum differat. Ergo sanguinis missio semper adhibetur propter hanc causam, vt euacuetur sanguis: sanguinem vero euacuamus, aut cum is nimium confluxerit: aut cum multitudine maxime creuerit: nam cum sanguis qualitate peccat, is sane vel purgatione, vel contemperamento corrigitur.

HORATII AVGENII A MONTE SANCTO,

DE RATIONE CVRANDI PER MISSIONEM SANGVINIS;

LIBER TERTIVS.

CAP. I.

Quid actum sit superioribus libris, & quid agendum hoc libro, quiue sit agendorum ordo.

POSTQVAM igitur nos libro huiusce tractationis primo, enarratis opinionibus Medicorum nostri temporis, diligenter & in vniuersali atque in particulari docuimus, non indicari missionem sanguinis à morbi magnitudine, virium robore, atque ætate consistenti: deinde neque à multitudine, neq; à sanguinis vitio idem auxilium demonstrari, declarauimus. In secundo libro, vt veritatem multo magis dilucidam redderemus, agendum statim de plenitudine duximus; dumq; eius naturam, genera, differentias, species, signa & curationem docebamus, obiter no-

tauimus, quid ab aliis bene, & quid non bene dictum fuerit. Tandem hoc posito principio, aliud etiam iecimus nostri ædificii fundamentum, nempe sanguinis missionem duplici de causa fuisse institutam: tum in gratiam reuulsionis simpliciter dictæ, ac etiam localis, quam vocari deriuationem diximus, tum vt sanguinis plenitudinem vacuemus. Posttemo demonstratum à nobis fuit, indicari generosum hoc præsidium, qua vacuatiuum erat, in sanis quidem à plenitudine affatu digna, in ægrotis vero à sanguinel morbi magnitudine. Reuulsionem autem indicare affectum locum valida fluxione tentatum: Deriuationem eundem quatenus fluxum humorum iam recepit, leuemq; fluxionem patitur. Nunc consequens est, vt doceamus, quid sit intelligendum nomine magni morbi: quandoquidem hoc ignorato, oportebit etiam ignorari indicationem de sanguine mittendo. Deinde confirmanda veniunt, quæ superiori libro diximus, Galeni & Auicennæ sententiis: cum in principio nostræ lucubrationis polliciti fuerimus, Galenum duntaxat cognouisse, quid indicet venæ sectionem. Ad hæc vero enumerandi sunt morbi, quibus præsentibus aut imminentibus venæ sectio conueniat. Vltimo agemus de contraindicantibus: id est, de ipsis viribus: ex quarum obseruatione non modo cognoscetur, mittendum esse, aut non mittendum sanguinem, sed etiam quantum mittere oporteat, vt suo loco diligenter docebo.

Cap. II.

Quid magnus sit morbus ex aliorum sententia.

HABET Galenus libro de ratione curandi per venæ sectionem, duos scopos præcipuos in venæ sectione esse obseruandos: magnitudinem scilicet morbi, & virium robur. Illamq; indicate ipsum remedium, has vero non prohibere, quod contraindicare nuncupare consueuerunt. Quibus verbis, quemadmodum etiam in superioribus admonuimus, clarissime significauit, vnum esse præcipuum scopum indicantem venæ sectionem, memor suorum principiorum, quorum supra meminimus. Verum quia cognosci non potest, quomodo hæc indicatio ex magnitudine morbi exhauriatur, nisi cognitum exploratumq; sit, quid nomine magnitudinis morbi intelligendum, & qua ratione eiuscemodi indicatio ab illa desumatur: ea propter hic agemus de hoc argumento maxime difficili, proposita primum recentiorum Medicorum opinione. Putant igitur, magni morbi significationem existere multiplicem. Quoniam cum magnum & paruũ comparatione ad mediocre dicantur, magnus merito vocabitur morbus communi omnibus ratione, qui mediocritatẽ excedit, vnde quot sunt media, ad quæ morbus refertur, tot sane morbi magni erunt differentiæ, totq; modis magnus morbus dicetur. Atq; in vnoquoq; genere, in quo excessus & defectus notantur, media quædam statuuntur, ad quæ excessus & defectus referentes, simpliciter tales iudicamus esse, quod in suo genere maxime excedit. Hoc igitur modo morbos magnos eos vocabimus, qui inter morbos naturam morbi maxime retinent, & in suo genere præpollent. Est porro naturæ morbi propriũ & inseparabile, quod affligat molestetq; corpus: vnde qui vehementer id faciunt, vehementes appellantur, vt idem sit morbus magnus & vehemens, quod etiam Galeno authore facile licet comprobare. Etenim lib. 4. de methodo medendi, vbi magnitudinem morbi sanguinis ablationem indicare scribit, pro magno grauem, validumq;, & vim magnam habentem vsurpauit, quod etiam primo & tertio de crisibus in hunc modum habet, siue magnum, siue vehementem morbum dicas, nihil refert: Est autẽ vehemens morbus, qui valide & temporis paruo spacio affligit, quo fit, vt idem sit hoc modo magnus morbus & acutus, quemadmodũ sæpe à Galeno vsurpatur: vt cum in Aphorismis primi libri maximum, extremum, & acutissimum pro eodem sumit, & acutum vehementemq; definit, qui valida infert accidentia, & citatum velocemq; habet motum. Hoc sane modo (inquiunt) magni morbi nomẽ vsurpamus, eum ab eo sanguinis missionem

ſionem indicari tradimus: Cum enim validus ſit, velociterq; moueatur, valido, & velociter ſuccurrere potenti, cuiuſmodi eſt venæ ſectio, remedio opus habet. Vna eſt hæc magni morbi ſignificatio, quæ & vera eſt, & maxime propria Galeno, qua etiam metimur morbos magnos, qui in vnaquaque ſpecie inueniuntur. Nam quemadmodum in ipſo genere morborum medium quoddam ſtatuitur, ſic in vnoquoq; genere, qui maxime excellunt vel infra medium ſubſiſtunt, magni, paruiq; eſſe dicuntur, quomodo magnam & paruam febrem, & inflammationem, ad id quod mediocre in febribus, & inflammationibus eſt, reſpicientes appellare ſolemus. Alia vero eſt ſignificatio, & differentia, quæ reſpectu virium ſumitur. Cum enim vires noſtri corporis morbum ferant, & cum eo contendant, qui eas excedere videtur, morbus magnus dicitur. Qua ratione morbus magnus vſurpatur à Galeno, cum eos magnos vocat, qui principem partem occupant, vel maligni exiſtunt, vel ſuapte natura in vniuerſo morborum genere magni. Eſt namq; hæc lariſſima morbi magni ſignificatio, cum magnum pro eo, qui plurimum à naturali mediocritate recedit, tunc vſurpamus, quo pacto ſcribit Galenus primo ad Glauconem, ad tantam magnitudinem morbum peruenisse, quantum vnuſquiſq; à naturali ſuo ſtatu receſſit, quo ſignificato magnus pro periculoſo capitur: periculoſus enim eſt, qui plurimum a natura ſua hominem diſtrahit, qualis vt plurimum eſt, qui in membro nobili conſiſtit, & qui ſuapte natura magnus eſt, qui malignus, quiq; facultates noſtrum corpus gubernantes, aut præſtantes, præcipuaſq; actiones labefactat, quippe cum natura eiuſmodi morbos non facile euincat, ſed ſępius illis diſſoluto robore ſuccūbat. Cæterum virium nomine non ſolum corporis, ſed etiam medicinæ vires intelligere oportet; in his ſcilicet morbis, qui non tam naturæ opera quam artis noſtræ beneficio curantur. Eos namq; morbos magnos optime vocabimus, quemadmodum Aetius Elephantiaſim maximum morbum appellabat, eo quod omnium remediorum vim contemneret, & excederet. Tandem ſuam opinionem concludentes, addunt, morbi magni naturam paulo latius ſeſe extendere, quam acuti, ſi quidē oſſium craſſiorum fracturas inter morbos magnos ſtatuimus, qui tamen acuti eſſe nequeunt: nimirum quod antea quam perfecte ſanentur, acutorum terminum excedunt. quare magnos vocandos cenſent, qui vim magnam habent, ſiue cito, ſiue tardius ſoluantur, etſi vt plurimum cum magnitudine celeritas coniuncta ſit. Alioquin ſi magnos eos morbos vocemus, qui ſimul inſigniter, & paruo temporis ſpatio infeſtant, differentia ea prætermittitur, qua magni continentur, qui valide, & nullo tempore præſcripto affligunt, præſertim cum Galenus ita quoque ſumere videatur. Hæc ſumma eſt opinionis horum hominum; Ad quam ſcribendam duabus de cauſis motos fuiſſe dicunt: primū quia ab aliis nihil de hac materia perſpicuum traditum fuerit, deinde vero, quod Galenus in hac materia maxime varius exiſtat, nec doceat, quid res ipſa ſit, nec qua ratione magnus aliquis morbus cenſeri debeat. Quæ de Galeno dicūt, multis rationibus comprobant. Atque in primis cum morbi magnitudinem detractionem ſanguinis indicare ſcribit, alio modo intelligit magnitudinem morbi, quam cum dicit malignitate præditos affectus magnos eſſe, aut etiam illos, qui nobilem aliquam partem obſederunt: non enim omnis malignus morbus, aut præcipue alicuius partis affectus miſſione ſanguinis curatur. Adde, quod quarto Methodi medendi, ob partis præſtantiam, vel ob cacoethiam, vel propter ipſius morbi eſſentiam, morbos magnos fieri ſcribat. Septimo autē eiuſdem operis libro, ex læſa actionis præſtantia, propria affectus eſſentia, & facultate, quæ læſum corpus gubernat, morbi magnitudinem æſtimari tradit; quibus verbis de vna & eadem re non ſemper eodem modo locutum fuiſſe, manifeſtum ſit. Tertio in Galeno probare non poſſunt, quod cum ille in quarto Methodi de venæ ſectione agat, & eam morbi magnitudinem quætere deberet, quæ ſanguinem demendum indicet, quæ ſcilicet ex propria eſſentia morbi ſumitur, de alia etiam mentionem faciat, quæ virium relatione dicitur, nec diſtinguat, quinam ex morbis magnis eo remedio opus habent, verum abſolute pronunciet morbi

magnitudinem id esse, quod venæ sectionem indicet. Quarto in eo etiam Galenũ arguunt, quod non omnia enumeret, quæ morbum magnũ reddunt. Neq; enim solum ob partis præstantiam, malignitatem, & magnitudinem affectus, sed etiam ex causarum vi, ac efficientia morbi magni fiunt; quemadmodum cum multitudine humorum quispiam laborauerit, illius causa periclitari dicetur. Præterea quod magnum sua natura morbum ex vrinis oleaceis, sputis perniciosis, ac deniq; signis aliis lethalibus dignosci scribat libro de temporibus morborum, quæ non magis eum, qui suapte natura quam qui virium ratione magnus est, aut malignum ostendunt. Postremo eos vocare magnos, qui ex cacoethia consistunt, est magnum cum maligno confundere, quos inter se distinguere plurimum refert. Hæc illi de magnitudne morbi, & contra Galenum disputant.

Cap. III.

Quid magnus sit morbus ex Augenii sententia.

QVIA nostrum propositum est in ardua materia docere, & quo ad eius fieri potest, illustrare veritatem, à Galeno præsertim cognitam, prius inuenire oportet viam, & rationem aliquam, quæ nos manuducat in cognitionem eius quod quæritur, mox reliqua prosequemur. Ea vero est, vt cum Galeno statuamus vnamquamque rem cum eiusdem generis rebus collatam, vel paruam, vel magnam dici, absolute nihil. Atque hoc quidem interesse inter maius, & magnum, quod maius omni minore possit dici maius, magnum vero non quolibet maius, sed tantum eis, quæ sunt eiusdem generis. Eadem de minore, & paruo distinctio est, nec non de celeri, & celeriore, nec secus de tardo, & tardiore, si quidem equus quispiam tardus dicatur, & formica velox. Simili ratione alia cũcta videbis appellata esse per totam medicinam, & hercle per totam mortalium vitam, durum, durius, molle, mollius, crebrum, crebrius, breuiter alia id genus omnia, partim cum altero quolibet comparata, partim cum iis tantum cum quibus conueniunt genere. Quid igitur, summam ne adhuc totius negotii sumus assecuti, an vero etiam amplius distinctione indigemus? mihi quidem ita videtur. Neque enim si cum omnibus, quæ sunt eiusdem generis, magnum comparemus, statim sic nominamus. Neq; enim simul Achilles, & Aiax dicentur magni. Nec Polydamas, & Milo. Siquidem Aiace Achilles, & Milone erat maior Polydamas. Sed plane cum medio, & mediocri, atque moderato, quod vocant, vnoquoque in genere, veluti cum regula, arbitroque cætera conferemus. Tum quæ illud excedũt magna esse dicemus omnia, quæ contra, parua. Id quoque vsu venit in omni vita, in artibus quidem vtrique maxime, nam ad moderati omnes examen referuntur, atque hoc suppeditare scientiis, in quibus versantur, studenr. Ac multum cibi dicit medicus sumpsisse quempiam, vbi corporis naturam nutriendi excedat, rursus parum, vbi infra eiusdem mediocritatem existat. Nam ea ratione Athletæ duas heminas carnis parum esse dicimus, & frequenter ægroto interdicimus cremoris ptisanæ peluim exsorbere, vt supra mediocritatem; ita sane magnum etiam, & paruum pulsum dicimus, qui a mediocritate deflectit: atque huius vtriusq; magnum numerum esse, moderatum vnum, qui indagandus nobis, & ob memoriam ponendus, omnibusq; aliis applicandus est, veluti mensura quædam æqua ab ipsa constituta natura. Nunc igitur quomodo magnitudinem morbi inuenire valeamus, reliquum est vt cõsideremus, nam eo tota oratio properat, cuius quidem nomine retulimus, quicquid antea dictum est. Quoniam itaque magnum id esse omni in re definimus, quod collatum cum mediocri, & temperato eiusdem generis, illius mediocritatem excedit, docendum venit, quænam sit in ipso morbo mediocritas: quam facile, rei natura consulta, inueniemus. Est enim morbus πάθος, id est, constitutio aut affectus præter naturam actiones sensibiliter lædens. Duo sunt in eiuscemodi definitione, quorum vnum est affectus, aliud est sensibilis actionum læsio. In hisce duobus est ipsa mediocritas, quam inquirimus, consideranda: quæ

da: quæ metrum erit atque regula magnitudinis, & paruitatis morbi. Protinus enim cum affectum præter naturam dicimus, rem in latitudine pronunciamus, cuius differentiæ satis magnæ sunt in eo, quod magis ac minus constitutæ. Porro vbi magis, ac minus adest, ibi etiam adest æquale. Eadem est ratio in actionibus læsis, statuamus itaque affectum præter naturam mediocrem, actiones etiam sensibiliter læsas, mediocriter se habere, horum collatione magnnm inueniemus morbum & paruum, magnum nuncupabimus illum, qui fuerit affectus supra mediocritatem, & qui actiones supra mediocritatem lęserit, paruum autem cuius constitutio erit infra mediocritatem constituta, & cuius actiones minus quam mediocriter læsæ apparebunt. Cæterum, quando affectum siue constitutionem dicimus, duo solemus intelligere; formam scilicet, atque materiã: quæ duo constituunt essentiam rerum. Omnis enim affectus præter naturã aut sine materia cõsistit, qualis est intemperies simplex, aut cũ materia: in illis essentia sine materia est, in his autem vtrunq; complet essentiam & naturam affectus. Hinc tres in vniuersum resultant species magni morbi, (parum hic referat siue species, siue differentias, siue genera nuncupemus) vna penes essentiam simplicem, alia penes materiam, tertia penes actiones; vt quando affectus natura, aut immediatæ & essentiales causæ, aut actiones læsæ supra mediocritatem apparuerint. Quamobrem in vnoquoq; morbi genere, quodcunq; illud extiterit, magni & parui excessus inueniri poterint, nullusq; morbus erit, siue in intẽperie constitutus, siue in partium organicarum constitutione, siue in s[illegible]one continui, qui hanc magni & parui latitudinem suscipere non possit. Dixi latitudinẽ, quia differentię sunt fere infinitæ in vtroq; morbo, magno, inquam, & paruo, vt supra dicebamus, cum vna duntaxat sit mediocritas, tanquam regula, & mensura. Hoc pacto magnam dicimus intemperiem, & paruam collatione scilicet facta ad mediocrem intemperiem: magnam, & paruam caliditatem, frigiditatem, humiditatem. siccitatem: magnam, & paruam febrem: Vulnus magnum, & paruum: Luxationem magnam, & paruam: Fracturam magnam, & paruam: Obstructionem, plenitudinem, cacochymiam, visciditatem, crassitiem, malignitatem, dolorem, fluxum humorum, vigilias, atq; alia id genus sexcenta, magnum, & paruum suscipiunt. Qui hoc animaduertere non vult fundamentum, huic necesse est incognitam esse medendi rationem, quæ ex eorum quæ diximus varietate, proficiscitur. Magnus morbus sua natura nihil aliud indicat nisi magnum adhibendum esse præsidium (præstat enim in iuniorum gratiam repetere) sed non quodcunq; magnum præsidium, sed quod proportione respondeat magnitudini; Magna intemperies habet contrarium indicatum, magnam alterationem, in calido, humido, frigido, sicco, aut in contrariis qualitatibus: magna febris indicat magnam frigiditatem: magna obstructio magnam detersionem: magna plenitudo magnam vacuationem: ingens malignitas potens alexipharmacum: magna cacochymia insignem purgationem, & sic de reliquis tum causis, tum actionibus, tum symptomatis. Hæc si vera sunt, manifestum faciunt in vnaquaq; morborum specie inueniri magnum, & paruum. Hic ego non excipio tertianam exquisitam, non ephemeram, non quartanam, non quotidianã, non hecticam, in quibus magnum, & paruum inueniri ex mensura, atq; regula superius explanata, neminem esse arbitror, qui nesciat.

Cap. IIII.

Explanantur Galeni verba de ipsa magnitudine morbi, declaraturque Galenum maxime consona suis principiis tradidisse:

PERLVSTREMVS modo Galeni verba, ostendamusq; nostram hanc opinionem maxime illius doctrinæ conformem esse. In quarto Methodi medendi cap. 6. sic habet: Nam cum triplici genere morbus quisque sit grauis, aut propter excellentiam partis, aut propter affectus magnitudinem, aut propter ipsius cacoethiam, omnium horum meminit Hippocrates, vbi de purgatione

egit] hisce verbis tria illa à nobis explanata morbi magni genera admodum aperte proponit. Cum enim dicit: aut propter præexcellentiam partis] indicat affectus magnitudinem ob actionum læsionem supra mediocritatem factam, nam partes præstantes habent præstantes actiones, quæ vbi supra modum læsæ apparuerint, sensus iudicio significabunt ea in parte magnum existere morbum, ex harum partium similitudine iudicandum est de aliarum partium læsionib. Cum vero ait: aut propter affectus magnitudinem] intelligit affectum, quo ad suam formam duntaxat, seclusa materia, humoribus scilicet facientibus morbũ, aut factum fouentibus, & conseruantibus. Postremo, quãdo inquit, aut propter ipsius cacoethiam] significat magnitudinem morbi, ratione causæ: quia vero sunt multa causarum genera, pro exemplo proponit cacoethiam, id est, malitiã, quia huius proxime fecerat mentionem, cum de purgatione tractaret. Quod vero de hac ipsa dicit malitia humorum, idem intelligi debet de vnoquoque excessu supra mediocritatem in humoribus, vt de multitudine sanguinis, de crassitie, de visciditate, de putredine, aliisque id genus, quando magnitudinem susceperint, excedendo supra mediocritatem. Cæterum nomine κακοηθείας duo intelligimus, vnum malignitatem, atq; summam perniciem tota potissimum substantia nobis infestã, secundum quam significationem vlcera vocantur κακοήθη. aliud vero in communi omnem malitiam, & viciositatem omnium humorum siue à tota substantia, siue à manifestis qualitatibus ortam, siue cum putredine, siue citra putredinem: hanc secundam significationem hic admittimus, quia quicunque humor committat morbum, semper hac ipsa ratione malus est. Primus igitur hic Galeni locus nullam habet difficultatem. At maiorem certe habere videtur alter in septimo Method. capitulo duodecimo, in quo sic inquit: Ea triplex est, alia quæ ex læsæ actionis præstantia spectatur: alia, quæ ex propria affectus essentia: & tertia præter has, quæ ex facultate, quæ læsum corpus gubernat, æstimatur.] Hæc verba, si quispiã ea diligenter contempletur, haud sunt diuersa ab aliis quoad sensum, nam quando dicit: alia quæ ex læsæ actionis præstantia spectatur] morbum magnum significare videtur mihi penes magnitudinem, & formam affectus, quia quo fuerit hæc maior, eo sane actiones præstantes magis læduntur; idcirco ex effectu, causæ rationem significat. Hanc explanationem perlibenter admitto, tum quia satis consona est rationi, tũ etiam, quia Iulio Alexandrino Archiatro Cæsareo placuisse scio. Cum vero dicit postea. Alia quæ ex propria affectus essentia] explanat morbum magnum ratione causæ continentis, atq; proximę: quam hic propriam vocauit morbi essentiam, quemadmodum etiam in arte medica, cum ait: Facta autem ægritudo curabitur, soluta ea dispositione, à qua primum ea, quæ secundum naturam est, læditur operatio: quam quidem & ipsam morbi essentiam dicimus esse] certissimũ est hoc loco loqui Galenum de causa coniuncta, à qua morbus factus est: quicquid alii somnient. Constat continentem causam vocari hic essentiam morbi, & hic notabis, Galenum dixisse propriam essentiam] & non, simpliciter essentiam] quia qui profert essentiam, totam profert essentiam, materiam, & formam: qui vero propriam dicit, partem essentiæ pronunciat. Quando postremo dicit. Quæ ex facultate, quæ læsum corpus gubernat, extimatur] magnitudinem morbi significauit ex actionum præstantium læsione, quam differentiam exprimere illi placuit per proximam causam ipsarum operationum, quæ causa est facultas. Etenim posita facultate, ponitur actio, remota facultate, remouetur, ita vt vbi adsit actio, ibi adsit facultas, & è contra. Idcirco mirum non est, si ex facultatum principum læsione, voluerit eum modum declarare, secundum quem dicitur magnus morbus, ratione magnitudinis actionũ læsarum. Superest explanandus alter locus ex libro de totius morbi temporibus, cap. quinto, in quo in hunc modũ scribit: Itaq; morbi singuli ex sua quidem natura magnitudinem quandam possident, melius enim sic est dicere, claritatis gratia: Hæc morbi magnitudo vel supra vires est, vt eas grauet, vel è cõtrario viribus ægri imbecillior, vt ab illis superetur omnibusq; probe euenientibus. Proinde cũ supra vires fuerit, homo prorsus mo-

sus morietur.] hæc ille. Ex quibus constat magnum morbum dupliciter dici; vno modo ratione suæ substantiæ, alio ratione virium, sicque non esse tres differentias morbi magni, vt quarto & septimo Methodi scribit. Verum hic locus apertissime confirmat opinionem nostram. pro qua re sciendum est, Galenum nunquam dixisse, morbum in relatione ad vires proprie magnum nuncupari, sed potius contra, maiorem, vt eius verba manifestum faciunt, quæ eodem capite sic habent: Nam quod ægrotantis perniciē continet, in hoc situm est, quippe dum nec seruari quis potest, nisi natura morbum superauerit, neque perire, nisi natura victa sit, morbusque ea superior euadat. Hinc est, quod nonnulli vnum ex magno morbo, qui ad aliquid relationem habet, significari arbitrantur, ignorantes interim, & sic magnum morbum dici, quemadmodum si maiorem etiam diceremus, cum supra vires nostras fuerit.] in his verbis reprehendit illorum opinionem, qui morbum magnum in relatione ad vires vocarunt, ignorātes (inquit) interim, & sic ab illis morbum magnum dici, qui supra vires nostras fuerit, atque solemus maiorem morbum vocare. Admiror autem plurimum, quomodo nouatores hæc non animaduerterint, merito primum nuncupatur maior, non magnus simpliciter: quia, qui exiguus morbus est, & qui mediocris hac ratione magnus statuitur, id est, ex accidenti, non equidem natura propria, & ex collatione cum eo quod in morbis est mediocre, sed accidentaria quadam ratione, sic leuissima febris hominem occideret, aut morbus quicunque paruus. Quid vero differat magnum dicere, & maiorem, à Galeno explanatum fuit libro de dignotione ex pulsibus secundo, & alibi passim. Sic igitur concludo morbum in relatione ad vires maiorem dicendum esse, non autem simpliciter magnum. Quin addo locum illum nostram opinionem vel maxime confirmare: Quid enim volunt hæc verba? itaque morbi singuli ex sua quidem natura magnitudinem quandam possident?] an ambigua sunt hæc? porro hæc magnitudo morbi aut vires superare potest, aut non potest: cum superat, moriundum est ægroto, cum non superat, sanandus. Neque hic putes diuidi à Galeno magnum morbum, in eum, qui respicit vires, & in magnum, qui superat vires. At scopus illius est, diuidere morbum re vera magnum in salubrem, & in lethalem: illum vocat mortalem, cuius vehementia a viribus ferri non potest, salubrem vero, qui superatur à viribus: vt omnes facile iudicabunt, qui sententiam verborū Galeni perpendere diligenter voluerint. Quamobrem in Galeno nihil adest, quod recte dictum non sit, quodque suis principiis non maxime conueniat. Redigentes vero in breuem summam, quæ hic de magno morbo disseruimus, tres illius existere differentias dicimus: vna est, cum morbi forma supra mediocritatem affectus præter naturam fuerit constituta, qua significatione dicere solemus, obstructionem, tumorem, vulnus, fracturam luxationem, intemperiem, febrem, aliosq; id genus morbos magnos existere. Alia differentia est, cum morbus magnus dicitur ex causæ magnitudine, aut ex propria essentia, vt Galenus dicit in septimo Methodi, quam libro quarto eiusdem tractationis cacoethiæ nomine exempli gratia insigniuit, cum scilicet materia maligna est vitiosa, plurimum putrida, aut pestilens, & venenata, aut adeo multa vt vasa distendat, suffocationemq; minetur caloris naturalis. Tertia vero cum magnus dicetur ex symptomatum vehementia, magnitudineq;, vt doloris, sitis, languentis appetentiæ, vigiliarum, & aliorum id genus. Nunc propius ad illorum expendendam examinandamque opinionem accedamus.

Cap. V.

Opinionis superius posita impugnatio.

CVM horum opinionem contemplor, multa sese offerunt mihi, quæ nō mediocrem difficultatem pariunt, primo autem loco illud, quod scribant magnum morbum, & vehementem, & acutū idem apud Galenum significare. Etenim me non fugit, Galenum aliquando id pronunciasse, præsertim vero libro

de Crisibus, & libro primo Aphorismorum, cum inquit: Magnitudo, & vehementia febris duo sunt apud Medicos visitata nomina, ipsaq; sæpe de eadem re pronunciant.] nihilominus id animaduertere debebant, quod magnus morbus abusiue quidem pro vehementi sumitur, non proprie. Idcirco Galenus inquit, quod sæpe de vna re vsurpantur, nec dixit semper; differunt enim inuicem, tanquam commune à particulari, vt genus à specie. Siquidem omnis morbus vehemens magnus est, non tamen omnis magnus vehemens, quam rem illorum etiam sententia facile probare possumus. Morbus magnus est, qui à mediocritate plurimum excedit, quod tum in genere, tum sigillatim veritatem habet. At morbus vehemens est, qui validum habet, velocemq; motum, ex quo possumus sic ratiocinari contra eos homines. Illi affectus inuicem differunt, quorum diuersæ sunt definitiones, magnus itaq; morbus à vehementi differt. Quis enim diceret, omnem magnum morbum velociter moueri & valide? Quis admitteret, moueri, & mediocritatẽ excedere, idem esse? rursus vero quis diceret, morbum magnum & acutum esse idem? Iam si magni morbi notio illa vera est, quomodo acuto conueniet? erit in specie magnus morbus, vt ephemera, quartana, quotidiana, hectica, quibus acuti morbi rationem conuenire non posse multo certius est, quam quod hoc loco debeat explicari. Morbi (inquit Galenus) singuli ex sua quidem natura magnitudinem quandam possident; melius enim sic est dicere claritatis gratia: At si hoc veritatem habet, quod illi pariter admittunt, eruntne singuli morbi vehementes & acuti? Quin Hippocrates etiam distinxit morbum acutum à vehementi, cum 4. de rat. vict. in morb. acut. ait: In acutis morbis sanguinem mittens, si vehemens videatur morbus, floruerit ægrotanti ætas, & virium adfuerit robur,] atq; hic primus illorum error videtur mihi. Secundus est multo maior, quando dicunt, magnum morbum pro vehementi & pro acuto sumptum, indicare venæ sectionem: Nam si indicatio huiuscemodi sumitur à morbo acuto & vehementi: omnis vtiq; acutus morbus & vehemens indicabit hoc generosum præsidium, quod enim indicat id, pro sua natura indicat; quod pro sua natura indicat, id semper indicare scribit Galenus nono Method. medendi. Sed cholera acutissimus & vehementissimus morbus, nunquam venæ sectionem indicat: morbus à turgente materia concitatus, acutus est, huic tamen conuenit purgatio, Hippocratis & Galeni testimonio, minime autem venæ sectio. In vehementissimis doloribus admonuit Galenus 1. Aphoris. 23. adhibendam esse distinctionem, an purgare, an venam incidere oporteat, prætermitto alia à nobis alio in opere explanata. Quin affirmare, morbum magnum absolute sumptum, etiamsi non sumatur pro vehementi & acuto: indicare venæ sectionem error est; nunquam illi ostendent, Galenum id pronunciasse. Nam locus hic, cuius interpretationis causa tot à nobis dicta sunt, quam parum illis faueat, ea manifestum faciunt, quæ in explanatione primi capitis dicta sunt à nobis: & quæ rursus diximus, dum affectus prosecuti sumus vacuationem postulantes per venæ sectionem. Quæ vero ex quarto Methodi, capite sexto proferunt, contra Menodotum Empiricum dicta, sanguinem esse mittendum citra plenitudinis affectum ostendunt, vbi eo indiguerimus remedio, tanquam reuulsorio præsidio, quoniam morbi magnitudo à sanguinis, aut multitudine, aut motu semper phlebotomiam indicat, vel tanquam vacuatiuum, vel tanquam reuulsiuum præsidium: vnaque magnitudo morbi absolute sumpta, non ad phlebotomiam modo, sed etiam ad purgationem desideratur. Cæterum cum de secunda significatione magnitudinis morbi in relatione ad vires disputant, mihi etiam non mediocriter displicent: primum, quia vt exposuimus, virium relatione grauis morbus haud recte dicetur magnus, sed maior. Deinde vero, quod hoc modo sumi à Galeno putant, cum in quarto Methodi, & alibi magnum morbum esse scribit, ratione præcipue partis, aut malignitatis, siue cacoethiæ. Hic enim multiplex apparet error: Quis aliquando intemperiem cerebri, iecinoris, cordis, testium, aut earum partium, quæ magna cum illis affinitate coniunctæ sunt, aut etiam quæ exquisitum sensum habent, vocare audebit

bit morbum magnum in relatione ad ipsas vires? Iam illud citra omnem controuersiam constat, quod desperata est omnino salus, vbi morbus supra vires magnus extiterit. Quis igitur, aut ex dolore, aut ex intemperie illarum partium liberabitur? Deinde mala materia (cui ratio conuenit cacoethiæ) quotidie circa præcipuas partes inhærescit, aut ad illas attrahitur, aut gignitur citra labem. Cor putridos humores per febres, humores malignos & atros per palpitationes. Iecur biliosos humores, cuiuscunque speciei extiterint. Cerebrum pituitam salsam, bilem quinetiam ipsam generat, ac recipit citra damnum aliquando vllum, aliquando vero exiguum, aut certe non lethale. Præterea in hoc etiam aberrant, quando dicunt, morbum in vniuerso genere magnum sic à Galeno nuncupari in relatione ad vires. Nam si hunc virium respectu magnum dicimus, qui erit magnus suapte natura? collatione inquam facta ipso in genere ad id, quod mediocre est? Proponant illi morbum magnum in vniuerso genere, illico percipient, non semper magnum dici illum respectu virium, sed natura sua, quæ consistit in recessu à mediocritate morbi, cuius recessus causa magna conueniunt remedia, à quibus liberantur. Amplius morbus magnus non debet mensurari à naturali mediocritate, siue statu secundum naturam, vt illi dicunt, quandoquidem regula & mensura magnitudinis morbi sumi debet ab eo, quod mediocre est, sed non à quocunque, verum ab illo, quod existit in eodem genere. Opus est igitur collationem fieri ad mediocrem morbum, non ad mediocritatem naturalem, aut ad sanitatem. Rem in hunc modum habere, hæc ratio demonstrat. In eodem genere continetur medium, in quo extrema continentur, iam quidem in hac re duo sunt extrema, vt, paruus morbus, magnus morbus: medium igitur, cuius collatione hic paruus, ille non magnus dicitur, in eodem genere morborum contineri debet. At naturalis mediocritas, siue status naturalis est alterius generis. Rursus illorum etiam testimonio, morbus magnus dicitur, qui mediocritatem excedit; paruus vero, qui est infra mediocritatem. At vero nunc supponamus, collationem fieri debere ad statum naturalem, quis erit quæso status morbi parui infra mediocritatem naturalem? quod somnium narrant mihi, dari morbum infra sanitatem? nonne hoc subuertit vniuersæ medicinæ principia? Admitto in illorum gratiam libenter, morbum magnum dici, qui plurimum distat à naturali mediocritate, sed hoc illis negandum est, naturalem hanc mediocritatem esse metrum, regulam, mensuram, vt cum Galeno loquar, qua morbi magnitudinem metimur. Quid fuerit naturalis ille status, cum Galenus primo ad Glauconem scribit, ad tantam magnitudinem morbum peruenisse, quantum vnusquisque à naturali suo statu recessit. est inquam mensura, qua cognoscimus remedii quantitatem, quoniam tot debemus alterare gradibus, quot fuerint supra statum naturalem adaucti, vt diximus in Methodo medendi. Adde, quod neq; protinus sequitur, quod vbi morbus à naturali statu multum recedat, ibi vires morbo imbecilliores existere. Nam illud multum recedere, latitudinem quandam habet, quæ magis ac minus continet, quemadmodũ supra dicebamus, docentes, quomodo magnitudo morbi quantitatem phlebotomiæ indicabat. Postremum addo, magnitudinem morbi in relatione ad vires nullum omnino vsum afferre in medicina, quandoquidem omnis morbus perquam exiguus mortalis esset, vtputa senibus decrepitis, & puerulis, aut alia ratione imbecillis corporibus, quod à Medico non debet considerari. Magnitudo enim morbi magna indicat præsidia in suo genere, vt, vel phlebotomiam, vel pharmacum purgans, vel potum frigidæ, vel cauterium, vel sectionem, vel vstionem, vel quid aliud. At magnus virium respectu eiuscemodi indicationem non profert: quia nulla ad morbum, aut certe admodum exigua vertitur curatio, omnis vero ad vires diligentia sit adhibenda, si modo spes aliqua salutis futura sit. Hæc & alia quamplura insequuntur hanc opinionem absurda. Cæterum quod attinet ad illorum rationes, quibus contendunt demonstrare, Galenum sibiipsi non constare, neque docere, qui morbus sit magnus, arbitror me iam manifestum fecisse, illos tota aberrasse via,

dum præsertim demonstrauimus, qua ratione Galeni sententiæ, quæ diuersæ videbantur, sint interpretandæ. Illud nunc subiicio, Galenum in quarto Methodi medendi, cap. 6. docuisse, omnem magnitudinem morbi indifferenter se habere ad venæ sectionem & purgationem. Nam siue fuerit magnus morbus ratione formæ, siue ratione materiei, siue ratione symptomatum, phlebotomia indicabitur, modo existat ex illorum numero morbus, qui curari & sanari valeat venæ sectione. Contra indicabit purgationem, si fuerit ex illis, quibus opitulatur pharmacia, reliquas rationes sigillatim non persoluo, quia ex supradictis facilem explicationem habent. Atq; hæc de magnitudine morbi.

CAP. VI.

Quibus signis magnitudo morbi deprehendatur, ex quorum obseruatione mittendum aut non mittendum esse sanguinem, cognoscimus ex aliorum sententia.

DISCVTIENDVM proponunt recentiores Medici doctissimi quidem viri, quibus signis magnitudo morbi deprehendatur, ex cuius indicatione mittendum esse sanguinem colligimus: de qua re in hunc modum elegantissime scripserunt. Morbus autem siue factus omnino, siue incipiens, siue impendens, magnus dicitur, aut ex se, aut ex sua continenti causa, quæ in humoribus consistit, aut ex symptomatis cuiusdam sæuitia; Ac primum quidem magnus vehemensq; intelligitur ex suo genere, nam cuiuscunque partis sit phlegmone, grauior deteriorq; censetur, quam simplex eiusdem intemperies. Deinde ex partis vsu atque præstantia: si ex principum partium est ordine, vt cor, vt cerebrum, & iecur, aut si contra inter partes abiectas & ignobiles censetur. Præterea ex ipsarum situ, nam aliæ principibus affinitate iunguntur, vt pulmones, latera, ventriculus & lien. Aliæ vero longiore interuallo disiunctæ sunt, vt intestina, renes, vesica, artus, aliæq; in extremo corporis positæ. Ex ipso deniq; partis sensu, qui aut acer, acutusve est, aut hebes. At causæ magnitudo ex humoris, qui in affecta sede congestus est, & continens, fit morbi materia, conditione, & natura spectatur, quod nempe benignus sit, vel vitiosus, vel putridus, vel perniciosa qualitate contaminatus, isque aut multus, aut paucus. Hinc enim quicquid perniciosum est atq; malignum, magnum etiam nuncupare consueuimus. Ex vasorum etiam & viscerum, totiusq; corporis plenitudine, vel exinanitione, antecedentis causæ magnitudo deprehenditur: itemque ex humorum ibi conceptorum puritate & vitio, symptomatis magnitudinem ex vehementia, aut remissione eorum, quæ incidunt, metimur: nempe doloris, sitis, languentis appetentiæ, vigiliarum, & cæterorum, quę vires imminuunt & attenuant. Itaq; si praua quædam morbi species, veluti inflammatio, iecur, cerebrum, vel partes cordi vicinas atq; connexas occupauerit, cuius vis late se fundat, sitque humor putridus & venenatus, quali & corporis vasa conferta appareant, adeo vt inde magna concitetur corporis agitatio, mala appetentia, sitis, dolor acerbus, & vigiliæ, hunc profecto in maximorum grauissimorumq; morborum numero reponemus, cui & maxima conuenit vacuatio. In quo autem morbo diuersa comparent omnia, is certe pro leuissimo minimoque ducendus est, & qui fortasse nullius euacuationis indigeat: inter hos non pauci interiecti sunt medii ordines, qui pro maioris minorisque ratione, aut abunde, aut parce vacuandum denunciant.

CAP. VII.

Qui magnus morbus indicet venæ sectionem ex Augenii sententia.

HÆC quamuis tum eleganter, tum considerate dicta videantur, nonnihil tamẽ ingerunt mihi dubitationis: Quandoquidẽ morbi magnitudo venę sectionem

ctionem indicans, non est absolute sumenda, sed prius supponit, morbum ex eorum esse numero, qui vacuationem postulet per venæ sectionem: verum quia non protinus in eiuscemodi affectu ad remedium accedimus, propterea scopi consulendi sunt, inter quos vnus est morbi magnitudo, magnum auxilium postulans in eo genere auxilii, quod indicat morbi natura. Rem prius ex Galeni verbis explanemus. Hic enim dicit in libro huic tractationi dicato, statim in principio oportere eum, qui de sanguinis emissione speculari voluerit, vnum sibi primumq; proponere, nempe vt quæ corporis affectiones euacuatione indigeant, consideret. Ac deinde alterum, quænam ea, quæ sanguinis fit detractione: nam multi sunt affectus, qui alia quapiam euacuatione quidem indigeant, sed non sanguinis missione.] Vides hic, quod primum habere suppositum debeat, qui de hac tractatione agere voluerit. Verum contemplatio de scopis hanc non modo subsequitur, sed vltimo fere loco ponitur à Galeno, sic enim ille inquit: Porro hac quoq; speculatione absolute succedit de scopis, seu intentionibus oratio, quibus videlicet quis animũ attendens, vacuationis mensuram coniectura queat assequi.] hac de re egit Galenus de scopis, in cap. 12. illius libri. Hoc itaq; primum est, quod in hac ipsa contemplatione animaduertendum est, cognoscere, num curandus affectus postulet vacuationem: Secundo, an exigat vacuationem per venæ sectionem. Quibus cognitis, magnitudo morbi postea est perpendenda, qua posita, statim ponitur, & qua remota, remouetur indicatio de sanguine mittendo. Sumus infra multo diligentius explanaturi, quæ ad hoc argumentum pertineant: interim vero non est prętermittendum, quod si in omni morbo magno sanguinis mittendi vigeat indicatio, in cerebri, iecinoris, cordisque intemperie, quæcunque sit, conueniet remedium: quod absurdissimum esse, nemo est qui nesciat. Quis præterea in partium affectu, quæ consentiunt cum principibus, quis in omnibus exquisito sensu præditis, quis in omni putredine, quis in omni vehementi cacochymia, quis in malignis humoribus venæ sectionem consuleret? Adeo enim male consultum foret humano generi, si hoc admitteremus, vt nihil peius. Neque putandum est, doctissimum illum virum hæc pręcepisse, nulla adhibita distinctione: vt eius verba significare videtur illis, qui attento animo non legunt: quia tum in superioribus capitibus id manifestissimum fecisse videtur, cum docet, quæ humorum vitia phlebotomia vacuet ex venis: tum præsertim hoc ipso capite, quando sic inquit: Cuicunque affectui conuenit venæ sectio, ea protinus adhibenda, si magnus is est, viresq; consentiunt.] Cæterum hunc non distinguere morbum magnum ea ratione, qua Galenus distinxit, multo notius est, quam quod debeat explanari. Vtra vero potior sit distinctio, aliorum sit iudiciũ. Quænam igitur est ratio magnitudinem morbi cognoscendi (dicet fortasse aliquis) si ea vsque quaque non placet? ea (inquam) est magnitudo morbi perspicienda, quæ sanguinis abundantiam (si vacuatio proponatur) aut sanguinis fluorem (si reuulsioni incumbere statuimus) plurimum vrgere demonstrabit: id vero accommodatis fiet signis, quæ vel plethoricam dispositionem, vel sanguinis fluentis impetum arguent: sunt sane illa in superioribus libris explanata: hæc vero, cum de reuulsione sermo erit institutus, prosequemur.

Cap. VIII.

An in magno morbo cum parua plenitudine venæ sectio conueniat.

DICEBAMVS in superiori libro, venæ sectionem indicari à plenitudine magna: nunc quæritur, an eadem vigeat indicatio, si plenitudo aliqua sit parua, morbus autem magnus. Causa dubitationis est, quia Galenus solam magnitudinem morbi, tanquam indicatricem huius remedii admittere videatur, in libro de ratione curandi per venæ sectionem, vt prædiximus; & quarto Methodi medendi, capite sexto dicebat: quod si magnus fuerit morbus cum virium robore, nemo vtique est, qui sanguinem non mittat, qui fuerit in artis operibus

exercitatus.] Hæc si vera sunt, nostris aduersantur principiis, cum diximus, à magna plenitudine hanc desumi indicationem de sanguine mittendo. Ad hæc vero diximus, idem esse, dicere magnum morbum, & magnam plenitudinem: quod verum non esse constat ex Galeni verbis libro de venæ sectione, qui supponens magnum esse morbum, inquirendam postea præcipit quantitatem plenitudinis, ac nõ protinus in omni plenitudinis affectu hanc exerceri debere vacuationem. Quod ad hanc difficultatem pertinet, duo veniunt dicenda: Primũ est, magnum existere morbum, exiguam vero plenitudinem videri mihi quidem impossibile. Morbus enim magnus ille dicitur, qui à magna concitatur causa: quemadmodum è contra paruus, qui à parua. Quamobrem dicere affectum aliquempiam esse magnum, causam vero concitantem exiguam, implicare non mediocrem contradictionem videtur mihi. Nisi fortassis dixerit quispiam, non ratione plenitudinis, sed propter vitiosum affectum nuncupari magnum. quod quemadmodum admitto, sic etiam illud asseuero, duplicem affectũ existere, tum scilicet plethoricum, tum cacochymum, qui quoniam specie inuicem differunt, diuersa etiam indicabunt remedia: plenitudo quidem venæ sectionem, vel, vt rectius dicam, vacuationem: cacochymia vero, mali succi expurgationem: quæ duo diuersis aliquando fiunt remediis: dixi aliquando] quia non est inconueniens cum vterque affectus fuerit exiguus, frictionibus, inunctionibus digerentibus, balneis, inedia, aliisque id genus sanari posse: at cum adeo magnus fuerit, vt vacuatio leuioribus hisce præsidiis tentata, proficere nihil potest maioribus vtendum, phlebotomia, & medicamento purgante. Quod si vnus affectus fuerit magnus, alius vero paruus, magnum adhibere oportebit remedium pro magni extirpatione, leuioribus interim præsidiis contenti pro exigui curatione. Quæ res in proposito accidit casu: in quo magno existente morbo non à plenitudine causato, sed à cacochymia nulla ratione conueniet phlebotomia, sed purgans pharmacum protinus erit exhibendum, quo vero postea exiguam illam extirpemus plenitudinem, satisfaciet frictio mollis, aut cibi paucitas, aut inedia, aut digerens inunctio, aut balneum, aut soluta aluus, aut etiam fortassis nihil horum, cum natura ipsa ex se possit sufficere. Deinde vero dicendum est, plenitudinem exiguam posse nuncupari magnam in relatione ad vires, quæ ferendo non sint, tuncque si forte suspicabimur, tendere illam ad corruptelam, antequam id accidat incommodi, venæ sectio poterit administrari, aut ante pharmacum, aut post pharmacum prout fore necessarium Medicus iudiciosus existimauerit: secus autem abstinere omnino debet vt prædiximus. Constat ex his morbum magnum à plenitudine genitum easdem proferre indicationes, quas habet magna plenitudo. Hæc licet absit morbis actu, eadem est indicationis ratione cum magnitudine morbi in potentia. Etenim indicare morbi magnitudinem venæ sectionem, notissimum est: sed hæc indicatio fit à morbo præsenti, & futuro, vt iam docuimus. Porro Galenus nunquam admisit magnum morbum ab exigua plenitudine: verum quod ille dicit, hoc modo habet. Posita plenitudine tanquam basi, sine qua ad hoc generosum accedere non licet remedium, inquirendum est, an semper phlebotomia conueniat: tuncque inquit administrandam, cum morbus adfuerit magnus, aut expectetur: Neutrum autem continget, nisi plenitudo affatu digna fuerit.

CAP. IX.

Confirmatio ex Galeno & Auicenna, eorum, quæ dicta sunt.

VERVM vt hæc, quæ diximus, omni careant difficultate, potissimum apud eos Medicos, qui nisi aduocatis testibus fidem aliquam adhibent, confirmemus ea, tũ Galeni, tum Auicennæ sententiis. Atq; in primis hunc campũ ingrediatur Galenus. Is itaque statim in principio libri de ratione curandi per missionem sanguinis, proponit hæc rerum capita se inuestigaturum circa propositam disputationem. Horum primum est, vt cognoscantur affectiones, quæ euacuationem desiderant. Deinde vero alterum succedit, nempe, qui affectus postulent

stulent missionem sanguinis. Tertio autem diiudicare oportebit, quæ corpora hanc euacuationem ferre possint. Demum, ex qua vena sit necessarium mittere sanguinem. Postremum vero caput docet scopos & intentiones, quibus habitis conueniat sanguinem detrahere, & an semel repenteq; euacuandum: an autem partiri euacuationem conueniat. Cum hæc igitur in hunc modum se habeant, vnumquodq; caput expediens Galenus, docensq; affectiones, quæ vacuationem exigunt, omnium meminit, quæ tum à plenitudine, tum à cacochymia originem habent: mox autem explanans affectus, qui curantur venæ sectione, mentionem duntaxat eorum facit, qui concitantur à sanguinis abundantia aut fluxione, tum ratione vacuationis, tum ratione reuulsionis: quæ res clarissime apud omnes patet legenti caput quintum & sextum libri de ratione curandi per missionem sanguinis, quo loco proponit venæ sectionem tanquam euacuatiuum præsidium. & confirmatur: quoniam sequenti capite docens missionem sanguinis, non modo præsentibus morbis, sed etiam futuris vtilem esse, inquit: Sed illud prius videndum, quid sit id, quod in illis aceruetur, siquidem nonnullis amaræ bilis succus plus cæteris colligitur, quibusdam bilis atræ, aut pituitæ, aliis ex æquo omnes, in quibus sanguis abundare dicitur; hos ergo omnes vacuabis, sicut etiam podagricos & arthriticos Veris principio exhibito scilicet, aut medicamento purgante, aut sanguinis missione:] Capite vero decimoquinto, decimosexto, ac sequentibus, explicans, quibus affectibus pro reuulsione venæ sectionem adhibere debeamus, eorum mentionem facit, qui sane à sanguinis fluore originem habent. Ex his igitur Galeni opinio satis euidens videtur. Sed alios etiam eius viri locos afferamus; libro quinto de sanitate tuenda inquit: Itaq; etiam Vere tales naturæ maxime iis morbis patent, qui ex plenitudine oriuntur: quales sunt synanche, destillationes, quos catharros vocant, hæmorrhoides, sanguinis profluuia, articulares morbi, ophthalmiæ, peripneumoniæ, laterum compunctiones, reliqui deniq; omnes, quorum genus est phlegmone, quare etiam anticipare per Veris initium sanguinis detractione oportet, aut per incisam venam, aut scarificatis malleolis.] & libro sexto eiusdem operis ait: At si sanguinis quidem abundantiam corpus accumulauit, mittendus is est, sin vitiosum succum, vacuandus hic est medicamento, quod superantem humorem purgat.] in Aphorismorum autem Commentariis, vt sexto Aphorismorum, Commentario quadragesimoseptimo, eandem sententiam confirmat his verbis: Nos enim oportet, vt anticipemus euacuare Vere adueniente, vel per venæ sectionem, si plenitudinis passionibus subiiciantur: vel purgatione, si eis, quæ ex corruptione proueniunt.]& parum infra. Venę itaq; sectio (inquit) commune est earum, quæ ex plenitudine fiunt dispositionum, purgatio vero siquidem secundum genus inaudias, vnum quoddam auxilium existit, non tamen secundum speciem. &c.] Prętereà tum primo Aphorismorum, tum passim alibi, purgationem definiens, dicebat, eam deberi humoribus sua qualitate peccantibus, euacuationẽ autem, si quantitate peccauerint. Porro per vitium in qualitate hominem intelligere malum succum, in quantitate autem plenitudinem, certius est, quam quod explicari debeat. Afferamus in confirmationem horum, quæ diximus, quumodo Hippocrates mulierem quandam tremore corporis totius correptam persanauerit. Ancilla Eitemargo erat (inquit) cui a puerperio puellæ sanguis nullus fluxerat, matricis os ei cõuersum est ad Ischia, doluit cruribus, iuxta malleolũ phlebotomata, valuit, & quidem toto corpore tremebat.] Galenus vero hunc locum enarrans, ait: Quid iste ænigmatice aliud insinuet, quam quod alius tremorem, frigidum affectum ratus, sanguine calido existente eam non phlebotomasset? non enim in affectu calidis egente, quispiam sanguinem detrahere audeat: sed ausus, inquit, ego sum, & rationem reddit, dicens, ad causam veniendum est, & impetum ipsius, quod infestabat (inquit) noueram, & causam molestiæ sanguinis copia infestabat. Causa, vteri conuersio ad Ischiam, quo muliebria defecerant. Enimuero quem vacuari sanguinem oportuit, non vacuatus, sed corpore pererrans erat naturæ onerosus,

quamobrem ſanguinis copiam eſſe tremoris cauſam, cognoſcens, & cauſæ impetum vteri affectionem: ad hæc plenitudinem indicationem euacuationis date, locum autẽ affectum, vnde ſit euacuandum, demonſtrare: his ambobus iunctis, venã pedis ſecuit, phlebotomiam quidẽ, quod ſanguinem vacuare volebat, à pede, quod maxime afficeretur vterus. Quod autem redundante ſanguine, ſit detrahendus ſanguis, cenſeo cuiuis eſſe apertum, cũ a venis ſanguis complectatur.] ex his quidem colligendũ eſt: Primum, in affectionibus frigidis (quatenus tales exiſtunt) non conuenire ſanguinis miſſionem: Deinde, quod nunquam accedere ad phlebotomiam oportet, niſi fuerit ſanguinis abundantia. Poſtremo, plenitudinem indicare miſſionem ſanguinis, quod ſane venit intelligendum, cum fuerit plenitudo affatu digna, cuius cauſa magnus aliquis morbus factus fuerit, aut immineat, vt iam declarauimus, quibus addere eſt, hanc non eſſe vniuerſalem plenitudinem, ſed particularem, nempe ſolius vteri. Alter eſt etiam locus Galeni in Methodo medendi, quo optime noſtra opinio confirmatur, ſic enim ait: Memineris vero mihi ad ea, quæ dicenda ſunt, etiam quorum cauſa venæ ſectio petitur: nam quoniam hæc ſanguinis euacuandi gratia adhibetur; ſanguis autem vtilis naturæ eſt, vtiq; probe hanc adminiſtrare conueniet, ſic, vt quod inutile naturæ ſit, emittat: fit autem ſanguis naturæ inutilis bifariam, vel cum propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat, nec amplius nutrire, ſicut prius, cum vtilis eſſet poteſt: vel ita multitudinẽ creuit, vt aut vires premat, aut tum venas, & arterias, vel diſtendat, vel findat, vel obſtruat; Ac in his quidem miſſio ſanguinis vtilis eſt ceu vacuantium præſidiorum vna, in aliis autem, ceu quod humorum vehementiorem impetum ad diuerſas partes reuocet, vel propinquas deriuet.] Huc etiam pertinet, quæ libro quarto de ſanitate tuenda de ſanguinis miſſione hiſce verbis conſcripſit: Vbi paulul um, vel citra ſanguinem teſtitutum, vel vltra progreſſum eſt, audacter mittendus ſanguis eſt, vbi plus conſideratius agendum: vbi plurimum in his nullus mittendus eſt: inſpicere vero & quantitatem conueniet, vt verbi gratia, ſi bonus ſanguis exiguus ſit, reliquus vero ſuccus plurimus, vtique in his abſtinendum à detractione ſanguinis eſt: ſin is quidem exiguus, ſanguis vero copioſus, audacter incidenda vena eſt.] Hæc ille. Quæ nobis demonſtrant ſanguinem non eſſe mittendum vbi mali ſucci abundauerint, quod eſt in ipſa, vt Græci dicunt, cacochymia. Poſtremum vero idem auctor libro de ratione curandi per miſſionem ſanguinis explicans præcipuos ſcopos in ſanguinis miſſione obſeruandos, duos recenſuit, dum ſic loquitur: Primum vero ſcite conuenit, dum propoſiti ſcopi huius præſidiũ augentur, maiorem indicari euacuationem: dum vero exoluuntur, tantum detrahendum de ſanguinis miſſione, quanto illi minores euaſerint. Morbi itaque magnitudo cum virium robore, primi erant mittendi ſanguinis ſcopi: ille quidem, quæ facienda ſunt indicans, hic, tanquam illum haud prohibens: id quod contraindicare iuniorum Medicorum quidam appellant.] Ex hac verborum ſerie euidentiſſime conſtat, vnum ſolum eſſe, quod indicat miſſionem ſanguinis: Nempe morbi magnitudinem. Verum non poſſumus non ſimpliciter magnitudinem affectus intelligere, quandoquidem vt expoſuimus priori libro, hæc nihil aliud de ſe indicare poteſt, quam magnum præſidium: addere igitur magnitudini oportet, quod ſolam indicet venæ ſectionem; quid vero hoc eſt, quod in præſentiarum addendum ſit? cauſam nempe à qua ſit morbus magnus in hunc modum: Magnitudo illius morbi, qui ſit à ſanguinis plenitudine, aut fluxu, perpetuo indicat miſſionem ſanguinis: magnitudo morbi à plenitudine tanquam euacuatiuum auxilium: à fluxu vero, tanquam reuulſiuum & deriuatiuum præſidium; ſic quidem interpretandus eſt Galenus, vt ſupra diximus, atque ſic nullam penitus difficultatem habent eius verba, patetq́; quod vnum perpetuo vnum indicat, prout fuerit natura eius quod indicat. Poſtremo hic afferri volo quædam ex libro Galeni in Hippocratem de humoribus primo, in quo noſtram opinionem apertiſſime confirmat, eius verba ſic habent: Si enim morbus valens ſit, viresque ægroti robuſtę,

nemo

nemo erit, qui in medicina facienda sit exercitatus, cui, non esse mittendum sanguinem, videatur. Ac quemadmodũ sanguis propter ipsius copiam, & morbi magnitudinem mittitur: sic purgatio propter alterius cuiuspiam humoris redundantiam, & virium robur adhibebitur.] & parum infra de purgatione ait: Hæc autem opus habent ægroti, non modo quia humorum redundantia, quæ noxia est, expurgetur, sed etiam vt auertatur, & euacuetur.] Tria hic colligo: vnum, purgationem non deberi multitudini sanguinis. Aliud, purgationem virium robur exigere. Tertium, purgationem adhiberi ratione reuulsionis. Quæ tria non admittunt Medici quidam nostri temporis, quorum opiniones supra reprobauimus. Rursus, eodem commentario ait: Hoc igitur nobis consilii dat Hippocrates, vt purgemus, ac redundantem humorem vacuemus, idque modo sanguinis detractione, si is vincit cæteros humores: modo medicamento purgante, cum aut flaua, aut atra bilis, aut pituita redundat, præsertim vero, si malitia humorum adiuncta sit] & nonnullis interpositis inquit: Quocirca statuendum est, purgationes esse perutiles, & cum morbi magni sunt, & cum quibus permagna est humorum iuncta redundantia.] Hæc Galenus. Ex quibus videor iam satis superque explicasse, quod plenitudo modum excedens, aut magnus morbus à plenitudine (idem enim sunt hæc inter se) indicat missionem sanguinis pro euacuatione facienda, partem vero affectam à sanguinis fluxione, aut motu, aut magnus affectus à sanguinis motu indicat reuulsionem, aut deriuationem per sectionem venæ. Nunc vero reliquum est, vt Auicennam eandem opinionem habuisse ostendamus. Is igitur in quarta primi, capite de phlebotomia sic ait. phlebotomia est euacuatio vniuersalis, quæ multitudinem euacuat: multitudo autem est augmentum humorum supra æqualitatem ipsorum in venis.] & paulo post declarans, quibus debeatur vena secari, addit: & nemo quidem est phlebotomandus, nisi vnus duorum: vnus est eorum, ægritudinibus præparatus, qui, cum ipsius sanguis multiplicatus fuerit, cadet in eas, alter est cadens in eas.] id est, nemo quidem indiget euacuatione per sectionem venæ, nisi ægrotus fuerit propter sanguinis multitudinem, aut vereamur, ne propter sanguinis copiam, aut fluorem facile in morbos incidat, verum quia multi sunt Auicennæ loci, quibus videtur asseuerare, phlebotomiam conuenire in cacochymia, eos quomodo debeant interpretari, docebimus sequenti libro. De scopo, qui vere indicat missionem sanguinis, hæc sufficiant.

Cap. X.

Singulorum morborum enumeratio, quibus venæ sectio debetur.

NVNC vero quod generatim hactenus prosecuti sumus, id ipsum particularius doceamus, inductione facta in singulis morbis, quibus venæ sectio debetur. Horum enim explicatio manifestum faciet hoc generosum præsidium nunquam adhibendum esse, nisi aut sanguinis abundantia, aut eiusdem fluxio morbos procreauerit. ergo primum omnis inflammatio, quam Græci phlegmon vocant, tuto sanguinis missione curari solet. Sic profecto ea felicissime vtitur in phrenitide, in hepatide, nephritide, pleuritide, parotidis, peripneumonia, angina, ophthalmia, aurium inflammatione, atq; in vteri, pudendorum, inguinum, alarum, brachiorum, crurum, articulorum, & omnium tam internarum, quam externarum partiũ phlegmone. His addere est, cum euidentes causæ fluxionem proritant, vt contusio, dolor, ardor, atq; eiusdem generis aliç: Capitis dolor, lethargus, vertigo, morbus attonitus, epilepsia, non tamen semper, sed cum à sanguine originem traxerint, venæ sectionem postulant, & Cordis quædam palpitatio: Postulant autem idem remedium, Carbunculus, furunculus, scabies, omnis humor, omnisq; rubor per corporis summa efflorescens, & quicunque ad istorum naturam conditionemque accedunt. Omnis præterea sanguinis violenta eruptio, eodem curatur auxilio, vt ipso fluente ex naribus, auribus, mariscis, vtero, intestinis, aut aliis partibus inflictis vulneribus, aut

aliis cauſis venis ipſis ruptis, vel exeſis, vel apertis. Quod autem pertinet ad febres, iam quidem illud citra omnem controuerſiam patet, omnes ſynochos tam bilioſas, quam ſanguineas putridas, atque non putridas, curari per ſectionem venæ, quandoquidem in omnibus ſanguis ſupra mediocritatem abundat, ſiue ipſa vaſa diſtendendo, ſiue vires grauando. At vero in reliquis febribus ſiue continuis, ſiue intermittentibus abſtinendum eſt à miſſione ſanguinis, non quod is aliquando ſalubriter non mittatur in hiſce febribus: ſed eo ſane conſilio abſtinendum, quod quantum ſit de harum febrium natura, ſanguis minime redundat, nec ad aliquas particulas vehementer agitatur, ac mouetur, ſaluberrimum tamen in omnibus fuerit ſecare venam, cum cacochymiæ plenitudo permixta eſt, aut cum veremur, ne ſymptomatis cuiuſpiam ratione ſanguinis plenitudo fiat, aut fuerit ſanguis confluxurus: ſed hæc infra diligentius docebimus.

CAP. XI.

Quid contraindicet miſſionem ſanguinis.

IAM quid miſſionem ſanguinis indicet hucuſque, niſi fallimur, diligenter explicauimus. Nunc vero ſupereſt, vt doceamus, quid contraindicare venæ ſectionem dicatur. Igitur vires ipſæ dicuntur contraindicare tam priori, quam poſteriori contraindicationis notione intellecta; Virium autem nomine omnes intelligimus facultates naturales, vitales, animales. Atque idcirco illi perperam tradiderunt, qui dixerunt ſoli pulſui tanquam ſigno minime fallaci attentos eſſe de virium robore indicaturos: id certe magnum quippiam, at nondum ſatis eſſe iudico, quandoquidem pulſus fere inconſtans, incertuſque eſt, & externarum complurium rerum interuentu perturbatur, mutationemq́; ſuſcipit. Deinde ingens, copioſaque euacuatio alias vires non minus, quam vitalem concutit, atque earum occaſu haud ſecus emorimur, atque ſi vitalis intercideret. Quare videtur aliarum etiam facultatum obſeruatio ad vacuandum neceſſaria, ſi quis enim vehementi, & diuturno morbo; vt lienteria, atrophia, maraſmoue extabuit, huic profecto nõ fuerit ſanguis mittendus, etiam ſi nunc exiſtit plenus, & validus; quocirca non vnius, ſed trium vagarum, & influentium facultatum, neque harum ſolum, vt recte concludit Galenus, verum etiam inſitarum, quibus actio vitæ continetur ad ipſam euacuationem, quæ fit per miſſionem ſanguinis validitas & infirmitas obſeruãda eſt. Si enim validæ fuerint, contraindicare dicentur ea ſignificatione, qua dicebamus, idem inſinuari, modo tamen contrario, quo ab indicante ſuggerebatur, qua ſignificatione vſus eſt Galenus libro de ratione curandi per miſſionem ſanguinis, nam admittunt, neque repellunt ſectionem venæ non eo modo quo affectus pro ſui curatione indicat, ſed modo contrario pro ſui conſeruatione, curatio enim & conſeruatio contraria ſunt, quemadmodum morbus & ſanitas; morbus indicabit euacuationem pro ſui ablatione: virium robur eandem indicabit modo contrario, quod eſt contraindicare, pro ſui ſcilicet præſeruatione. At vero ſi vires fuerint imbecillæ, contraindicabunt, quia non idem indicabunt, oſtendéntue, ſed potius contrarium, vt quia morbus poſtulat vacuationem, & inediam; vires poſtulant refectionem, & victum, itaque cum illius contrarium indicent, non poterunt admittere ſanguinis miſſionem: hæ igitur primo loco dicentur hoc auxilium contraindicare, at ſecundo quodam loco anni tempus, regio, cœli ſtatus, vacuationes modum excedentes, quæcunque fuerint, maxime autem ſanguinis, & alia id genus quamplura, de quibus infra ſigillatim tractabimus.

CAP. XII.

Quid virium nomine ſit intelligendum.

QVONIAM hic multa ſeſe offerunt dilucidanda, operæpretium eſt, vt de illis diſſeramus, ne videamur in rebus maxime ſeriis iunioribus medicis, quibus

bus hæc potiſſimum ſcribimus, defuiſſe. Primum vero explanandum occurrit, quid nomine virium intelligere oporteat, deinde, quæ vires ſtatuendæ ſunt validæ, atque imbecillæ, aut abſoluto ſermone, aut ſecundum quid. Quomodo præterea differant vires per oppreſſionem imbecillæ, ab iis, quæ languidæ ſunt per diſſolutionem, & quibus ſignis cognoſcendæ, hæc alia id genus explanabimus plurimum huic tractationi neceſſaria. Aggredior itaque ad primum. Facultatum ſubſtantiæ, quibus corpus regitur, atque gubernatur, eſt ſecundum Galeni ſententiam, totius corporis temperamentum: aut, quemadmodum aſſerit libro de plenitudine, cap. tertio, quædam ipſius temperamenti proprietas. Eius dictio in hunc modnm habet. At in libro de Elementis iuxta Hippocratem oſtendimus, ſubſtantiam eorum omnium quæ generationi, & interitui obnoxia ſunt, à quatuor qualitatibus immutari per totam, humore, inquam, ſiccitate, calore, & frigore, & ex harum certa quadam temperatura, omnium corporum ſubſtantiam, & proinde etiam virium earum, quæ corpus noſtrum gubernat, conſtare, quippe quæ non ſit niſi ipſius temperamenti quædam proprietas.] Rurſus in libro primo de ſimplicium medicamentorum facultatibus dicebat. Quare & nos, quia in libro de Elementis, ſecundum Hippocratem ex calido, frigido, ſicco, & humido cum aliorum omnium corpora, tum animantium conſtare oſtendimus, has effectricium facultatum eſſentias, tum in aliis omnibus, tum in medicamentis ſtatuemus.] Quod etiam tum libro primo, tum ſecundo de præſagione ex pulſibus apertiſſimum fecit, & aliis locis quamplurimis. Cum vero temperamentum dico, nihil aliud audio, quam tum ſimilarium partium, tum organicarum optimam conſtitutionẽ, licet diſtinctionis gratia, ſimilarium temperies ſtatuatur illarum natura, quemadmodum inſtrumentalium dicatur natura, & ſubſtantia, accommodata earum forma, & figura ad functiones obeundas accommodata. At quoniam hic locus ambiguus eſt, amplius aliqua diſtinctione indiget. Temperamentum ſumitur aliquando medicis pro tota ſubſtantia, ex qua corpus conſtitutum eſt: à qua cum actiones prodeant, illa dicetur facultas corporis, tanquam facultas aliud non ſit, quam proxima actionum cauſa; aliquando hoc nomine vtuntur pro diſpoſitione accidentaria ad formæ introductionem accommodata, quæ exiſtit qualitas quædam, & διάθεσις. Illius quidem tum Ariſtoteles, tum Galenus, tum Alexander Aphrodiſæus, tum multo antea Hippocrates mentionem fecerunt: atque vt ab hoc exordiar, in libro de humana natura primo, adeo clare docet temperamentum eſſe naturam corporis, vt nihil clarius dici poſſit: & Galenus huius imitatione calidum innatum vocat naturam, primo Aphoriſmorũ, commentario 14. Philoſophus autem libro primo de generatione, & corruptione, in contextu 84. ſic inquit: Videntur enim ea, quæ miſcentur, prius ex ſeparatis conuenientia, & poſſibilia ſeparari rurſus.] In quo aſſerit, miſcibilia eſſe, quæ proprie ſeparari poſſunt, & per ſe ſubſiſtere: nihil autem ſubſiſtere per ſe poteſt niſi ſubſtantia, idcirco paſſiones inter ſe nequeunt ſeparari, nec paſſiones cum ſubiectis miſceri non poſſunt, cum à ſubiectis eadem de cauſa miſceri poſſunt, neque rurſus formæ ſubſtantiales miſcentur, cum per ſe à materia ſubſiſtere non poſſunt: neque præterea materiæ miſceri dicuntur, quia nunquam ſunt in actu ſine formis: ille duntaxat ſubſtantiæ ad mixtionem veniunt, temperamentumque conſtituunt, quæ per ſe ſubſiſtere, & locum occupare poſſunt: qualia ſunt naturalia corpora ex materia, formaque conſtantia, vt perbelle Alexander Aphrodiſæus libro de mixtione explanauit. Galenus certe frequenter ſic temperamenti nomen vſurpauit, vt cum primo de vſu partium, capite nono dicebat, temperiem eſſe cauſam omnium actionum, & eſſe partium ipſarum eſſentiam, vnde caro eſt caro, ſcilicet ob certam quandam quatuor elementorum temperiem; ſic neruus eſt neruus, atque aliæ partes id ſunt quod ſunt, ob certam temperiem. Hoc adeo frequenter in eius libris ſcriptum inuenies, vt fere nihil frequentius. Sed ex multis locis vnum prætermittere non poſſum huic tractationi maxime accommodatum ex libro vndecimo methodi ca-

pire primo; quo loci declarans, ex quibus cõſiſtat ſubſtantia noſtrarum virium, hæc habet verba: Natura vero per ſe ipſa. Ea ex tribus his partibus completur, ex ſpiritu, & partium, quæ vere dicuntur ſolidæ ſubſtantiæ, quas alibi ex ſemine genitali conditas eſſe demonſtrauimus, & tertia ab his carnoſa, quæ cuique particulæ eſt ſua; ſingulæ autem iam dictarum trium propriam pro natura ſua rum qualitatem habent, tum quantitatem, ac qualitas quidem earum ex congrua temperie humidi, ſicci, calidi, frigidiq; conſiſtit, quantitas vero ſolidarum partium par ſemper manet, ſed iis, qui adhuc inaugentur, numero duntaxat, qui vero abſoluti iam ſunt etiam magnitudine, carnoſæ vero ſubſtantiæ magnitudo variatur, etiam ſi præterea non augeatur animans. Pari modo & ſpiritus ſubſtantia tantum non quolibet momento, tum minor, tum maior conſpicitur. Ergo etiam ſupra ea, quæ indicationes præſtare prius diximus, virtus vel ſola in iis tribus ſubſtantiis, quas modo comprehendimus, ſimul enumeratis additur: vel ſi temperies ſeorſum ſit diſcreta, in ipſa. Atque hæc rurſus bifariam quoq;, vt oſtenſum eſt, ſcinditur, & in originalem naturam, & in acquiſititium affectum.] Ex quibus conſtat, virium ſubſtantiam conſiſtere in temperamento illarum trium ſubſtantiarum, quando tum qualitate, tum quantitate fuerint optime contemperatæ. Eſt autem hic animaduertendum, quod quando Galenus temperamentum curationem indicare ſtatuit, in 9. Method. medendi, cap. 14. cum ait: Medicatoriæ indicationes à tribus deſumuntur; à naturali temperamento, à morbo, & ab ambiente nos aëre, nomine temperamenti, non intelligit harum ſubſtantiarum κρᾶσιν atq; permiſtionem, ſed proportionem illam accidentariam, & qualitatem ab Auicenna primo libro ſuæ medicinæ ſic definitam. Temperies eſt qualitas, reſultans ex mixtione, & paſſione primarum qualitatum in elementis repertarum. Hæc temperies, quatenus concors eſt cum cauſis morbificis, aut diſcors ab eiſdem, eatenus à Galeno aliisq; Medicis ſtatuitur cauſa ſalutaris vel morbifica. Hinc lib. 2. de temperamentis ab eodem authore ſcribitur, aliam eſſe intemperiem ſanitatis, & aliam morbi: vocatq; morbificam intemperiem, à media temperie longiſſime diſtantem, ſanitatis, quæ paulum. Et lib. 1. de temperamentis, qualitas aliqua, ſi in ipſa temperatura exuperet, intemperies: ſi amplius, morbus, ſi plurimum, mors eſt; & lib. 5. de ſanit. tuend. Intemperies, quæ inter ſanitatis limites ſunt emendandæ, nempe contrariis, ſi in otio ſunt: ſimilibus ſi in negotio: & 11. Meth. cap. 3. ait: Qualitatem vero ex ipſa temperie indicari: conſimilis vero qualitas in conſeruatiua: in curatiua vero indicatione, contraria ſemper indicatur qualitas. Hęc haud alia de cauſa à nobis copioſius fortaſſis, quam oporteret, non tamen abs re, neq; inutiliter propoſita fuerunt, vt docerem temperamentum curationem ex Galeno indicans, non eſſe illud, quod idem cum ſubſtantia virium exiſtere, ſupra declarauimus: quam rem ſi diligenter fuiſſent contemplati Medici quidam recentiores, non fuiſſent auſi, Galenum reprehendere. Verum oportet non ſolum inſitas vires, facultatesq; contemplari, ſed etiam influentes, quæ ex tribus principiis proficiſcuntur, Corde, Iecinore, Cerebro, ex quibus ſpirituoſa ſubſtantia, veluti ex perenni fonte proficiſcuntur ad operationes totius & partium obeundas accommodatiſſimæ. Neq; enim calidum innatum in ſolidarum partium ſubſtantia inhæreſcens, & inſitus in illis ſpiritus habent ſolam efficiendi poteſtatem ſufficientem, niſi accedant ſpiritus influentes, qui excitent illas vires, & veluti de potentia ad actũ deducant: ex vtriſq; ſimul iunctis actiones fiunt; idcirco vtrarumq; debemus naturam contemplari. Quia vero principes partes ſunt tres: Cor, Iecur, Cerebrum, hinc tres vires ſtatuuntur Medicis influentes: Vitalis ex corde, Naturalis ex iecore, Animalis ex cerebro producta. Tres item inſitæ in illis primis principiis; mox autem in reliquis ſolidis partibus, vt libro de calido innato manifeſtum fecimus.

Cap. XIII.

Quæ vires statuendæ sunt validæ atq; imbecillæ, aut absoluto sermone, aut secundum quid.

NVNC docendum superest, quæ vires sint statuendæ validæ, aut imbecillæ, vel absoluto sermone, vel secundum quid. Nam quæ validæ sunt, cum non prohibeant venæ sectionem, pro scopo haberi debent in hoc generoso exercendo præsidio, imbecillæ vero nunquam admittent remedium. Sint igitur vires validæ, quando tria illa genera, in quibus consistere illarum substantiam diximus, bene sese habuerint, tum in qualitate, tum in quantitate, eruntq; validissimæ, si carnosa substantia, spirituosa, & vere solidæ partes fuerint optimo temperamento prædita, eamq; habuerint substantiæ molem, quam singulorum natura postulauerit. Imbecillæ autem in extremo dicentur, quando singulæ substantia tum ratione qualitatis, tum quantitatis fuerint intemperatæ. Hæ dicuntur validæ absoluto sermone, atq; imbecillæ. At secundum quid, cum haud omnes bene maleve habuerint. Validæ nuncupabuntur, quando solidarum partium & spirituum temperamentum naturæ limites obseruauerint, sed carnosa substantia, qualitate & quantitate naturalem excesserit modum. Qua ratione quæ in vnum salubre conspirant temperamentum, ea dicuntur validæ, qua vero vnum genus male habet, absoluto sermone tales minime nuncupari possunt, at secundum quid: similiter imbecillæ dicentur, quando solidum genus & spirituosum simul naturæ limites excesserint, carnes vero bene habuerint. In illis venæ sectio admittitur: in his minime omnium, multoque magis remedium fiet, si omnes bene, & secundum naturam habuerint; maximeque remedium debebit prohiberi, quando omnes præter naturam fuerint constitutæ. Declaremus quæ de viribus validis secundum quid, Galeni verbis, quæ hoc modo habent, libro sexto Epidemiorum. Iam multi haud modica sanguinis copia redundant: gracilissimi tamen sunt. Sicut alii è contrario crassi, sed paucum habent sanguinem. Atqui ego cuidam mulierculæ iam octo menses purgationis menstruæ suppressione laboranti, extenuatissima cum esset; haud exiguo detracto sanguine, breuissimo tempore totum habitũ restitui, sicut & alias non paucas eodem modo ad sanitatem reduxi. Sed quod illi mulieri accidit (neque enim erat ignobilis) fuit valde celebre, ipsi quidem rescisa vena, & Medicis ex eo remedio futuram vtilitatem constanter polliceri verentibus. Quinetiam nonnulli mihi aduersari audebant, non solum propter mulieris maciem, sed etiam propter inappetentiam, ex venæ sectione secuturam esse noxam affirmantes.] Hæc ille. Mihi quidem eiuscemodi historia digna commemoratione visa est: primum, quia illa mulier habebat imbecillitatem magnam in carnoso solum genere; in aliis autem duobus minime, propterea Galenus venam incidere voluit. Deinde patiebatur inappetentiam, cuius causa videri forsan posset, non esse vtilem vacuationem per venæ sectionem humoribus crudis in ventriculo abundantibus: etenim sanguine misso facile solent humores crudi in naturalibus partibus abundantes in venas attrahi, & ideo Galeno libro quarto de sanitate tuenda maxime suspecta est venæ sectio, humoribus crudis in ventriculo existentibus. Neutrum veritus, sanguinem misit Galenus copiosum. Verba sic habent: In muliere sane, quam memoraui, primo die sanguinis sesquilibram detraxi: rursus postridie libram, tertio vero non multo plus selibra: erant enim vnciæ octo.] Causam vero affectus, & cur ille in hanc opinionem venerit, subdit. Medicus vero, & quæ alia signa præter cohibitos menses, venæ sectionem indicent, scire auebit. Illa igitur, & ego recensebo, sophistis, vt valeant, nuncians, scilicet ipsius venæ eminebant sanguinis plenæ, colore liuidæ; reciso autem vasculo liquidæ pici, & colore, & crassitudine similis sanguis emanabat, ob idipsum sane multo magis visus fuit largiter esse vacuandus. Hæc quidem à nobis obiter recte mederi cupientibus dicta sunto.] Et paruminfra, quæ de virium imbecillitate diximus, in relatione ad carnosum genus, apertissime docet,

hisce verbis vsus. Nonnunquam igitur debilitata carnosi generis facultate, & vitioso sanguine in arteriis venisq; incluso, attenuatio fit, plerumque autem ex contrariis crassitudo, vt in vasculis quidem paucus remanserit in carnium nutricationem distributus, illæ vero bene habitæ sint, & per eas totius corporis moles increuerit, &c.] Ex his arbitror, me abunde explanasse, quomodo validæ ac imbecillæ vires dici debeant, aut absoluto sermone, aut secundum quid. Expendamus nunc, quæ relinquuntur tractationis huius.

CAP. XIIII.

Vires imbecillas dici tum per oppreßionem, tum per dissolutionem, & quid inter vtrasque differat.

SED non satisfacit hoc docuisse, nisi etiam illud constiterit, imbecillas vires dupliciter dici: nam quædam sunt imbecillæ, quia ab humorum multitudine opprimuntur: quædam, quia dissoluuntur. Oppressæ vires in propria essentia nihil patiuntur. Quidquid vero illis accidit incommodi, id potissimum contingit, aut ex infractu, aut ex immoderata copia, quæ ferendo non sunt. Perinde res habet, atque in baiulo, qui cum vires habeat validissimas, pondus tamen librarum mille ferre non potest: eo deposito statim ad pristinum reuertitur statum; at qui natura sua imbecillus est, neq; centum portare valebit libras. Cognoscimus vires opprimi, quando nullæ præcesserunt causæ illarum dissolutionem molientes, quas infra prosequemur diligenter, adsint vero illæ, à quibus maxime premi consueuerunt, quemadmodum multitudo, præsertim quo ad vasa: atq; ab hac ipsa procreata obstructio: siue fuerit simplex, siue composita ab humoribus viscidis & crudis, aut cum alia cacochymia. Plethorica dispositio, qualem Athletæ patiuntur, solet non modo innatum calidum ob copiam extinguere, sed etiã venas & arterias rumpere, propterea confestim huiusmodi habitum soluendum esse præcepit Hippocrates in Aphorismis. Obstructio vero aut in cerebri finibus facta, aut in pulmonibus, aut in venis & arteriis, aut deniq; in toto corporis habitu præpedito vsu vitæ necessario, calidum innatum non infrequenter strangulare solet, & extinguere. Est autem necessarium cognoscere, an vires sint vno, an alio modo imbecillæ, ad hanc quam docere instituimus artem vacuandi per venæ sectionem. Quia vires ratione oppressionis imbecillæ, non modo vacuationem, sed etiam copiosam aliquando admittunt. Placet, rem illustriorem facere ex Hippocratis & Galeni testimonio. Hippocrates quarto libro acutorum, textu 23. habet hæc verba: Quod autem quis repente obmutescat, id venarum interceptiones occlusionesque faciunt: si sano absque occasione, vel forti alia causa id contigerit.] Galenus in Commentario dictionem illius explanans, inquit: Venarum ἀπολήψιες, id est, interceptiones appellat oppletiones, quæ à copia exoriuntur. Cum igitur supra modum oppletæ fuerint venæ, grauari virturem est necesse, atque in extinctionis agi periculum natiuam caliditatem, quæ ob copiam suffocationis quippiam simile patitur. Oriuntur siquidem epilepsiæ, apoplexiæ, & syncopes cardiacæ. Nempe vno communi ἀφωνίας, id est, vocis carentiæ, symptomate, symptoma huiusmodi significauit.] Hæc Galenus. ex quibus colligo; tum plenitudinem quoad vasa, referri etiam posse ad virtutem: quia dicit supra modum venas repletas grauare virtutem: tum etiam epilepsiam, apoplexiam, atq; syncopen oriri ex sanguinis multitudine: viresq; imbecillas existere propter aggrauationem à copia factam, non propter dissolutionem. Audiamus modo, qualem hisce symptomatis curandi adhibeat rationem Hippocrates, in contextu vigesimoquarto, & alio subsequenti: Venam igitur (inquit) brachii dextri internam secare oportet, sanguinemq; auferre inspecta secundum habitum, ætatemq; pluris, minorisq; ratione.] Galenus vero, velocissime (ait) & plurimum ex iis, quæ principes sunt partibus, vena ea corpus vacuat,] atque ob id in acutissimis morbis ad eam sese confert. Rursus in contextu 26. inquit: Quamplurimis autem horum accedunt hęc: fa-

hęc: faciei rubores, oculorum conſtantiæ, manuũ porrectiones, dentium ſtridores, oculorum pulſus; maxillarum contractio, refrigeratio extremorum, & ſpirituum in venis interceptiones. Galenus orationem declarans, in fine commentarij dicit: Quod autem in fine dictionis apponitur, ſpirituum in venis interceptiones, id vt de pulſus carentia (ἀσφυξίαν Græci vocant) dicatur probabile eſt. Nam veteres arterias, venas appellabant. Spirituum ſane interceptiones, quaſi inclinationes, & quietes ab authore dici poſſunt.] Hæc Galenus. Ex quibus illud deduci poſſe certiſſime iudico: Venam tuto ſecari poſſe, etiamſi nullus omnino adſit pulſus, vt quando à multa materia arterias oppleri contingit, & caliditatem innatam breui ſuffocationis periculum ſubituram, vereamur.

CAP. XV.

De ſignis communibus & proprijs quibus virium ſtatus cognoſcitur, & quarum facultatum maius robur deſideretur.

MORBO igitur venæ ſectionem poſtulante protinus accedendum eſt ad remedium, ſi vires conſentiant, validæque fuerint. Illarum autem robur atque imbecillitatem ex communi omnium Medicorum ſententia cognoſcemus ex proprijs earundem operibus. Tres enim exiſtere facultates diximus, Animalem, Vitalem, atq; Naturalem, quarum proprias functiones, ſi bene fiant, optime habere vires, ſi male, præter naturam affectas eſſe indicant. Vitalem facultatem cognoſcemus imbecillam ex pulſu languido, obſcuro, paruo: ſimiliter ex reſpiratione parua, difficili, atque crebra, ex voce exili, & languida; quæ neque pulmonum, neque pectoris vitio fuerit procreata. Horum contraria robur & firmitudinem oſtendunt. Animalem vero facultatem debilem eſſe demonſtrant, motus, ſenſuſque læſio, vigiliæ, deliria, aliæque perturbatæ principes actiones, quemadmodum, quæ contraria ſunt, eiuſdem validum robur exiſtere ſignificant. Cæterum vrinæ, & alui excrementa cruda, (ſic vocentur, quæ tenuia ſint, & aquoſa) aut loturæ carnis quam ſimilia, eorundem retentio, & alia quæuis oblæſa functio, naturalem virtutem non bene habere denunciant, quæ contrario modo fuerint diſpoſita robur eiuſdem indicant. Verum non protinus iudicandum eſt imbecillam eſſe facultatem in propria eſſentia, atque vires diſſolutas, vbi eiuſcemodi apparuerint ſymptomata: poſſunt enim contingere ex oppreſſione, ab humorum multitudine, aut obſtructione, vt proximo capite diximus, quæ res vacuationem admittit; at cognoſcendum eſt diligenter, quando fuerint imbecillæ per diſſolutionem, idque notum fiet ex iis cauſis, à quibus contingit illas diſſolui, diſſipariq;. Quandoquidem ſunt illæ cauſæ & ſigna: qua ratione diſſoluunt ſpirituoſam ſubſtantiam, humidum primigenium diſſipant, adipem, & carnes colliquant: eæ cauſæ ſunt; qua vero euidentes ſunt, ſignorum naturam adipiſcuntur. In primis itaque ſtatuamus ardentiſſimas febres in corpore, calido & ſicco, & gracili habitu prædito humidum primogenium adeo alterare, atque diſſoluere, vt poſtea facilis exiſtat tranſitus in hecticam, torridumq; maraſmum, vt Galenus dicebat octauo libro Methodi medendi, capite ſecundo: omnes præterea cauſæ vehementiores, quæcunque ſolidas partes immodice calefaciunt, exiccant, humectant, refrigerant, natiui caloris, & virium intemperiem alterant: quemadmodum alterant, atque ſubſtantiam diſſipant longiſſimi morbi, ex quibus corpus contabeſcit, & in atrophiam incidit. Ad hæc alterari ſpirituum ſubſtantiam inuenio quatuor de cauſis; vna eſt aeris nos ambientis occurſus: alia vero eiuſdem venenata qualitas: tertia eſt viſcerum mala conditio; quarta eſt humorum deprauata qualitas. Aer igitur impenſe calidus, non ſolum qua extrinſecus ambiens, per cutaneos meatus penetrat, ſed etiam qua intus attrahitur per reſpirationem, ſpirituum vitalium temperiem permutat, alteratq;, adeo, vt primum in pulmonibus accenſus, mox Cor viſcus præſtantiſſimũ feriens, febrem inducit. Quin non ſolum temperies

mutatur, sed etiam rariore facta substantia spirituum, eosdem dissoluit, minuitque substantiam. Vtrumque igitur patiuntur spiritus ab huiuscemodi alteratione aeris, tum scilicet mutationem substantiæ, alterationemque, tum diminutionem. In aere autem frigidiori temperies quidem mutatur, at copia non dissoluitur: verum extinguitur, aut saltem ita redditur debilis, imbecillaque vis caloris, vt omnino generosum hoc, de quo agimus, admittere non possit remedium. Maximam certe labem recipiunt spiritus ex aere pestilenti; aut ex venenatarum bestiarum ictu, non quod manifestis qualitatib. noxam inferat, sed quia totius substantiæ proprietate naturam quandam habet deleteriam, & toto genere calori naturali, spiritibusque inimicam, aut si id manifestis etiam de causis facere dicatur, vt quibusdam placuit, & nos aliquando demonstrauimus, tamen obesse non dicetur aer pestilens, nisi tota substantia. Animalia venenata, vt phalangius, scorpius, aut rabidus canis, & quæ sunt eius generis alia, nunquam manifestas causas insequuntur, quemadmodum ego sentio, quoniam habent quandam occultam antipathiam cum naturali calore, & spiritibus, quæ sola experientia, & euentu cognosci potest. Illarum vero trium partium principum diuturna intemperies spiritus generare non potest, nisi intemperatos proportione correspondentes propriæ intemperiei. Postremo humorum vitium spirituosam alterat substantiam: Bilis enim prætorrida videtur spiritus fere adurere: & si aliquando ad ostium appellit ventriculi, ingenti caliditate multa infert incommoda, præsertim καρδιαλγίαν. Qui maxime crudi sunt humores, spiritus consopitos, nimiumque refrigeratos faciunt, ventriculo negotium magnum, præsertim syncopen inferre solent. Accidit etiam aliquando, vt memoria proditum est a Galeno libris de locis affectis, humorum venenatam qualitatem recipere ab intrinseca dispositione omnino similem illi, quam reciperet, si toxicum sumpsisset: quæ res in semine præter naturæ ordinem retento, in sanguinis grumo, ac in aliis humoribus contingit: ex hisce causis in spiritibus accidit alteratio, mutatioque temperamenti. Dissolutionem autem, atque diminutionem quantitatis efficiunt corporis habitus facile dissolubilis, qualem supra, dum de contraindicantibus sermonem habuimus, declarauimus. His additur aeris feruidioris occursus: vacuatio modum excedens: exercitatio immoderata: vigiliæ, & animi pathemata, atque dolor. Quia de aere iam diximus de reliquis nunc agamus. Omnis immodica humorum vacuatio, licet sint excrementitii, & inutiles corpori, vel ad nutritionem, vel ad alium vsum, spiritus non mediocriter dissipat in vniuersum corpus diffusos. Neminem esse arbitror, qui aliquando non obseruauerit omnem immodicam alui profusionem, siue natura contigerit, siue arte, vt in Lienteria, Diaria, Dysenteria, tum exquisita, tum hepatica, magnam copiam spirituum dissipare. Idem contingit in Diabete, qua vrina profunditur extra naturæ modum. Qui præterea secantur in abdomine, vt aqua educatur hydropem faciens, aut in thorace, vt pus empiema creans educatur, aut etiam in abscessu: si pus affatim, & subito, multum effluat, ingentem contrahunt imbecillitatem spirituosi generis, à qua vix possunt aliquando recreari. Quid contingere arbitrabimur, si sanguis effluat copiosior ex vtero, ex naribus, ex mariscis, ex vulnere? in quo sanguine conseruari calorem naturalem à Galeno dictum fuit libro de ratione curandi per sanguinis missionem, & à nobis est demonstratum libro de calido innato. Debet etiam hoc loco referri immoderatus Veneris vsus, qui. n. luxuria, & effrenata libidine dissolute vitam degunt, iis ipsis (inquit poeta) frigent effætæ in corpore vires. Namque ex seminis profusione adeo redduntur imbecilles, vt postea tabidi intereant. Quantum inediæ frangant vires, notissimum est omnibus, quia non solum alimentum dissoluitur in similarium partium substantia situm, sed etiam impeditur, ne nouum regeneretur. Labor, vt etiam exercitatio modum excedens quæcunque sit, spirituum substantiam euacuant, quemadmodum infra dicemus, cum de arte sermonem habebimus. Atque multo magis prosternuntur vires ex dolore vehementi, quem lenire, antequam curationem aggrediamur, vitium conseruandarum

darum cauſa debemus, vt in libro de reuulſione declaratum à nobis fuit. Vigiliæ potiſſimum ſpiritibus animalibus faciunt negotium, quemadmodum animi paſſiones, à quibus calor naturalis nonnunquam obruitur, ſuffocaturque; vt in timore, ac mœſtitia; nonnunquam diſſipatur, ac diſſoluitur, vt in gaudio, & lætitia. Ex his quidem ſtatum virium cognoſcimus. Virtus igitur, aut valida, aut imbecilla eſt: ſi valida, vacuationem admittit: ſi imbecilla, aut omnino prohibet, aut limitat. Quocirca ad venæ ſectionem exercendam virtutum naturalium, vitalium, animaliumque deſideratur robur, ac non æquale. Namque maxima eſt dignitas vitalis, proxima huic ſuccedit naturalis, poſtrema omnium animalis. Huius ipſius tantum quidem robur cupimus, quantum fuerit neceſſarium, pro reſpiratione, vt alibi ex Galeno demonſtratum eſt à nobis: id vero exiguum eſt, propterea eligimus in curandis ægrotis aliquam introducere in facultate animali imbecillitatem, quam in vitali vel maxime debemus vitare: id quod Galenus libro ſeptimo Methodi medendi, capite vltimo teſtatur, & magnus Auicenna, dum inquit: Pariterq; imbecillitas cuiuslibet trium facultatum omnino prohibet euacuationem, aliquando tamen præeligimus debilitatem alicuius facultatis potius quam noxam, quæ ex vacuationis omiſſione ſequi poſſet, præſertim in ſenſilibus, & motricibus facultatibus, modo confidamus cuilibet periculo poſſe ſuccurrere, ſi forte acciderit, itidemq; in cunctis aliis.] Sed duo ſunt, quæ hic faciunt dubitationem: horum vnum eſt, Auicennam in quarta ſectione libri primi, capite primo, animalem facultatem præpoſuiſſe naturali. Habent eius verba in hunc modum. Cor vero inter omnia membra maiorem conſeruationem meretur, mox Cerebrum, deinde Iecur.] Aliud autem multo maius eſt, quandoquidem Galenus tum contra ſua decreta, tum Auicennæ naturalem facultatem proponere videtur facultati vitali, verba illius ſic habent in vndecimo Methodi medendi, capite nono: Neque pulſus duntaxat vires ad eiuſcemodi agenda firmas requirimus, veluti nec eius facultatis, quæ voluntarium modum præſtat: ſed ſicuti eſt dictum, potius concoctricis.] Nota hoc verbum ipſius potius concoctricis] quod aperte ſignificat, maiorem in curandis morbis habere dignitatem facultatem ipſam naturalem, quam vitalem, & animalem. Pro explicatione prioris difficultatis ſciendum eſt, nos de hiſce partibus præcipuis duobus modis loqui poſſe: tum ſcilicet, quatenus conferunt ad vitæ cuſtodiam: tum quatenus ad ſanationem morborum conducunt. Sub priori ratione poſt Cor ipſum debet Cerebrum ſubſtitui: vt ſub poſteriori, vltimum locum tenet. Ratio eſt, quia ſpiritus principaliter à corde pendent, mox quartum ad vitam, à cerebro: ab hoc enim proficiſcitur vis reſpirandi, ſine qua vita permanere non poteſt. Nam ſpiratio à vita, & vita à reſpiratione ſeparari non poteſt, Ariſt. teſtimonio libro de reſpiratione, & Galeni libro ſexto de locis affect. cap. 4. Quod vero attinet ad morborum propulſationem non indigemus tanto robore facultatis animalis, quando indigemus facultatis naturalis. Satis enim eſt, vt ſufficiens conſeruetur pro vita reſpiratio. Iecinoris autem opus perneceſſariũ eſt omnibus partibus, vt Galenus docet hiſce verbis. Maxima igitur, & Cordis officii dignitas, atque ægrotantibus maxime omnium neceſſaria. Cerebri vero ad vitam quidem par eſt momentum; non tamen par robur eius in ægrotis requirimus, cum neceſſe omnibus non ſit neruorum ac muſculorum opera vti, itaque abunde fuerit, ſi tantum eius ſeruatum ſit quo reſpirationis munus ſit obeundum.] hæc Ille, quæ aperte ſolutionem confirmant. Quod vero ad aliam attinet difficultatem, repetenda eſt Galeni intentio in eo capite, cum non parum huic propoſito conducat. Pro curandis putridis febribus Galenus proponit balneum, rarefacientia medicamenta, & potum frigidæ, quando ſcilicet concoctionis notæ ſeſe offerunt, alioquin ab illis abſtinendum. In hoc itaque ſpeciali caſu multo magis virtuti concoctionis attendere debemus, quam pulſatili. Hæc enim ad concoquendos humores putridos nihil facit, idcircoà pulſatili facultate ſigna coctionis ſumi non poſſunt, neque cognoſci, quando debeamus vti balneo, aut rarefacientibus medicamen-

ris, aut potu frigidæ. Hac de causa dicit Galenus, ad huiusmodi agenda magis firmas requirimus.] Quid sibi volunt hæc verba, ad huiusmodi peragenda,] nisi quod casum quendam specificant, in quo concoctrix facultas magis valeat, quam pulsatrix. Sed ne quid desit, expendamus quid agendum, si virtus fuerit imbecilla, corpus vero indiguerit vacuatione, sane tunc aut omnino non est vacuandum, aut parum. Si enim virtus fuerit maxime imbecilla, ita vt nullum genus vacuationis ferat, abstinendum, si vero non tantum fuerit imbecilla, pro illius imbecillitatis modo est illa admittenda, ea tamen conditione, quam Galenus declarauit nono Methodi, capite decimo, sic scribens: Siquidem affectus vacuandum esse præcipit, idque vel vena incisa, vel purgatione, harum autem neutrum ferent imbecillæ vires. Quoniam igitur in omnibus huiusmodi repugnantiis incerta succurrendi ratio est, aliàs insanabilis omnino affectus relinquitur, aliàs spacio & ægre, idque si magnum nactus sit Medicum, sanari poterit. oportet namque, vbi indicationes sibi aduersantur, paulatim quod vitiosum est, vacuare, & paulatim inuicem, quod salubre est, reponere; vocant Medici eiusmodi vitiosi succi curationem, Græci ἐπίκρασιν,] id est, contemperamentum.] Sed hæc de viribus scripsisse sufficiat.

CAP. XVI.

Qua ratione temperamentum secundo loco indicet, aut contraindicet vacuationem, vbi Fernelii sententia perpenditur.

DIXIMVS hactenus abunde, quæ necessaria videbantur circa præcipuos scopos venæ sectionem indicantes: nempe magnitudinem morbi à plenitudine, aut sanguinis motu, & virium robur. Nunc relinquitur, vt agamus de iis, qui minus præcipui sunt. Octo enumerantur à Galeno lib. 2. de ratione curandi ad Glauconem Philosophum, & de curatione per sanguinis missionem, & ab Auicenna lib. 1. suæ medicinæ, sect. 4. cap. 3. scilicet: Temperamentum, Accidentia superuenientia, Habitus corporis, Anni tempus, Ætas, Regio, Consuetudo vacuationis, & Ars, de quibus iam dicere incipio & docere, quam vim habeant in indicando, aut contraindicando vacuationem: exordiamurque ab ipso Temperamento. Calidum igitur & siccum non sine graui noxa vacuationem fert: itemque frigidum & humidum, vtputa caloris expers, aut certe languidum possidens: calidum vero & humidum plenam sine vlla molestia vacuationem sustinet. Etenim quæ corpora calidam habent, siccamque temperaturam, modum excedentem, spiritus habent maxime tenues, qui facile difflabiles non ferunt aliquam ex magnis integrisq; vacuationibus, in quibus semper fit magna ipsorum spirituum iactura. Hæc ea sunt, quæ facile incidunt in febres hecticas incipientes, vt Galenus docuit octauo Methodi, cap. 2. & 1. de febrium different. cap. 12. & aliquando ex Ephemeris abira causatis, aliisque id genus externis causis incidunt in summam siccitatem corporis, atque in torridum Marasmum, prehenduntúrque eisdem de causis ardentibus febribus. Conuenit hisce naturis, vt Hippocrates docuit sexto Epidemiorum, & Galenus in eius loci Commentario, atque præsertim 8. Methodi, cap. 2. quies, refrigeratio, aquæ potus; maxime aduersa res est inedia, & Veneris vsus; tandem magis gaudent alterantibus, quam euacuantibus, primo ad Glauc. cap. 7. Porro haud est cognitio difficilis temperaturæ, calidæ & siccæ. Nam quibus siccum præualet humido, & calidum frigido, iis corporis habitus gracilis, hirsutus, & nigrior est, ac reliquis tribus in Temperamentis, quæ hoc sunt minus calida, tactu calidior sentitur: plurima quoq; his flaua est bilis, vrinaq;, & deiectio bilisa rura, & pulsus magni, & somni leues, & mores animi ad iram atque cogitationes propensi. Vocamus autem calidam siccamque naturam, non solum quæ à primo ortu talis ex proprio Temperamento sit, sed etiam quæ posterius ex calido siccoque victu, & plurima dimotione, & vigilia, & cura, & tristitia, & regione calida siccaque, & tempore æstiuo, & cœli statu calido siccoque est acquisita,

sita, vt Galenus testatur decimo Meth. Hoc temperamentum refertur ad vires, quia fieri non potest, vt abunde calidum siccumq; corpus, cum febricitet, vires valentes habeat, eiusdem authoris testimonio. Sed tamen haud ita imbecillas vires habent, quin ferant vacuationem proportionatam temperamento, quæ scilicet leuiter vacuantibus cacochymiã, fiat, vt manna, atramento Cassiæ, Diapruno simplici, atque id genus aliis: quorum mentio à nobis fiet in curationibus particularium morborum. Ad easdem etiam vires refertur temperamentum frigidum & humidum, sed ne hoc ipso in negotio aliquis subsit error, animaduertendum est, quod temperamentum eiuscemodi duobus modis considerari potest: vno modo quatenus cum calore natiuo admodum imbecillo consistit; alio modo, quatenus causis præternaturalibus acquisitum, adhuc omniũ solidarum partium calor non modo absumptus non est, sed vegetus adhuc & validus permanet. In priori casu vacuationes non conueniunt: quæ res potissimum accidit in vltima senecta, in qua imbecillis adeo est caloris vitalis potestas, vt iam morti proximi sint: natiuum temperamentum est frigidum & siccum, acquisititium vero propter caloris imbecillitatem, concoctiouisq; probæ defectum, frigidis ac humidis excrementis continuo genitis, frigidum humidumque: quis igitur in eiuscemodi natura vacuabit? At vero, si partium solidarum nondum mutatum temperamentum est, vt in cachexiæ, ac principio hydropis contingit, vacuationes exerceri possunt: quinimo si quispiam morbus est, qui valida medicamenta expurgantia postulet, hic vnus est præ cæteris, de quo minime quidem loquitur Auicennas. Habet autem difficultatem magnam, quod loco postremo de temperamento calido & humido diximus, quandoquidem Fernelius alio modo videtur sentire. Ego certe sum opinionis huius, vt putem nullum existere genus temperamenti, quod ferat æque integram vacuationem, quam propositum, tum quia in hoc inest abundantia sanguinis, tum etiam quia vires validissimæ sunt. Fernelius vero secus rem ipsam habere putat, inquit enim libro secundo terrapeutices, cap. 2. Quod calidum humidumque corporis temperamentum in propria solidarum partium substantia situm, quoniam vi insiti caloris assiduo plurimum dissipatur ac dissoluitur, non perinde copiosam ferre vacuationem, atque quod ab illo plurimum dissidet frigidum & siccum; & addit postea: quodcunque corpus humidum appellant, quod multo humore abundet in venis recondito, id facillime vacuationem tolerare.] Hæc ille. Sed videntur mihi rationi primum, deinde vero Galeni doctrinæ parum consona. Refragatur illi ratio, quia vbi vires validæ sunt, atque sanguinis adest abundantia, ibi viget de vacuando indicatio. Qui plurimo sanguine abundant, venas laxas habent, eusarchos vocant Græci, ii sane alio, quam calido & humido temperamento præditi esse non possunt: Hanc naturam temperatam vocarunt antiqui, de qua Galenus hæc scripsit libro sexto, de sanitate tuenda, cap. 3. Quod ad temperamenti rationem pertinet, qui maxime sunt humidi, hi maxime sunt longæui: iidem & sanitate, vbi corpus ad robur peruenit, plus cæteris fruuntur: & cæteris qui parem ætatem agunt, valentiores ad extremum vsque senium sunt:] his deinde addit antiquorum, de quibus diximus testimonium, dum ait: Ideoq; ferme Medicis omnibus, tum philosophis, qui corporis elementa diligenter inuestigarunt, temperamentum id laudatum est: imo vero etiam vnum id proinde secundum naturam se habere quibusdam est visum.] Quam vero sint vires validæ, illud indicat apertissime: quod tum à Venere minime læduntur, tum etiam famem ac sitim multo magis perferunt, quam qui calido & sicco sunt temperamento. Quod sane non leue est, vt inquit ipse Galenus, virium valentium indicium. Præterea substantiam virium consistere in hisce tribus substantiis, demonstratum est à nobis, superioribus libris: nempe in spirituosa substantia, in solidis partibus, atque in carnoso genere; at vero quæ calida humidaq; sunt corpora, hæc equidem harum trium substantiarum vbertatem habere, neminem esse arbitror, qui nesciat. Habent enim carnosas, musculosasque omnes partes, membra solida, procera, crassa, ac firma; quo fit, vt

Galenus non raro admonuit, vacuationes copiosas ferre; cum non vereatur ille sanguinem mittere vsq; ad animi deliquium in febribus synochis, quæ non adueniunt nisi in corporibus sanguineis, & cum virtute valida, vt idem dicebat vndecimo Methodi, capitulo decimoquarto, sed hic fortassis dicet Fernelius, opinionem hanc suam sumpsisse illum ex Galeni verbis, lib. 9. Meth. cap. 17. in quo sic ait: At quæ humida calidaq; sunt, eorum substantia celerrime in ambientem dissipatur: aliàs in halitum sensibilem soluta: aliàs in perspirationes, quæ visum fugiunt, sed ratione deprehendantur.] & parum postea. Ergo puerorum substantia, inquit, omnium facillime digeritur ac dissipatur: propterea quod est omnium humidissima: nulla vero frigidior, quo minus vacuantis præsidii eget, cum habeat ex se ipsa, vnde naturaliter vacuetur.] Verum non cogit quicquam hic locus, quia aliud est humidum & calidum temperamentum: aliud calidum & humidum: illud enim dicit humiditatis dominium: hoc autem caliditatis. Ratio enim propter quam facile difflentur ipsæ substantiæ, est humiditas: quæ postea tanto promptius atq; facilius difflatur, quanto cum caliditate fuerit coniuncta. Rem sic habere, Galeni verba declarant in 9. Meth. cap. 5. quæ sic habent: Propensi autem ad digerendos corporis succos sunt, quicunque natura sunt humidi: magisq; si accedat caliditas.] Ex qua loquendi ratione videtur, caliditatem considerasse tanquam asseclam, & concomitantem humiditatem, non autem vt præcipue dominantem. Hæc, quæ diximus, aperiunt causam, ob quam in pueris non mittitur sanguis, quia habent substantiam humidissimam, maxime mollem: atq; vt cum Galeno loquar, algę modo teneram: cui postea accedens caliditas, maiorem facit dissolutionem. Nos vero, quando de calido humidoq; temperamento loquebamur, intelligebamus illud, quod à prædominio erat calidum, at à subdominio humidum: bene tamen cum sicco proportionatum. Quod vero ille dicit secundo loco, frigida & sicca temperamenta magis ferre vacuationem, est adeo absurdum, vt admirer maximum philosophum in peruersam hanc opinionem venisse. Etenim illud certum est, temperamentum indicare vacuationem duplici ratione; vna, quatenus ad vires refertur: alia, vt ad plenitudinem: iam vero constat, cum frigido & sicco vires consistere non posse: cum illud sit senium & mors: vita vero in calido humidóque cohæret, vt Aristoteli atq; omnibus philosophis placuit. Si vero consideramus temperiem, quatenus est nota humorum, quod frigidum & siccum est, omnis videtur humoris expers, idcirco nihil habet, quod sit vacuandum. Cæterum quod asserit postremo loco, non est ad propositum: quia alia est indicatio sumpta ab humore in venis contento, alia à temperamento: illa enim vacuationem indicat, hoc vero admittit vacuationem ratione virium, vt docuimus.

CAP. XVII.

Corporis habitus quomodo coindicet, aut secundo contraindicet vacuationem Stephani Atheniensis opinio reprobata.

QVARTO animaduertendus est corporis habitus; per habitum corporis intelligimus corporis constitutionem, aut gracilem, aut obesam, raram, aut densam, atq; inter hasce mediam quandam constitutionem: cum quædam sit, quæ neq; obesa, neq; gracilis, neq; rara, neq; densa, sed omnino mediocris. Gracilis & rara constitutio vacuationem impedit, quia vires illam ferre non possunt, præsertim venæ sectionem. Duæ enim causæ sunt imbecillitatis, quarum vna est carnosæ substantiæ penuria: alia vero est magna spirituum dissolutio. Ex tribus igitur substantiis constituentibus naturam virium, duæ sunt imbecillæ, vna fortassis valida, quæ est solida substantia. Verum duæ magis possunt in indicando, quam vna, idcirco si solidæ partes admittunt vacuationem, omnino illam impediunt duæ, nempe carnosa & spirituosa substantia. At vero si fuerit corporis habitus gracilis, sed densam carnem habuerit, minimeque difflabilem, ad illius differentiam, quæ iam explanata est à nobis, fert vacuationem copiosam:

quia

quia duæ substantiæ validæ sunt, solidum genus, & spirituosum, vt pote quod non sinat propter densitatem cutis effluere spiritus. Imbecillitas duntaxat est ratione carnis, in hoc habitu venæ latæ sunt, & sanguinis non mediocris reperitur copia. Galenus hæc perpendens, in quadam muliere admodum gracili sanguinem misit copiosissimum: cuius historiam retulit ille libro sexto de morbis vulgaribus, sect. 3. commentario autem 29. De qua nos alibi diligenter scripsimus, præsertim supra, cum de viribus validis, & imbecillis disserebamus. Statuamus itaque in habitu gracili corporis, in quo venæ sunt exiles, caro mollis, & alba, à vacuationibus, præsertim à venæ sectione abstinendum. At in habitu gracili cuius venæ pateant, densamq; carnem habeat, minime prohibendam. At vero cur graciles ab euacuatione repellat arduum est, dignumq́ue inquisitione, (inquit Stephanus Atheniensis philosophus) cum ipse pronunciet sæpenumero graciles magis, quam cæteros sanguine plerunq; abundare, magisq́; quantum ad hoc spectat, confertas vacuationes tolerare. Dicimus (inquit ille) graciles hic ab ipso dici, non qui parum, sed qui supra modum sunt graciles, hoc enim in oratione ponitur. Ac profecto crassi quidẽ ab euacuatione læduntur, quia refrigerantur, graciles vero quia exsiccantur.] Verum hæc non satisfaciunt mihi, quia Galenus mulieri, cum esset extenuatissima, sanguinem copiosum detrahendum curauit, quemadmodum supra manifestum fecimus. Constat enim diligenter consideranti Galeni verba, dissolutio propositi problematis, quia gracilia corpora non protinus habent imbecillas vires, neq; sanguine destituta sunt. Aut enim venas habent amplas, aut exiles: quæ amplas habent, sanguinem copiosum continent, quæ tenues, minime; in illis vena incidenda, in his omnino abstinendum est. Vires quidem substantiam habent in carnoso genere, in spiritibus, atq; in solidis partibus, à quibus illarum essentia tota dependet, vt Galenus docuit libro vndecimo Methodi, capite primo. Hæc tria simul conspirantia, vt supra dicebamus, vires constituunt validissimas. At si conspirent duo, vnum reluctetur, quod in proposita historia contingit, validæ sunt vires; sed non simpliciter, neque absolute. Habebat mulier carnis penuriam, quia illæ imbecillæ attrahere ad sese sanguinem non poterant, at spiritus, solidæque partes bene constabant. Quando Galenus in gracili corporis habitu venæ sectionem inhibere videtur, non est locutus de omni, sed de eo duntaxat habitu, in quo tenues erant venæ, & spiritus facile dissoluebantur. Obesum vero corpus recipit easdem fere distinctiones, nam quod multa pinguedine abundat, quodq; venas habet admodum tenues capillis fere similes, non fert vacuationem vena secta: quia exiguus calor in venis existens fere suffocari periclitatur ob concidentiam horum vasorum pinguium. At si obesum nuncupamus in quo eminent venæ, caroq; sit abundans, haud potest impedire phlebotomiam, purgationemq́ue, quæ mediocri modo se habent corpora, ad vacuationis indicationem habent mediocriter. De hoc habitu corporis libro primo ad Glauconem, capite decimoquarto sic locutus est Galenus. Eodẽ modo, & qui supra modum crassi sunt, vel graciles. Nam & his tum venam secare cauendum est, tum reliquas vacuationes confertas cauere oportet.] Crassos certe hic dicit, non qui carnosi sunt, sed copia pinguedinis tectos, quandoquidem frigidum temperamentum generare solet eiusdem modi crassitiem. Hos si confestim, multumq́ue vacuaueris, ad extremam frigiditatem perduces, præsertim quia contingit vacuato sanguine carnes venis superiacentes, vbi supra ipsa deciderint venarum illa σύμπτωσις, id est, concidentia, suffocationem caloris naturalis efficere, vt etiam testatur libro secundo de Temperamentis, capite quinto. Verum quid agendum est, si cum habitu gracili, & venis tenuibus multa bilis abundet? nam ex habitu indicatio viget decorroboranda virtute, ex copia vero de purgando excremento, dico quod vtriq; indicationi satisfaciendum est; illi quidem priori quatenus à purgatione validaque vacuatione abstinemus: huic vero quatenus purgamus copiam bilis, vrinam leuiter mouentibus, quæ refrigerent, & humectent, detergantque leuiter, vt seminibus frigidis maioribus, & minoribus,

radice glycyrrhizæ, & graminis, capillis Veneris, polytrichoq́; abstinebimus prorsus ab iis quæ vere diuretica sunt, quia caliditatē habent insignem, atq; multo maiorem, quam habitus corporis ferat. Quæ hic diximus de tenui habitu, idem volo intelligi debere de iis, qui propter consuetudinem assueti sunt inediæ, & victu parco exquisitoque in his magis refrigerantibus, & nutrientibus, quam humores purgantibus vtendū est. Et tamen cum purgationis maxima viget indicatio, leuiter expurgantibus pharmacis vtentes, auxiliamur opportune. Habitus corporis coindicat simul cum viribus, & cum plenitudine: cum viribus, quia densus ad validas, vt quod habet venas latas: rarus ad imbecillas vires refertur, vt obesus habitus pinguis frigiditatem multam repræsentat, carnosus vero validiores vires. Denotat secundo humorum abundantiam, vt bilis, aut sanguinis, aut pituitæ, aut horum penuriam, ideo sane indicat habitus corporis non in propria virtute, sed aut plenitudinis, aut virium.

Cap. XVIII.

Accidentia superuenientia, qua ratione non indicent vacuationem, præsertim, alui profluuium, & conuulsio.

QVINTVS est scopus in euacuationis arte perpendendus, symptomata superuenientia, vt alui profluuium superueniens, & conuulsio, vacuationem vetant; si enim, vbi aluum ducere libuerit, alui profluuium superueniat, ab euacuatione prorsus abstinebimus, quoniam in alui profluuio, aluum ducere periculosum est, procliuitas etiam ad huiusmodi affectus suscipiendos tanquam symptoma quoddam habeatur. Quæ de hisce symptomatis dicta sunt à nobis, idem etiam de reliquis omnibus dicendum est, de quibus transigit Galenus primo ad Glauconem, cap. 14. & 12. Methodi medendi. Quod vero attinet ad fluorem alui, audire oportet Galenum, & Hippocratem pulchre admodum sic scribentes. Galenus quidem: Quod si fuerit febris cum alui profluuio, etiam si non sit pro multitudinis ratione, neque purgate, neque sanguinem mittere oportet, quicunque enim iis plus adimere necessarium fore putantes, aut sanguinem mittere, aut purgare voluerunt, in grauiora pericula ægrotum deduxerunt.] Hippocrates vero: Aluo fluente sanguinem non mittito, nam si post venæ sectionem fluor perseuerauerit, virtus imbecillior redditur.] Verum est animaduertendum fluorem alui duobus modis considerari posse: vno modo quatenus per se inuadit; alio modo quatenus ad alios subsequitur morbos, in priori respectu interdicenda non est purgatio, atque venæ sectio, at vero interdicenda est in posteriori consideratione. namque in fluxu dysenterico venam aliquando incidi oportere manifestum fecimus in epistolis medicinalibus, conuenireq́ue statim non in hoc modo fluore alui, sed etiam in diarrhœa vti purgante medicamento ex omnium Medicorum communi consensu demonstratum à nobis fuit: Hic igitur de his non agitur, sed de fluore alui subsequente alios morbos tanquam symptomata, quod virtutem imbecillam reddere plurimum potest: hac enim ratione, in Methodo medendi à nobis demonstratum fuit à symptomate mutari aliquando curationem, & medici diligentiam ad symptomata conuertendam. Consideranda sunt hæc verba Galeni, etiamsi non sit pro multitudinis ratione] quibus videtur contradicere sententiæ Aphoristicæ, qua præcepit senex, euacuandum esse per eam regionem, per quam natura tendat, sic enim ait: Quo natura vergit per loca conferentia, eo ducere oportet] Galenus vero in commentario loci huius dicit, sententiam esse intelligendam de vacuationibus imperfectis, quando natura non perfecte iudicante morbum prudens Medicus supplere illius imperfectionem desiderat. Talem videtur Galenus motum supponere imperfectum, cum dicat: etiam si non sit pro multitudinis ratione] non vult tamen adiuuandam esse naturam per conuenientem regionem. Nos vero dicimus alio modo rem habere: haud enim præcipit ille naturam non esse adiuuandam, sed quod iuuari non debet dum ipsa

mouet

mouet, etenim quæ iudicantur, & iudicata sunt, integre neque innouare, neque aliter irritare, sed finere oportet; duo hic dicit, vnum, quæ iudicantur] aliud vero, quæ iudicata sunt] illud enim indicat motum naturæ, hoc autem finem motus respicit, dum natura iudicat morbum, quorsum mouere debeamus, aut mouentem irritare? an fortassis, quia segnem facit motum? Sed hoc ipso in opere non est iudicandum, cum aliquando natura segniter incipiat, mox autem postea validioribus viribus aggressa opus, quod inchoauerat perficit, multo sane magis expedit expectare terminationem motus incepti, quam temerarie aggredi quicquam, præsertim quia non debemus incumbere symptomati, nisi illud vires imbecilliores faciat, tum enim causæ rationem subiens diligentiam ad sese conuertit medici, & aliquando curationis indicationem mutat. Vbi vero perfectum fuerit opus naturæ, si omnino integra facta fuerit iudicatio, tunc sane ab omni abstinendum opere: si vero integra non fuerit, quia, quæ relinquuntur in morbis recidiuam facere consueuerunt, tunc supplere oportet vacuando per eam regionem, per quam natura tendit, humoresque pronos cognoueris. Hanc Galeni fuisse sententiam declaratum fuit à nobis libro tertio nostrorum commentariorum ad Galeni librum de ratione curandi ad Glauconem. Cæterum quod de ipsa conuulsione diximus, id pariter ab eodem explanatum fuit eodem capite decimoquarto, in quo inter alia symptomata proponit conuulsionem: nam vires in eo motu laborioso maxime labefactantur, sic enim ait: Sed neque si quis simul & distensione neruorum laborauerit, & sanguinis eguerit missione, huic tantum semel mittere oportet, quantum exigit morbus. Sed aliquid etiam accidenti est relinquendū, cuius causa sæpe sudores adueniunt & vigiliç molestant, & vires ęgroti debilitantur,]quibus verbis constat, non simpliciter inhibere vacuationem: sed quantitatem limitare. Eadem ratio est de iis, qui aut in diarrhœam, aut dysenteriam, aut etiam colicam passionem ex quauis causa vel leuissima solent incidere, in his enim, aut non est vacuandum, aut admodum parce vacuatio instituenda est. Hanc rem pulchre videtur mihi declarasse Auicenna, dum ait: Symptomata etiam mala, vt puta Alui profluuium, & Conuulsio, vacuationem vetant. Si enim vbi aluum ducere libuerit, alui profluuium superueniat, ab euacuatione protinus abstinebimus, quoniam in alui profluuio aluum ducere periculosum est. Procliuitas etiam ad huiusmodi affectus suscipiendos tanquam quoddam symptoma habeatur.]

Cap. XIX.

Quæ ætates inhibeant, aut limitent euacuationem præsertim vero phlebotomiam, atque an pueris inhibeatur venæ sectio propter imbecillitatem virium.

SEQVITVR ætas, circa quem scopum duæ extremæ inspiciendæ, ac exacte considerandæ sunt dispositiones: vna est corporum, quæ nondum ad perfectam peruenerunt magnitudinem: alia vero eorum, quæ iam extreme declinant: sed in vtraque dispositione sua latitudo est satis magna in eo, quod magis ac minus distincta: extremæ illæ duæ non ferunt vacuationem aliquam, aut certe si admittunt, eius limitant quantitatem; senectus quidem vires habet imbecillas, ob caloris naturalis defectum, paucitatem, spirituum, & sanguinis: pueritia vero, quia insitam quandam habet à natura vacuationem, artificialem aliquam vacuationem non fert. Has ee ætates à venæ sectione excludit Hippocrates, aut quisquis author fuerit libri quarti de ratione victus in morbis acutis, cum dicit: In acutis morbis sanguinem mittes, si vehemens morbus videatur, floruerit ægrotanti ætas, & virium adfuerit robur. Admittit duntaxat ætatem consistentem, qua voce intelligit ille omnem ætatem intermediam, excipit pueritiam, & senectutem, de qua re supra satis locuti sumus. Hic autem videmur etiam excipere adolescentiam: quoniam vsque ad annum vigesimumquintum contingit augmentum fieri, pro qua re sciendum est, quod eiuscemodi æta-

tes in relatione ad ætates intermedias vacuationes non admittunt: at conside-ratæ secundum se, aliquando admittunt, & aliquando prorsus renuunt: senes decrepiti ab omni vacuationum genere alienandi sunt: qui viridi senecta sunt prædiii, ferunt tuto venæ sectionem, & purgationem, vbi morbi natura postulauerit. Puerulis vacuatio non conuenit, præsertim vero lactentibus: at vero non lactentibus conuenit lenis purgatio: venæ sectio in Eusarcho puero bene lauteque educato, densiori cute prædito, venæ sectio mediocris conuenit, vt demonstratum est à nobis libro primo tractationis huius, at vbi decimumquartum ætatis annum fuerint prætergressi, audacius sanguis vacuandus vsq; ad cotylam vnam, & cotylam dimidiam alio die. Adolescentes vero multo facilius ferent venæ sectionem, & alias vacuationes. Sed petierit hoc loco fortassis quispiam, quid agendum si puerulo lactenti morbus adueniat purgationem indicans? Rursus an pueris vires validæ sint ad euacuationem, præsertim ad venæ sectionem. Nam si Galeno credimus, tum in commentariis in quartum librum de ratione victus in morbis acutis, tum in libro de venæ sectione, validas vires habent, ob euacuationem tamen insitam non ferunt venę sectionem. Hac de causa dixit additum fuisse ab Hippocrate illud verbum. Et floruerit ægrotanti ætas.] & ipse alibi, dum loquitur de hac re, dicit, semper exceptis ab oratione pueris.] enumerans scopos in venæ sectione obseruandos. Respondeo, puerulis lactentibus aliquod purgationis genus admitti aliquando posse ex reubarbaro, ex manna, ex agarico, & (quemadmodum nos facere consueuimus) ex syrupo de cicorea cum reubarbaro, & de Eupatorio, vel etiam (quod multo tutius est) purgantia medicamenta exhibentes nutrici, puerorum commodis subuenimus, quæ vacuationis ratio ab Hippocrate primum inuenta, experientiaque comprobata in vsu est apud omnes medicos. Sic enim scribit Hippocrates sexto epidemiorum, sectione quinta, textu 35. Pueri purgantur, si mulier, aut capra cucumerem syluestrem edat.] Est ex hoc loco aperte colligendum, facultates alimentorum reseruari in ipso sanguine ex illis procreato. Qui talis euadit, qualia fere sunt, quæ comeduntur, bibunturq;. Obseruatum enim est (vt Galenus commemorat in eius contextus commentario) Verno tempore, quando capræ scamoneæ germina depastæ fuerint, purgatorium lac ipsas generare, idemque contingere, si titimalo vescantur. In Doride præterea Bœotia, & Thessalia omnibusque finitimis regionibus, multi ex coturnicum esu musculorum distensionibus correpti sunt, cum illæ veratro vescerentur. Hoc idem quibusdam Athenis contigisse nouit Galenus, qui coturnicibus sese nimis largiter impleuerunt. Quod vero ad secundam quæstionem attinet, putauerim pueros habere vires imbecillas ad venæ sectionem, atque etiam validas. Quomodo autem vtrunque possit contingere, & qua ratione Galenus contrarium sentiens debeat interpretari, breuiter doceamus. Habere illos vires validas potest facile demonstrari ex sententia Hippocratis, qua admonuit, quod qui crescunt plurimum habent calidi innati: vbi magna est huius copia, ibi vires validas existere non est ambigendum. At vero alia ex parte, cum illorum corpus maxime humidum sit, rarum, ac patens, annexumq; cum humiditate insigni habeat calorem, fit, maximam quotidie fieri per curaneos meatus euacuationem, dissolutionemque substantiæ salutaris, præsertim vero spirituum: cuius euacuationis causa illi ferre non possunt nouam vacuationem, maxime venæ sectionem, qua educitur pabulum calidi innati, hinc imbecillum illorum corpus est ad euacuationem eiuscemodi recte obeundam. Quamobrem, si consideremus statum præsentem, validæ sunt vires in pueris, si consideremus futurũ, imbecillæ. Contrario modo res habet in senibus, in quibus languidę sunt vires, tum pro præsenti, tum multo magis pro statu futuro. Propterea quando Hippocrates dicebat: Virium adfuerit robur] solum exclusit senes ab ipsa oratione, non pueros, qui duntaxat secluduntur illis verbis: Florueritque ægrotanti ætas.] Nam ille, eiusque imitator Galenus præsentem duntaxat statum considerarunt, hæc secundum eius principia statuenda sunt. Nos vero, qui pueris incidendam venam

esse

esse arbitramur, longe aliter sentimus, nempe validas in pueris inesse vires, tam pro præsenti, quam pro futuro statu, ideoq; ferre tuto phlebotomiam. Sed de ætatis indicatione sufficiat hæc dixisse, nam in nostra Methodo videmur omnia explicasse ad hanc materiam pertinentia.

Cap. XX.

Quæ indicatio præbeatur ab anni tempore.

INDICATIO sumpta ab anni tempore, & à regione fit in virtute ambientis nos aeris. Tres enim existere scopos indicantes curationem à Galeno scriptum fuit, libro nono Methodi medendi, capite decimoquarto, ad quos alii omnes rediguntur, eodem auctore, tanquam species sub propriis generibus, nempe ad morbum, ad naturale temperamentum, & tertio ad ambientem aerem. Ad morbum referuntur indicationes omnes sumptæ ab effectibus præter naturam, vt colligitur ex libro de optima secta ad Thrasibulum & nos demonstrauimus in disputatione, an morbus indicet curationem. Ad naturale temperamentum refertur ætas, habitudo corporis, consuetudo, & alia id genus. Ad aerem vero, anni tempus, particularis constitutio, & regionis natura, quæ tria vnum faciunt cœli statum, de quo iam dicere incipio, exordiū ab anni temporibus. Quatuor sunt anni tempora, in quibus non æqualiter vacuandum est, nam in æstate, & in hyeme aut non est vacuandū, aut temperatam facere vacuationem oportebit, in autumno, & in vere tutius, ver præ cæteris omnibus maxime accommodatum est, quia temperatū cum sit, vt Galenus ait primo de temperamentis, capite quarto, virtutes tunc omnes validiores sunt, ita vt ferre possint citra laborem vacuationes, præsertim vero, quæ fiunt detractione sanguinis, hoc ipso in tempore, neque vereri oportet resolutionem spirituum, quæ fit in æstate, neque coloris natiui suffocationem, quam minatur hyems. Deinde humores in vere nec ita inhærent tenaciter, quemadmodum in hyeme, nec ita sunt agitati, vt in æstate. Proxime sequitur autumnus, qui in relatione ad æstatem vires habet validiores, cum frigiditate temperata superueniente vires aliqua ex parte incipiant recreari, spiritusque multo minus dissolui, quam in æstate contingebat, non tamen sunt virtutes ita validæ, quemadmodum in vere, propterea minus vacuandum est. In æstate quidem multo minus, potissimum vero quando maxime viget æstas, vt in cane, & ante canem, vt Hippocrates quarto Aphor. inquit, his verbis: In Cane & ante Canem suspectæ sunt purgationes.] Vbi notandum est, quod suspectas esse dicit, qua voce intelligit vacuationes haud omnino impediri debere, sed cum præmeditatione exercendas, etenim vrgente necessitate, nemo est vtiq;, qui canicula vigente, non mittat sanguinem, aut medicamentum purgans non exhibeat: tamen accuratam in purgando adhibere diligentiam debemus, quia tunc exusta natura eam, quæ medicamentis inest purgantibus, non fert acredinem, quia & plures hoc tempore purgati incidunt in febres, & natura ex æstu imbecillis magis purgatione dissoluetur, & quidem purgatio hæc pauca fiet, cum calor aeris ambientis in partem trahat extrinsecam, contrariam ei, ad quam medicina ducit humores: sicut enim balnea calidæ, natura apta sunt obsistere purgationibus, sic & calor æstatis, & tum præcipue, cum se ipso vehementior extiterit. Hoc idem diligenter prosecutus est Galenus primo ad Glauconem, capite 14. & quarto de rat. vict. in morb. acut. com. 19. Hæc quidem, si diligenter considerentur, haud impediunt omnes vacuationes, sed validis medicamentis factas, quibus potissimum antiqui vtebantur. Nostro sæculo cum non desint pharmaca mitissima, quæ aut non calefaciant, aut parum, multo magis tutus vsus purgantium medicamentorum, quam antiquorum tempore extiterit. In hyeme vero parum conuenit vacuatio, contrariis de causis: vna est, quia humores sunt adeo viscidi, & tenaciter inhærentes in partibus, vt ab illis vix diuelli queant, præsertim quia ambientis frigiditas impedit liberum transitum coangustando meatus. Alia causa

est, quod tunc spiritus pauci sunt, at in vacuationibus spiritus ipsi dissoluuntur non mediocriter, ita vt timor non exiguus adsit, ne corpus nimium refrigeretur. sic igitur suspectæ sunt vacuationes in anni temporibus maxime calidis & frigidis, in vere autem & autumno tutiores, vt Hippocrates significauit sexto Aphoris. 46. cum ait: Quibuscunque venæ sectio vel purgatio cum medicamento conuenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet.] Et Galenus in Commentario: Purgo igitur ipsum, non vere tantum (inquit) sed etiam autumno.] Ad hæc vero est obseruandum, vigente cane abstinendum à purgatione, spacio dierum quinquaginta; sic enim loquitur Hippocrates libro de medicamentis purgantibus, quando inquit: Tempore æstatis à Canis ortu per dies quinquaginta vitare oportet, & non dare medicamentum, sed infusis per clysterem.] Est posttremo animaduertendum, Canem & Caniculam non esse idem. Nam Canis est illud sydus seu astrum, Græcis nuncupatum κύων, in centro cœli medio exoriens, quod omnino decem & nouem stellis conficitur, quarum quæ in eius ore est, Sirius, siue Canicula vocatur: hæc alio nomine vocatur Græcis προκύων, id est, Antecanis, & à Latinis Canis minor dicitur. Quantum ad ortum vtriusque Canis, sciendum est, Canem minorem, vt Higinius author est, cum Leone sydere exoriri, cui consentit Plinius libro secundo, cap. 40. cum ait: Ardentissimo æstatis tempore exoritur Caniculæ sydus, Sole primam partē Leonis ingrediente, qui dies est 15. ante Augusti Calendas, hoc est, 17. Iulii, quod clarius fecit his verbis: Decimosexto Calendas Augusti Procyon oritur, deinde postridie fere vbique confessum inter omnes sydus indicabis, quod Canis ortum vocamus, Sole primam partem Leonis ingresso, hoc fit post solstitium 23. die, nunc autem citius Sol ingreditur Leonem, & Canicula exoritur 13. Iulii. Canis maior cum Cancro exoritur, id quod fit 11. Iunii.] Hæc Plinius lib. 18. cap. 28. Cuius syderis ac stellæ, quanta sit vis, idem explanat his verbis, lib. 2. cap. 40. feruent maria eo exoriente, & cum Leone supra terram delata, fluctuant in cellis vina, mouentur stagna: canes toto eo tempore maxime in rabiem aguntur, &c.] Sed hæc satis de anni tempore, in quibus illud potissimum constat, eiusmodi anni tempora extrema non prohibere simpliciter vacuationem, sed magis quantitatem limitare, nisi tamen cœli status in vnum aeris temperamentum calidum siccumque conspirauerint, tunc enim ob maximam dissolutionem spirituum ab euacuatione ipsa abstinendum. Atque præterea calidissimum cœli statum, frigidissimumque diuerso modo impedire euacuationem.

Cap. XXI.

De indicatione sumpta à regione, & maxima cuiusdam contradictionis in Galeno explicatio.

POSTQVAM igitur de anni temporibus abunde diximus, nunc relinquitur, vt de regionis indicatione nostra transfigat oratio. De qua in hunc modum locutus est Auicenna. Ad hæc regio meridionalis admodum calida non parum obstat, cum etiam purgantia medicamenta maiori ex parte sint acria & calida: coniunctio autem duorum calorum intolerabilis est, &c.] Sciendum est itaque ex varia ipsarum regionum natura, tum varios mores, tum varias corporum habitudines, tum demum varia morborum genera proficisci, quæ omnia contingunt ex iis, quæ in regionibus illis nascuntur, aquis, fructibus, telluris conditionibus, ac ex aere illorum causa alterato, vt de hac re differit Hippocrates, libro de Aere, Locis, & Aquis. Verum quod attinet ad hanc tractationem, prætermissis aliis omnibus, agere duntaxat de regionibus debemus, quatenus harum causa intemperatus aer constituitur, aut in qualitatibus manifestis, aut in tota substantia: nam vt prædiximus, regio vna est ex causis constituentibus cœli statum. Quod attinet ad qualitates manifestas, considerandum est, an aer illius regionis sit maxime calidus vel frigidus, maxime calidum perhibent esse aerem meridionalem, in quo venti australes potissimū dominantur. Frigidum

vero aerem constituunt septentrionales regiones, ex quibus perflantur venti frigidissimi. Duo hęc sunt extrema diligenter contemplanda, quia si fuerit regio multum calida, multa fiet dissolutio caloris naturalis, & spirituum dissipatio, quæ reddet ea corpora imbecilla, & fere exanguia. Certe inter omnes regiones nullam fortassis inuenies, quæ habeat corpora adeo debilia, & gracilia, quam meridionalē plagam calidissimam, & siccissimam incolentia, idcirco non ferunt hæc vacuationem saltem morbo respondentem. Ad venæ sectionem inepta sunt, quia sanguine minime abundant, sed humoribus prætorridis: ideo sanguine vacuato magnum imminet periculū, ne spiritus dissoluti irreparabile damnum faciant. Ad purgationem vero multo minus idonei sunt, quia medicamenta purgantia sunt plurimum calida, & acria, à quibus calor intus coercitus ab ambiente adeo adaugeretur, vt maximum periculum minaretur summæ dissolutionis virium: nequit enim natura ipsa ferre duas caliditates excludentes, quoniam si omnis immoderata intemperies vires deiicit, hic vero duæ sunt intemperaturæ modum excedentes, vna ex medicamento, alia ex aere, merito purgationem ferre non poterunt eiusmodi corpora. Quibus præterea addendum est, aerem illius regionis calidum, & siccum, vires facere laxas, & imbecillas propter dissolutionem spirituum, per cutaneos meatus: attractio enim fit à centro ad circumferentiam spirituosæ substantiæ: at medicamenta purgantia motum efficiunt contrarium, scilicet à superficie ad centrum, porro natura minime quidem ferre poterit duplicem hanc attractionem, atq; contrariam, cum vna possit impedire aliam, fietque inter ipsas veluti quædam pugna, qua plurimum virtus reddetur imbecillior. Porro septentrionalis regio eandem prohibet, sed non eisdem de causis, nam magna frigiditas aeris humores reddit maxime inhabiles ad euacuationem, cum illi propter crassitiem, & viscitatem ex locis vix possint remoueri, neque propterea viæ, per quas fieri debet transitus, apertæ sunt, atque conuenienter præparatæ: adde, quod spiritus etiam crassiores, atque frigidiores redditi, maxime iustam vacuationem impediant. Sed hic notanda sunt quædam, primum, regionem aut conspirare cum anni tempore, atque cum constitutione particulari, aut non conspirare: si in vnum conueniant, magis abstinendum est; si non conueniant, vacuatio exercenda quidem, sed quæ modum minime transcendens inferior etiam sit, quam morbi postulet conditio: de qua re sic Galenus in primo ad Glauconem cap. 14. locutus est. Igitur, neque in calidis, neque in frigidis supra modum regionibus sanguinem mittere audemus. Quod si regioni temporis conditio respondet, omnino abstinebimus. At si non consentit, vacuamus quidem, sed longe minus, quam si neutrum vetaret.] Quod repetit libro de rat. cur. per venæ sectionem, & secundo Methodi medendi, & septimo, capite quarto. Secundo loco obseruandum, medicamenta purgantia fere omnia calida, & sicca existere, vt dicit Hippocrates libro de facul. med. purg. & Galenus primo Aph. 24. & 4. Apho. primo, & tertio, & lib. cum quibus, quos, & quando purgate oporteat. Verum quæ nostris temporibus vsurpantur pharmaca expurgantia, hæc, inquam, frigidorum medicamentorum permistione optime contemperata sunt, quamuis etiam quędam sint caliditate fere omni spoliata, aut certe haud magnam habeant, quemadmodum Tamarindorum fructus, Mirabulanorum genera, succus rosarum, & violarum, mixtaria, cassia Arabum, Manna, syrupus violaceus, & rosaceus laxatiui, Diaprunon simplex, atq; alia id genus plura, quorum ratione nostra hæc ætas longe superior est antiquitate. his profecto possumus vti multo tutius, quam pharmaticis ab Hippocrate, Galenoque vsitatis. Postremo loco dilucidanda est magna quædam difficultas ex Galeni placitis deriuata, is enim libro nono Methodi, capite 14. dicit aerem esse scopum curatiuum tanquam causam sine qua non potest sanitas introduci, aliorum enim dicebat, materia in nostra potestate sita est, non sic autem ea, quam præbet aer, quia velimus, nolimus, respirare cogimur. Addebat, quod si aeris temperatura fuerit concors cum ipso morbo, tunc oriri indicationē mutandi illum in contrariū, propterea inquit, do-

mos eligimus subterraneas, locos frigidos humidosque paramus ad propulsandam febrem, quando tales non fuerint, at si fuerit discors, cum iuuantis materiei locum habeat, pro summa gratia habendum est, tunc enim morbo contrarius existens non debet immutari. Sed contra hanc ipsam doctrinam idem auctor videtur scripsisse in libro octauo Methodi medendi, in quo aperte admodum dicit: quod si quis febricitauerit in aëre frigido, quod tunc ambientis frigiditas in contrarium est corrigenda, præbetiq; indicationem de similibus, non contrariis febri remediis, ita quidem videbitur calefaciendum & exsiccandum in aëre frigido & humido, indicatione desumpta ab aeris intemperie. Et certe maxima videtur contradictio à nemine (quod ego sciam) hactenus animaduersa. Augetur præterea, quia dicit statim in principio illius capituli decimiquarti, noni Methodi, omnes indicationes curatiuas dictas, ac dicendas reduci ad illas tres indicationes, sumptas à morbo, à temperamento naturali, & ab aere. Postea vero explicans eos scopos, qui referuntur ad naturalem temperiem, dicit, quod aer ad ipsam temperiem reducitur, hac ratione non erunt tria prima genera indicantium curationem, sed duo. Pro solutione harum controuersiarum scire oportet, aerem duobus modis considerari posse; vno modo absolute ac simpliciter; alio vero in comparatione. Absolute consideratus, vt causa sine qua non, est vnus ex tribus scopis indicantibus curationem, sed non est principale indicans, vt in tractationibus vniuersalibus manifestum fecimus, & hac ratione locutus est Galenus in nono Methodi, cum vnum esse dicit ex tribus scopis indicantibus curationem. At in comparatione secus dicendum est. Potest autem aer comparari cum duobus: vno modo cum ipsa virtute, alio modo cum temperatura, atq; ex hac varia comparatione factum est, Galenum vario modo fuisse locutum. Dum enim comparat aerem ambientem virtuti, ceu morbum præcipue propellenti, atq; vitam custodienti, tunc si temperatus fuerit, virtutem maxime conseruans, nulla ratione debet permutari; at vero si fuerit intemperatus, debet in contrarium mutari, quia virtuti plurimum obest: propterea, si fuerit aer frigidus & humidus, & quispiam febricitet, dico, quod ille aer, etiam si non noceat febri, tamen nocet plurimum virtuti, quia vero prima atq; præcipua Medici diligentia ad virtutẽ esse debet, propterea mutandus est eiuscemodi aer, ac contemperandus aliqua ex parte, ita vt non noceat febri: Hac præcise ratione considerauit aerem in octauo Methodi, capite vltimo. Hac de re cæteris paribus in hyeme non debemus vti refrigerantibus & humectantibus, eo modo, quo vteremur ipsis in æstate. Verum aer consideratus in relatione ad ipsam temperaturam, idem indicat, quod ipsa temperies naturalis, quia ipsius causa est, hæc relatio facit ambientem non considerari, vt indicans curatorium, & vt causa sine qua non, quemadmodum quando considerabatur in nono Methodi, capite decimoquarto, statim in illius capitis principio: Sed quemadmodum temperatura indicationem profert, sic eandem indicat aere eius causa, quandoquidem causa temperaturæ est consuetudo, aer, ætas, vt ille dicit his verbis: Si quidem corporis temperies, quæ illo tempore fuit, quo ægrotare is cœpit, quæq; ad inuenienda remedia est vtilis, ex natura, ætate, consuetudine, & ambiente nos aere ortum habet.] In hunc igitur modum soluitur maxima hæc contradictio, quam cum abunde prosecutus videar, nunc relinquitur, vt de consuetudine sermonem instituam.

Cap. XXII.

Indicationis à consuetudine sumptæ maximam esse vim, & quæ ex ea in sanguinis missione sumenda sit.

CONSVETVDINES, vt vile quoddam theorema, nonnulli Medicorum despiciunt, nullam ab ipsis indicationem, quæ medelam commutet, fieri arbitrantes. At alii non contemnunt quidem, à prauis vero consuetudinibus, quosdam ad contrarias subito traducere conantes, non mediocri errore tenentur:

tur:

tur: quandoquidem neq; ipsas negligere, neq; subito traducere conuenit, sed paulatim & ipsos quiescere permittendo. Consuetudinis certe tanta vis est in omnibus, quæ ad Medicinam spectant, vt ea aduentitia natura à maximis Medicis fuerit appellata, videaturq; ipse etiam Hippocrates, inter maxime necessaria eam constituere, eique secundam, post naturam videlicet, Indicationis vim tribuere. Propterea in libris de ratione victus in morbis acutis, non semel magnam illius esse vim, tradidit Hippocrates. Nam si quis semel modo cibum assumere singulis diebus consueuerit, velis autem eum bis alere, non mediocriter lædes, sicut etiam contra, si abstineas. Præterea quæ consueta sunt, lædere minus solent, vt etiam in secundo Aphorismorum idem auctor testatus est. Hac de causa ipsam debemus in hac methodo consuetudinem contemplari, quatenus ad euacuandi ratione͂ pertinet. Qui enim euacuationibus assueti sunt, facile admodum ferunt vacuationem: qui vero non sunt assueti, aut illas non admittunt, aut certe vsum illarum modificant, vt sic loquar. Quæ res tum in venæ sectione, tum in purgatione est obseruanda, de qua re Galenus libro de ratione curandi ad Glauconem hoc modo locutus est. Et consuetudo quoq; non parui momenti est, cum ad omnia alia, tum vel præcipue ad euacuationis indicationem. Quidam enim nunquam fuere vacuati, neq; vnquam euacuationem integram pertulerunt, & multis cibis vsi sunt: nonnulli contra, neq; multis cibis vsi fuerunt, & euacuationibus sunt assueti: hos igitur intrepide vacuare oportet, quando & reliqua etiam consentiunt: cæteros vero nec si alia omnia id suaserint.] Idem repetit Oribasius, libro cum quibus, quos, & quando purgare oporter, cap. 4. Qui enim multis cibis assueti sunt, à vacuationibus maxime læduntur, quia corpus non fert repentinas mutationes à multitudine ad ipsam inanitionem, maxime si alias vacuationes non admiserit: contra vero, qui parce sobrieq; viuunt, ferunt facilius vacuationes. Hoc præceptum obiter notabunt recentiores quidam, vulgatesq; Medici, qui putant, eo copiosiores fieri debere vacuationes, quo magis copiose lauteq; comedere consueuerunt: quæ res, cum sit in multorum consuetudine, & in humani generis perniciem excogitata, omnino venit extirpanda. Hinc enim mala quamplura contingunt, & non sine artis dedecore, quæ postea corrigi vix possint.

Cap. XXIIII.

Consuetudinem indicare quatenus refertur ad temperamentum, non ad proprietatem naturalem, & de indicatione, quæ sumitur ab arte.

CÆTERVM consuetudo ipsa suam præbet indicationem, quatenus ad temperaturam refertur, cum ex consuetudine generetur, vt nono libro Methodi medendi Galenus dicebat, quamuis etiam possit ad naturalem proprietatem referri, vt idem auctor testatur libro de assuetudinibus, capite secundo. Mirum autem fortasse quibusdam videbitur, qui fieri possit, consuetudinem ad hæc duo referri posse, quandoquidem naturalis est proprietas incognita nobis: at vero, quod eiusmodi est, illud nullam omnino potest de seipso indicationem præbere: quia vt diximus in principio tractationis huius, ex Galeni sententia, indicatio est comprehensio iuuantis, simul cum comprehensione nocentis aduenientis, idcirco necessariu͂ est, ipsam indicantis rei naturam esse antea cognitam: naturalis autem proprietas nulla cognosci ratione potest. Quamobrem, licet statuendum sit, consuetudinem ad illa duo referri posse: tamen non indicat curationem vel euacuationem, nisi eo modo, quo ipsa indicat ætas, nempe temperamento interueniente: vt enim illa relationem habet ad naturalem proprietatem, siue etiam ad ascititiam non indicat vacuationem, vel aliquod remediu͂ curatorium; sed duntaxat indicat materiam remedii, vt Galenus admodum aperte significasse videtur mihi libro de assuetudinibus, capite secundo. Hic ego non declaro, quomodo consuetudo sit signum & causa temperaturæ: signum

temperamenti naturalis, cauſa temperamenti acquiſiti, quemadmodum etiam ſignum ſit, & cauſa vtriuſq; proprietatis tam acquiſititiæ, quam naturalis: hæc enim explanata ſunt à nobis in vniuerſali Methodo, quam præſens tractatio ſupponit. Neque etiam doceo, an conſuetudo ita indicet interueniente ipſo temperamento, quemadmodum ætas, vt Galenus aſſeuerauit in nono Methodi, ita vt ſemper indicatio ſimilium à conſuetudine præbeatur, quandoquidem non ſunt explicanda hoc loco, quæ ad methodum vniuerſalem pertinent; Sed non poſſum prætermittere, quæ Galenus de conſuetudine proponit, libro huic tractationi dicato, capite vltimo, ad hanc materiam pertinentia: Dicit enim ibi, conſuetudinem non indicare ſimpliciter venam eſſe incidendam, aut purgans medicamentum exhibendum, quia illa nullo modo vacuationem indicant, ſed vt ſignum diſpoſitionis, ac temperaturæ corporis cum materia, aut cum plenitudine, aut cum cacochymia coniunctæ vacuationis indicationem præbere. Hinc Medici iuniores colligant, non eſſe temere accedendum ad vacuanda corpora, ſed prius oportere conſuetudinem ipſam animaduertere. Hæc de præſenti argumento volui dixiſſe. Nunc ſupereſt, vt de arte tranſigamus, de qua ſic ait Auicenna: Ars etiam, qua multa fit vacuatio, ſicut ſeruienrium in balneo, & onera dorſo deferentium ab ea prohibet, & ad vltimum omnis ars laborioſa.] Artis quidem nomine intelligimus exercitationis genus, quo quis continuo incumbit, nam hoc ipſum docebit, num vacuandum, an contra ab euacuatione abſtinendum, qui enim artes eas exercent, in quibus magna fieri ſolet reſolutio, vt qui balneis ſubminiſtrant, aut onera ferunt, ab euacuatione prohibendi ſunt, & in ſumma in omni exercitio laborioſo abſtinendum eſt ab euacuatione. Nam habent ex ipſa arte, vndenam excrementa corporis vacuentur, ſi quæ in illis cumulantur: pauca enim omnino cumulari oportet, vbi magnæ exercitationes fiunt. Hæc igitur ea ſunt, quæ principaliter indicant, vel non iudicant, vacuandum eſſe, atque ſecundo loco eandem indicationem exhibent.

Cap. XXIIII.

Quod quamuis vnum ſit, quod vere indicat miſsionem ſanguinis, ſcopi tamen ſunt plures.

VERVM quia non ſtatim ad opus accedendum eſt, vbi id, quod indicat inuentum fuerit: multa enim impedimento eſſe poſſunt, quæ contrarii indicatiua ſunt, idcirco ſane in omni opere Medico, non ſolum id, quod indicat, expendere oportet, ſed etiam contrarias indicationes animaduertere & obſeruare debemus, illasq; inter ſeſe diligenter conferre, atq; ad id accedendum, cuius indicatio vires maiores habuerit. Sed rem exemplo declaremus. Frigidam quidem omnibus febribus vtilem eſſe docet febris ipſius natura: hęc enim affectio eſt ignea, calida ſcilicet & ſicca, quamobrem prima indicatio eſt de adhibenda frigida. Hæc igitur propoſitio veritatem habet, febris ſemper indicat frigidam. Hæc autem falſa eſt, in omni febre exhibenda eſt frigida. Vnde igitur hoc diſcrimen? Cur itaq; habita indicatione, ſtatim non accedimus ad opus? quia contrariæ indicationes aliquando magis valent; ſi enim harum fuerit vis maior, hebeſcunt ſtatim primæ indicationes: ſi enim putredo frigidos humores inuaſerit, ſi obſtructio in viſceribus fuerit notabilis, ſi imbecillo fuerit ægrotus ipſe ventriculo, ſi puer aut ſenex, ſi in valido corporis habitu, atque ſi non aſſuetus frigidæ, abſtinere debemus ab illius potu, quemadmodum ſi adfuerint contraria, accedendum eſt ad illius vſum. Id igitur, quod indicatur, non ſit ſemper, ſed aliquando exercetur opus contrarium. Quamobrem ſi quis recte voluerit frigidam exhibere, is profecto ad omnes ſcopos neceſſarios animum adhibeat, vt ſcilicet quod febris ſit ardens, à calidis humoribus genita, quod æger validas habeat vires, quod in viſceribus non adſit phlegmon aut obſtructio, quod habitus corporis non ſit nimium gracilis, atque id genus alia, quæ nos docebimus

mus in tractatione de febribus. Hæc ſane omnia vocantur ſcopi neceſſarii, ſine quorum obſeruatione non debemus accedere ad potionem frigidæ. Vides igitur vnum eſſe, quod remedium hoc indicat; plures tamen ſcopos obſeruandos eſſe, vt tuto ad opus accedamus, ſic profecto res habet in miſſione ſanguinis, nam quamuis multitudo aut ſanguinis impetus id remedium indicet, non tamen ſemper his præſentibus venam incidimus, ſed tunc, cum nihil ſit, quod repugnet. Quamobrem antiquiores Medici, dum hac de re agunt, multos enumerant ſcopos neceſſario conſiderandos, anteaquam ad hoc auxilium accedamus, quos tamen omnes admirabilis Galenus ad duos præcipuos maximosq́ue redegit, quibus præſentibus ſemper accedendum eſt ad opus, abſentibus autem nunquam. Hi vero ſcopi ſunt, magnitudo morbi à ſanguinis multitudine, vel motu, & virium robur: illa tanquam indicans miſſionem ſanguinis: hoc vero ceu admittens, quod contraindicare Medici nuncupant. Ergo vt ſtatim accedamus ad ipſum opus, duo ſunt ſcopi, qui id nobis oſtendunt, non tamen ambo, vt indicantes id auxilium, ſed vt neceſſarii ad ipſius indicati executionem. Vides hic, quam falſa ſit recentiorum quorundam noſtri temporis opinio, qui ſtatim inferunt, ſcopi in mittendo ſanguine obſeruandi duo ſunt, aut tres, ergo duo ſunt, aut tria, à quibus indicatio de ſanguine mittendo præſtatur, non recto ſane colligentes ab operis executione ad indicationem ipſam. Vnum eſt, quod indicat opus, at opus non fit ſtatim habito eo, quod indicat; ſed cum ea, quæ impedimento eſſe poſſunt, inuicem conſpirant, & idem opus admittant, minimeq́ue prohibeant. Ergo ſcopi ſunt compoſiti ex vere indicantibus atque ex contraindicantibus, quibus in vnum conſpirantibus, ſtatim ad operis executionem accedimus. Hæc ſane, quæ hoc loco à nobis declarata ſunt, quemadmodum nullam habent difficultatem apud eos, qui Galeni doctrinam callent, ſic profecto ignorantiam quorundam noſtri temporis Medicorum manifeſtiſſime arguunt.

HORATII AVGENII A MONTE SANCTO, DE RATIONE CVRANDI PER MISSIONEM SANGVINIS;

LIBER QVARTVS.

CAP. I.

Calidam intemperiem non indicare ſanguinis miſsionem.

NVNC ſatisfaciamus iis quæſtionibus, quas pro ſuæ opinionis confirmatione contra Galeni ſententiã, hactenus declaratam, Medici quidam recentiores propoſuerunt. In primisq́ue illud doceamus, an ſimplex intemperies venæ ſectionem indicet: mox an cacochymiæ ita conueniat remedium, vt in bac ipſa nullo amplius adhibito diſcrimine conſentientibus viribus continuo debeat exerceri: hæc enim illorum potiſſima videntur fundamenta, quibus examinatis dabitur poſtea aditus ad alia. Exordior ab intemperie. Si adfuerit mala quædam temperies ſine materia, tum ipſam intemperiem permutare & alterare duntaxat debemus: at ſi cum aliqua materia coniuncta fuerit, hanc primum vacuare; deinde vero intemperiem corrigere oportebit: licet plerumque ſatisfaciat ſola humoris vacuatio: quando ſcilicet intemperies non fuerit in partibus tenaciter impreſſa: remouetur enim

tunc illa ex procreantis humoris vacuatione: at si fuerit impacta, post vacuationem sequi debet alteratio, qua in contrarium statum mutetur. Hic etiam præstat recensere, intemperiem variis modis remoueri: vel enim facta est & confirmata: vel futura est: vel partim facta, partim futura: quæ facta est, simplicem & exactam curationẽ exigit: quæ fit, curationem prophylace permistam desiderat: vt exempli gratia, curatio simpliciter est, cum febrẽ in habitu, balneo humectante & refrigerante sanamus: aut febris ardentis torridam illam intemperiem potu frigidæ curamus. Curatio vero cum præseruatione facta est, quando in quartana vtimur medicamento expurgante atram bilem, & in tertiana bilem flauam scammoneo purgamus: nam ex hoc futuram occasionem prohibere intendimus. Hęc si vera sunt, patet, intemperiem simplicem minime postulare sua natura vacuationem aliquam, nedum illam, quæ fit venæ sectione. Si enim nullus humor subest, à quo fouetur illa, cur vacuatione vtendum est? Quæ sanationis ratio esse potest, si vacuetur, quod in corpore expediret retineri? Aliud sane remedium est vacuatio, aliud alteratio: illam semper indicat copia, hanc autem qualitas: qui hæc non distinguunt, errore turpi medicæ artis fundamenta confundunt. Quicquid ab alio indicatur, id semper indicatur pro natura indicantis: quia igitur naturæ indicantes diuersæ sunt atque contrariæ, vt abundantia & inanitio, indicata etiam erunt diuersa: abundantiam sanat inanitio, inanitionẽ curat abundantia. Qui ergo imaginabimur, intemperies sine humoris præsentia sanari posse vacuatione? Hæc in vniuersali ostendunt, nullam intemperiem simplicem postulare vacuationem, in particulari vero sanguinis missionem non conuenire intemperiei calidæ, hæc demonstrabunt. Primum nulla est intemperies calidior ipsa febre, vt quæ maxime videatur referre naturam ignis, vt ex Galeno demonstrauimus, libro primo nostræ tractationis de febribus. Huius morbi indicationes dum Galenus persequitur, libro octauo Methodi medendi, & aliis in libris frequentissime, dicit indicari duntaxat refrigerationem & humectationem, propterea aquam frigidam esse perpetuum remedium febris, quatenus febris est, nunquam vero ab illo scriptum fuisse memini, remedium esse vacuationem, ac multo minus remedium esse venæ sectionem. Alioquin conueniret in omni febre in habitu, in qua tamen abstinendum esse, ab hoc remedio adeo verum est, vt nihil verius. Cur præterea non mittitur sanguis in omnibus Ephemeris? Cur Galenus eos deridet, qui in omni febre phlebotomiam exerceri debere voluerunt, verba illius sic habent, libro aduersus Erasistrateos Romæ degentes: Sed qui nostra tempestate febres cunctas in principio venæ sectione indigere putant, non mediocri hercle noxa ægrotos afficiunt.] Hæc ille. Quæ si clarissime demonstrant, non conuenire venę sectionem in omni febre, multo certe apertius ostendunt, neque in aliis intemperiebus calidis conuenire. Scribamus hoc loco, quid Franciscus Cirochus Fulginas illustris in Vmbria medicus, & mecum multis amicitiæ officiis coniunctissimus, putauerit respondendum. Sentit ille, non esse mittendum sanguinem in omni intemperie calida, sed in ea duntaxat, quæ magnus fit morbus, vtputa quæ in suo genere maxime excedat, admittens, nunquam vigere indicationem de sanguine mittendo, nisi morbus extiterit magnus. Ad hæc vero non indicare intemperiem eiuscemodi vacuationem prima quadam indicatione, sed veluti ex accidenti, quatenus vim habet refrigerandi. Ergo indicari ab intemperie φλεβοτομίαν asseuerat, vt magnum quoddam auxilium ac refrigerans, additque præterea, venæ sectionẽ in hoc morbi genere institutam nuncupandam esse euentatiuam, nosque non bene distinxisse in partes duas venæ sectionem, cum dicebamus, aliquam esse vacuatiuam, aliquam reuulsiuam, quoniam euentatiua illis addi & numerari debebat. Postremo etiam asserit in intemperie admittendam venæ sectionem reuulsionis gratia, quia ad omnẽ calidam intemperiem humores facile attrahuntur, ne id contingat, venæ sectione anticipare oportebit. Galenumque & Auicennam huic opinioni non aduersari ostendere quidem conatur, quandoquidẽ ille in 9. Meth. & alibi etiam satis frequenter venæ sectionem refrigerare dicit, nam

agens

agens de vacuatione vsq; ad animi deliquium, ait, totum corporis habitum statim refrigerari, & in contrarium statum deduci. Hic vero in quarta sectione primi libri habet eiuscemodi verba in capite vigesimo: Ad eundem modum, & qui membra interna imbecillia ex calida intemperie obtinent, his enim Vere ineunte sanguinem detrahere expedit, licet nullum plenitudinis symptoma appareat.] Quibus verbis apertissime docet in intemperie sine materia, venæ sectionem administrandam. Hæc ille suis ad me literis. Liceat nunc mihi veteri seruata inter nos amicitia, libere, pro mea alioquin consuetudine, & pro more maiorum scribere, quid sentiam. Si intemperies indicat venæ sectionem, aut id habet quatenus est intemperies, aut quatenus magna, si vt intemperies. omnis itaque eandem habebit indicationem, neque enim maior de vna, quam de alia ratio esse debet, cum vniuoce dicantur, si, vt magna est, hanc indicationem habet, omnis magna intemperies eandem habebit, non igitur calida magis, quam frigida, humida, quam sicca, sanguinis indicabit missionem; Deinde magnum, & paruum sunt differentiæ rei, cum de intemperie loquimur, erunt differentiæ intemperiei. Quamobrem indicabunt differentiam generis indicati, est autem genericum indicatum in ipsa intemperie, alteratio, differentiæ alterationis, erunt magna alteratio, parua alteratio, alteratio calefaciens, refrigerans, humectans, siccans, aut complicatis qualitatibus facta. Preterea, quod indicat aliquid, illud pro sui natura semper indicat, vt superioribus libris dictum fuit, si calida intemperies magna indicat venæ sectionem, eam semper indicabit, quomodocunque indicet, siue principaliter, siue ex accidenti, at non semper hæc deducitur indicatio, vt febrium exemplo supra diximus, quæ res in aliis etiam calidis intemperaturis veritatem habere nemo inficiari potest. Alioquin cur Galenus dum causas persequitur doloris capitis, à simplici intemperie proficiscentis, nũquam venæ sectionem proposuit? Intemperies magna supponitur, symptoma plurimum, acerbum, molestumq́;, tamen neque ratione reuulsionis aliquando sanguinis missionem proponit; quem auctorẽ imitantur omnes vnanimi consensu. Amplius, neq; conuenit hoc remedium, vt refrigerans: Nam venæ sectio remedium non est refrigerans, sed est materia remedii vacuantis, quæ aliquando etiam excalefacit, vt parum infra docebimus: aliquando refrigerat ex euacuatione sanguinis, & spirituum. At hac ratione refrigerat etiam reubarbarum aloe, absynthium, scammoneũ, ac id genus quam plura vacuantia humorem biliosum: idcirco intemperies calida non magis sanguinis missionem, quam purgationem indicabit, cum si rectius est sentiendum, neutrum indicat: quandoquidem non indigemus refrigeratione facta ex humorum vacuatione, quorum copiam abesse profitemur ex Thesi, verum eam præcipue exoptamus, quæ fit medicamentis alterantibus, & determinate contrariis sanandæ dispositioni: quia omnis morbus suam habet determinatam cõtrarietatem. Adde, quod neque ratione reuulsionis conuenire potest: nam vbi supponimus indicationis huius necessitatem, statim etiam ponimus intemperiem non esse simplicem. Reuulsio enim, vt diximus libro huic tractationi dicato, remedium est pro humorum fluxione excogitatum: hac de re, haud amplius, dum reuulsioni operã damus, incumbimus simplici intemperaturæ. Deinde vero ponamus etiam venæ sectionem id præstare, non bene colligitur eam esse necessariam: potest enim subueniri purgatione, vt Galenus docet libro de ratione curandi per venæ sectionẽ, quando agens de rheumaticis affectionibus, dicebat cõsiderandũ esse, quinam humores coaceruentur, in iis enim quibus sanguis confluit venę sectio, in aliis vero purgatio adhibenda. Verba illius in hunc habent modum: Merito igitur his curandis scopus est, nõ euacuatio, sed corporis totius roboratio: quamquam tamen curationis initium illis amisso oritur sanguine. Si vero excrementa qualitate praua fuerint, purgationem adhibemus] & nonnullis interpositis verbis, inquit: Eadem ratione in iis, quibus pars quæpiam grauiter icta est, aut vtcunq; aliter incipientem habet phlegmonem: eam, si magnam fore suspicamur, curationem ab inanitione auspicamur, aut purgatorio medicamine exhi-

bito, aut vena incisa, prout nimirum alterum altero magis conuenire iudicamus.] Sed quomodo si scopus in his non est euacuatio, sed corporis totius roboratio, principium curationis exorditur ab euacuatione, aut sanguine misso, aut purganti exhibito medicamento? an quia loci affecti corroboratio primus est scopus in inuentione, in executione non est primus: quia hanc semper præcedere debet necessario scopus euacuationem decernens. Verum loci huius explanatione prætermissa, non potest ab aliquo negari, quin aut purgatio, aut sanguinis missio debeatur gratia reuulsionis, pro varia humorum confluentium conditione: atq; ideo non posse concludi in calida intemperie magis venæ sectionem, quam purgationem conuenire gratia reuulsionis. Dicent fortassis id contingere, quando humores iam fluere incipiunt, vt quando nondum fluunt, sed fluxuri sunt ratione præseruationis incidendam esse venam. Hoc autem, quam sit absurdum, neminem latere arbitror, qui in artis operibus fuerit vel mediocriter exercitatus, vt qui sciat easdem pro præseruandis corporibus quas pro curandis, venas incidi debere, vt etiam nos docebimus libro septimo tractationis huius. Sed locum prætermittere Galeni non possum pulchrum, & in hac materia, vt sic dicam, irrefragabilem, in quarto Methodi medendi, capite sexto, in quo ex proposito de reuulsione humorum agens, ita scriptum reliquit: Quinetiam si iis, quæ iam dixi, illud quoque adiicias, nempe quod ipsum, qui redundat, succum vacuandum esse Hippocrates suadet, alias sanguinis detractionem adhibendo, cum videlicet is vincit: alias pharmacum, quod ad bilem flauam, vel atram, vel pituitam educendam vim habeat, dabis. Illius interim in omnibus iis non immemor, non esse vlceris, qua vlcus est, vllam id genus curationem, sed vel vitiosi, qui coniunctus est, succi, vel redundantiæ, vel phlegmonis, vel herpetis, vel eius generis alterius.] Hæc ille. Quæ ex industria proferre volui in medium, vt vnusquisq; perciperet in ipsa intemperie, si aliquando sanguis mittitur, id non fieri ratione intemperiei, sed ratione multitudinis sanguinis, aut fluoris eiusdem, atq; hac de causa indicationem vacuationis sumendam à multitudine; reuulsionis vero à particula fluxione tentata. Postremo videre non possum, quomodo valeat hæc ratiocinatio: calida intemperies magna remedium magnum exigit: itaque sectionem venæ indicabit, quasi quod alia magna remedia non sint, magnum remedium est purgatio, magnum potus frigidæ, balneum frigidæ, crudelis chirurgia membrū amputans, aut candenti ferro corpus adurens, sectio abdominis pro vacuatione hydropicorum excogitata, aut in thorace pro empiimate expurgando, victus tenuissimus, aut simpliciter, aut in extremo, & si qua sunt eius generis alia. Cur igitur vnam venæ sectionem magis indicabit dispositio hæc immaterialis, quam aliud magnum remedium, vel omnia simul? A magno morbo indicatur magnum remedium in genere, at nullum speciatim, nisi magnus consideretur morbus secundū propriam naturam, vt primo libro tractationis huius declaratum fuit. Cæterum quod attinet ad Galenum, qui refrigerari totum corporis habitum à venæ sectione dixit, eius ego sententiam, vt fere omnes, admitto libentissime, sed ea refrigeratio non fit, nisi post euacuationem multitudinis: quam ob rem non supponit simplicem intemperiem, sed cum materia: nostra vero disputatio est de intemperie, sine humoris præsentia. Videbitur fortasse difficilior locus Auicennæ: verum neque hic aliquam habet difficultatem, si eius sententia intelligatur vt debet. Docebo hic breuiter, quid sit sentiendum. Nunquam putauit Auicenna, in simplici intemperatura vacuationem conuenire per venæ sectionem, sed tunc, cum intemperies adest cum materia aggrauante, & opprimente vires. Etenim supponit ibi imbecillitatem adesse virium: hic ego petierim, quam imbecillitatem indicet, num eam, quæ fit ex dissolutione substantiæ virium, an quæ fit ex aggrauatione earundem; minime priorem intelligere potest imbecillitatem, quia huic non debetur vacuatio aliqua, nedum ea, quæ fit venæ sectione: quæ enim imbecillitas gignitur à dissolutione spirituum, hanc sanat plenitudo: vt dicebat Hippocrates in secundo Aphorismorum, at si secundum intelligat, iam quidem conclusum

clusum est, hanc ipsam esse intemperiem cum materia, non simplicem, quemadmodum ille supponebat; Rursus quia adesse calidam dicit intemperiem, materiamq; grauantem vires, eam sanguineam esse oportet, quādoquidem a biliosis excrementis ob tenuitatem suæ substantiæ, facilemq; dissipationem non aggrauantur vires, neque fieri solet imbecillitas ratione aggrauationis. Hinc sequitur, necessario adhibendam esse phlebotomiam: qua vacuatur sanguis, exonerando naturam eo, quo veluti sarcina premebatur. Ex iis deduco propositum contextum illi, ne minima quidem ex parte, fauere, sed omnino nostram opinionem confirmare. Alia etiam potest esse explanatio loci huius satis accommodata, nempe vt statuamus, Auicennam loqui de intemperie simplici (hoc enim ego perlibenter admittere volo in earum gratiam) cui venæ sectio conueniat ratione præseruationis ab indicatione sumpta, non à morbo facto, vt ab intemperie, sed à morbo futuro, nempe à materia, quæ illam intemperiē adaugere & fouere posset. Pro dilucidatione solutionis huius est animaduertendum, aliquando indicationem in euacuatione sumi à materia morbum efficiente, aliquando autem ab ea, quæ licet morbum non faciat, nihilominus adaugere & fouere posset. Hanc rem illustremus accommodatissimo exemplo: Sit intemperies calida in cerebro contracta ab insolatione, non adsit adhuc materia illam fouens aut adaugens in cerebro, sed tamen maxima suspicio sit, ne confluat, quod coniectabimur primum ex vehementia caloris, & doloris contracti ab extrinseca causa; deinde ex totius corporis plenitudine: tunc, quamuis adsit simplex illa intemperies in capite, nihilominus conueniet venæ sectio ratione præseruationis, ne scilicet attrahatur ad caput imbecillum ob intemperiem contractam sanguinis copia, fluere alioquin parata, aut ob totius plenitudinem, aut ob imbecillitatem loci, aut ob calorem & dolorem. Verum eiuscemodi indicatio non sumitur ab intemperie simplici, vt talis est, at à totius plenitudine, atque ab eo, quod futurum est: sic sane indicatio non est, nisi ex humore, aut fluente, aut parato ad fluxionem petenda. Demus hic aliud exemplum: Sit Socrates, qui patiatur à natura, aut ex aliqua accidentaria causa calidam in ventriculo imbecillitatem, sine aliqua materia. Confluat postea ad eam sedem biliosum excrementum à iecinore calidiore, vt sæpe fit, indicatio etsi refrigerandi calidam intemperiem simplicem vigeat ratione morbi contracti: nihilominus tamen executioni demandari non potest, nisi prius affluxum inhibeamus humorum ad ventriculum: quæ res fiet vacuatione accommodata, aut picra, aut reubarbaro, aut alio eiusdem facultatis: hæc medendi ratio non pertinet ad intemperiem, vt intemperies est, sed ad futura mala præcauenda indicatione petita à materia confluente aut confluxa: à qua augetur maxime intemperies, aut saltem non mediocriter fouetur. Hunc casum multo antea à Galeno lib. 7. Methodi medendi, fuisse propositum scio. Res in hunc modum habet in proposita re: nam si fuerit intemperies calida cum imbecillitate quarundam partium, vereamurq;, ne ad locum affectum confluat materia sanguinea inflammationem factura, aut saltem augmentatura, venæ sectionem ratione præseruationis adhibebimus, atque siue hoc, siue alio modo interpreteris, opinio à nobis proposita nullam difficultatem habebit. Adde præterea, communem esse omnium explanatorum consensum, Auicennam ibi minime locutum fuisse de intemperie simplici, sed de intemperie cum materia grauante particulas; neque ex multis eius loci explanatoribus inuenies aliquem aliter sentientem. Hæc volui dixisse, sic postulante instituto nostræ tractationis, & in gratiam ipsius veritatis, qua nihil aliquando prius apud me fuit, non autem vt amicissimi hominis opinionem redarguerem.

Cap. II.

A cacochymia non indicari sanguinis missionem; Ioannis Fernelii opinio examinata.

SED longe difficilior est alia disputatio, an scilicet in cacochymia sanguinis detractio conueniat, tum quia Galenus non videtur sibiipsi (vt quidam recentiores Medici dixerunt) vndique constare, tum etiam quia recentiorum, qui hoc tempore vigent, non vna opinio est, ita vt illud recte in hac materia dici posse videam, adhuc sub ipso iudice lis est. Quamobrem propositis primum aliorum opinionibus, & diligenter nostra consuetudine examinatis, conabimur ostendere veritatem, atque præsertim Galenum semper fuisse in hoc argumento sibiipsi maxime consentientem. Ioannes itaq; Fernelius propositæ suæ quæstioni satisfacit his verbis: Simplicem venarum cacochymiam secta vena minuere tutum est ac vtile, copiæ tamen ac vitium ratione suscepta: licet enim in hac, dum vena secatur, omnes humores æquabiliter prodeant, eademq́; ac ante restet humorum portio, quoniam tamen detracta oneris portione, quo natura premebatur, vires nihilo imbecilliores, sed alacriores plerumque euadunt, quod reliquum est, facilius ferunt, minoreque negotio demunt atque conficiunt. Ita sane per continuas febres cum humorum summa, etiamnum cruditas & putredo in venis est, plerumque misso sanguine vrinæ, quæ rubeæ, crassæ, & perturbatę fuerant, mox puriores apparent, concoctionisq́ue notas exhibent. Itaquidem ex artis principiis isthæc præcepta duci videntur, atque stabilire, vt in secanda vena, perinde atque in diiudicandis litibus, facti quam iuris quæstio sæpe sit obscurior.] & parum infra addidit. Itaque ex iis solum notis, quæ vniuscuiusque humoris exuperantiam denunciant, venæ sectio tuto decerni potest: hæc vna omnium humorum, qui in venis maioribus conditi sunt vitio, expedite succurrit, eosque liberat: si illinc, non autem ex male affectis visceribus originem habet: tum enim (vt aliquando plenius exequemur) præstantior accommodatiorque expurgatio.] Hæc ille. Quæ limitationem atq; maiorem (mea quidem sententia) dilucidationem postulant. Si enim per cacochymiam venarum intelligit plenitudinem, quo ad vires, nihil est quod faciat difficultatem: si vero abundantiam illius humoris cum sanguine dicere vult, qui à natura sanguinis dissideat, id vtique non videtur mihi habere veritatem. nam primum subuertitur illud commune Medicorum omniũ decretum, quo passim non Galenus modo, sed alii in vniuersum vtuntur, humores quantitate peccantes venæ sectione, qualitate vero purgatione corrigendos: at hic proponitur simplex cacochymia in venis existens. Addito his, videri mihi ex hac opinione subuerti indicationẽ curandi. Nam vbi in venis bilis excrementitia contineatur (sic ponamus) sanguini permista, scopus Medici non est euacuare sanguinem, cum illius causa nullum adueniat malum, at bilem purgare: sic enim sanguis redditur purior atq; sincerior. Verum quia permista est sanguini, opus est illam segregare, quæ res fieri non potest venæ sectione, vtpote quæ consusos omnes humores euacuet, sed hoc munus solius est purgationis, vt à Galeno traditum est libro de facultatibus purgantium medicamentorum, & à nobis in commentariis illius libri declaratum. Deinde viget, quod si verum est, quod talia purgare oportet, qualia debent purgari, vt frequenter admonuit Galenus & Hippocrates in hac actione, quæ fit venæ sectione, humores vacuamus, qui educendi non sunt: quinimo multo maior est quantitas humorum, qui boni cum sint, vacuantur, quam portio humoris peccantis, vna siquidem bilis consistit in venis expurganda, nos vero huius educendę causa simul euacuamus sanguinem, in quo quatuor insunt succi, siue partes sanguineæ humano corpori maxime vtiles, cum nutriant singulas partes, & calor naturalis à sanguine perseuerantiam habeat, vt recte à Galeno dictũ fuit. Consimili argumentandi ratione vtitur ille aduersus Erasistratum proponentem inediam pro vacuatione sanguinis confluentis ad phlegmonẽ, inquit ille: Inedia totũ corporis habitum

tum æqualiter euacuat, & carnes colliquat, sed istud (inquit) nequaquam conuenit: cur enim quis id euacuet, quod euacuatione opus non habet? aut cur eliquet carnes, cum sanguinem subtrahere liceat? sic pariter ego inquam, cur sanguinem euacuas, si bilis purganda est? cur eum vacuas humorem, cuius conseruatio in corpore maximam vtilitatem affert? ob has causas, ac etiam alias, quas explanabo infra, hæc Fernelii opinio suspecta videtur mihi. Sed certe plurimum detestanda est aliorum sententia, qui contendunt in omni cacochymia, quocunque loco adsit, venæ sectionem conuenire, modo tamen magnus existat morbus. Hic quidem nullam amplius adhibendam esse distinctionem consulunt, sed statim confugiendum ad generosum hoc præsidium, siue fuerit cacochymia ab humoribus calidis, siue ab humoribus frigidis procreata. Hęc sane adeo absurda opinio est, vt hactenus absurdiorem fortassis inuenire non licuerit: nam qui in omnibus magnis morbis emissionem sanguinis admittunt, quando calidi, acresque humores faciunt negotium, siue in venis, siue extra venas contineantur, modo tamen vires validæ sint, quamuis aberret à scopo, tamen probabiliorem habuisse opinionem videntur. Verum quia horum opinionem reprobauimus libro primo tractationis huius, hoc loco non est pluribus redarguenda. Quandoquidem de eo argumento amplius nolo disserere, quod semel à me accurate pertractatū fuit, cum sciam supernacaneam loquacitatem esse, eadem eisdem de rebus inculcare, in quod vitium recentiores medici quidam non modo bis, terue, sed quater, vel etiam sæpius in multis commentariis, & libris eadem de eisdem iterantes, incurrerunt; ego vero cum quid semel rationibus firmaui, eo postea in aliis libris vtor, eiusque summatim facio mentionem, & me id alibi ostendisse commoneo. Quid igitur sentiendum? Nempe in cacochymia exquisita, siue sit in venis, siue extra venas, non conuenire venæ sectionem: at in ea, quæ non ita sit exquisita (quam etiam haud immerito plenitudinem secundum quid, vocare possumus) inutile non est remedium, vtrumque declarandum ex Galeni placitis, ne in hac re tanti alioquin momenti studiosæ iuuentuti deesse videar. Libro sexto de sanitate tuenda sic scribit: At si sanguinis quidē abundantiam corpus accumulauit, mittendus is est, sin vitiosum succum, vacuandus, hic medicamento est, quod superantem humorem purget.] Et quarto eiusdem tractationis libro, extimandum est, (ait) cum sanguinis ne copia, an cum crudis humoribus, an per se solus consistat vitiosus succus, qui lassitudinem creat: nam si cum sanguinis copia, aut vena incidenda, aut aliquid quod tantundem valet, agendum. sane tantundem possunt hęc. Quibus hęmorrhoides sunt retentæ, si has emiseris: si mulieri menstrua consuetudo cessauerit, hanc prouoces: si quibus horum nihil est, si malleolos scalpello incides: post hæc aluus eo medicamento deiicienda est, quod maxime accommodatum malo succo sit. quod si vitiosi tantum succi, hique citra sanguinis copiam subsint, purgatio petenda est, quam infestanti excremento sit accommoda.] Atq; rursus in decimotertio Methodi medendi de missione sanguinis hoc modo locutus est: Has vacuationes indicat ipsa copia: sicut etiam succorum vitium redundantis succi purgationem] & alibi rursus. Nam quoniam (inquit) alii prius, quam ad exactum sanguinem nutrimentum perueniunt, veluti semicocti sunt. alii prorsus incocti, crudique: alii paulo absunt à sanguinis forma, rursus alii sanguinis faciendi, seu (vt ita dicam) sanguificationis veluti vltima pars, qui vtique excessu caloris proueniunt (quorum alii paululum, alii plus, alii plurimum a sanguine recesserunt) vbi paululum, vel citra sanguinem restitum, vel vltra processum est, audacter mittendus sanguis est, vbi plus consideratius agendum, vbi plurimum, in his nullo modo mittendus est. Inspicere vero, & quantitatem conuenit, vt verbi gratia, si bonus sanguis exiguus sit, reliquus vero succus plurimus, vtiq; in his abstinendum est à sanguinis detractione, sin is quidem exiguus, sanguis vero copiosus, audacter incidenda vena est.] Alios prætermitto Galeni locos, cum hi mihi sint satis ad comprobandam primi pronunciati veritatem. Cæterum quod attinet ad secundum, animaduertendum est, cacochymiam exqui-

sitam dici, quando humores excrementitii nimium abundant, siue in venis, siue extra venas, atque siue putrefacti sint, siue non sint putrefacti, vt alio in opere à nobis demonstratum fuit. Nō exquisita vero, quando citra purioris partis sanguinis incrementum, aliqua ex tribus superabundat, vt sanguis biliosus, pituitosus, & melancholicus. Dicitur hæc cacochymia, quia multitudo non est, quoniam neque omnes succi venarum, veteri seruata proportione, adaugentur: neque vnus aliquis, aut duo increscunt cum puriori sanguinis parte. Porro vt prior affectus vitiosi succi, sic hic posterior duplex statuitur: aliquando enim succi putrescunt, aliquando in venis citra putredinem increscunt, vbi sanguis putrefieri incipit, magis refert affectus naturam cacochymiæ: vbi vero id non patitur, ad plenitudinis naturam proximius accedit. Hunc igitur recte vocabimus mistum, quatenus humor à sanguinis natura non distat; eatenus cacochymia simpliciter non est. Quatenus non est adaucta purior sanguinis pars, simplex multitudo nuncupari non debet. Putrescens vero sanguis dupliciter potest affectus esse, aut putredine incipiente leui quidem illa, qua cum adhuc bonitas naturæ consistit, hæcque adhuc dicitur plenitudo (inquit Galenus libro secundo Aphorismorum decimoseptimo) aut putredine sordida, & consummata: hæc amplius dici non potest plenitudo, vtpote quæ in exquisitam cacochymiam degenerauit. Igitur hæc plenitudo secundum quid, siue cacochymia, non exquisita sanguinis emissione tuto admodum corrigetur. Causa est huius rei, quod venæ sectio alia de ratione instituta non est, nisi vt vacuetur sanguis: at vacuandus est, cum redditus est naturæ inutilis: fit inutilis dupliciter: vno modo cum putrescit, alio modo cum adaugetur, vt Galenus docuit nono Methodi, capite vndecimo. Ars ipsa, cum sanguinis partes in venis adaugentur, aut à natura sua mutari iam incipiunt, non inuenit aliud opportunius præsidium vacuationis ipsa sectione venæ: non enim datur pharmacum sanguinem expurgans, & per inferiorem partem colliquans: præsidio igitur opportuniori destituta, vbi sanguinis aut biliosi, aut melancholici, aut pituitosi abundantia in venis consistat, protinus corrigenda est vena incisa. Hac ratione in ardentissimis febribus, quarum fomes est sanguinis tenuissimi, & biliosi abundantia semiputrescentis. (Nam ebullitione, & caliditate magis quam putredine facit negotium) tuto venam incidimus: sic in quartana, si sanguinis melancholici, & crassi adfuerit plenitudo, Galenus hoc genus admittit præsidif, admonetque abstinendum, si pro crasso, & nigro, tenuis, & flauus apparuerit primo ad Glauconem, capite duodecimo. In lethargo, in quo pituitosus increuit sanguis, phlebotomiam exercendam esse docuit libro decimotertio Methodi, cap. primo; quamuis id ratione reuulsionis factum fuisse nemini sit ambiguum. Hoc distat huius plenitudinis secundum quid curatio à plenitudine absoluta, quod hæc maiorem quantitatem sanguinis euacuari posse indicat, illa vero minorandum inanitionem suadet, quia in superiori æqualis vacuatio succorum omnium excedentium fit, in alia non fit æqualis, sed simul cum vna parte, in qua inest vitium, aut in mala qualitate, aut quantitate, vacuatio fit aliarum trium secundum naturam optime habentium, admittenda est tamen, quoniam alia non datur via, qua commode sanguinem illum ex venis vacuare liceat. Alia est præterea plenitudo secundum quid, affectus, inquam, permistus ex malo succo, & abundantia sanguinis, in quo vtroque indigemus remedio, purgatione, & phlebotomia, vnumque substitui potest loco alterius, si forte contigerit venæ sectionem fuisse prætermissam, vt Galenus docuit libro quarto de tuenda sanitate.

Cap. III.

Quibus rationibus in Cacochymia venæ sectionem indicari Medici Nouatores arbitrentur.

QVA ratione in malorum succorum abundantia conueniat venæ sectio, superiori capite demonstratum est à nobis. Nunc doceamus, quibus rationibus

bus moti Medici quidam nostri temporis contrarium sentiendum esse probarunt. Vbi enim illorum fuerint difficultates explanatæ, iam nihil amplius reliquum habebit prima hæc pars nostræ Methodi, qua inuestigare conamur, quid vere indicet venæ sectionem. Itaq; arbitrantur, in cacochymia venæ sectionem conuenire, primum quia phlebotomia est euacuatio vniuersalis, qua omnes humores educuntur è venis: si in illis continebitur præter naturam aut biliosum, aut melancholicum, aut pituitosum, aut serosum excrementum sanguini permixtum, cur aperta vena vna cum sanguine non profluxerit? Quid impedimento erit huic vacuationi? deinde vero Auicenna in cap. 20. sectionis quartæ, primi libri, asseruit: Venæ sectionem conuenire, aut propter sanguinis quantitatem, aut sanguinis vitium, aut vtriusque causa: eius verba habent in hunc modum: Præcipue vero secanda est vena duplici hominum generi; nempe vel morbis obnoxiis, vt qui in eos currunt, vbi sanguis exuperet: vel iis, qui in eos iam inciderunt: iis enim omnibus, vel propter sanguinis exuperantiam, vel eius vitium, vel vtrumque sanguis detrahitur.] At vero sanguinis vitium id est cacochymia. Præterea conuenit in febribus putridis venæ sectio, etiamsi non sit necessaria: at illas à malis succis concitari adeo certum est, vt certius nihil esse possit. Auicenna in eodem capite id exposuit, cum dixit: Nonnunquam etiam in ipsis febribus fit venæ incisio, licet ea opus non sit, vt materia imminuta, reliquum natura facilius euincat, præsertim vbi habitudo, ætas, vires, & reliqua consentiunt.] Quam rem multo antea dixerat Galenus lib. 11. Methodi medendi, cap. 15. Ad hæc vero nouatores quidam nostri temporis in hunc fere modum ratiocinantur. Phlebotomia tunc est necessaria, cum adsunt scopi venæ sectionem indicantes: atqui in simplici cacochymia adsunt eiuscemodi scopi; in ea igitur phlebotomia necessaria est: assumptio nullam habet difficultatem; minor probatur ex duplici scopo, qui ad remedii vsum requiritur, magnitudine scilicet morbi & virium robore. Etenim quod magni morbi à cacochymia fiant, adeo certum est, quam quod certissimum: vires autem validas existere, quæ proxime diximus, apertum faciunt. Confirmant præterea à simili. Nam quemadmodum in plenitudine non solum conuenit venæ sectio, sed etiam purgatio, Galeni testimonio quarto Methodi, sexto, & quinto de sanitate tuenda: Sic etiam in cacochymia vtrumque remedium tuto poterit administrari, huic cacochymiæ conuenire purgationem, sed mordicus negant solam conuenire. Putantq; præterea, Galenum hoc passim docuisse, cum disputans aduersus Erasistratum, vt illi dicunt, ostendit, venæ sectionem perperam in sola syndrome plethorica obseruari, cum multoties sanguis mittatur sine plenitudine: atque etiam haud semper plenitudine præsente liceat venam secare. Deinde vero si humores à sanguinis natura distiterint, atque fluxerint ab vna parte, ad aliam ratione reuulsionis venæ sectionem conuenire, minime autem purgationem contendunt. Idcirco in phrenitide, in lethargo, in crudorum humorum copia, aliisque id genus quamplurimis affectibus à sola cacochymia procreatis, phlebotomiam admittendam esse, omnes probati auctores vnanimi consensu voluerunt. His etiam addere oportet illa, de quibus primo libro mentionem fecimus. Sed iam cum his disputemus.

CAP. IIII.

Quomodo venæ sectio vniuersalis sit vacuatio, quodq; hac de causa non conueniat cacochymiæ.

POSTVLAT hic locus, vt primum in genere doceamus, quomodo venæ sectio vniuersalis nuncupetur vacuatio, atque vtrum ex hoc principio recto deducant, conuenire illam in cacochymia. Cum igitur profluens, liquidusque sit sanguis, quisquis secto loco vicinior existit, primus exilit, deinde qui illi iunctus continuatusque est, deinceps vero totus, non modo è venis &

arteriis, verum etiam ex visceribus, & ex habitu corporis emanat. Est enim admirabilis quædam continuatio, seriesque venarum, per quam sanguis sic totus transfunditur, vt patente via vniuersus plerumq; cum anima excedat: fit autem sanguinis per venas & arterias transmissio, dum toto corpore analogia quædam & æquabilitas fit, nam inanitæ & indigentes partes fibris obliquis trahunt è plenioribus, & pleniores illi subsidio veniunt, copiaq; grauatæ in vacuas illas onus suum deponunt. Adde quod fusus & liquidus humor sponte sua decliuiores, inanesq; regiones consequitur, in easque procumbit. Hac igitur ratione corpus vniuersum euacuans, & omnes humores educens, ex quibus constituitur natura sanguinis, vniuersalis euacuatio non immerito nuncupabitur. At certe non æqualiter educit omnes humores, totumq; corpus vacuat; cum enim partes ordine quodam constitutæ sint, prius & magis è propinquis, quam è distantibus, cumque aliæ venæ in alias propagentur partes, celerius atque validius ab iis, quæ è directo, quam quæ ex transuerso sitæ sunt, hauriet. Verum putant quidam, phlebotomiam non esse vniuersalem vacuationem, hac solum ratione moti, quia duntaxat à venis sanguinem euacuat, non à toto corpore: at inediam, & motus animi & corporis proprie nuncupari vniuersales, quia tum venas, tum etiam partes solidiores vacuant. Sed hæc mihi minime satisfaciunt. Quia primum vniuersalis dicitur vacuatio, quod vniuersaliter vacuet omnes humores in venis existentes, mox autem etiam, quia totum corpus, quum per totum corpus venæ & arteriæ consistant; à solidis etiam partibus vacuare dicitur, quia circa illas venæ adsunt minimæ, capillaresque, quæ in sanguinis profusione immoderata, inanitionem patiuntur, ita vt solidæ partes suo destitutæ nutrimento dicantur merito vacuari. Motus corporis primum musculos & articulos, dein quadam successione alias partes vacuat, animi vero prius cerebri spiritus, mox alios, sic phlebotomia primum venas, dein arterias illis anastomosi coniunctas, postremum capillares in solidarum substantia cohærentes exhauriet. At vero, inquiunt, si hæc vera sunt, si magnus fuerit morbus, à cacochymia procreatus, cur hunc venæ sectio non sanabit? quia inquam, vacuabitur simul sanguis, quem in venis conseruasse conueniebat. Quinam quæso potissimus vsus est medicamentorum purgantium? sanguinem scilicet purum reddere ab omni cacochymia? attrahente pharmacum virtute determinatos humores mouet, educitque non modo è venis, sed ex toto corpore & ex ipsis artubus, licet cum aliis non medioeriter permisti sint, non trahit alios propria natura, quia cum illis non habet familiaritatem, substantiæq; similitudinẽ, attrahitque facilius illos, quod natura adiuuet hunc motum expellendo noxios humores, vt in tractatione de purgantium medicamentorum facultate diximus. Audiant æquo animo, quid Galenus scriptum reliquerit: Nam quæ purgant, purgantia idcirco nuncupantur passim, quod sanguinem ab antedictis humoribus purum constituant.] Purgare igitur erit, sanguinem à cacochymia purum constituere. Quemadmodum triticum lolio, auena, segala, & aliis id genus coinquinamentis permistum purgare dicimus frequenti cribellatione, sic sanguinem, bonum alioquin humorem, humano generi maxime salutarem coinquinatum aliorum permistione purgamus, separantes illa à sanguine pharmacis attractoriis exhibitis. Alioquin dicant ii mihi, cur pro vno humore faciente negotium, expurgare velint omnes? cur non desideriant in corpore illum retineri, qui morbum facere breuiorem potest, & magnam toto corpori vtilitatem impartiri? Iam hæresis illa insurgit antiquorum, dicentium, à pharmaco omnes humores vacuari, ex qua illud sequi rectissime dicit Galenus, nihil referre, siue quis purget, siue venam incidat. Sic nouatores pro vno humore pernicioso & malo, siue in venis, siue extra venas cõsistat, vacuare volunt omnes in venis contentos: at summum hoc certe detrimentum est, inquit, quod ipsa etiam experientia testatur. Porro plenitudini conuenit per se vacuatio, qua omnes humores vacuantur: qualis est venæ sectio: si ita fuerit exquisita plenitudo, vt aliorũ humorum à sanguinis natura distantium, permistionem non habuerit. Verum quę

simplex

simplex non est, haud solam exigit phlebotomiam, sed simul etiam purgationem. idcirco vtroque gaudens remedio, vtrumque fieri oporrebit vrgente necessitate, vt supra docebamus, si venæ sectio prætermittatur ob timiditarē, purgatio supplebit, quamuis non pari felicitate. Hac ratione aluus soluta plenitudinem exiguam, spuriam tamen, emendate solet:& pharmacum purgans, quo liberaliter soluatur aluus, in magna plenitudine cacochymiæ permista potest opitulari. Diximus de hoc argumento alia in epistolis medicinalibus ad Pichinum. Somnium vero mihi narrant isti, quando dicunt, Galenum contra Erasistratum de plethorica syndrome disputasse. Hic locus ostendit, ne summis quidem labiis eos Galeni libros degustasse. Quæ fuerit Erasistrati, & Erasistrateorum opinio de administrando generoso hoc præsidio, sequentibus libris docebimus. Interim admoneo lectores, pro Erasistrato Menodotum Empiricum intelligendum esse, qui syndromen plethoricam obseruandam esse perpetuo in venæ sectione dicebat, vt supra declaratum fuit. Verum hoc argumentum esse admodum inane ex eo potissimum constat fundamento, quod licet Galenus passim contra Menodotum inuehatur, nunquam tamen venam secandam esse consuluit, nisi aut ratione vacuationis, aut reuulsionis: vtrumque præsidium sub venæ sectione complectitur, vt in annotationibus in Methodum diximus. Nunquam vero pro vacuatione remedium eiuscemodi adhiber, nisi plenitudo adfuerit: quemadmodum pro reuulsione siue simpliciter dicta, siue deriuatiua, quin sanguinis motus adsit: in simplici cacochymia citra multitudinem sanguinis, aut motum, nunquam sanguinis vacuationem consuluisse certissimum sit, ita vt magnus sit error, &, meo iudicio, non ferendus, tum in artis operibus eam admittere in cacochymia medendi rationem, tum etiam Galeno tam aperte falsitatem imponere. Causa vero erroris fuit, vt sentio, quod antiquitatem odio prosequantur, ex quo tanquam ex fonte, tum alia quam plura emanarunt absurda, tum hoc in primis, de quo nunc sermo institutus est. Rursus vero instabunt, aperta vena omnes foras effluunt mali succi, siue bilis, siue melancholia, siue pituita, siue serum in venis contineatur: id vltro fateor, sed non debemus considerare duntaxat, qui effluant à venis, sed an tuto educantur: est enim munus Medici tuto sanare ægrotum, at eiuscemodi vacuatio tuta non est, verum, vt ego sentio, periculorum plena. Si enim in venis flaua bilis continetur putrefacta, qua cum sanguis contineatur exiguus, cur quæso, vt illius aliquam vacuemus portionem, & fortassis exiguam, sanguinem vacuare volumus, atque spirituosam substantiam cum sanguine vagantem, quam alioquin conseruare in corpore decebat, pro nutrimento parturium, & pro naturalis caloris conseruatione. Deinde funditus euertuntur præcipua medicæ artis fundamenta, si talia purgentur, qualia purgari debent, confert, & facile ferunt: at si talia non vacuentur, non mediocriter lædunt. Cur igitur melancholia excrementitia faciente negotium sanguinem educemus? qui tum humiditate, tum familiaritate naturæ omne illius excrementi vitium posset corrigere? Si præterea ea virtus est purgantium pharmacorum, vt ex venis, aut etiam ex aliis partibus corporis, etiam distantissimis, proprios humores eligant, attrahantq;, cur quæso pro illorum vacuatione volumus promiscue bonos cum malis vacuare? quænam ratio dicetur peruersi huiusce dogmatis? Natura quidem prauos humores primum concoquit, illorũ malitiam, & malignitatē superando, mox concoctos segregat a bonis, segregatos, facto morbi iudicio, expellit, cum vero ob aliquampiam causam expellere non potest, in subsidium ars venit exhibendo purgans medicamentum, quo bonũ à malo commode secernatur; at qui venæ sectione id facere conatur, cribro, vt in prouerbio est, aquã haurit. Ea enim vacuatio nõ educit humores iam secretos, sed confusos, atque permistos: atque ita quidem agitat illos, ita permiscet: vt qui prius erant à natura separati, maximo damno ægroti perniciosissime confundat. Rursus dicant, quæ ratio persuadeat humores extra venas contentos, aut in corporis habitu, aut in centro, posse aperta vena vacuari? quomodo iis aditum habebunt ad venas? Dicent vacuationem immoderatam id face-

re, hanc trahere à centro ad circumferentiam, & à circumferentia ad centrum: idcirco Galenum vereri ne sanguine misso in crudorum humorum copia in præcordiis, cruditas illa maius faciat in venis negotium: atque agens de lassitudine phlegmonode asseuerat ex habitu corporis duci humores ad venas. Id admitto lubens: sed quemadmodum prior maxime periculosa est attractio in venis, sic periculosissima erit attractio bilis, aliorumque excrementorum, quorum alioquin natura magis deterior est, quam crudorum humorum: Mox vbi sunt attracti sanguine permisti, qui certi esse possumus, eos vacuari pari facilitate, qua sunt attracti. Sic profecto posterior attractio solius est sanguinis, (hunc enim casum ponit Galenus libris de sanitate tuenda, vt supra meminimus) quem tuto cum sanguine alio vacuare licet. At si excrementitii, & corrupti haberentur humores in venis, quæ inde contingeret commoditas? hæc & alia quam plura sequuntur absurda opinionem Nouatorum. Ex quibus constat veterum placita esse obseruanda, nihilque tutius in medendo, quam patrum traditiones imitari. Dixi quomodo phlebotomia sit vniuersalis vacuatio, quodque ex hoc fundamento antiquorum opinio minime subuertitur.

Cap. V.

Quid nomine sanguinis vitiosi intelligat Auicenna.

Avicenna mittendum esse sanguinem triplici de causa significauit, quarum vna sanguinis abundantia, secunda est sanguinis vitium, Tertius affectus ex vtroque mixtus. Putant nomine vitiosi sanguinis intelligendam esse cacochymiam. Sed toto aberrant cœlo. Quandoquidem sanguis potest aliquodpiam vitium contrahere, quo cum adhuc plenitudo consistit, quemadmodum si leuiter putrefiat. Nemo vtique fuerit, qui sanguinem eum optimum nuncupare audeat, propterea merito vitiosum nuncupabit, non tamen affectum cacochymia, quandoquidem leui facta in ipso mutatione potest ad priorem naturæ suæ bonitatem reuerti, vt à Galeno scriptum fuit libro secundo Aphorismorum, commentario decimoseptimo, quem locum in secundo huius tractationis libro declarauimus agentes de plenitudine: sanguis igitur leui putredine affectus, quo cum adhuc multitudinis natura consistat, nuncupabitur sanguis vitiosus: quamuis si imaginemur putredinem in eo consummatam, euius causa amiserit propriam formam, & iam degenerauerit in alienam naturam, secus omnino sit sentiendum: nam in hoc affectu non conuenit venæ sectio, vt supra diximus, & in libris de febribus demonstrauimus, indicatione tamen sumpta ab humore prorsus corrupto, in alio vero salubrem existere phlebotomiam tum à Galeno traditum est, tum ab omnibus firma experientia comprobatum. Ergo sanguis mittitur propter ipsius abundantiam simplicem, vt in habitu Athletarum contingit: vel secundo propter plenitudinem quo ad vires, quacum leuis consistit putredo: vel tertio propter vtrumque affectum, plenitudinem quo ad vires, & quo ad vasa simul: sic ego soleo hunc locum interpretari. Alia etiam, atque meo iudicio satis accommodata explanatio esse potest loci huius. Nempe vt dicamus, per sanguinis vitium intelligendum esse illius motum, hoc sensu. Sanguis mittitur aut ratione vacuationis, quam indicat illius plenitudo: aut ratione reuulsionis, quam indicat sanguinis motus; aut propter vtrumque motum, ac plenitudinem simul; quoniam sanguis aliquando fluit sine plenitudine irritatus ab acrimonia ad motum; aliquando vero causa motus & fluoris est illius acrimonia stimulans, & ingens copia exonerans, aggrauansque naturam. Ergo phlebotomia fit, vel propter plethoricam dispositionem, cum vacuatio proposita est; vel propter malitiam sanguinis stimulantem ad motum, vel propter vtrumque. Quomodocunque locum hunc interpreteris, satis bona, & contextui, & rei naturæ conueniens, explanatio est.

Reuul-

Cap. VI.

Reuulsionem aliquando fieri medicamento purgante, & aliquando venæ sectione.

NON est vniuersaliter verum, omnẽ reuulsionem pro magna cuiuspiam humoris confluxione excogitatam potissimum fieri venæ sectione, nunquam vero huius indicationis explendęgratia purganti pharmaco indigere: primum, quia si humores excrementitii extra venas fluere parati fuerint, frustra venarum sectionem adhibemus, per quas confluxio illa nullo modo potest intercipi. Deinde etiam, si fluxio per venas fit, necessaria est vtiq; phlebotomia, sed non ita, vt eam solam conuenire statuamus. Cum enim sanguinem confluentem vacuauerimus, præstat postea vti medicamento purgante ad cacochymiæ fluxionem inhibendam; locum supra ex libro de humoribus proposui & adnotaui, in quo apertissime Galenus purgationem reuulsionis gratia desiderat. Hæc velim supponi hoc loco: quoniam, quando de reuulsione sermo erit institutus, prosequemur omnia ad hoc argumentum pertinentia. Cæterum quod asserunt, in putridis febribus aliquando sanguinem fore mittendum, etiam si aliqua non adsit necessitas huius auxilii, simile est illi decantatæ sententiæ apud omnes fere Medicos. Saluberrimum est in febribus non continuis modo, sed etiam omnibus, quas putrescens humor concitat, sanguinem mittere: exonerata enim eo, quo veluti sarcina premebatur, & concoquet, quod concoqui est habile, & excerner, quod debet excerni. Propterea quando sermonem de hac instituemus materia, quomodo vtrumq; locum debeamus interpretari, explanabimus.

Cap. VII.

An in phrenitide conueniat sanguinis missio.

QVICVNQVE igitur in malorum succorum præsentia aut abundantia sanguinis missionem consulunt, nobis curationem phrenitidis obiiciunt, in qua non modo Galenus, verumetiam omnes Medici venæ sectionem admittunt, cum tamen à cacochymia, vt illi sentiunt, originem habeat, nempe à flaua bile in ipsius cerebri substantia putrefacta. Tria hoc loco dicenda suppetunt mihi: primum, rectequidem illos colligere, in omni phrenitide detractionem sanguinis esse non parum opportunam: deinde vero, quod male concludunt, propterea in cacochymia simplici quidem illa & citra plenitudinem generosum hoc auxilium conuenire: postremo falsum esse, quod arbitrentur, curationem phrenitidis nostris principiis opponi. Quamobrem posito eo fundamento, in quo nos ipsi conuenimus, reliqua doceamus. Principium autem institutæ tractationis hoc sit, nempe ipsam phrenitidem fieri à sanguinis particulari multitudine, quæ scilicet in ipsum congeritur cerebrum, & non fieri à flaua bile sola, & sincera, quatenus habet naturam ab ipso sanguine distinctam: sed quia nos de hac re disputationem conscripsimus, in qua omnia, quæ ad essentiam phrenitidis pertinent, sumus diligenter prosecuti, capita duntaxat propositæ disputationis afferemus, ex quibus clarissime constabit, nihil penitus habere Medicos recentiores contra opinionem nostram. In venis secundum naturam actu non continentur humores excrementitii, à sanguinis natura distantes, sed in potentia, quia ex sanguine tenuiori, calidiori, pinguiori, potest facile generari flaua bilis, ex crasso vero, melancholia. Continentur solum sanguinis partes in venis, quæ partes ob similitudinem humorum excrementitiorum nomine donantur. Ex huius sanguinis confluxu fit phrenitis, vt plurimum vero à sanguine bilioso, cum tamen etiam melancholicus, temperatusq; hunc affectum concitare possit, bilis excrementitia sola nunquam phrenitidem facit, quia licet principium fortasse & occasionem dederit inflammationi, nihilominus ob calorem, ob dolorem semper noua fit sanguinis confluxio. Est phrenitis inflammatio cerebri, aut membranarum intrinsecus eius substantiam am-

bientium. Quia est aliquando tumor præter naturam in ipsis meningibus consistens: aliquando vero cerebri substantiæ intemperies calida, siccaq; cum humoris affluxu: nam huiuscemodi substantia vix inflammari potest, genito in ea tumore præter naturam, quamuis fortassis non sit absurdum, quædam sumere posse principia. Cum vero dicebamus, phrenitidem fieri à sanguine, intelligimus sanguinem putrefactum & non putrefactum, tenuem & crassum, temperatum medioctemq; consistentiam habentem, atq; non bene temperatum. Hęc igitur ea sunt, quæ nos in eo opere conscripsimus, quæ profecto manifestissimam fidem faciunt, in ipsa phrenitide duo adesse, quæ secundum nostra principia sanguinis detractionem indicant. Horũ primum est sanguinis motus, & fluxus ad principalissimam partem, cuius causa indicatio de reuulsione admodum viget. Alterum vero sanguinis abundantia & multitudo particularis in cerebrum, aut eius meninges congesta, quæ venæ sectionem indicat, tanquam euacuatiuum præsidium. Præstat autem hoc loco aliorum opinionem afferre, postquam explicaui, quid pro veritate sit sentiendũ. inter antiquos scriptores Asclepiades negauit in phrenitide conuenire missionem sanguinis; hoc potissimum argumento, quod neq; insania esset, nisi febre intenta, neq; febre non remittente sanguis recte mitteretur: proinde dicebat in principio phrenitidis sanguinem mittere, nihil aliud esse, quam si ægrotantem trucidaremus. Hunc optime refellit Cornelius Celsus his verbis: Sed ipse in his somnum multa frictione quæsiuit, cum & intentio febris somnum impediat, & frictio non nisi in remissione febris vtilis sit; itaq; hoc quoque auxilium debuit præterire. Quid igitur hoc est? multa in præcipiti periculo recte fiunt, aliàs omittenda, & continuata febris habet tempora, quibus, etsi non remittit, non tamen erescit; estq; hoc, vt non optimum, sic tamen secundum remedii genus, quod si ægri vires patiantur, sanguis quoque mittendus est.] hæc Celsus. Febris igitur intentio non prohibet missionem sanguinis, tum quoniam maximum periculum imminet, ne ægrotus moriatur, at imminenti periculo multa recte fiunt, quæ aliàs essent omittenda, tum quoniam non possumus sanguinem mittere in phreneticis eo febris tempore, quo ipsa, etsi non diminuitur, non tamen crescit. Sed prætermisso Asclepiade, quid alii senserint, inspiciamus: Gentilis Fulginas Medicus quidem, vt eius testantur monumenta, subtilissimus, asseruit, venæ sectionem non conuenire in omni phrenitide; duas enim species phrenitidis constituit, quarum alteram biliosam dicit, quæ scilicet fit à flaua bile, à natura sanguinis distincta. Alteram vero sanguineam à sanguine eam concitante nuncupat. In hac posteriori missionẽ sanguinis conuenire, in altera autem minime. quam rem probare nititur hisce rationibus, & primum, quia vbi humores à natura sanguinis distiterint, à sanguinis detractione abstinendum est, vt Galenus testatur libro quarto de sanitate tuenda, sed flaua bilis à natura sanguinis plurimum distat. Deinde vero, quia id præsidium est omittendum, quod periculosum est, esset autem maxime verendum, si mitteremus sanguinem flaua bile dominante, ne flaua bilis excandesceret, moueretur, atque vehementer per vniuersum corpus fureret, vt Auicenna admonuit. His præterea addidit rationem à similitudine, nam quemadmodum erysipelas, quæ fit a flaua bile, non curatur per missionem sanguinis, sed per medicamentum purgans, vt Galenus testatur, sic phrenitis biliosa non postulat sectionem venæ, quoniam ab eisdem humoribus originem ducit. Huic suæ conclusioni alteram adiungit, nempe quod in phrenitide vt plurimum venam incidere saluberrimum est, nam raro adueniet fieri hunc affectum, nisi à sanguine, aut ab humore sanguini permisto, atque hac distinctione illorum sententias interpretatur, qui dixerunt, in omni phrenitide mittendum esse sanguinem, quod videlicet hoc, vt in pluribus intellexerunt, aut de phrenitide a bile sanguini permista. Hæc summa est huius hominis opinio. Sed profecto, vt verum ingenue (pro mea consuetudine) fatear admodum, aperte vir ingeniosissimus & doctissimus lapsus est. Primum quidem falsissimum arbitror, nunquam phrenitidem fieri à flaua bili sincera citra sanguinis mistionem,

nem, aut fluxum, quoniam omnis fit à sanguine vel tenui, vel crasso, vel mediocrem consistentiam habenti, aut etiam à bile excrementitia sanguini permista, quemadmodum supra admonuimus, atque in nostra tractatione de phrenitide clarissime demonstrauimus. Deinde vero posita huiusce fundamenti veritate, adhuc nihil recte concludit sanguinem mittendum non esse, quoniam propter imbecillitatem particulæ, & calorem, & dolorem, fiet maxima omnium humorum ad caput attractio, vel transmissio, qua inflammatio plurimum augebitur: quod enim humores ad motũ incitat, quodq; eos attrahit, id quidem in phrenitide contingit: dolor nempe & calor: Confluente autem flaua bile sincera circa meninges cerebri, impossibile est, quin maximi dolores fiant, atque etiam, quoniam humor est omnium calidissimus, & siccissimus, ingens circa læsam partem æstus adueniet. Hæc est igitur causa propter quam in phrenitide quamuis biliosa, & in corpore malo succo abundante aduenerit, mittitur sanguis, nempe, vt humorum fluentium impetum reuellamus, particulare mq; plenitudinem euacuemus, & quia sanguis est, qui fluit, & copia aggrauat cerebrum, fluxioque fit per venas, is merito reuellendus est, & euacuandus secta vena. Hinc recte admonuit libello de ratione curandi per missionem sanguinis, quod incipientes inflammationes reuulsione euacuare oportet. Hæc similiter est causa, propter quam in iis, qui recenter vulnerati sunt, aut ex alto ceciderunt, etsi nulla in toto corpore conspiciatur plenitudo, sanguinẽ tamen mittimus ita indicante multitudine particulari futura in læsa particula propter confluxionem sanguinis. Amplius in eo est error, quod putat flauam bilem excandescere, & furere misso sanguine: hoc enim simpliciter veritatem non habet, vt suo loco docebimus, sed tunc duntaxat, cum flaua bilis circa præcordia nimium exæstuat: hæc enim fuit Auicennæ sententia, vt dicemus. Quod vero in erysipelate non sit sanguis mittendus, id vtique verissimum est, sed tamen de sincero intelligendum erysipelate, non phlegmonode, nam hoc postulat id remediũ: phrenitis autem nunquam est sincerum erysipelas. Quod vero ex Arabibus quidam huius opinionis fuerint, scilicet non conuenire missionem sanguinis, id quidem nos vltro negligimus, cum sit multo melius cum Græcis sentire, qui contrariam opinionẽ instabilissima ratione cõstitutam habuerunt. Deinde vero, neque omnes in hanc opinionem venerunt, nam Auicennas, cuius est præcipuus interpres Gentilis, in omni phrenitide consuluit detractionem sanguinis. Cæterum sentit multo melius Ioannes Matthæus de Gradi, vir quidem, (vt eius commentaria in nonũ Rasis, & in Auicennam, atq; medicinalia consilia testantur, circa hoc negocium diligens.) Nam in omni phrenitide phlebotomiam esse necessariam cõsuluit, quod in hoc affectu sanguinis missio futuræ inflãmationis incrementum inhibet, humores ad contrariam partem quam sponte ferantur, deducens: non euacuationis igitur causa, sed præseruationis à magnitudine apostematis in phrenitide simpliciter biliosa expedit sanguinem mittere. Recte quidẽ concludit Matthæus, stante supposito, quod admittenda veniat phrenitis, quæ simpliciter fiat à flaua bile, in quo supposito tamen, vt supra explicuimus, est error; Amplius in hoc etiam toto, quod aiunt, cœlo deceptus est, putans in omni phrenitide phlebotomiam exercendam, quia magnus est morbus, & quia refrigerat corpus, non enim ratio, qua sanguis mittitur, est morbi magnitudo simpliciter & absolute sumpta, sed magnus morbus à sanguinis copia aut ab eiusdem motu procreatus, vel in sanis plenitudo affatu digna, magnum fore morbum significans, vt tum primo, tum secundo huius tractationis libro docuimus. Præterea, quod pertinet ad refrigerationem corporis, dicimus id nunquam vsu venire, quoniam etsi ab omni sanguinis missione, (vt hoc concedamus) quæcunque tandem ea sit, corpus refrigeretur, tamen non fit sectio venæ illius causa: si quidem refrigeratio per accidens sequitur missionem sanguinis, at remedium ab eo, quod est per accidens, indicari non debet, relicto eo, quod per se indicat: nam si verum est illud axioma, quod tamen verissimum esse omnes Medici confirmant, indicationes desumi à rei natura, id

quod per accidens ab ipso remedio sequitur, non potest ab aliquo indicari: at per accidens sequitur totius corporis refrigeratio, per se autem sanguinis euacuatio, aut reuulsio. Deinde in hoc, me iudice, deceptus est, quod putauerit omnem venæ sectionem refrigerare, cum id quidem verum non sit, aliqua enim est, quæ calefacit: quam rem infra diligenter, dum Auicennæ sententiam contra recentiores medicos habere veritatem demonstrabo, clarissime docebo. Sed de proposita quæstione hæc sufficiant.

CAP. VIII.

An in lethargo conueniat missio sanguinis.

PERQVIRAMVS hoc loco causam, propter quam in lethargo mittere sanguinem conueniat: quoniam ex huiusce affectus curatione non leue argumentum desumi videtur contra opinionem nostram. Fit enim lethargus à pituita in cerebri substantia putrefacta, quæ medicamento purgante educenda est, non autem venæ sectione, cum nec adsit plenitudo, nec sanguinis impetus: ita quidem secundum nostra principia dicendum videtur. Omnes tamen Medici, vno duntaxat excepto Mesue, sanguinis missionem præceperunt: hinc vero factum est, Latinos interpretes, cum ignorarent causam propter quam in hoc affectu sanguis educitur, putasse, non conuenire detractionem sanguinis. Sed iam in quanto fuerint errore doceamus. Sciendum est igitur, in lethargo nulla ratione sanguinem mitti indicatione habita ad morbum iam inceptum fieri, scilicet ab ipso lethargo, quoniam cum fiat à phlegmate, non debet educi sectione venæ, sed purgatione: verum indicatione habita ad morbum futurum, semper nisi aliquid sit quod prohibeat, sanguinem mittere debemus. Causa est, quoniam propter caliditatem in cerebro existentem, & dolorem, atque ipsius imbecillitatem recipitur in cerebrum, attrahiturque ab eodem multus sanguis, potissimum vero tenuis, qui primus omnium semper confluit. Quamobrem ne hic confluat in cerebrum, ad quod sponte paratus est, neue membra transmittant, opus est diminuere sanguinē; ita enim compescemus fluxionem, & membra in retinendo reliquo sanguine auara fient. Sed hoc loco dubitaret fortasse aliquis, hanc missionem sanguinis futuram potius detrimento, quam iuuamento, tum quia euacuando sanguinem totum corpus magis refrigeratur, ideoque humoris pituitosi copia magis augebitur: tum etiam quoniam confluens in cerebrum sanguis, incommodi nihil affert, primum, quia sua caliditate pituitæ frigiditatem temperabit: secundo, quoniam tenuitate viscidam pituitam incidet. Sed nos respondentes dicimus neutrum vsuuenire: non primum, quoniam stultum equidem esset id Medici iudicium, si considerata corporis qualitate, non metiretur quantitatem detrahendi sanguinis: tantum videlicet sanguinis demendo, quantus pro suo proposito conueniat, ita vt vniuersum corpus minime refrigeretur, non enim quælibet sanguinis missio refrigerat, sed ea duntaxat quæ copiosissima est. Verum quantum ad alterum pertinet, id notabimus, quod confluens sanguis, quamuis fortasse frigiditatem pituitæ temperabit, obesse tamen quantitate multo magis aptus est, quam prodesse qualitate: at vero nos sanguinem detrahimus, non propter qualitatem, sed propter quantitatem: atque idcirco dicimus multitudinem in hoc affectu indicare missionem sanguinis, in ipso scilicet cerebro adfuturam, nisi ars ipsa præuiderit. Adde etiam, quod cum in cerebro sit ignea caliditas, confluentē sanguinem magis inflammare, periculumque minari maximum, ne fiat mixtus quidam affectus ex phrenitide, & lethargo. Patet igitur ex his, quæ diximus, quod constante virtute, in lethargo semper mittimus sanguinem. Vnum tamen lectorem hic obiter admoneo, quod vbi lethargus ad alios sequitur affectus, nunquam opus est venam incidere, tum quia signum est, calorem naturalem nimis refrigeratum esse ex præcedentium affectuum curatione: tum vero, quia probabile est, vires nimiū à morbi diuturnitate fuisse labefactatas: At vero vbi ex se inceperit lethargus, tunc continuo sanguis mittendus est.

An salu-

CAP. IX.

An saluberrimum sit, in omni febre putrida sanguinem mittere.

SED enim hoc loco communem Medicorum fere omnium nostri temporis errorem aperiamus, nam in omni febre putrida sanguinem esse mittendum consulunt, non equidem ratione alia moti, quam pessime intellectis Galeni verbis, quæ in hunc modum habenr. Saluberrimum autem (vt prædiximus) est in febribus venam incidere non continuis modo, verumetiam aliis omnibus, quas putrescens humor concitat. Leuata namq; quæ corpus nostrum regit, natura, ex oneratáq; eo, quo velut sarcina premitur, haud ægre, quod reliquũ est, vincet: itaq; proprii muneris haud oblita, & concoquet, quod concoqui est habile, & excernet, quod potest excerni.] Hæc Galenus. Duo igitur hoc loco docenda veniunt, horum primum sit, missionem sanguinis putridis omnibus febribus minime conuenire. Alterũ vero, quomodo proposita Galeni sententia interpretanda sit. Quod igitur ad primum pertinet, meminisse oportet eorum, quæ secundo libro ex eodem authore diximus, nunquam videlicet mittendum esse sanguinem, vbi humores à sanguinis natura plurimum distiterint. Pone igitur, aliquam febrem ab eiuscemodi humoribus concitari, in hac minime ad generosum hoc præsidium accedendum est. Quod si quæsiueris, qui sint humores, qui à sanguinis natura & forma plurimum distant: inquam ego, serosas humiditates esse, humores biliosos, & quamplures pituitæ species: quod autem de his humoribus diximus, ita venit intelligendum, cum scilicet excrementitii sunt, qualis est bilis, quæ in chisti fellis continetur melancholia, quæ in liene reconditur, & pituitæ species, quæ circa ventriculum & intestina continentur: diuersam enim habent formam & naturam ab ipso sanguine. secus autẽ dicendum est de hisce humoribus, qui in venis continentur: nam partes quædam sunt sanguinis, & illius forma continentur, vt in libro de humoribus diligenter declaratum est à nobis. Amplius si omnis febris putrida postulat missionem sanguinis, vel hoc ipsum contingit, quatenus febris est, vel quatenus putrida: si quatenus febris, omnis itaq; febris hoc auxilium exigeret, quod profecto adeo falsum est, vt nihil magis: quis enim aut in omni ephemera, aut in omni hectica, aut in omni pestilenti tuto accederet ad missionem sanguinis? si febri, quatenus putrida est, hoc genus auxilii competit, hoc illi alia ratione conuenire non potest, nisi propter putredinem & obstructionem: hic duo sequentur, primum, quod putredo, quatenus putredo, curetur missione sanguinis: deinde, quod obstructio idem auxilium semper postulet. vtrumque tamen falsum esse, Galenus hisce verbis lib. 11. Methodi medendi exponit: Verum quoniam nec obstructio, nec putredo curari per sanguinis missionem potest, vt quæ alia remedia, ceu prius monstratum, desiderent: reponi sanguinis aliquid ad curationis spaciũ debebit, quo minus intempestiue nutrire necessitate vlla cogamur.] Quod vero ad ipsam obstructionem pertinet, clarissimum est, non semper curari missione sanguinis: nam cum à tribus causis eodem authore fiat; ab humorum scilicet multitudine, vel crassitie, vel viscidi tate, horum quodlibet peculiarem postulat curandi viam. Nam crassities attenuantibus remouetur, viscidi tas abstergentia; multitudo vero euacuantia postulat. quomodo itaq; omnis obstructio sanguinis missione curabitur. His adde, indicationem sumptam à putredine humoris putridi vacuationem indicare, quemadmodum contingere videmus in putredine eorum, quæ non viuunt: nam quodcunque putrefactum est, id omnino amputantes, abiicimus: reliquum vero in frigidum aerem ponimus, ne de cætero putrescat: at humor putridus in viuis protinus vacuandus est per aluum, per vomitum, per sudorem, per vrinas, vt Galenus testatur in vndecimo Methodi, capite octauo: Qui vero nondum putrefactus est, perspiratione & concoctione conseruatur. Quamobrem putridus humor non indicat venæ sectionem: sed purgationem; semiputridus euentationem & concoctionem in-

dicat. Deinde vero febrium curationes, quas ex proposito Galenus libro ad Glauc. priore prosequitur, fidem faciunt manifestam, in omnibus putridis febribus non esse saluberrimum, venam incidere; nam agens de tertianis exquisitis, & de quotidianis ne verbum quidem fecit generosi huiusce præsidii; in quartanis autem admittit, sed distinctione adhibita eiusce modi. Si abundantia adfuerit sanguinis crassi, & illa quidem vehemens tuto mittendum esse sanguinem. Si vero abundauerit sanguis tenuis, omnino abstinendum. Idcirco de tertiana nota pertractans admittit venæ sectionem, hisce verbis additis, si oportuerit.] Quid sibi vult hoc verbum, si oportuerit?] nihil aliud, nisi si adfuerit plenitudo sanguinis. Rursus in eodem priori libro ad Glauc. agens de curatione febrium continuarum, sic ait: Sanguinem vero mittere oportet, & ob morbi magnitudinē, & quibus rubor multo plus, quam naturæ conueniat: & maior quam pro consuetudine totius corporis tumor, & venæ eminentes atq; extensæ. His omnibus auferendus est sanguis, nisi vires, aut ætas, aut aliquid eorum, quæ supra meminimus, prohibuerint.] quæ nostram sententiam apertissime confirmant. Ex quibus patere potest, quæ sit Galeni sententia circa missionem sanguinis in febribus putridis. Idem etiam iudicium recentiores Græci habuerunt, qui Galenum secuti de missione sanguinis, in tertianis & quotidianis nihil dixerunt. Satis diximus, quod conuenit sanguinis missio in omnibus putridis, quid igitur ad Galenum? Nempe, quod alio modo interpretandus est, quam fiat à recentioribus Medicis. Quod antea, quam à nobis explicetur, prius dicam, quid alii senserint. Viderunt Arabes difficultatem ex Galeni verbis propositam, & inter istos non infimæ notæ Moises quidam, qui etiam suo modo in Aphorismis eam sententiam interpretatur, dum ait: Galenus dixit in vndecimo ingenii, melius est, quod dixi, vt phlebotomentur venæ, non in febribus acutis tantum, sed in omnibus febribus accidentibus ex putredine humorum. Ait Moises: Dubitat quis in operatione sua facere operationem in omnibus febribus, quia Galenus inhibuit in particula de phlebotomia, & alibi minutionem in febre phlegmatica pura, in qua humores sunt crudi & indigesti: & similiter inhibuit minuere in febre quartana pura, nisi accidat ex dominio sanguinis: & sicut mihi videtur, dissolutio huius dubii est, quia intellexit per dictum suum in omnibus febribus putridis, id est, in qualibet febre putrida, cuius non humor singularis, sed multiplex est corruptus: & redit res, in qualibet febre ex putredine sanguinis accedente: quia cum phlegma, vel melancholia putrefit cum sanguine, vtilis est phlebotomia, & si putrefit phlegma, vel melancholia tantum, phlebotomia est prohibenda: quare oportuit etiam dicere hoc proprium, & in omnibus febribus accidentibus ex humoribus putridis.] Hæc Moises. Verum, hæc hominis huius interpretatio multis quidem minime satisfacit: quoniam Galeni mentem attingere non videtur; ait enim Galenus: saluberrimum est in omnibus febribus sanguinem mittere, non synochis modo, sed omnibus, quas putrescens humor concitat.] Quibus verbis clarissime innuit, non loqui se de febribus sanguineis duntaxat, quæ sunt continuæ, sed vniuersaliter de omnibus, quas putrescens humor concitat. Verum ego dicam aliàs, quid circa hanc explanationem sit sumendum, cum putem satis rationi esse consonam. Recentiores quidam putant saluberrimum esse mittere sanguinem in febribus putridis, propter obstructionem tollendam, quoniam omniū febrium putridarum causa est obstructio, hæcq; secta vena optime propellitur, de qua re audire oportet Leonardum Iacchinum, sic loquentem: Porro sententiam illam adeo ratam firmamque veteres voluere, vt fidissimus Galeni paraphrastes Paulus, cum primum putridarum febrium curationes aggrediatur, statim scribit: Τῶν δυνάμεων ἰσχυρῶν οὐσῶν ἐπὶ πάντων σηπεδονωδῶν πυρετῶν φλεβοτομητέον αἰτία χωρὶς ἀντιφάσεως τῆς χρείας.] vt igitur videamus, quantum secum vtilitatis afferat venæ sectio in eo morbi genere, meminisse eorum oportet, quæ libro octauo scripta sunt. Curabat eo loco Galenus Diarias ex obstructione, quæ διὰ μονιμωτέραν ἔμφραξιν iam suspectæ esse ceperant, in quibus primo loco venam secari iubet,

quamuis nulla adsit plenitudo. sic enim inquit: Plurimus vitiosus succus detrahitur vna cum sanguine vacuatus, tutoq; vti possumus iis, quæ obstructiones soluant. Eædem profectò rationes sunt, quanquam mutatis verbis, quas libro vndecimo ad propositum monstrat; quod enim libro octauo plurimum vitiosum succũ vacuari ait, hic naturam leuari onere dixit; neq; enim oneris nomen ad multitudinem referre oportet, sed potius succi vitium significat. Solent enim quæ molesta sunt, oneri esse dici. Rursus quod scribit libro octauo, & quæ foris ad obstructiones tollendas admouentur, suspecta esse, & quæ propinantur, hic ait: medii corporis prouidentiam ante vacuationem patũ tutam esse. Quanquam & alia quoque non exigua commoda in his febribus afferat venæ sectio, hæc tamen, vt quæ excellant, iis locis tetigisse voluit.] & parum postea explicans scopos, quibus præsentibus semper, & absentibus nunquam sanguis mittendus veniat, inquit: Num igitur vniuersales scopos semper sibi proponere debet, qui rite de secanda vena consulat; sunt autem hi, virium robur, magnitudo morbi, ætas florens: nam quibuscunque adsunt, siue acuto morbo, siue longiori detineantur, sanguinem mitti exposcũnt.] Deinde vero causam explicans, propter quam in febribus intermittentibus venam secare oporteat, confugit ad magnitudinẽ morbi futuram. sic enim ait: Porro intermittentes febres, quamuis salubres esse dicantur, attamen vel ob ægri intemperantiam, aut aeris malitiam, siue astantium inscitiam, nonnunquam ob naturam laborantis, & continuas & magnas fieri quid vetat? nec quisquam est, vel mediocriter in artis operibus eruditus, qui hæc sæpe fieri non viderit: quanquam alia quoque periculi causa est, eaq; non leuis, quæ ex auxiliorum natura ortum habet, vbi obstructiones præcipue validiores tollere est animus, seu intus assumantur, seu extrinsecus admoueantur. Igitur propter has atque eiusce modi causas, Galenus in febribus putridis sanguinem mitti suadebat: quod in omni febre aliqua ex causa periculum oriri poterat.] hæc Iacchinus. Sed multa profectò sunt, quæ mihi in hoc homine parum satisfaciunt. Primum, quod non rectè causam assequatur, propter quam in febribus Diariis ex obstructione sanguinem mittendum esse, Galenus consulat: de qua re nos loco suo differemus. Deinde vero, quia putat, indiscriminatim in omni magno morbo sanguinem esse mittendum, in qua re, quantum ab ipsa veritate aberret, ex iis, quæ supra diximus, clarissime constat: nam magnus est morbus hydrops, quam tamen nemo ausus est sanare per missionem sanguinis, vt inquit Galenus quarto de ratione victus acutorum, magnus est affectus cholicus dolor, in quo si semper venam incideremus, maximum ægrotanti incommodum adueniret; in vniuersali omnis dolor modum excedens, magnus est morbus. Admirabilis tamen Galenus iubet, adhibendam esse distinctionem, an mittere sanguinem, an autem purgare oporteat: hæc quidem & alia, quæ superioribus libris contra communem opinionem disputata sunt, huius hominis sententiam clarissime refellunt. Amplius non satisfacit mihi ea causa, qua mouetur ad persuadendum in febribus intermittentibus, sanguinem mittendum esse: duas enim refert, magnitudinem futuram, & periculum. Quod ad has causas attinet, is quidem nunquam persuadebit exquisitam tertianam magnum esse morbum & periculosum, neq; etiam in hoc numero quartanam collocabit; quoniam sunt febres omni vacantes periculo, vt Hippocrates & Galenus non semel testantur. Quod autem ait, posse magnas fieri propter acris malitiam, aut ægrotantis intemperantiam, aliasve causas, dicendum, quod cum hoc ex accidenti conueniat, ab arte considerandum non est, quæ ea contemplatur, quæ per se adueniunt: & ad hoc respicientes antiqui Medicinæ authores, dixerunt tertianam exquisitam & quartanam periculo vacare: secus autem dixissent, si morbus esset magnus futurus vtraque febris. Quod vero pertinet ad quotidianam, quis est, qui non videat, nulla ratione in hac febre, quatenus talis est, necessariam esse missionem sanguinis? nonne humor longe distat a natura & forma sanguinis? nonne illud Galeni præceptum citra omnem controuersiam verissimũ est, non debere nos mittere sanguinem

humoribus à ſanguinis forma diſtantibus? Quod autem ait, Galenum ſanguinis miſſionem conſulere, vbi adſit crudorum humorum copia, id quidem non ſolum veritatem habet, verum etiam noſtram opinionem confirmat, tantum abeſt, vt refellat, de qua re infra diſputabimus, cum eum Galeni locum interpretabimur. Cæterum quod is ſimul cum aliis recentioribus Medicis ad obſtructionem confugiat, quaſi quod cuiuſcunque obſtructionis remedium ſit venæ ſectio: ego quidem ridiculum puto: nam cum variæ ſint obſtructionum cauſæ, varias exigunt medendi rationes, vt, cum loquemur de obſtructione, dicemus. Hæc igitur cum ita ſint, quomodo locum hunc Galeni interpretabimur? Ego ſane breuiter dicam quod ſentio. Quod Galenus inquit ſaluberrimum eſſe in omnibus putridis febribus venam incidere, verum quidem eſt: at hoc remedium ſemper conuenire, non verũ, duo ergo ſunt inter ſeſe plurimum diuerſa. Vnum eſt, in omni putrida febre ſaluberrimum eſt ſanguinem mittere: hoc axioma veritatem habet. Alterum vero, in omni febre putrida ſaluberrimum eſt ſemper ſanguinem mittere: non verum. Modum itaque explicemus, quomodo vtile, & non vtile ſit in hiſce febribus venam incidere. Febres omnes putridæ ab humoribus putrefactis pendent: hi putrefactionem adepti ſunt, quia prohibita eſt euacuatio: prohibetur autem, quoniam adeſt obſtructio: quicunque igitur putridis febribus mederi voluerit, is quidem ad obſtructiones primum admoueat animum: hæ enim ſtatim remouendæ ſunt: ſed inſpiciendæ ſunt obſtructionum cauſæ, quæ in vniuerſum ſunt tres, multitudo, humorum viſciditas, tertia, humorum craſſities, qualis cernitur in melancholicis humoribus, aut etiam omnes inuicem complicatæ. Hæ cauſæ diuerſas medendi rationes exigunt: multitudo euacuationem poſtulat per ſectionem venæ, viſciditas, abſtergentia medicamenta, craſſities autem incidentia requirit. Hæc quæ diximus, vt Galeni fide & teſtimonio confirmata ſunt, ita ſane carent omni dubitatione, vt nihil ſit clarius, & certius. Quamóbrem his hoc modo conſtitutis, dicamus, in omni febre putrida aliquando conuenire miſſionem ſanguinis: iſtud autem intelligendum eſt cum obſtructio ab humorum multitudine ortum duxerit: aut quando complexus adfuerit omnium cauſarum obſtruentium: vt Galenus hiſce verbis ſignificauit libro vndecimo Methodi: Nam vbi abundantia humorum eſt, hos vacuabis, vbi craſſi ſunt, & glutinoſi, tenues eos & fluxiles efficies: ſi plures cauſæ aliquando coibunt, omnibus per contraria occurres: ſi quidem fieri poteſt, vt & coarctarum corpus ſit, & exigui meatus denſati, & multi ſimul ac lenti humores ſubſint: in eiuſcemodi autem cauſarum amplexu, ſi recte quæ prius comprehenſa ſunt, meminimus, cœpiſſe à ſanguinis miſſione conueniet: ac abundantia vacuata, tum ad extenuandos humores venire.] & libro octauo Methodi idem aſſeuerat, vt loco ſuo docebimus. Ergo quacunque exiſtente febre putrida, ſi obſtructio à plethora fiat, ſemper mittendus eſt ſanguis. Nihil in tertiana exquiſita (in qua alioquin tanquam peſtis vitari debet, vt alias explicabo) impedit, quin ſtatim hac præſente obſtructione ſanguinem mittamus: idem quoque iudicium eſto de quartana, & quotidiana febre; ita quidem ſanguinis miſſionem indicat in hiſce febribus, non putredo quatenus putredo eſt: ſed eius putredinis proxima, & immediata cauſa, impedita ſcilicet tranſpiratio à multitudine, non autem generatim ſumpta, à qua curatione ipſam exordiri conuenit. Si hoc modo Galeni ſententiam interpretamur, nihil reliquum eſt quod facere dubitationem poſſit. Alter etiam eſt exponendi modus, nempe vt ſtatuamus in omni febre putrida, quæcunque ea tandem ſit, ſaluberrimum eſſe ſanguinem mittere, cum ſcilicet illa in corpus plethoricum inciderit. Quid enim vetat, corpus ſanguine copioſo abundans febrem pati tertianam, quartanam, & quotidianam intermittentem? nihil quidem, atque in hoc caſu ſaluberrimum eſt ſanguinem mittere præſeruationis, & præcautionis cauſa: quoniam vereri opus eſt, ne in magnos morbos eiuſcemodi febres terminentur. Quod autem vtraq; expoſitio conueniat Galeno, ex eius verbis colligendum eſt: nam is cauſam exponens

ponens propter quam generoſum hoc præſidium conferat, dixit: Exonerata enim natura, eo quo veluti ſarcina premitur, &c.] hæc verba manifeſto declarant, intellexiſſe Galenum in corpore adeſſe plenitudinem: quoniam grauitas ſignum eſt plenitudinis quo ad vires, vt ſecundo libro docuimus, omnino inſeparabile. Sed ſatis de hoc negotio.

Cap. X.

Qua ratione ab Auicenna ſit dictum in putridis febribus venam eſſe incidendam, licet non ſit neceſſarium.

DEMONSTRATVM hactenus eſt à nobis, non conuenire venæ ſectionem omnibus putridis febribus, atque quo modo Galenus debeat interpretari, qui in cunctis admittere id remedium videbatur. Nunc explananda eſt Auicennæ ſententia, quâ ſignificauit in putridis mittendum eſſe ſanguinem, licet non ſit neceſſarium. Non erit hoc multi laboris negotium, quando quidem ex iis quæ ſupra diximus, facile admodum conſtare poteſt, quid pro loci huius explanatione ſentiendum ſit: cum eadem conueniat huic explanatio Auicennæ contextui, quæ ſententiæ Galeni conueniebat. Dicam tamen hîc quædam dilucidioris doctrinæ gratia huic propoſito nō mediocriter ſeruientia. Indicationum itaque curatiuarum nonnullæ ſunt communes, nonnullæ propriæ. Nuncupentur communes, quæ ex communi quadam proficiſcuntur natura, non magis vni, quam aliis conuenienti. Propriæ vero deſumuntur ex propria natura rei, conueniuntq́ illi, ita, vt aliis eodem modo conuenire non poſſint. Rem in febribus, de quibus alioquin propoſita tractatio eſt, dilucidemus. Quæ indicationes ſumuntur ab humorum multitudine, aut ab ipſa cacochymia, aut à virtute communes illæ quidem ſtatuuntur omnes: quia non modo conuenire poſſunt febri, ſed etiam cæteris morbis à materia procreatis. Verum ſumptæ à febre, vt febris eſt, illius propriæ ſtatuuntur: quemadmodum etiam illæ, quas ſuggerit natura putredinis, quatenus putredo eſt, conuenire dicuntur propriè putridis febribus. Porro venæ ſectio non eſt remedium febris, quatenus febris eſt, quia omni febri conueniret; neque eſt remedium putredinis, vt putredo eſt, quia hęc ſanari non poteſt venæ ſectione, ceu quæ alia remedia deſideret: propterea exactæ putredinis remediū eſt expurgatio facta per inferiorem aluū, aut per vomitum, aut per vrinas, aut per ſudorem, aut etiam per omnes haſce regiones ſimul. Si vero putredo exacta non fuerit, illius remedium eſt concoctio, atque libera tranſpiratio, vt ex Galeno docuimus libro de febribus. Quamobrem phlebotomia non eſt neceſſaria indicatione petita ab iis, quæ propria ſunt putridarum febrium. Vndénam igitur emergit illius neceſſitas? ex plenitudine corporis. Quandoquidem ſi hæc adfuerit affectio, curare tuto non licet putredinem, neque cauſas illius proximas remouere, niſi prius ipſam multitudinem vacuauerimus: alioquin multo magis impingeremus obſtructiones. In ſynocho putrida id contingere Galenus declarauit in libro vndecimo Methodi, capite decimoquarto, in quo, poſtquam venæ ſectionem fieri debere ſignificauit, addit, quod miſſo ſanguine, ſi nihil aliud adeſſet in corpore, niſi multitudo, ea vacuata, homo protinus ſanitati foret reſtitutus: at quia adeſt obſtructio & putredo, quæ ſanari non poſſunt per venæ ſectionem, idcirco accedendum poſtea ad illorum affectuum curationem: ex quibus illud certiſſime colligitur, phlebotomiam exerceri in ſynocho putrida indicatione ſumpta à multitudine, non ab eſſentia febris, aut putredinis. Quæ ſi vera ſunt, oſtendunt hoc remedium originem habere à communibus indicationibus, non à propriis, atque hac de cauſa non eſſe abſolute neceſſarium, licet vtile exiſtat ſaluberrimumq́ue remedium, indicatione ſumpta à totius corporis plenitudine. Quam rem animaduertiſſe mihi videtur Galenus in quarto Methodi medendi, capite ſexto, vbi docens quando vena ſit incidenda in vlceribus, & quando vtendum purgatione, dicit, remedium vtrumque non conuenire vlceri, qua-

tenus vlcus est, sed affectui cum vlcere complicato: quasi quod dicere voluerit, Venæ sectionem remedium esse multitudinis, purgationem cacochymiæ, atque omnium affectuum, quatenus originem ducunt aut à vitiosis humoribus, aut à plethorica dispositione, & non conuenire vlceri, qua vlcus est: sic mihi in præsentiarum Auicennam interpretanti liceat dicere, phlebotomiam non esse necessarium remedium putridæ febris, quatenus putrida est; sed duntaxat vtile ac saluberrimum, quatenus coniunctam habet multitudinem. Sane hanc explanationem adeo veram esse arbitror, vt nullam excogitari posse veriorem profitear.

CAP. XI.

Quam ob causam Galenus octauo Methodi venæ sectionem proposuerit in curatione febris Diariæ ab obstructione.

LOCVS est Galeni libro octauo Methodi medendi, in quo prosequitur rationem curandi febres diarias ab obstructione genitas, qui videtur maxime opinionem communem confirmare, quod scilicet in omni febre putrida sanguinis missio conueniat. Verba Galeni in hunc modum habent: At si quidem vel puer, vel senex sit, sanguinem detrahere non licet; inter has ætates vbi robur ægro non deest, secanda vena est, etiam si plenitudinis signa non adsunt, præstat enim vitiosi succi maiori parte emissa ad detergendas obstructiones accedere, cum alioquin metus sit, si obstructionibus liberandis prius quam vacuaueris studeas, ne ipsas magis impingas.] hæc Galenus; qui supponit obstructionem à viscidis humoribus factam, sanguinem tamen mittit; quomodo igitur hæc cohærere possunt cum iis principiis, quæ supra posuimus? Ego quidem, quamuis non me lateat, quam plurimos esse, qui putent Galenum à contradictionis nota vindicari non posse. Hanc arbitror sententiam bene, quemadmodum decet intellectam, minime nobis contrariari; atque nullam habere difficultatem. Sed anteaquam de hac re dicere aggrediar, primũ quædam volo supponere, quæ lucem non mediocrem sunt allatura huic difficultati: horum vnum est, Galenum in eo capite docere curationem Diariæ febris ab obstructione, cuius varias constituit differentias à varietate causarum. Etenim si obstructio sit exigua, facile soluetur febris; si maior, maiori sanabitur difficultate: at si maxima fuerit, fieri omnino non posse profitetur, eam febrem in numero Diariarum consistere, sed in eas terminari febres, quæ plurium sint dierum, facta scilicet in putridas, vel synochos degeneratione. Hoc Galeni suppositũ hisce verbis scriptum legitur in principio capitis quarti. Etenim si propter obstructionem aliquando (vt dictum est) morata transpiratio est, si parua ea sit, qui recte deterserit, secundam fore accessionem vetabit.] in his verbis primam differentiam, siue gradum febris huius explanauit; alium vero quando dicit: Sin momentanea non possis ita promittere.] Tertiam vero maiorem differentiam, quando dicit: Quod si & multi, & crassi, & glutinosi impacti succi sint, quæ hos excipit febris, fieri non potest, vt intra fines Diariarum consistat: quando ex necessitate huic in mali succi naturis, quæ ex putredine humorum succedet.] Aliud etiam supponendum est, obstructionem eiuscemodi in corporibus malo succo præditis ex necessitate putridam concitare febrem, quemadmodum proxime dixit: at in aliis corporibus synochum febrem procreare, quando scilicet, quod transpirare solet halituosum, & benignum sit: vt hisce verbis manifestum facit: Nam in aliis saltem Temperamentis, quæ in sequentibus exponam, excitari ex tali causa potest citra humorum putredinem aliqua continentis febris species.] Postremum sit, Galenũ venæ sectionem admittere non in omni Diaria ex obstructione: sed solum in Diaria ex multorum, crassorum & viscidorum humorum copia procreata: quia certe in huiuscemodi causarum complexu à venæ sectione conuenit exordiri, vt idem author testatur vndecimo Methodi medendi, capite sexto. Maiori siquidem indigent auxilio, vt ac-

vt accommodata fiat transpiratio: maius vero nullum, proportionem habens cum morbo, ipsa phlebotomia inueniri potest. Ex his colligo explanationem loci huius, & difficultatis dilucidationem. Nam Galeni propositum non est curare simplicem febrem Diariam ex quacunque obstructione ortam, sed ex magna obstructione, atque ex omnium causarum obstruentium complexu: idcirco venæ sectionem proposuit tamquam remedium magnum proportione respondens omnibus causis, illarumque magnitudini. Quam vero conueniat hæc explanatio, verba superius posita apertissimum faciunt, & quæ etiam in vndecimo Methodi, & passim alibi docuit. Nos vero superioribus libris eiusdem veritatem patefecimus non semel, potissimum ostendentes plenitudinem scopum esse phlebotomiam indicantem. At vero fortassis hic dicet quispiam, Galeni verba huic explanationi refragari, quia videtur admittere, adesse obstructionem ex solis viscidis humoribus, citra aliquem affectum plenitudinis, quia dicit. Etiam si plenitudinis signa non adsunt.] Dico & affeuero maxime erroneum esse in hac materia putare Galenum in febre Diaria ex obstructione sanguinis missionem consuluisse citra affectum multitudinis: quandoquidem verba, superius à nobis explanata, contrarium ostendunt, ratioque ipsa id, quod illi dicunt admittere non potest. Nam si maiori auxilio est opus vt transpiratio fiat, sique hæc impedita est à multis, crassis, viscidisque humoribus, parua obstructio esse non potest, neque imaginari citra multitudinis affectum. Quid igitur sibi vult in iis verbis Galenus? vult inquam proponere, quod etiam passim alibi docuit, multitudinem non esse scopum indicantem sanguinis missionem: quoniam citra plenitudinis affectum sanguis mittitur, vt proposita reuulsio est. ac etiam quia non semper præsente plenitudine sanguis mittendus est, cum aliquando sufficiant imbecilliora remedia. Dicamus itaq; hanc sententiam à Galeno fuisse prolatam contra Menedotum, & contra Empiricos qui numquam accedendum esse ad missionem sanguinis consulebant, nisi præsens syndromes illa plethorica fuisset: qua excludebant plenitudinem quo ad vires, & motum sanguinis, vt multis explicatum est à nobis superioribus libris. Galenus itaque dicit, mittendum esse sanguinem in obstructione à viscidis humorib. facta, si adfuerit plenitudo quo ad vires, etiam si non adsint signa plenitudinis quo ad vasa: quam significabant Empirici per syndromen illam congeriem q; signorũ. hæc expositio admodum arridet mihi, & consona videtur Galeno: quoniam passim, vbi de sanguinis missione pertractat, contra Empiricos inuehitur, admittentes hoc auxilium duntaxat conuenire in multitudine quo ad vasa. Porro hanc ego interpretationem affero, vt ostendam Galenum sibi ipsi constare, & de vna eademque re varia non conscripsisse: quomodo enim aliter interpretabimur? si verum est, quod passim Galenus tanquam axioma nobis inculcat, obstructionem à viscidis humoribus sanari abstergentibus: ab humorib. crassis, incidentibus: à multitudine vero sectione venæ? Erit igitur quoddam commune auxilium ad omnes obstructiones sanguinis missio? quod quoniam nunquam à Galeno traditum est, ego sane recipere non possum: Cæterum meam hanc explanationem confirmant quæ dicemus, dum explanabimus Galeni verba in quarto Methodi, capite sexto.

Cap. XII.

An causus, id est, ardens febris recte curetur per missionem sanguinis, aliorum opiniones reprobatæ.

RVRSVS autem in cacochymia citra plenitudinem phlebotomiam esse necessariam contendunt recentiores Medici, quia causus ardentissima quidem febris missionem sanguinis postulat. Nos vero vt ostendamus, neque hoc ipsum, quod afferunt, nostram opinionem subuertere, primum docebimus, quid nomine causi intelligendũ sit, deinde quid alii sentiant: Postremo autem loco propriam opinionem afferemus. Nomen causi est ex eorum numero, quæ

vere æquiuoca sunt, cum multis febribus conueniat, quæ communem naturam non habent. Primum quidem hac voce significamus febres intermittentes, quas putredo bilis concitat, vt Galenus tum libro de febr. differ. tum commentario quarto in librum de ratione victus in morbis acutis, atque passim alibi clarissime ostendit, sed hæc est nimis impropria appellatio, multo autem magis videtur ad naturam affectionis accedere ea significatio, qua pro continuis duntaxat quibusdam febribus nomen causi intelligitur, hæ febres duæ sunt, continua ex flaua bile, & ex phlegmate salso: sed illam non solum proprium causum nuncupabimus, sed etiam exquisitum: hunc vero proprium quidem, exquisitum tamen minime, at spurium, & nothum. legitimus igitur est causus, qui ex flauæ bilis putredine sit, multis autem modis exquisitum hunc causum fieri contingit. Primus, cum bilis ad paruas venas prope cor existentes attrahitur, aut ab aliis partibus ad easdem expellitur, & putrescit: appello autem in præsentia paruas venas prope cor, venas ventriculi & eius ostii, venas hepatis, pulmonis, & ieiuni intestini: hoc vero contingit cum hæ venæ nimium exsiccatæ fuerint, atque præter naturam affectæ. Alter etiam fit causus, cum sanguis biliosus expellitur, aut attrahitur extra venas ad carnes ventriculi, hepatis, & pulmo[illegible]nis, in quibus erysipelas, vel phlegmon, quod erysipelate participet, concit[illegible]. Hi duo causi sunt ex affectione vnius determinatæ particulæ, quam [illegible] merito particulares nuncupandi sunt. Siquidem alter etiam est vniuersalis causus, qui scilicet ex putredine concitatur biliosi sanguinis in omnibus venis, aut certe maioribus, quæ sunt inter alas, & inguina. differentiæ autem huius sunt duæ, nam hic sanguis in illis venis putresit, vel quia ab illis attractus, aut ab aliis partibus ad illas expulsus est: atque hic causus habet accessiones, quales etiam habent alii superius dicti. altera vero longe diuersa est ratio, cum sanguis tenuis acrimonia participans in iis venis abundans totus simul putrefactionem subiit, præterquam quod ab illis fuerit, vel attractus, vel expulsus; atque hic non solum verus, & legitimus est causus, sed inter legitimos præcipuus nuncupatur. hic est synochus illa putrida, quam flaua bilis efficit, omnique accessione, & circuitu carens: vnam duntaxat à principio ad finem vsque accessionem continens. Porro hæc, quæ de causi appellatione, & significatione hucusque diximus, supponenda sunt: quoniam in nostra tractatione de febribus diligentissime comprobata sunt, ad quem locum lectorem relegamus. Cum hæc itaque sic habeant, accedamus ad explicationem eius, quod secundo loco proposuimus. Petrus Aponensis cognomēto Conciliator inquit, quod regulariter operando, & frequentissime in causo non competit venæ sectio. Demum vero addit, quod aliquando per accidens tamen conuenit, vt cum materia fuerit furiosa sanguini commista: vtrumque autem probat, & primum sane duplici ratione, quarum vna est, quod phlebotomia est euacuatio vniuersalis plenitudinem euacuans, at in causo non est multitudo, quamobrem curari non potest per sectionem venæ, sed medicamentum postulat colagogum, vel phlegmagogum, cum scilicet fiat à flaua bile, vel à phlegmate salso. Altera ratio est: in causo non competit id auxilium, quod ipsum magis exagitat, commouetque: at sanguinis missio hoc equidem facit: nam euacuato sanguine, qui dicitur esse frænū choleræ, hæc facile turget, violenterque mouetur. & non mediocre periculum imminet, ne ad partes nobiles appellat. Quod vero rarissime, & per accidens conueniat hoc auxilium, comprobat, quia cum fit causus cum quadam sanguinis abundantia, vel cum corruptione sanguinis, dum scilicet transmutatur pars eius tenuior in flauam bilem, tunc vtique euacuando sanguinem, partem educimus humorum peccantium: & quia tum rarum admodum est, tum per accidens, quod fiat hoc modo causus, idcirco per accidens dicitur conuenire sanguinis missio. Hæc quidem Conciliator. Sed multa sunt, quæ mihi parū admodum satisfaciunt, & primum, quia cum causi nomen tam late pateat, is non distinguat de quo sermonem habeat, alterum vero, quoniam conclusiones falsæ sunt, nam prima, quæ inquit, vt plurimum non esse necessariam sanguinis missionem

ſionem, in vero & exquiſito cauſo falſiſſima eſt, vt oſtendemus: altera vero non eſt magis vera, cum ait, quod per accidens conuenit venæ ſectio: cum potius contrarium dicendum eſſet, nempe quod per accidens hoc auxilium non conuenit. Quod vero ad rationes pertinet, nihil quidem, quod nobis id perſuadere poſſit, inuenio. Nam quamuis aſſumptum ſit verum, falſum tamen eſt, quod cauſus omnis fiat mali ſucci vitio. Nam vt demus hoc in aliqua cauſi differentia contingere, vt in ea, quæ fit à ſalſo phlegmate, id tamen in omnibus euenire, omni ratione caret. Deinde autem, quod dicat ſanguinem eſſe frænum choleræ, & eo euacuato vereri oportere ne bilioſi humores turgeant, & in furiam (vt loquar illius conſuetudine) agitentur, ſimpliciter ſane verum non eſt, de qua re infra loquemur, cum Auicennæ ſententiam interpretabimur: Alii vero putant, Galeni ſententiam in Aphoriſmis de miſſione ſanguinis in ardentibus febribus vſque ad animi deliquium, non eſſe intelligendam de febribus bilioſis, ſed de iis, quas putreſcens concitat ſanguis, quæ ſynochi dicuntur: nam is author in Methodo medendi, quo loco harum curationem proſequitur, in eandem opinionem venit, euidentiſſimum indicium vtrobiq; de eiſdem febribus loqui. Quamobrem debet excludi febris ardens à flaua bile: in qua nulla ratione conuenit, quantum ſit merito ſui venæ ſectio; hoc confirmant verbis Auicennæ in curatione febris ardentis, dum ait: & non phlebotometur, fortaſſe enim inflammabit eos.] & alibi, & ſummopere tibi caue, ne ægrum ad vnam duarum perducas rerum, ſcilicet humorum cholericorũ ebullitionem, & frigidorum cruditatem.] Hæc illi. Cæterum, hæc opinio mihi nunquam ſatisfecit. Primum, quia in ardentibus febribus, vt mox dicam, conuenit ſemper ſanguinis miſſio: quamuis non in omnibus. Demum vero, falſum eſt, per febres ardentes Galenum intellexiſſe ſynochos ab ipſo ſanguine, non enim dixiſſet [adhibita diſtinctione] quoniam in ſanguineis non oportet diſtinguere, an expediat ſanguinem mittere, an autem vti medicamento purgante, vt euidentiſſime patet ex nono Methodi medendi, in quo purgationem prætermittit, ſolam admittens miſſionem ſanguinis, potum frigidæ: ea igitur verba manifeſte indicant opinionis huius falſitatem. Præterea, falſum eſt, quod ſynochus à ſanguine ardens febris nuncupari debeat, quam rem quoniam alii antea explicarunt, hoc loco minime docebo.

Cap. XIII.

An in ardente febre conueniat venæ ſectio, ex Augenii ſententia.

RELIQVVM eſt modo, vt explicem, quid ſit pro ipſa veritate ſentiendum: quod vt commodius fiat, eam per capita dilucidare conabimur. Horum igitur ſit primum. In febre ardente quatenus febrem intermittentem ſignificat, non conuenit ſanguinis miſſio. Cuius rei cauſa eſt, quia humores extra venas continentur, atque ſunt à ſanguinis natura plurimum diſtincti, idcirco hoc remedium nunquam conuenit intermittentibus febribus ſua natura. Id autem dixi, quia ex accidenti conuenire poteſt ratione alicuius annexi, vt puta plenitudinis: aut ratione cuiuſdam ſæui ſymptomatis inflammationem minantis, vt contingit in vehementiſſimis doloribus capitis, tunc enim vel ratione præſeruationis, vel ratione reuulſionis, hoc auxilium neceſſarium eſt. Secundum: In cauſo noto, qui fit ex falſi phlegmatis putredine, venæ ſectio non conuenit. Neque videtur mihi habere aliquam difficultatem, quod dicimus: quia natura humoris, à quo concitatur, indicationem præbet vtendi medicamento purgante ſalſam pituitam: hæc enim longiſſime diſtans à ſanguinis natura exigere nõ poteſt phlebotomiam. Tertium caput ſit. Cauſus qui fit venulis tempore æſtiuo arefactis, ac ad ſeſe bilioſas humiditates attrahentibus, ſanguinis detractionem minime admittit. Si quiſpiam voluerit diligenter contemplari modum generationis huius febris, inueniet hanc omnino exiſtere ex numero intermittentium

vel continuarum, quæ circuitum habent; fiunt enim hæc ex humorũ attractione, expulsione, generatione, & receptione, quandoquidem ratio periodicationis pendet ab vna ex dictis causis, vt declaratum est à nobis in tractatione de febribus ex Galeni sententia, libro secundo de febrium differentiis. At certe non conuenit venæ sectio in omnibus periodicis febribus, præsertim in iis, quæ fiunt venis inanitis, quo in numero causus hic continetur. Nam Hippocrates dicit, venulis arefactis & exinanitis. At quo humore exinanitæ sunt illæ? eo inquam humore, quem continere debent secundum naturam, & cuius causa à natura sunt institutæ; is autem humor sanguis est. Ergo si inanitio sanatur plenitudine, hæc vero inanitione, qua ratione persuaderi possit venæ sectio, non video. Hac de causa factum putauerim, auctorem illius libri ne verbum quidem fecisse huius remedii, neque etiam Galenum in Commentariis, maxime in eo commentario, in quo summam curationis harum febrium prosequitur, vbi hæc habet verba: Prætermissa itaq; videbitur præcipua causorum sanatio, frigidæ scilicet potus, quo causos perpetuo curauimus, nullo ex his moriente, quibus frigidam propinauimus in tempore opportuno,] & parum supra dixerat: Nempe horum duorum de necessitate in causo fit, si perfecte solui debeat: nam biliosi humores vel perfecte vacuabuntur, vel extinguentur.] Petierit autem hoc loco quispiam, quid agendum sit, cum paruæ venæ prope cor existentes, vt in ostio ventriculi, in ventriculo ipso, in stomacho, in pulmonibus, in ieiuno intestino exinanitæ, & præter naturam excalefactæ, tenues & acres humiditates ad sese attraxerint, aut ab aliis partibus transmissas receperint, vel cum earundem partium carnes erysipelas, vel phlegmonem erysipelatis participem patiantur, dicerem in vtroq; casu saluberrimam esse posse venæ sectionem, si in toto corpore adesset multitudo. In priori quidem, ratione vacuationis totius & præseruationis, ne maior fieret affectus, ad eiuscemodi vacuationem accederemus: vereri enim oportet, ne quemadmodum acres humiditates & serosæ attrahuntur, ne pariter attrahatur sanguis abundantior, quam partis affectæ conditio ferat. In altero autem conuenit, quia iam præsens est particularis plenitudo, & valde pertimescendum est, ne maxime adaucta fluxione adaugeatur: at si hoc non vereamur, nullusq; adsit in corpore plenitudinis affectus, omnino abstinendum consulerem. Vides igitur, quantum hæc conueniant nostris principiis. Postremum, quod mihi in hac materia dicendum suppetit, est: In causo exquisitissimo semper incidendam esse venam, vbi enim sanguinis efferuescentis adfuerit plenitudo, acutissimam procreans febrem, saluberrimum est sanguinem mittere, atque etiam si idipsum vsque ad animi deliquium feceris, modo vires consentiant, vtique id faciendum adhibita semper conuenienti distinctione earum rerum, quas scias. Causus enim hic ex numero est febrium synochorum, nuncupaturq; Galeno, vt prædiximus, synochus biliosa. Causa vero propter quam semper in hac febre conuenit, sanguinis missio est, quia nunquam consistit hæc febris sine plenitudine, vt Galenus libro de ratione curandi per sanguinis missionem aperte significasse videtur.

Cap. XIIII.

An in crudorum humorum copia sanguinem mittere expediat.

HVMORIBVS crudis, vel in venis, vel in ventriculo, aliisq; partibus existentibus aliquando sanguis mittitur, aliquando autem minime. Tunc enim mittitur, cum à sanguinis natura parum distiterint, tunc non mittitur, cum plurimum, cum vero medio modo se habent inter parum & plurimum, mittitur quidem, verum maiori adhibita cautione. Hæc, quæ hoc loco tradidimus, ex Galeno desumpta sunt, libro de sanitate tuenda. Eo autem pertinent, vt ostendamus, Galenum sibiipsi minime contrarium esse, cum aliquando consulat, in crudorum humorum copia mittendum esse sanguinem, aliquando autem minime. Atque idcirco nostris principiis non opponi eius sententiam, quibus confe-

confecimus non esse mittendum sanguinem citra plenitudinem. Quid aliud significat in crudorum humorum copia secandam venam, si parum a natura sanguinis distiterint? nihil meo iudicio aliud, quam crudos humores cum sanguine in venis dominari, atque illos ita crudos esse, vt parum absint à sanguine? sed si hæc vera sunt, vt putantur, hoc nihil aliud est, quam vna plenitudinis differentia, quemadmodum nos ex Galeni placitis secundo libro declarauimus. Quid igitur in mentem venit Iacchino, & aliis iunioribus Medicis, dum consulunt in magnis morbis pituitæ copia genitis, perpetuo venam esse incidendam? cum Galenus hoc clarissime inhibeat quarto de sanitate tuenda; & alibi passim idem explicet. Admirorque plurimum hominem hunc Galeni doctrinam profitentem, in re omnibus apertissima aberrasse. Nam in libro duodecimo Methodi medendi, agens de iis qui crudorum humorum copia febricitantes in syncopen incidunt, non vult mittendum esse sanguinem, aut purgandum. ibi enim sic ait: Ergo febricitare incipiunt nonnulli, vbi magnam crudorum succorum copiam, vna cum oris ventris cruditatibus, vel alia quapiam occasione congesserunt:] curationem vero parum postea proponens dicit: Nulli tamen talium sanguis mitti sine magno dispendio solet, cum tamen vacuationem desiderent: verum nec sanguinis missionem, nec purgationem sustinent, vt puta quos sine his syncope subito adoritur.] Rursus in libro de ratione curandi per sanguinis missionem, idem aperte confirmat his verbis: At vbi crudi succi exuperant, anteaquam morbus inuaserit, caute vacuabis, sed vbi iam febris ipsa corripuerit, vt antea monui, nequaquam.] Debebat hæc accurate perlegere, qui pronunciare volebat, secundum Galenum in omnibus morbis magnis à pituita conuenire venæ sectionem. Quomodò quæso ille contrarios hosce locos interpretabitur, si absolute sic pronuntiat? nullam habet interpretandi rationem accommodatam. Verum, si nostra vera sint principia, de quibus hactenus egimus, hi loci contrarii nullam patiuntur difficultatem. Nam duplex sese offert explanatio ex Galeno petita, vna, vt dicamus, in Methodo medendi locutum fuisse Galenum de abundantia crudorum humorum citra aliquem affectum plethoricæ dispositionis: qui crudi humores præcæteris negocium faciant ostio ventriculi, ex quo oriantur Syncopes. At quando in crudorum copia vult sanguinem esse mittendum, supponit illos adesse simul cum sanguinis abundantia. Est explanatio alia, vt scilicet dicamus, cum humorum crudorum copia adesse posse febrem, & abesse: cum adest ab omni vacuatione affatu dignum abstinendum: cum abest, vacuandum, sed magna adhibita præmeditatione, & cautela; in hoc autem potissimum præmeditatio consistit, vt consideremus, an humores crudi à sanguine distent, vel non distent, atque an plenitudo adsit, vel absit. Sed notiora sunt hæc, meo iudicio, quam quod pluribus explicari debeant.

CAP. XV.

An in apoplexia, vertigine, & morbo comitiali conueniat sanguinem mittere.

AFFERVNT præterea pro confirmatione recentiores Medici, quod Galenus libro de ratione curandi per missionem sanguinis, præseruationis causa in morbo Comitiali, & vertigine, atque etiam pro apoplexia curanda venæ sectionem consulat. Maximum quidem, si illis credimus, argumentum, quod in omni morbo magno à frigidis, viscidisque humoribus genito mittere sanguinem expediat. Verba Galeni hoc modo habent: Iis etiam si nullum in corpore symptoma extiterit, ineunte tamen vere sanguinem mittere expedit: similiter qui prompte morbum comitialem aut apoplexiam incurrunt.] Verum homines isti ad pauca respicientes facile enunciant: nam si ea, quæ eodem capite Galenus conscripsit diligenter animaduertissent, hac praua hæresi spreta, veritatem cognouissent. Verba Galeni afferenda sunt, quibus res ipsa clarissima

euadet, quæ in hunc modum habent: Sed illud inprimis videndum, quid sit illud, quod in illis aceruetur, siquidem nonnullis amaræ bilis succus plus cæteris colligitur, quibusdam bilis atræ, aut pituitæ, aliis ex æquo omnes, in quibus sanguis abundare dicitur. Hos ergo omnes euacuabis, sicut etiam podagricos & artriticos veris principio exhibito, videlicet aut medicamẽto purgante, aut sanguinis diminutione.] Hæc Galenus. Ex quibus profectò patet, quando his affectibus conueniat sanguinem mittere, & quando minus. Regula enim est, quam non licet præterire: quod mittendus est sanguis, si plus cæteris abundauerit: Purgandum autem, quotiescunq; vitiosi adfuerint succi. Itaque cum epilepsia & vertigo in corpore aduenerint plethorico, aut cum à multitudine originem duxerint, secure venam incidito: alioquin abstineas. Idem quoque iudicium sit de morbo attonito, qui non solum fit à pituitoso humore, consestim omnes cerebri ventriculos replente, sed etiam generari solet à sanguinis abundantia, quemadmodum Galenus testatur, libro de ratione curandi per venæ sectionem, & in commentario primo libri Hippocratis de humoribus.

Cap. XVI.

Verborum Hippocratis, quarto libro de ratione victus in morbis acutis, explicatio.

INQVIT Hippocrates, libro quarto de ratione victus in morbis acutis: In acutis morbis, si vehemens morbus videatur, floruerítq; ægrotanti ætas, & virium adfuerit robur, sanguinem mittens.] Quæ verba satis videntur aduersariorum nostrorum opinionem confirmare. Sed antea quam doceamus, quomodo hæc verba interpretari debeant, videamus, quid alii sentiant. Recentiores quidam Medici contendunt, eam sententiam Hippocrate dignam non esse, quia non vtitur propria dicendi grauitate, & quia impropriè admodum loquitur: si enim omnis acutus morbus est magnus, vt passim Galenus testatur, cur autor eius libri inquit, in acutis morbis sanguinem mittes, si vehemens morbus videatur. Sed leuissima est horum hominum opinio: primum, quia Galenus in eius loci commentario sententiam admittit, tanquam Hippocrate dignam, admiraturq;, cur eam inter Aphoristicas sententias non reposuerit. deinde autem falsum est, quod omnis acutus morbus sit magnus aut vehemens, quoniam variæ sunt apud omnes antiquos acuti morbi significationes: nam aliquando idem quod breuis affectus denotat, aliquando vero idem cum magno morbo est. Quamobrem optime quidem ab ipso Polybio, aut ab altero eius maximi nominis discipulo factum est, cum admonet, mittendum esse sanguinem in acutis morbis, si vehementes fuerint, quasi quod dicat: in solis magnis id genus auxilii necessario adhibendũ esse. Nos igitur, qui admittimus, hanc tanquam dignam maximo Hippocrate sententiam, quid dicemus, aut quomodo interpretabimur, vt nostris principiis minime videatur opposita? ostendemus profectò facilem esse loci huius expositionem, & non solum nobis non opponi, sed etiam maxime suffragari, quam rem pauci admodum animaduerterunt. Hoc igitur docere aggredior. Proposita Hippocratis propositio veritatem habere non potest, nisi vniuersalibus quibusdam Theorematis præsuppositis. hæc vero vniuersalia Theoremata sunt: sanguinis missionem nunquam exercendam esse, nisi morbus originem habuerit à sanguinis multitudine vel motu. Quicunq; enim voluerit citra errorem hoc generosum præsidium adhibere, is primum contemplari debet, quinam sint ii affectus, qui secta vena curantur: quo habito, neq; statim etiam, vt perbelle Galenus admonuit, accedere oportet, sed tunc quidem, cum vehementiam habuerit morbus, & vires fuerint validæ, vehementia morbi necessaria est, quoniam plenitudo non semper postulat missionem sanguinis, neq; etiam qualiscunq; sanguinis motus idem exigit, sed tunc sane id fieri præstat, cum illa & hic fuerint affatu digna. Leuis enim plenitudo, iis, quæ leuiter euacuant, corrigitur: leuis autem motus, iis, quæ leuiter auertunt ac deriuant.

Ergo

Ergo qui ab Hippocrate ſcopi proponuntur, non ſunt venæ ſectionem indicantes: cum vnus duntaxat id efficiat, nempe vehementia morbi à ſanguinis multitudine vel motu: ſed connexi ſunt ex vere indicantibus, atq; ex contraindicantibus: vt optime Galenus noſter interpretatur. Hinc colligito errorem Medicorum noſtri temporis, qui ex hac indefinita propoſitione vniuerſalem faciunt; quod ſcilicet in omnibus magnis morbis citra eam, quam ſupra dedimus diſtinctionem, miſſio ſanguinis conueniat: cum in quibuſdam facere id expediat, in quibuſdam vero minime.

Cap. XVII.

Quomodo Galeni ſententia, quarto libro Methodi medendi, capite ſexto, ſit interpretanda.

NVLLA inueniri ſententia in Galeno poteſt, quæ magis Matthæi Curtii, & aliorum opinionem confirmet, quam ſcripta reperitur libro quarto Methodi medendi, capite ſexto, in quo ſic habet: Neq; hoc dico propterea, quod purgatio vacuatio ſit, quam redundantis ſanguinis concurſus non indicet, ſed quod etiam, tametſi redundantis ſanguinis concurſus non adſit, ad ipſam tamen ſanguinis miſſionem interdum ſit confugiendum. Quando, ſi valens morbus ſit cum virium robore, nemo eſt, qui ſanguinem non mittat, qui vtique in artis operibus ſit exercitatus.] & parum infra addit: Ex quo patet, non eſſe hoc, quod mittendum ſanguinem indicet, ſed magnitudinem morbi & virium robur, exceptis tamen à ſermone pueris.] Verum, neque eiuſcemodi verba illi fauent, ſed contra potius noſtram opinionem confirmant. Quam rem explanaturus, prius docebo ſcopum Galeni in iis verbis, ex quo reddentur omnia maxime dilucida. Opinio fuit Menodoti Empiricæ ſectæ cultoris, venæ ſectionem indicari à plethorica ſyndrome, id eſt, à concurſu ſignorum, quæ plenitudinem, præſertim quo ad vaſa indicabant, atq; hac de cauſa nunquam accedendum eſſe ad venæ ſectionem in aliis affectibus. Huius opinionem Galenus eo loco reprobat hac ratione vſus, vt priori libro tractationis huius manifeſtum fecimus. Sanguis mittitur citra plenitudinis affectum, ratione reuulſionis: non ſemper ſanguis mittitur in concurſu plethorico, vt ſi plenitudo fuerit exigua, quæ ſcilicet mitioribus ſanari poſſit remediis. Igitur indicatio de ſanguine mittendo non ſumitur à plenitudine. Hæc ſumma eſt demonſtrationis Galeni. Reprobata in hunc modum opinione Menodoti declarare poſtea voluit, quid venæ ſectionem indicaret: Dixitq;, hanc indicationem ſumi à magnitudine morbi & à viribus, ab illa quidem, vt à præcipuo indicante, ab his vero, vt à contraindicantibus. Magnitudo morbi præcipuam habet vim indicandi, quia non omnis plenitudo, ſed quę magna fuerit, neq; omnis motus ſanguinis, ſed affatu dignus, hoc generoſum præſidium indicat. Ex quibus patet, magnitudinē morbi non ſumi à Galeno in communi, ac nulla adhibita diſtinctione, ſed in particulari, nempe pro magnitudine morbi cauſati à ſanguinis vel multitudine, vel motu. Rem ſic habere duo perſuadent, quæ in eodem capite ab illo dicta ſunt, quorum vnum eſt: Magnitudinem morbi atq; virium robur eſſe ſcopos, indifferenter indicantes venæ ſectionem & purgationem. aliud vero, quod in fine eiuſdem capitis aperte admodum docuit, quibus in morbis magnis venę ſectio, & quibus purgatio conueniat, cum dicit: Aliàs (inquit) ſanguinis detractionem adhibebis, cum videlicet is vincit: aliàs pharmacum, quod ad bilem flauam, vel atram, vel pituitam educendam vim habet, dabis.] hæc ille. Quæ ſane multo ſunt dilucidiora, quam quod amplius debeant a nobis explanari. Hactenus de Galeni & Hippocratis ſententiis dictum ſit.

CAP. XVIII.

Quæ contra Auicennam obiici solent, quod humores biliosi vacuatione facta per venæ sectionem, non efferuescant.

QVONIAM vero in biliosorum humorum abundantia venæ sectionem esse necessariam contendunt, & Auicennam erroris insimulant, dum admonuit cauendum esse in ipsa emissione sanguinis, ne deducamus ægrotos vel ad biliosorum humorum efferuescentiam, vel crudorum abundantiam. Nos qui supra, quod ad biliosorum humorum copiam pertinet, atque in vniuersum ad malos succos, opinionis huius falsitatem ostendimus: doceamus quomodo Auicennæ sententia veritatem habeat: sed in primis videndum, quid contra Auicennam afferri soleat. Primum igitur, quod misso sanguine flaua bilis non efferuescat, aut inflammetur, persuadēt, quoniam in febribus ardentibus id maxime contiugeret, in quibus ad animi deliquium vsque sanguinem mittimus, contra tamen fieri videmus, cum ex tali opere nulla penitus efferuescentia insequatur. Ad hæc vero omnis venæ sectio refrigerat, quoniam simul cum sanguine, & flaua bile, calor etiā dissoluitur, & totus corporis habitus refrigeratur, nihil autem est in morbis biliosis, vtpote calidissimis, quod ipsa refrigeratione magis conueniat: quam rem Galenus testatur tum libro nono Methodi, tum primo Aphorismorum. Deinde si in venis continetur biliosus humor sanguini permistus, qui fieri potest facta vacuatione omnium simul efferuescere bilem reliquam? cum eadē proportio sit in venis post vacuationē, quæ antea præfuit ipsius bilis: quæ nam igitur hic afferri posset causa efferuescentiæ bilis, cognoscere maxime obscurum est, & difficile. Amplius in crudorum humorum copia sanguis mittitur, vt ex Galeno iam diximus: qua igitur ratione potest flaua bilis efferuescere? Postremo phlebotomia, licet non sit necessaria, illius authoritate administrata in putridis febrib. iuuat: at iuuare non posset, si bilis feruorem induceret. Recensere autem oportet hoc loco quid de hac materia scripserit elegantissimus Fernelius libro secundo Methodi medendi. Incisa (inquit) vena, idque patente satis foramine continendi facultas nequit obliquis fibris tam arcte sanguinem continere, ac inhibere, quin is aperta via decidat defluatq́;. Immo si forte conetur auidius complecti, atque supprimere, contractis venis hunc vberius è vulnere profundet: emanat autem non quemadmodum in purgatione seorsum hic, ille ve humor, sed sanguis vniuersus, qualem in venis haberi commemorauimus, atq; tametsi moderatus, aut etiam paucus sit, motu tamen impetuque suo prorumpit, nihil aut minimum protrudente natura. Neque per morbos, in quibus vitiosa est humorum constitutio, natura potest sic opus moderari, vt aperta vena id solum quod vel redundat, vel vitio contaminatum est, effundat. in crisi (fatear) nonnunquam infestum humorem concoctione præparatum ab aliis segregat, ac tandem per vias idoneas excludit: at nihilominus, si tum venam incidere contingat, per eam minime possit tantulo tempore vitiatum humorem secernere atq; exigere: Itaq; quod Auicennas vetuit, ne secta vena æger, vel ad biliosorum efferuescentiam, vel ad pituitosorum cruditatem perducatur, si de permistis venarum humoribus id protulit, falsissimum est, atq; inconsiderantiæ plenissimum. Neq; enim serum prius quam bilis, neq; hæc prius quam pituita vel melancholia, neq; inutilis, aut deprauatus humor, anteaquam integer & familiaris elabitur, quemadmodum quotidiano euentu manifestum est. Hæc summatim dicuntur contra Auicennæ sententiam, de qua nunc agamus.

CAP. XIX.

Reprobatio opinionis huius, qua ostenditur biliosos humores ex venæ sectione intempestiua efferuescere.

CÆTERVM non debebant contra Auicennæ sententiam disputare, & in dubium reuocare illius mentem: quandoquidem apertissima quidē illa est, nullaq́;

nullaq; difficultate prædita, quam rem nunc breuiter demonstrabo. Auicenna igitur venæ sectionem recte administratam nunquam dixit flauam bilem agitare, mouere, ac veluti furentem efficere: at eam duntaxat id præstare contendit, quæ non recte fit: Quando scilicet adhibetur remedium, quod nulla ratione debebat adhiberi. Eius dictionem afferre placet in medium, quæ hoc modo habet: Et ad summum melius est, vt phlebotomiæ vices sint multæ, quam vt ipsius quantitas sit multa. Et phlebotomia quidem cum non est necessaria, choleram rubeam ebullire facit, & postea aduenit linguæ siccitas, & quæ ibi similia sunt.] Hæc ille. Quæ cum ita habeant, debebat Fernelius animaduertere, qualis esset horum verborum sensus, atq; nihil certe offendisset (nisi tamen meum me fallit iudicium) nota dignum. sic certe (vt sæpe diximus) amice sunt interpretandæ veterum sententiæ, eorum præsertim, qui nihil sine magno iudicio scripserunt, in quorum numero vnū esse Auicennam reponendum, semper sum arbitratus. Accedamus ad explanationem huius sententiæ. Verissimum est, id non protulisse Auicennam de humoribus permistis cum sanguine: quia flaua bilis sanguini mixta in venis relicta, si antea non feruebat sanguine misso, amplius efferuescere non potest, eadem omnino proportione in venis ipsis permanente. Nam (vt exemplo rem doceamus) si sanguinis libræ quatuor in ipsis insint venis, & bilis libræ duæ, vacuata horū portione per venæ sectionem, eadem prorsus remanebit proportio, vt sanguinis libra vna, & bilis libra semis, si ita contingat: quomodo igitur quispiam potest imaginari bilem efferuescere. Absurdum itaq; fuit arbitrari, magnum Medicum peruersam hanc opinionem concepisse. Quid igitur sibi voluit? Verendum esse, ne humores biliosi in primis venis contenti sanguine intempestiue misso attrahantur in venis, ac in illis efferuescentes maiorem phlegosin faciant. Hæc ea est efferuescentia, quam veretur. An fortassis eam vereri non debemus? An erit impossibile attrahi illos suapte natura, maxime mobiles tenuissimosq;? Cur turgente ventriculo, mesenterio, iecinore ob flauæ bilis, aut vitellinæ, aut æruginosæ, aut alterius conditionis copiam accedemus ad phlebotomiam? atq; si temerarie id fiet, non mouebitur illa ratione vacui attracta ad venas? non inflammabit vniuersum sanguinem? Vidi non semel sanguinis missionem in exquisitis tertianis factam ardentissimam concitasse febrem, à qua nullo postea artis beneficio potuit ægrotus recreari. Non est, quod dicant, humores hosce trahi non posse in venis: primum, quia experientia id non semel testatissimum fecit. deinde, quia natura venulæ arefactæ attrahunt ad sese biliosas humiditates, æstiuo præsertim tempore: at multo magis fiet eorundem attractio, si in calido siccoq; cœli statu contigerit magnam acris huius perniciosique humoris, & aliquando etiam venenata qualitate præditi copiam in primis venis contineri: at quid contingere quæso arbitrabimur, si cum eiuscemodi circumstantiis quispiam venam incidere temere ausus fuerit? Postremum, quia humores crudi viscidique, quales pituitosi sunt, in eisdem sedibus reconditi venæ sectione adhibita, in venas attrahi possunt, ne vero id contingat Galenus, non esse incidendam venam præcipit: quod si verum est, quam ob causam non poterunt tenuissimi, calidissimi, acerrimiq; humores in vasis attrahi? atq; si, vt necessarium est, attrahentur, cur non erunt inde magna extimescenda pericula? Quę hic de crudis hisce humoribus diximus, ea confirmare volo in obstinatorum Medicorum gratiam, Galeni verbis. Nam in lib. 5. de sanitate tuenda hæc habet: Quibus bonus sanguis exiguus est, crudi autem humores plurimi, his sanguis mittendus non est; nam incisa vena bonum sanguinem emittit (is nempe facile fluit) malum, qui in primis maxime venis iecur colligitur, in totum attrahitur corpus.] Hæc ille. Ex qua verborum serie id manifestum est, humores per missionem sanguinis agitati atq; moueri, & potissimum illos, qui in ventriculo, vel in mesenterio, vel circa iecur consistunt: quod si de crude crudis humoribus, qui vt plurimum viscidi sunt & tenaces, ac sua natura ad motum inepti, hoc Galenus contendit, quid putemus tandem sentire, vbi biliosi humores in primis venis recondantur? His hoc modo con-

ftituris doceamus, quomodo Galenus vereatur in mittendo sanguine bilis flauæ efferuescentiam. Is enim docens scopos sanguinis mittendi, & eos, qui prorsus dehortantur missionem sanguinis, habet hæc verba in lib. 5. Methodi medendi: Veluti autem in his, qui ad naturalem euacuationem, quæ sensu vsurpetur, non leuiter attentum esse oportet, ita alibi vel ad naturam ipsam, vel ætatem, vel cœli statum; sunt enim nonnulli ad exhalandos digerendosq; corporis succos natura propensi, pueri certe propter ætatem perpetuo cœli vero status, vbi calidus nimium est, & siccus: voco cœli statum ipsam ambientis aeris temperiem, sub qua & anni tempus & regio comprehenditur: quando horum quoque vtrunq; ex ambientis indicatione mutatur: propensi autem ad digerendos corporis succos sunt, quicunq; natura sunt humidi, magisq; si accedat caliditas, præterea qui raro sunt corporis textu, ad hæc, quibus os ventris aut amara bile abundat, aut imbecillum est, aut supra modum sensibile. Atq; hæ quidem indicationes sunt, quæ sanguinem detrahendum dehortantur.] Hæc Galenus, quæ si diligenter expendas, inuenies illum vereri in missione sanguinis, ne bilis excandescat. Nam hæc agitatur moueturq;, quamobrem timendum, ne ventriculi dolores atq; syncopen conciter. Præterea quo loco docet, rationem curandi lassitudinem iubet intensiua, atq; etiam in phlegmonosa mittendum sanguinem, atq; eum copiose extrahendum: in ea vero, quæ vlceris sensum facit (hanc flauæ bilis in vniuersum corpus affluxus excitat) prorsus abstinendum à missione sanguinis, sed tunc vtendum esse medicamento purgante. Sed cur abstinet à sectione venæ? certe non ob aliud, quam quod secta vena vereatur bilis efferuescentiam, vt optime ait Auicennas: Amplius in erysipelate & in herpete; qui affectus fiunt à flaua bile, vt ait libro ad Glauconem, idem author prohibet missionem sanguinis. Sed ob quam causam? aliam ego inuenire non possum, nisi quod attraheretur bilis in ipsis venis, & inflammationem faceret. Idem præterea patet ex ratione curandi cardialgiam, in qua nullus quidem meminit huiusce remedii, nisi tamen fieret ab inflammatione & phlegmone oris ventriculi: hæc quidem satis persuadent, quomodo veritatem habeat proposita Auicennæ sententia. Habet autem hoc loco dubitationem non contemnendam id suppositum, quod ex Galeno supra docuimus, nempe humores à primis venis ad maiores venas attrahi: quoniam idem author contrarium videtur sentire, libro quarto de sanitate tuenda, quo loco agit de lassitudine phlegmonosa; nam sanguinis missionem ab habitu corporis ad venas sanguinem trahere confitetur: porro contrarii sunt motus à primis venis, & à centro ad ipsam circumferentiam: & à circumferentia corporis ad centrum. Verba Galeni sic habent: Igitur quoniam in lassitudine phlegmonosa sanguinis multitudo collecta calidè per corporis molem est, venæ autem dissectio humores euacuat, quicunq; in venis sunt, satius fuerit post priorem euacuationem tantum interponere temporis spacium, quoad ex corporis mole in venas transferatur aliquid.] Hæc ille. Quid itaq; ad hanc contradictionem dicemus: Nempe vtrobiq; à Galeno rectissime dictum fuisse. Considerandum est igitur, ipsam sanguinis emissionem per se, ac primo humores à centro ad circumferentiam attrahere, quod sane accidit duplici ex causa: vna est propter vacuum, nam maiores venæ à minoribus, & hæc ab aliis, donec ad hepar & ventriculum fuerit peruentum, fit attractio: altera vero, quia naturalis est motus attrahendi venarum à primis venis, quotiescunq; illæ proprio alimento destituuntur. Verum secundario atq; ex accidenti ex corporis mole fieri potest eiusmodi attractio: cum scilicet copiosus sanguis supra molem effluxerit: indicium quidem, quod ex accidenti hoc fiat, ex Galeni verbis desumitur. Quia non statim atq; missus est sanguis à mole corporis, ad venas fit sanguinis attractio, sed aliqua mora interposita, statim tamẽ fit attractio à primis venis, vt demonstrauimus supra ex Galeno. Quid igitur impedimento esse potest, quin duo fiant contrarii motus, diuersa tamen ratione, alter quidem per se, alter vero ex accidenti? Hæc si vera sunt, nobis manifestum faciunt, verissimam esse Auicennæ sententiam. Rationes vero contrarium persuadentes,

quomo-

quomodo debeant dissolui, hic non scribimus, quia ex iis, quæ dicta sunt à nobis, solutionem omnibus arbitror esse manifestissimam.

CAP. XX.

Venæ sectionem aliquando excalefacere, & crudos humores gignere.

QVOMODO probabunt recentiores Medici, omnem phlebotomiam refrigerare, si veritatem habent, quæ dicimus? Herpes & erysipelas postulant refrigerantia remedia: at in his prohibetur sanguinis missio. Sed si refrigerat, propter quam causam non adhibetur? lassitudo vlcerosa, quæ fit à flauæ bilis affluxu, omnium humorum calidissima & siccissima exigit refrigerantia: Galenus tamen missionem sanguinis negat, maximeq; reformidat? Locus hic apertissime (nisi fallor) redarguere videtur mihi eorum opinionem, qui dixerunt, in simplici intemperie calida venę sectionem conuenire, vt refrigerans magnumque remedium. Nam si qui affectus maxime refrigerantia postulant remedia, certe erysipelas & herpes primum locum habent, aut certe inter primos numerandi sunt: in quibus tamen minime vtendum est phlebotomia. Calefacit igitur aliqua sanguinis detractio, quæ scilicet bilem flauam à centro ad venas trahit. At vero omnis venæ sectio recte adhibita refrigerat. Recte adhibitam venæ sectionē diximus, propter eos affectus, in quibus id genus auxilii non competit: in quibus bilis flaua misso sanguine maxime inflammatur. Sed hic animaduertito, quod quamuis refrigerat, hoc tamen ex accidenti contingit, non per se euacuatis, videlicet calidis humoribus, qua ratione similiter diceremus scammonium & reubarbarum refrigerare: quia biliosos humores educunt. Quamobrem nulla est necessaria consequentia, quod vbi sit refrigerandum, ibi sit necessaria venæ sectio: vt pueriliter arbitrantur quidam nostræ huius prouinciæ Medici: sed hæc in principio libri huius explanata sunt à nobis. Cæterum quod crudi humores augeantur ex intempestiue misso sanguine, nemo est, meo iudicio, qui ignoret: si quis autem ex omnibus est, qui nesciat, is Galeni nonum librum Methodi medendi diligenter legat, nihil amplius habiturus, quod aliquam facere dubitationem possit. Nam exoluta (inquit ille) ab id genus affectibus virtus, adhibita sanguinis missione, in extremum malum recidere solet, ne amplius restitui possit. Nam & totum corpus grauiter refrigeratur, & accidunt nonnulla, quæ ad vehementem refrigerationem sequuntur symptomata.] Et alibi ait: Quin etiam aliqui in morbos inciderunt longos, postquam immodica inanitione resoluta naturalis vis fuit. Aliis, cum immodicæ vacuationis noxam sentire non potuissent, in omne reliquum vitæ tempus totius corporis temperamentum redditum est frigidius. Ex qua refrigeratione facile, ex quauis occasione læsi, alii decolorati, & malo corporis habitu vixerunt: alii ex eo ipso in morbos inciderunt exitiales, aquam intercutem & orthopnœam, & iecinoris, ac ventriculi imbecillitatem, & apoplexias & deliria.] Atque, postquam docuimus, quid indicet venæ sectionem, omnibusque dubitationibus satisfactum est; hic quarti libri finis esto.

HORATII AVGENII A MONTE SANCTO, DE RATIONE CVRANDI PER MISSIONEM SANGVINIS;

LIBER QVINTVS.

Cap. I.

Summa explanantur capita ad quantitatem sanguinis mittendi pertinentia.

AGAMVS deinceps de quantitate. Nihil æque in agendo artem medicam coniecturalem efficit, vti cuiusque remedii quantitas; etenim cum frequenter compertum habeamus instare tempus exhibendi cibi aut potus, eiusq; aut calidi, aut frigidi, quantum tamen dandum sit, certo non nouimus. Idem vsu venit in purgantibus medicamentis. Nam quod laboranti præbendum sit medicamen aut bilem, tum flauam, tum atram, aut pituitam, aut serosum excrementum euacuans, facile nouimus: cæterum quantum præberi debeat, nescimus. Atqui talis exhibitio corrigi postea nequit. Nam quod semel in ventrem deuoratum est medicamentum, quo minus omne deuoratum sit, fieri non potest, neq; possibile est, vbi plusquam conueniat, iam purgetur homo, partem oblati auferre. At in sanguinis missione summum id bonum est, euacuationem, dum voles, posse sistere: ac rursus quo videatur tempore sinere fluere, quoad vsq; recte habere appareat. Verum, qui voluerit de hac re diligenter speculari, vnum sibi primumq; proponat, necessarium est, nempe quid ipsius vacuationis quantitatem indicet, primum quidem in genere; deinde autem sigillatim, quid indicet demonstretq; sanguinis vacuandi quantitatem, mox vero quid illud sit eiuscemodi quantitatem primo contraindicans, id est, aut prohibens, aut admittens. Sequitur præterea controuersa illa disputatio dilucidanda, an aliquando vsq; ad animi deliquium vacuare conueniat. Atq; si conuenit, qui affectus hanc vacuandi rationem exigant: deinde, quando repetitam facere sanguinis detractionem magis expediat, quam simultaneam: qui affectus iterationem postulent: quod interuallum inter vnam & aliam esse debeat: quæ ad summum regulæ pro iteratione perficienda sint obseruandæ. Rursus vero explanandum, quibus signis valeamus cognoscere, dum ipso in opere sumus, quantitatem sanguinis sufficientem vacuatam fuisse. Hæc, & alia generis huius docere, hoc quinto nostræ Methodi libro aggredimur, principio in hunc modum sumpto.

Cap. II.

Quidnam quantitatem vacuationis generatim indicandi potestatem habeat.

CVM igitur iam constiterit vacuandum esse, atq; inuenta fuerit species siue qualitas vacuationis exercendæ, protinus illius quantitatem recte dimetiri oportet, præfiniendumq; diligenter, quantum, & quamdiu vacuandum sit. Omnis humor noxius, vt qui sit præter naturam, protinus expurgandus est, siue quis profligare morbum, siue ab illo præcauere studeat. Si portio illius exigua remaneat in corpore, poterit illa quidem naturæ præpotentis beneficio, & optima ratione victus instituta euacuari, totaq; absumi: at vero si maior quantitas relinqua-

linquatur, res in tuto constituta non est. Nam quamuis à morbo ex vacuatione leuatus æger videatur, recidet tamen in motbum, aut citius, aut tatdius: aliàs leuius, aliàs grauius pro humoris modo & malignitare, atq; virium statu & conditione victus. Hoc pręcipiebat diuinus Hippocrates, quãdo in Aph. lib. 2. dicebat: quæ relinquuntur in morbis, post iudiciũ reciditiuam facere consueuerunt.] Quum enim derelicta humoris portio totius conditionem referat, quæ omnino erat prætet naturam, nunquam ipsa poterit in corpotis substantiam conuerti, sed tempore sinceros humotes, atq; etiam recens alimentum coinquinabit, ac recidiuos morbos excitabit. Hoc sane modo contingit, quod impura corpora, quanto magis nutriamus, tanto magis lædamus, vt idem docuit lib. 2. Aphotis. comment. 9. Itaq; hac de causa, quicquid noxii humoris continetut in corpore, id totum protinus vacuandum est. Sed num eiusmodi vacuatio fieri debeat vniuetsim, an per vices, hoc nondum constat, cuius tamen, quia explanatio est perquam necessaria nostro huic instituto, hic à nobis determinari debet. Dicimus, hanc vacuandi rationem à duobus potissimum indicari, nempe ab humorum copia, & a virium statu, atq; hæc profecto communis est indicatio in omni vacuatione obseruanda, siue sanguinem mittere, siue purgare constituamus. Sint igitur constantes vites, materia vero exigua, hanc semel ac vniuerso detrahere licebit, nulla adhibita cunctatione, si fuerit sanguis: si vero fuerit humor à sanguine distinctus, vbi cócoctus marutatusq; fuerit, aut saltem tenuis, ac viæ sint in aluum patentes. Sed si vires fuerint imbecillæ, exiguaque materia, hanc fortassis totam phlebotomia licebit, non autẽ phatmacia vacuare, quamuis tutius sit, in vtroq; genere auxilii partitam adhibere vacuationem. Non enim vel in leucophlegmatia, vel in cachexia humor quoquouersum effusus in omne corpus, potest vllius medicamenti vi ex distantissimis locis per cæcos occultosq; ductus vniuersus in aluum confluere. Atq; posito id valido aliquopiam medicamento præstari posse, necessarium tamen fuerit corpus grauiter concuti, humores varie permisceri, torsiones inferri molestas, spiritus ipsos dissipari, atque hinc tandem vires ipsas concidere, prosterni, & plerumq; exolui. Quæ res accidit in iis, qui prauo vtuntut cibo, & prauis humoribus abundantes, purgante exhausto medicamento, statim solent animo deficere: scatent enim vitiosis & corruptis humoribus; sanguis vero bonus paucus est, purgatio etsi vitiosos deducat humores, simul tamen detrahit spiritus, qui pauci existentes animi deliquium faciunt. Hæc admirabilis Hippocrates in secundo Aphorismõrum, comment. 36. significauit, dicens: Qui corpotum salubritate sunt præditi, ii purgante hausto medicamine, statim deficiunt, vt qui prauo alimento vtuntur.] Per salubritatem corporis intelligit tum veram salubritatem, tum etiam mendosam. Equidem in vtraq; constitutione corporis est admodum suspecta purgatio, in illa, quia purgans medicamentum, familiatem propriumq; humorem, exempli gratia, bilem altcrutram, aut pituitam, aut aqueam supe rfluitatem nitatur attrahere; sed vbi eiusmodi humores non adsunt, è corpore purgandi sanguinem liquat, & carnes, vt ex ipsis sibi quicquid proprium familiareq; est, attrahar. In hac vero salubritate mendosa putgatio suspecta est ob vitium imbecillitatem, cum spiritus, vt iam diximus, maxime dissoluantur, & de iis dicit Hippoctates, vt qui prauo vtuntur alimento.] Et Galenus In commentario, qui veto prauo (inquit) alimento sunt vsi propter vitiosotum humorum copiam facile soluuntut & fatiscunt, si quando purgationibus vtantur, siue autem intra corpus recipienda cibaria, siue in ipso iam contentum vitium dicat, vtraq; vera est oratio. Si quidem praua alimenta prauum gignunt sanguinem. Quamobrem vitiosa edulia dicentur ad sanguinem, qui inde gigni debet, respectu habito. Hinc repeto, quæ supetius dixi de cachexia & bydrope, quod in eiusmodi morbis non debemus validis vti medicamentis expurgantibus cacochymiam, vt quidam ex nostratibus Medicis facere consueuerunt, sed victu accommodato, & cæteris attenuantibus paulatim demoliri oportet hunc motbum, neq; nisi post coctionem & per magna interualla purgationes exhibendæ

ſunt. An fortaſſis dices, id non licere medicamentis validis facere, quibus Hippocrates, & omnes illius ſeculi Medici vtebantur, ſed conuenire mitioribus efficere in magna quantitate exhibitis, quæ medicamenta noſtris temporibus paſſim vſurpantur. Sed neque hoc conuenit: quandoquidem vacuationes omnes extremæ deuitandæ ſint, vt primo Aphoriſ. tertio, & ſecundo Aphoriſmorum, quinquageſimoprimo dicebat Hippocrates his verbis: Semel multum, & repente, vel vacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, vel alio quouis modo corpus mouere, periculoſum; omne ſiquidem nimium naturæ inimicum eſt, paulatim vero quod fit, tutum, cum alias tum maxime vbi ab vno ad aliud facienda eſt mutatio] hæc ſanis intelligenda ſententia eſt, non de ſola vitium extrema debilitate morti proxima, ſed de peccantis humoris vacuatione extrema & affatim facta: de qua in alio etiam Aphoriſmo locutus eſt libro ſexto, commentario vigeſimoſeptimo, cum ait: Empii ait hydropici cum vruntur, aut ſecantur, ſi pus, aut aqua repente & vniuerſum effluxerint, omnino commoriuntur.] Hac ratione ſtatuendum eſt, vbi imbecillæ ſunt vires, atque multa adſit materia vacuanda. Sed quid agendum ſi materia ſit multa, & vires validæ? copioſa decernenda eſt vacuatio, extrema minime; Sed quæ aliquando vſque ad animi deliquium perducat, ſi morbus poſtulauerit. at in cacochymiæ multitudine non ita quidem fortaſſe ſtatuendum eſt, ſemper longe tutius fuerit vacuationem partiri, quam conferrim, atque ſemel purgare. Cum vero admonet Hippocrates, quod quæ vacuantur multitudine metienda non ſunt, ſed ſi quæ oporter vacuentur, & facile ferant; atque vbi ad animi deliquium educere conuenit, faciendum, ſi ægrotus par eſſe poſſit] non admittit euacuationes, & purgationes extremas, vt pote quas reptobauit in tertio Aphoriſ. cum dicit; neque compreſſiones ad extremum ducendæ ſunt, periculoſum enim.] Sed de magnis loquitur vacuationibus, morbo, viribusq́; proportionatis. Cæterum in purgationibus quatuor fere de cauſis contingere poteſt lipothymia: vna eſt acrimonia humorum, inteſtinorumque torſio, cum ſcilicet agitati humores, aut dolores inteſtinorum, aut oris ventriculi morſum concitant. Secunda eſt vapor quidam malignus, & acer cordi moleſtiam inferens, aut cerebro. Tertia eſt pharmaci perniciofa, & venenata qualitas: Poſtrema, deiectio non ſeruans modum. Leuiſſima eſt prior, minus leuis ſecunda, omnium grauiſſima quarta eſt, ad quam nunquam ducere conuenit ægrotos, quod ſi id forte contingat, magna ſemper mala conſequuntur. Semper enim horrendum eſt exanimato iam ægro mortis imaginem obtrudere. Vt igitur vacuationis terminum conſequi valeamus, cognoſcendus eſt tenor ipſius virtutis, num ſcilicet illa valida ſit an imbecilla, de qua ratione cognoſcendi ſupra differuimus, quia vitium obſeruatio ad omnes vacuationes neceſſaria eſt. Sed in hoc differt venæ ſectio à purgatione, quod vires illius reſpectu ſolum vacuationis modum denotant; verum huius collatione non modo indicatur modus, ſed etiam medicamenti genus præſcribitur, & quam validum ſit exhibendum tuto decernitur. Tametſi enim morbi ſpecies, humorisq́; vacuandi ſedes validum medicamenti genus poſtulent, aliquod tamen ex mitiorum ordine exhibendum ſuadet virium imbecillitas. Hæc, quæ hactenus dicta ſunt à nobis, multo antea ſcripta fuerunt ab Auicenna in quarta ſectione primi libri, capitulo tertio, dum ait: Quinto vero ſpectanda eſt quantitas eius, quod euacuatur, quæ quidem conijcitur ex modo & menſura materiæ vexantis copiæ, virtutisque, & ſymptomatum, quæ poſt euacuationem relinquuntur: Si enim ſymptoma aliquod euacuationem ſequitur, minus certe, quam propoſuimus euacuabimus ratione habita illius, quod pro ſymptomate, euacuatione ſubſequente relinquendum eſt, vt in conuulſione ex repletione fieri ſolet.] Galenus vero de ſymptomatis ſuperuenientibus ſic locutus eſt primo ad Glauconem, capite decimoquarto. Neque vero ſi quis conuulſus ſit, ſimulque ſanguinis miſſione egeat, huic ſemel omnino tantum detrahes, quantum affectus exigit, ſed & aliquid ſymptomati eſt relinquendum.] Auicenna parum infra eodem capite: Omnis vero (inquit) euacuatio

cuatio

cuatio immoderata solet (vt plurimum) febres inducere. Ideoq; minus detrimentum sequitur, aliquid superflui relinquere, quod euacuatione indigeat, quam exquisite vacuare, ægrumq; eo perducere, vt vires exoluantur, natura enim illud residuum sæpissime resoluit, si tamen humor eius generis fuerit, cuius esse debeat, ægrotusque bene ferat, ne timeas largam vacuationem; Aliquando etiam contingit, vt sis coactus vacuare vsque ad animi deliquium: etenim vbi vires validæ fuerint, & materia vitiosa nimiũ exuperauerit, copiose educi potest, sicuti contra, viribus imbecillibus, paulatim etiam si mali humores redundauerint, euacuare oportet.] De quantitate vacuationis in vniuersali hęc dicta sint, nam in particulari loquemur postea loco suo diligentius.

CAP. III.

Quid indicet quantitatem sanguinis vacuandi ex Galeno & quæ circa illius opinionem dubitationes adsint.

POSTQVAM explanauimus quid in vniuersum indicet vacuationis quantitatem, nunc docendum est quid indicet eandem in specie, quantitatem scilicet sanguinis vacuandi. De qua Galenus hoc modo loquutus est. Indicant autem hæc detractionis quantitatem, non ipsam sanguinis detractionem, itaque ex morbo, ætate, & viribus eminuendus esse sanguis cognoscitur. At vacuationis quantitas non ex istis modo, sed ex aliis deprehenditur. Ea sunt plethorica vocata syndrome: aeris nos ambientis temperies, in tempus, & locum diuisa: eaque quæ in anteacta inciderunt vita circa comestorum tum quantitatem, tum qualitatem: excretionesque, ac motiones, aut factas, aut non factas: sed quænam sit in his diuersitas paulo post viderimus] & parum postea sic scriptum reliquit: Primum autem omniũ scire conuenit dum propositi scopi huius auxilii augentur, maiorem indicari vacuationem; dum vero exoluentur tantum detrahendum esse de sanguinis missione, quantum illi minores euaserint.] Hæc ille. Quæ fortassis non mediocriter controuersa videbuntur, præsertim iis, qui amice antiquorum sententias interpretari minime consueuerunt. Nam primum illud habere videtur difficultatem ingentem, qua ratione venæ sectio indicari possit à tribus illis diuulgatis scopis, nempe magnitudine morbi, virium robore, & consistenti ætate; ac etiam simul iidem scopi indicare valeant quantitatem: quandoquidem, duo diuersi generis indicari ab vna eademque natura non posse, rationi consonum esse superioribus libris patefecerimus. Iam constat illa indicare genus remedii, vt vacuationem factam venæ sectione, quomodo igitur indicabunt eædem eiusdem remedii quantitatem? Sic subuerti videtur illud principium, quo tanquam axiomate Galenus passim vtitur, ab vno scilicet vnum perpetuo indicari, & non plura, ceu quæ vnam habeant naturam; quo etiam nos principio supra vsi fuimus, dum recentiorum opinionem redarguebamus contendentem à tribus illis peruulgatis scopis de sanguine mittendo indicationem sumi. Vrgetque multo magis difficultas; quia vt vnum indicare suapte natura non potest nisi vnum, vt prædiximus, quomodo quæso plura diuersorum generum quantitatem indicare poterunt? qua ratione morbi magnitudo, cum ætate, & cum virium robore conueniet in vnum, vt quantitatem vacuandi sanguinem indicet? Quid pręterea conferre poterit plethorica ipsa syndrome ab Empiricis proposita? aut aeris ambientis anniq; temporis conditio? Quid vita anteacta? quid vacuationes suppressæ? & alia à Galeno proposita? Vnam igitur quantitatem remedii cum vnum esse debeat proprie indicans, hæc vero multa sunt, & admodum ambigua, qua ratione illam indicare possint, difficile admodum est perspicere. Dubitationes contra Galeni sententiam in hunc modum habent, quarum explicatio afferenda est in medium atque diligenter, quo ad eius tamen fieri poterit, declarandum, vnum esse, quod proprie & per se quantitatem indicet, aut contraindicet, plura vero quę tum secundo loco indicandi tum etiam contraindicandi potestatẽ habeant.

Cap. IIII.

Quantitatem ſanguinis mittendi primo indicari ab incremento ſcopi vere indicantis ſanguinis vacuationem.

Rem aperire, atque apertiſſime dilucidare conabor ex Galeni verbis, in eorum præſertim gratiam, qui paſſim ſibiipſi minime conſentientia ſcripſiſſe commemorant, ab vniuerſali, & communi principio, in quo etiam illum arguunt, exorſus. Eſt autem id principium, ab vno vnum perpetuo indicari, & non plura. Quodnam igitur vnum hoc erit, dicet fortaſſe quiſpiam, à quo eiuſcemodi indicationem exhaurire poſſit? id ego breuiter explanans inquam incrementum eſſe ſcopi illius, à quo indicatur ſanguinis miſſio: aut, ſi vniuerſalius me loqui velis, dicam, quantitatem ſcopi huius indicare quantitatem huius remedii: quæ res quomodo habeat, diligẽter venit explananda. In ſanis corporibus magna plenitudo, quæ ſcilicet remediis imbecillioribus ſanari non poterat, vacuationem indicabat ſecta vena: latitudo magnæ huius plenitudinis, & quantitas indicationem promit de quantitate maiori, aut minori huius remedii. Diximus autem in ſuperioribus libris, magnam exiſtere in eo quod magis, & minus, differentiam latitudinis. Huius, quam tamẽ dilucidioris doctrinæ gratia in partes tres diſtribuebamus. Etenim aut erat magna ſimpliciter, aut maior, aut maxima. Iam quidem maxima plenitudo (vt ab hac poſtrema exordiar) maximam poſtulabat vacuationem, quia extremis morbis extrema remedia optima ſunt (dicebat Hippocrates in primo libro Aphoriſmorum) vbi vero plenitudo ſit minor maxima, minorem vacuationem adhibere oportebit; atq; tantum à maxima vacuatione declinare debemus, quantum plenitudo à maxima deflectebat: eadem ratio eſt de magna plenitudine abſoluto ſermone dicta. Cæterum ſi ægrota corpora conſideremus, in illis morbi magnitudo pro ſcopo proponitur, qui tamen ſupponit materiam vacuationi huic accommodatam, nempe ſanguinis multitudinem, aut motum. Eadem eſt hic obſeruanda latitudo, vt tertio libro dicebamus: quoniam quidam eſt maximus morbus, quidam maximo aliqua ex parte minor, quidam vero magnus duntaxat abſoluto ſermone nuncupabitur: in hunc modum fluxionem etiam diſtinguimus in gradus tres, nempe in magnam, maiorem, & maximam: idcirco pro reuulſione maxima exiſtente fluxione conuenit venæ ſectio, quæ plurimum reuellat: in aliis quæ parum minus pro modo determinato fluxioni. Eadem ratio eſt, ſi propoſita fuerit vacuatio per venæ ſectionem. Ex hoc diſcurſu iam patere vnicuique arbitror, vnum eſſe indicans quantitatem ſanguinis detrahendi, quod ſcilicet per ſe hanc vim habeat, non autem plura, idemque fiet manifeſtum in alio ſcopo contraindicante, nempe in ipſis viribus: quod quomodo ſeſe habeat, ſequenti capite docebimus.

Cap. V.

Quantitatem vacuandi ſanguinem contraindicari primum, & per ſe à quantitate, ſiue à latitudine robuſtarum virium.

Si vires dicuntur contraindicare, tum ea ratione, qua idem remedium admittunt, quod ab ipſo indicante ſuggerebatur, ratione tamen contraria, tum etiam quatenus non prohibet remedium. Conſtat eas ipſas in latitudine conſideratas contraindicare quantitatem ſanguinis detrahendi. Qualis vero ſit virium robuſtarum latitudo, libro tertio planum feciſſe arbitror, præſertim quando demonſtratum à nobis fuit, vires dici validas abſoluto ſermone, & dici validas ſecundum quid, & in reſpectu. Ferunt vires validæ vtroque modo ſanguinis miſſionem, ſed quæ fuerint abſolute validæ multo maiorem, quam validæ in comparatione. idcirco dilucidioris doctrinæ gratia idem ſtatuamus de latitudine validarum virium, quod ſupra ſtatuimus de latitudine plenitudinis, & magnitudinis morbi. Quod autem dicere volo, tale eſt. Virium robuſtarum ordines exiſtunt tres: primus cõplectatur vires validiſſimas: alter vires validas magis,

gis, quam sint in comparatione validæ & minus quam validissimæ; tertius ordo sit virium validarum secundum quid. Primi ordinis vires sunt quando temperamentum, & quantitas spirituum tum influentium, tum insitorum, carnosæ substantiæ, atque partium quæ vere solidæ sunt, qualesà semine generati documus, optime adeo habent, vt omnino nihil in illis possit secundum naturæ statum desiderati: secundi ordinis, quando vna quæpiam ex illis tribus substantiis male habuerit, aut in temperie, aut in quantitate, duæ autem naturæ conditionem seruauerint: tertii vero ordinis validas nuncupabimus, quando vna ex virium substantia tum qualitate, tum mole quantitatéve fuerit male affecta: duæ vero aut bene habuerint protsus: aut leue aliquod damnum passæ fuerint, vt contigisse Galenus commemorauit in libro sexto Epidemiorum, quando mulieri extenuatissimæ sanguinem misit, in qua certe carnosum genus tum in ipsa intemperie, tum in quantitate imbecillum statuebatur: quod si ad tantam gracilitatem nō perueniat corporis habitus, sed fuerit modice gracilis, imbecillitatem adesse in carnosa substantia multo minorem statuemus. Quod hic de viribus validis diximus, idem est audiendum de viribus imbecillis, cum earum eadem sit in eo, quod magis, atque minus latitudo: verum harum consideratio nullum omnino locum habet in hac tractatione de quantitate sanguinis vacuandi. Quamobrem vires validissimæ admittent vacuationem magnam, imo etiam, si ita feret morbi conditio, maximam: non ita magnam vires validæ secundi ordinis, atque adhuc minorem, quæ tertio ordine validæ statuuntur. Hoc igitur illud erat, quod à Galeno dictum fuit de hac materia pertractante hisce verbis: Primum autem omnium scire conuenit, dum propositi scopi huius auxilii augentur, maiorem indicari vacuationem: dum vero exoluentur, tantum detrahendum esse de sanguinis missione, quantum illi minores euaserint.] Hæc ille. Ex quibus fit manifestissimum, semper hunc Auctorem, quem ego merito admirabilem soleo nuncupare, suis principiis consona scripsisse: Quid enim hic habebunt illius calumniatores, quod illi possint vitio vertere? iam vnum explanauit scopum indicantem ipsam quantitatem: est autem scopus, quem in præsentiarum inquirimus, incrementum, aut latitudo (parum referat quomodo quispiam voluerit nuncupare) scoporum præcipue indicantium, aut contraindicantium venæ sectionem.

Cap. VI.

De dictorum scoporum comparatione inter se de scopis secundo loco indicantibus, aut contraindicantibus quantitatem; & de Galeni sententiarum explanatione.

NVNC vero conferamus hosce scopos inter se, vt cognito illorum consensu rectam de quantitate huius remedii habere valeamus notitiam. Maximus itaque morbus, summaque plenitudo, vires robustissimæ ferunt vacuationem maximam: nulla vero inueniri potest maior ea, quæ fit vsque ad animi deliquium. Morbus maior vires robustiores maiorem indicant quantitatem sanguinis vacuandi, quam magnus morbus simpliciter, atque vires validæ secundum quid. Sic in vnum consentientibus indicationibus vacuatio semper fiet tanta, quantum postulauerit morbus, dissentientibus vero inter se non item. Pone, maximum existere morbum, at vires imbecilliores, minus certe vacuandum est, quam ferat morbi conditio: sane aliquid sanguinis reponendum erat ad totius curationis spatium, ne postea aliquampiam necessitate aduenientem intempestiue cogaris nutrire. Atq; hic necessaria iteratio est, quo ex ambob. aut tribus, aliisve, si oportuerit, vacuationibus, id præstari possit, quod vnica vice reluctantibus viribus facere non licuit. Quid si morbus fuerit magnus, viresque validissimæ? ad tantam peruenire vacuando quantitatem debemus, quantam iure suo postulauerint affectus. At non est eadem ratio, vbi maior fuerit morbus & vires validæ secundum quid: quandoquidem tunc facere iterationem oportebit, tantumq; à priori vacuatione hæc distare debebit, quantum distat maior

à maximo affectu, & vires validæ secundum quid à validissimis. Quamobrem, si quis hæc diligenter inspiciat, perpetuoq; animum adhibeat, is quidem nunquam in sanguinis vacuandi mensura aberrabit. Quo vero id facere possit commodius, & certius perpendere debebit, quæ secundo loco indicandi contraindicandiq; habent potestatem, cuiusmodi sunt, quæ multitudinis quantitatem, incrementumve denunciant, & virium robur. Maxima venarum omnium tensio, maximus tumor, summa rubedo, plenitudinem ad vasa ad summum vigorem peruenisse testantur, proptereaq; maximam, & statim adhibendam vacuationem significant, ne interim præ copia aut rumpantur vasa, aut calor naturalis suffocetur. Euacuationes sanguinis diu suppressæ ex vtero, ex mariscis, ex naribus, maiorem sanguinis in corpore aggregari quantitatem indicabunt, quam sano corpori conueniat. Idem contingit, si quis in otio vitam transigens optimis alimentis, succumque probum gignentibus, nulloq; adhibito ordine perpetuo vtatur. Anni tempora partim ad vires, partim ad plenitudinem referri possunt. Calidus & siccus cœli status ex regionis natura, ex anni tempore, particulari constitutione constans, & anni tempore æstiuo, vires imbecillas ostendit, validas qui temperatis fuerit affectus qualitatibus. Ver quidem est morbis à plenitudine genitis obnoxium. Qui contra vitam exercent in perpetuis laboribus, quive suum viuendi institutum circa balnea eligunt, ac fornaces, vt vitreis vasculis conficiendis incumbunt, non adaugere copiosa excrementa, imo illis carere, quotidiana demonstrat experientia: ideoque aut non indigere vacuationibus, aut exiguas fieri debere præmonstrant. Hæc & alia huius generis, de quibus libro tertio disseruimus, diligenter præcognita certiorem præbebunt de quantitate huius vacuationis notitiam. Præstat modo, ne quid tractationi desit, breuiter Galenum interpretantes docere, quomodo dubitationibus propositis satisfacere debeamus. Primum vero tres illi scopi, tum sanguinis detractionem, tum etiam illius quantitatem indicare possunt, vario tamen respectu: si absolute considerentur, indicant vacuationem: si vero, qua ratione latitudinem habent, ea quidem quantitatem insinuare possunt. Sic indicatur ab eisdem scopis genus remedii, & quantitas. Neque propterea subuertitur commune illud axioma, quo nos in superioribus frequentissime Galeni imitatione vsi sumus, quia ab vno, vt vnum est, vnum duntaxat indicabitur semper, non plura; at si illud vnum naturam habeat multiplicem, variamque, indicatio ex illius multiplicate sumpta amplius vna absolute dici non potest. Plures indicationes proficiscuntur à morbo magno: vna, considerando ipsum, vt magnus est, alia, vt in latitudine maximus, vel mediocris existit. Plethorica illa syndrome, quæ indicium est solius plenitudinis, vacuationis solius indicatrix esse dicetur; verum si eam postea fuerimus contemplati ratione quantitatis, vt exempli gratia, maxima omnium vasorum tensio, maximus tumor, maxima rubedo, ac sic de reliquis signis plethoricis, quis dubitabit, hanc quantitatem haud amplius solam vacuationem indicare, sed illius etiam quantitatem præfinire? quemadmodum omnia iis contraria dehortabuntur vacuationem. Iam vero cœli status, vitæ præcedentis institutio, euacuationes naturales suppressæ, ac alia id genus multa, quorum libro tertio meminimus, neque primo indicant, neque contraindicant generosum hoc remedium, sed secundo quodam loco, qua scilicet ratione, aut summum plenitudinis incrementum, aut summum ipsarum virium robur indicant. Videtur mihi satis accommodate satisfactum omnibus difficultatibus, quæ contra Galenum negotium facere videbantur, ita vt amplius locum non habeant aliquem Galeni reprehensores, in quo illius admirabilem refellere possint doctrinam. Nunc ad reliqua nostra transeat oratio.

Quan-

CAP. VII.

Quantum sanguinis vacuari debeat, exquisite neq; dici, neq; scribi posse.

SVMMAS indicationes ad quantitatem recte præfiniendam, hactenus si non exactissime, saltem quoad eius fieri potuit, diligenter videor prosequutus. Nunc vero antea, quam ad aliorum explanationem nostra conuertatur oratio, docere volo discipulos meos, quantum sanguinis vacuari debeat, exquisite neque dici, neque scribi posse. Quam rem docco libentissime: primum, quia fuerunt quidam (quibus cum sum aliquando locutus) affirmantes ex nostrorum patrum obseruatione determinatam quantitatem sciri posse: deinde, quia in hac materia Galenum maximum huius artis nostræ instauratorem, & certe (vt sæpe dicere soleo) virum admirabilem arguere ausi sunt, quod vel non fuerit distincte loquutus, vel suis principiis contraria scripserit, vel etiam oculis conniuentibus multa prætermiserit. Sum ego hic ostensurus, vt in superioribus libris feci, nihil in hoc argumento ab eo scriptum, quod veritati consonum non sit. Vtinam in reliquis omnibus id facere possim, vt maxime opto, ac me facturum polliceor, si mihi vitam concedet ille, qui longitudine dierum suos replere promittit. Ad rem aggredior ipsam. Scribunt nonnulli, in sanguinis detractione dari quandam mensuram in eo, quod magis aç minus præterire nunquam liceat: minorem existere vnciarũ sex: maiorem vero librarum sex: mediocrem, quæ medio quodam posita est loco: sic illi sentiunt; quia tum Auicennam, tum Galenum putant sic dixisse, quibus etiam aliorum Græcorum recentiorum testimonium addunt. Auicenna quidem libri prioris suæ medicinæ, fect. 4. cap. 20. de quantitate sermonem habens, inquit: Amplius scire debes, quod sanguinis retentio, & percussionis ligatio terminatam habet horam, licet sit diuersa: nam quidam sunt, qui tolerare possunt, etiam si febricitantes essent, vt quinque aut sex sanguinis libræ auferantur. Sunt & alii, qui non possunt tolerare, ipsis etiam sanis, vt vna sanguinis libra auferatur.] Quibus verbis maiorem quantitatem videtur præfinire vsq; ad libras quinq; aut sex: minorem vero vsq; ad libram semis. Hoc etiam confirmant ex Ioanne Alexandrino, Græco authore, qui librum Galeni de sectis interpretatus est: hic enim de minori quantitate huius vacuationis agens, eam ad libram vnam aut semis extendit. Galenus autem libro de ratione curandi per venæ sectionem de hac materia pertractans, sic inquit: Memini enim, quibusdam ad sex libras sanguinem detractum fuisse, ita vt febris protinus extingueretur, nec vlla sequeretur virium afflictio: quibusdam vero sesquilibram haud citra leue saltem virium detrimentum, quibus si quis duas vacuasset, extreme læsisset. Quapropter, vtiliter quibusdam vnam quoq; detraxi aliquando, imo vero hac quoq; minus nonnunquam, idq; ex vena, aut cubiti, aut poplitis, aut tali. Ex his arbitrantur, maiorem quantitatem sex libras non excedere, minorem vero esse vnciarum sex parum plus aut minus. Sunt vero etiam (quemadmodum audio) quidam recentiores in hoc auxilio exercendo nimis quidem audaces, qui maiorem quantitatem ad libras nouem extendunt: minorem vero ad libram vnam cum dimidia, aut etiam duas: ita quidem videntur sanguinis exhauriendi maxime cupidi, sic humano generi putantes sese opitulari. Ego vero contra horum hominum opinionem disputare decreui, non studio contentionis, quale nunquam in me fuit, sed vt veritatem doceam incautam iuuentutem, quando huic muneri præfectus in augustissimo Taurinensi Gymnasio, si in hac re, quæ hominis vitam respicit, libere meam opinionem non proferrem, tum illis, quos instituere debeo, tum meo officio plurimum defuisse merito viderer. Illud itaq; primum facit negotiũ, quod sciri nulla ratione potest, quantum sanguinis homo secundũ naturam habens, contineat, & quantũ illius factum sit incrementum in singulis hominibus plethorica dispositione laborantibus; neq; enim idipsum diuinari potest. Quamobrem quis diuinabit, quantum sanguinis vacuandum sit? debemus equidem

tantum vacuare ſanguinis, quantum fuerit illius incrementum ſupra veterem proportionem: hoc ignorato incremento, particularis etiam quantitas illius vacuationis omnino ignorabitur. Deinde pone, ſciuiſſe aliquem naturalem quantitatem in aliquo corpore, non poterit certe in omnibus indiuiduis eandem cognoſcere: quoniam illorum particulares naturæ exacte cognoſci non poſſunt: neq; etiam dabitur aditus cognoſcendi indiuiduale incrementum: quoniam, quorum circumſtantiæ infinitæ ſunt, ea quidem aliqua comprehenſione intelligi non poſſe, certiſſimum eſt. Quamobrem ſtatuamus relatione ſanguinis adaucti impoſſibilem eſſe exactam notitiam ſanguinis detrahendi. Eſt etiam impoſſibilis ex alia cauſa, quæ vires ipſas reſpicit; quia non ſolum tantum ſanguinis exhaurire debemus, quantum fuerit adaucta ſupra ſtatum naturalem illius copia, ſed etiam quantum vires ipſæ ferre poſſunt: quia non infrequenter contingit, morbi naturam poſtulare inſignem vacuationem, vires autem non admittere. At vero quis aliquando fuit ex omnibus Medicis, qui ipſarum virium certiſſimam haberet notitiam? Si propria hominum natura cognoſci non poteſt, vt Galenus non ſemel dicere conſueuit, quis tanta erit præditus temeritate, qui audeat affirmare indiuidualem virium ſtatum exactiſſima ſcientia cognoſcere? Cum igitur quantitas vacuationis à duobus pendeat, vt prædiximus, tum à quantitate lapſus, tum à quantitate virium; aſſequi autem neutrum certo poſſit: hinc fit, neminem certam exactamq; ſcientiam de vacuationis quantitate habere poſſe: ſed hanc ipſam, vt in principio libri huius dicebamus, exiſtere omnino coniecturalem: proptereaq; certo ſcire non poſſe, an libræ ſanguinis ſex, an quinq;, an vna, an dimidia vacuari debeat. Hac de cauſa, cum Galenus de hac materia edifferit, dicere conſueuit, duo potiſſimum eſſe, ob quæ maxime coniecturalis efficitur euacuationis in hoc auxilio quantitas, laborantis natura qualis ſit, quam vtique ad amuſſim nouiſſe non liceat, & ambientis temperies, qualis ſit à miſſo ſanguine futura. Nam cum febrilis calor multum ſanguinis digerit, atq; abſtinenter laborans victitat, neceſſario breui illum nutrimentum ex ſanguine deſtituit, interimq; virtus exoluitur. Quapropter vnum definire vacuationis modum in omnibus non licet: idcirco ſunt, meo iudicio, nomine temeritatis arguendi, qui in omnibus, nulla adhibita diſtinctione, continuo magnam ſanguinis quantitatem eſſe perfundendam, ſignificarunt. In quibuſdam fatebor id conuenire, quando vires fuerint validiſſimæ, morbusq; à plenitudine maximus, in aliis vero abſtinendum, quia illi ferre poſſunt magnam vacuationem, & fortaſſis vſq; ad animi deliquium; in qua tamen re aberrare poſſet Medicus ex ignorantia propriæ naturæ, huicq; contingere, vt pro animi deliquio mortem inferat, vt Galenus contigiſſe commemorat, & nos etiam aliquando obſeruauimus. Quantitas librarum ſex maior eſt, quam Galenum vſurpaſſe arbitror, non tamen in omnibus eſt admittenda; nam alii fortaſſe animo linquent quatuor vacuatis libris, aut etiam tribus: alii vero, ne quidem ſi ſeptem fuerint exhauſtæ. Sic de Galeno dixi, quia quantum ex ipſius operum lectione obſeruari licuit, maioris quantitatis illum feciſſe mentionem non inueni. Vt igitur illa maior abſolute quantitas eſſe non debet, ſic profecto, neq; libra ſemis erit minor: quoniam expedit aliquando minorem vacuare quantitatem, idq; non infrequenter contingit, cum propoſita reuulſio eſt viribus exiſtentibus imbecillis. Cæterum, non poſſum non vehementer mirari, cur ab illis dictum fuerit, Galenum in hac materia non fuiſſe diſtincte locutum: nam ego nihil habeo, quod poſſim deſiderare: vellem locum indicare mihi, in quo appareat, illum aut ſua non ſeruaſſe principia, aut parum recte fuiſſe locutum. Concludo igitur, hanc de quantitate ſanguinis vacuandi notitiam exactam non eſſe, ſed vere coniecturalem, quemadmodum eſt omnis de quantitate aliorum remediorum pertractatio: propterea Medicos facile aberrare poſſe, quę res ne fiat in hac vacuatione, quæ fit venæ ſectione, multo magis expedit partire illam, vicesq; multiplicare, quam ſemel & confeſtim educere, vt infra diligentius docebimus, cum de iteratione ſermonem inſtituemus.

Qua

CAP. VIII.

Quæ sanguinis vacuatio sufficiens statuenda sit; atque vtrum virtus ita sit imbecilla, quæ nullam ferat sanguinis euacuationem.

EXiis, quæ proxime dixi, colligo, bonas atque sufficientes (quantitatis ratione) vacuationes dici, triplici habito respectu: vnus est ad humorem: alius ad virtutem, tertius ad vtrumque. In relatione ad humorem semper debet, quo ad eius fieri potest, obseruari regula. Nempe, vt non modo talem vacuemus humorem, qualis debet vacuari, sed etiam vt in tanta quantitate educamus, quantum naturæ limites excedere cognouerimus. Si enim libræ quatuor sanguinis excesserint mediocritatem, indicatio est, quam ob oculos habere debet artis peritus, vacuare pariter libras quatuor, neque plures, neque pauciores: & hæc sane vacuationum omnium perfectissima censebitur, si tamen aliquis est, qui hanc consequi valeat. Siquidem (vt ingenue fatear) id impossibile cum ducam, eum non hominem arbitrabor esse, sed diuina quadam natura præditum, ac omnino supra conditionem hominum, qui tum exacte læsum cognoscere: tum postea in artis operibus exequi valeat eiuscemodi indicationem. Quod vero pertinet ad ipsam virtutem, eam dixerim sufficientem, quam virtus ferre possit. Si enim quatuor sint sanguinis libræ vacuandæ, vires tamen videantur multo imbecilliores, quam postulet talis inanitio: si duas vacuabimus libras, siue subito, siue alternatim, iam videbimur satisfecisse nostro muneri: quod enim reliquum est, natura facta validior exonerata prementi sarcina, vel concoquet, vel expellet. Verum si vtriusque adfuerit consensus, nihil adesse potest, quod remoretur actionem, vt supra dicebamus. Validissimis enim existentibus viribus, morboq́; maximo quid poterit esse impedimento, quin id statim atque subito exequamur, quod indicatur à morbo, & à viribus admittitur? sunt hæc perpetuo memoria tenenda ei, qui voluerit non hoc modu generosum præsidium inculpate administrare, sed etiam in aliis exerceri, quæ fient multo apertiora in iis, quæ postea dicam. Hæc supponantur, tanquam fundamenta sequentium. Porro quæri solet, an vires ita possint imbecillæ inueniri, vt tantillam venæ sectionem non ferant. Plerumq; enim in magna virium deiectione vacuationes sponte, salubriter, euentuq; felici experimur prorumpere. Deinde vnicuique virium ordini quædam vacuationis quantitas proportione reddi potest: quandoquidem non est credibile, vncia aut semiuncia sanguinis effusa, vires etiam prostratas offensum iri. Quod si ita est, cur virium robur obseruandum est? aut cur veteres tantopere in viribus imbecillis venæ sectionem, aliasq́; id genus vacuationes negarunt? Hunc nodum sic dilucidarunt antiqui scriptores Flurentini, à quibus postea recentiores elegantissimi mutuati sunt. Euacuationum quædam sunt vtiles, quædam sunt inutiles: vtiles censentur illæ, quæ aut totam materiam suprabundantem, vel saltem maiorem illius partem educunt, protinusque morbum tollunt: aut quæ aliquam portionem affatim dignam euacuant, qua morbus diminuitur, illa debetur vacuatio viribus omnino integris: hæc vero validis secundum quid. Inutilis autem censetur vacuatio, quæ morbum, neque in totum, neque in partem tollere potest. Quamobrem vires prostratæ nullam ferre possunt vacuationem vtilem, quæ morbum aut minuere, aut omnino curare possit. Hac de causa Galenus virium robur ad hoc exercendum præsidium desiderat, nunquam admittens viribus imbecillis venæ sectionem conuenire, quia præterquam quod, vt diximus, vires labefactat, morbum etiam curare non potest.

Cap. IX.

Quid indicet vacuationem vsq; ad animi deliquium; Auerrois rationes contra Hippocratem & Galenum declaratæ. Recentiorum etiam contra eosdem opinio proposita.

QVANDO igitur maximus morbus fuerit, atque simul vires validissimæ extiterint, auxilium maximum adhibendum est. Nullum vero maius potest excogitari inter euacuanria præsidia, quam venę sectio vsq; ad animi deliquium. Extremum hoc remedium cum sit, nunquam conuenire potest, nisi extremus fuerit morbus, vt Hippocrates in Aphorismis docuit. Diximus, vnde sumenda indicatio sit de hac vacuandi ratione. De qua vacuatione Hippocrates primo Aphorismorum, commentario vigesimotertio locutus est; & Galenus, tum in commentario, tum in nono Methodi, & alibi frequenter meminit. Hanc tamen Auerroes acerrimus Medicorum stimulus redarguere validissime conatur: idcirco meæ videntur partes, ne in hac Methodo desit aliquid, opinionē illius afferre in medium, & rationes dilucidare: mox vero explanare, quid pro veritate sit sentiendum, illiusq; rationibus satisfacere. Auerroes itaque contra Hippocratis & Galeni opinionem inuehitur his verbis, septimo collectaneorum suorum libro, capite octauo. Et Galenus hic dicit, quod quando natura fortis est, extrahamus vsq; ad syncopen: & dicit, quod propter hoc corpus refrigerationem habebit, & possibile est, quod cholera abiiciatur per partem superiorem aut inferiorem, & dicit, hanc medicationem in hac febre esse necessariam. Ego autem dico, quod hæc quantitas vacuationis artificialiter non existit: imo valde est erronea; eo quod hæc ars imitatur naturam: & nunquam sic crisis laudabilis, per euacuationem sanguinis vsq; ad syncopen perducentem: imo hæc prouenit à crisibus malis, in quibus virtus expulsiua plusquam conueniens est, expellit. Adhuc non est intentio vacuationis, in quantum est vacuatio, nisi ad remotionem superflui sanguinis peccantis quantitate, & ad conseruationem quantitatis naturalis. Ergo, quomodo potest sanguis vacuari vsque ad syncopen, nisi cum detrimento sanguinis naturalis? hoc impossibile videtur, & Galenus non intellexit per hoc, nisi subitam corporis refrigerationem: ergo hæc medicina accidentalis est periculosa: vnde melius est, vt aliquantulum ex calore remaneat extraneo, quam calor naturalis diminuatur. Adhuc non est credendum, vt in tali corpore, quale est istud non sit putrefactionis alicuius humoris præparatio; ergo si diminuis calorem naturalem, corrumpitur humor, & virtus diminuetur, & non erit, qui huius erroris faciat correctionem.] Hæc Auerroes, qui mihi videtur quatuor potissimum rationibus Medicorum opinionem refellere: prima est, quod natura nunquam crisim facit vacuando sanguinem vsque ad animi deliquium, neque igitur eam facere ars ipsa debet. Secunda; ea censeri debet bona vacuatio, quæ humores educit superuacaneos, & intus continet humores bonos, at vacuatio facta vsque ad syncopen, tam malos, quam bonos humores educit, euacuari bonos hinc constar, quod animo delinquunt. Tertia, ea vacuatio non est admittenda, quæ periculum minatur, & ex accidenti id facit, quod quærimus. Nam dicebat Galenus libro duodecimo Methodi, capite primo: Esto terminus, quem non transibitis, qui ex arte generose contra morbum pugnat, vt tuto medicetur, ei vero, qui dolores mitigat, vt vires custodiat, vbi vltra pergitur, crudelis Medici officium facit, qui vna cum morbo vitam quoque homini aufert.] At periculosum esse, hanc vacuationem euentus declarat, eum in manibus Medicorum quidam mortui fuerint; demum quia non potest fieri sine magna imbecillitate virtutis, quæ vbi etiam leuis accederet occasio extrinseca, prorsus dissolueretur. Quod vero ex accidenti id efficiat, quod quærimus, manifestum est: quia ex vacuatione sanguinis accidit refrigeratio, quæ per se ab alterantibus, non ab euacuantibus remediis fieri deberet. Quarta ratio sit; ea non est admittenda vacuandi ratio, quæ corpus ad putredinem præparat, atqui euacuatio facta vsque ad animi deliquium

quium ad putredinem præparat; ergo non est admittenda: minorem probat eo fundamento, quod putredo tunc potissimum accidit, cum calor naturalis redditur imbecillus; est enim ipsa putrefactio corruptio quædam caloris naturalis, & proprii. Hæ sunt rationes Auerrois. Quibus Hieremias Triuerius addit, primo Aphorismorum, commentario vigesimotertio, hanc rationem: Absurdum est, ægrotum tum ad eum statum deducere, contra quem perpetuo pugnare debet Medicus: atqui perpetuo pugnat contra syncopen, vt patet ex Galeno, duodecimo Methodi, & primo ad Glauconem. Addunt etiam postremo alii: quod non videtur consistere posse, fieri vacuationem vsque ad animi deliquium, & hanc ęgrotum vacuationem tolerare: si enim animo delinquit, quomodo Hippocrates dixit, facile ferri? videntur sane contradictoria: animo deficere, & vires ferre posse.

Cap. X.

Quid sit Græcis Ἔκλυσις, λειποθυμία, λειποψυχία, Συγκοπή.

NVNC vero explanatis iis, quæ contra Hippocratem & Galenum dici possent, doceamus, quid in ancipiti negotio sentiendum. Sed prius Græcorum quorundam nominum significationem aperiamus, quæ huic tractationi magnum sunt vsum allatura. Supponemus itaq; nomina existere quatuor apud Græcos, quibus solent significare affectus fere eosdem; differentes tamen in eo, quod magis ac minus: nomina sunt: Ἔκλυσις, λειποθυμία, λειποψυχία, Συγκοπή. Omniũ leuissimus est affectus; ἔκλυσις. Huic succedit, λειποθυμία, & λειποψυχία. Postremus omnium vehementissimus est, Συγκοπή. Nuncupabimus ἔκλυσιν, Latine, animi exolutionem, oritq; principium λειποθυμίας: vel illius dispositio quædam prænuntia: ita vt putem aberrasse illos, qui animi exolutionem idem esse cum animi deliquio, dixerunt. Distingui inuicem, declarant Hippocrates, Galenus, & Paulus Ægineta. Nam senex dicit, lib. 7. Aphoris. 8. ἐπὶ φύματος εἴσω ῥήξιος ἔκλυσις, ἔμετος καὶ λειποψυχία γίνεται,] quod est: Ex tuberculi introrsus eruptione exolutio, vomitio, & animi defectio contingit. Galenus in comment. κοινὸν δὲ πασῶν ῥήξεων, ἔκλυσίς τε καὶ λειποψυχία διὰ τὴν τοῦ ζωτικοῦ πνεύματος ἔκκρισιν, ὡς ἑτέρωθι δέδεικται. Omniũ porro (inquit) eruptionum communis est viriũ exolutio & animi defectio, propter spiritus vitalis vna cum ipsis factam excretionẽ, quemadmodum alibi demonstrauimus.] Multo autem apertius distinctionem affert Paulus Ægineta lib. 3. suæ medicinæ, cap. 34. in hunc modum scribens: κατὰ συμπάθειαν ἢ στομάχου, ἐπὶ τῷ ἐγκεφάλῳ, καὶ ἥπατι καὶ στόματι γαστρὸς, λύπῃ τε καὶ φόβῳ καὶ ἑτέροις πλείοσι, τὴν καλουμένην ἐπιφέρει συγκοπὴν, ἀθρόαν οὖσαν τῆς δυνάμεως κατάπτωσιν, ἐκλύσεσί τε καὶ λειποθυμίαις, καὶ μικρὸς σφυγμὸς ἄκρων τε περιψύξεσι, καὶ ἀεὶ ἱδρῶσι διακειμένην.] quod est: Ar ex consensu affectum, & ex cerebro, & hepate, & ore ventris, tristitiaq; ac timore, & aliis pluribus animi concisionem, syncopen appellatam inducit, quæ coaceruata virium collapsio existit; & exolutionibus, & animi deliquiis, & pulsuum paruitate, & extremarum partium perfrigerationibus & exsudationibus cognoscitur.] Ex iis igitur pateat, animi exolutionem proprie nihil aliud existere, quam dispositionem quandam præuiam ad animi defectum, quamuis me non fugiat, authores hoc fuisse nomine aliquando abusos, vt Galenus primo libro ad Glauconem ex aliorum Medicorum opinione docet, capite decimoquarto, cum ait: nam consueuere Medici de vna re hæc duo nomina dicere.] satis de ipsa ἐκλύσει. Nunc de reliquis dicamus: Hieremias Triuerius putat, λειποθυμίαν differre ab ipsa λειποψυχίᾳ; quod illa significet Græcis animi defectum: hæc autem defectionem animæ. Est enim λειποθυμία nomen deductum, ἀπὸ τοῦ λείπειν, quod est linquere siue deficere: καὶ θυμοῦ, Latine animo. λειποψυχία vero ἀπὸ τοῦ λείπειν, καὶ ψυχῆς,] Latine anima. Sed hæ Grammaticorum, non Medicorum obseruationes videntur mihi; idem enim vtroq; nomine significari apud Medicos, certissimum faciam. Hippocrates primo Aphorismorum 23. vtitur nomine lipothymiæ; & idem significans, lib. 7. Aphorismorum octauo, vtitur nomine lipopsychiæ, vt supra adnotauimus. Quod etiam fecisse Galenum scio. Nam duo-

decimo Meth. capite quinto, animi defectum exprimit voce lipothymiæ; at primo ad Glauconem, capite decimoquarto, vtitur vocabulo lipopsychiæ. Quoniam igitur est affectus idem, sunt causæ eædem, parum omnino referat, siue quis animi defectum, aut animæ dixerit. Distat hic affectus ab exolutione, quia exolutio est leuior affectus: grauior vero animi defectus: estque adhuc grauior syncope. Inter syncopen, & exolutionem medius est animi deliquium. In quo neque prorsus omnes vires concidunt, collabunturque, neque ita leuiter afficiuntur, vt in ἐκλύσει. Sed incipiunt amittere vocem, refrigerari, sudare, adhuc pulsu existente valido, his pallescere magis incipit facies, motus hebetior fieri, virtutis tenore minime collabente. Differentiam syncopes ab ipsa lipothymia Galenus pulcherrime docet hisce verbis: Quippe crudi succi nutrire prius quam sint concocti nequeunt, iidemque cum multi sunt, grauant. Si vero spiramenta, quibus perspiratio agitur, obstruant, calorem extinguunt: quod si nec obstruant, nec onerent, syncopen ii certe non inferunt, sed animi deliquia, quæ lipopsychias Græci vocant: siquidem resoluuntur eiusmodi ægrotantes, nisi frequentius nutriantur.] Idem etiam in primo ad Glauconem dixisse, capite decimoquarto, in commentariis in eum locum declarauimus.

CAP. XI.

Quid pro veritate huius disputationis sentire debeamus.

SED iam propius ad quæstionis dissolutionem accedamus. Duo igitur statuenda sunt: primum in ipsis vacuationib. nunquam ad syncopen ducendos esse ægrotos: deinde autem licere aliquando perducere vsque ad animi deliquium: vtrumque breuiter docebimus. Nunquam expectandam syncopen esse, dum vacuamus, res ipsa docet. Nam si est syncope præceps omnium virium lapsus, erit etiam proxima imago mortis, à qua aut nunquam, aut certe admodum raro datur recursus ad sanitatem, esset munus Medici crudelis, hominem perducere ad syncopen: quam enim tunc habituri sumus certitudinem, ægrotum recreari posse? quid sperare boni possumus, vbi ad extremum vires languescant? nunquam sunt, dicebat Hippocrates, vacuationes ad extremum ducendæ, id est, vt ego interpretor, ad syncopen ipsam. Aliud vero de animi exolutione, & deliquio iudicium fieri oportet: cum enim sit morbus maximus, viresque sint validissimæ, instituere proportionatam vtrique scopo vacuationem debemus; quæ licet cum aliqua fiat iactura virium, nihilominus id magis eligendum est, quam statim mori. Methodus medendi postulat, vt quando in curandis morbis duo immineant mala, quorum alterum eligere debeamus, vt eligamus, quod minus malum est. Supponatur sanari non posse ægrotum, nisi magna fiat vacuatio animi inferens deliquium, quodque si hæc forte prætermittatur, sit omnino necessarium interire, quis non magis lipothymiam eligeret? quæ licet imbecillitatem inferat, nihilominus adhuc virtus potest facile recreari, atque in pristinum statum reduci, ac etiam facile, quæ reliqua sunt propellere per vomitum, per aluum, aliasque vias. Certe si fieri posset, vt sine aliqua virium iactura ægroto sanitatem induceremus, id faciundum esset; at cum fieri non possit, cogit necessitas, vt id velimus, quod possumus, vt inquit Comicus.

CAP. XI.

Quæ obseruationes tenendæ, ne pro animi deliquio, syncope aut mors adueniat.

SED ne in hoc opere tanti momenti incauta decipiatur iuuentus: primum sciendum est, oportere morbum esse maximum, non tamen absolute, [illegible] eorum numero, qui venæ sectione sanari solent, huicque morbo vires v[illegible] dissimas proportione respondere; deinde cum vires præ vacuatione m[illegible] ste fatiscunt, & vacillant, iamque principium adest defectionis animi, [illegible]

tinus cohibenda vacuatio est, ne ad extremum perueniens pro animi deliquio mors inopinata succedat, vt malis quibusdam Medicis contigisse ex Galeno demonstrabimus. His aliud addito præceptum; quo scire certo poteris, quando vacillent vires. Pulsuum permutationi mentem, animumque adhibeto: cum enim ex magno paruus, ex æquali inæqualis, ex vehementi debilis, & obscurus fit, illico sanguinis fluorem compescito. Rursus certior redderis si statim ægroti colorem mutari videris, si oculos caligare conspicias, si frigidiores fieri partes extremas, atque si vocem emittere cum maiori imbecillitate noueris. Horum omnium præceptorum meminerunt, qui de hoc argumento pertractarunt: præsertim vero Galenus libro de ratione curandi per venæ sectionem; quo loco de obseruatione à pulsibus sumpta, hoc modo scriptum reliquit: Noui enim ex iis quosdam ex animi deliquio necessario refrigeratos, ac toto corpore affluentibus sudoribus, & aluo rupta, celerrime morbo liberatos. Vtile est autem pulsuum diminutionibus animum aduertere, tangendo eos sanguine etiamnum fluente, sicut in aliis omnibus, dum sanguis mittitur, facere consueui: ne videlicet nobis nec opinantibus pro animi deliquio mors occupet, quod sane tribus euenisse Medicis noui. Venam secabat eorum vnus mulieri febricitanti: aliorum vterque viro, sed ad tantum animi duxere deliquium, vt vires recuperare non possent.] Suumque postea concludens propositum addit: Proinde satius est tam copiosis euacuationibus abstinere, nisi magna incumbat necessitas.] Regulas hactenus docuimus, quæ sunt à prudenti, generosoque Medico exercendæ, atque perpetuo, vt norma Polycreti memoria commendandæ, vt tuto venæ sectionem ad animi deliquium vsque possit admittere, atque prudenter decernere, quando sit ab euacuatione desistendum. Nunc reliquum est, vt exponamus, qui affectus postulent hanc euacuationem.

Cap. XII.

In quibus affectibus venam incidere liceat vsque ad animi deliquium.

QVAMPLVRES sunt affectus, in quibus conuenit vsq; ad animi deliquium venæ sectione adhibita vacuare, potissimum vero tres: Vnus est vehementissima inflammatio, cuius causa dolor concitetur maximus, quemadmodum contingit in carbunculo, vt Galenus testatur libro decimoquarto Methodi medendi: idem etiam accidit in pleuritide vehementi, in qua idem author Hippocratis authoritate præcipit educendum esse sanguinem eò vsque, donec mutatio coloris appareat, scilicet pro rubeo niger effluere videatur: hoc enim signum est, contentum in phlegmone sanguinem fuisse vacuatum: quæ res contingere non posset, nisi vacuatio fieret admodum copiosa, quam si ægrotus ferre non posset, iubebat Galenus libro de ratione curandi per venæ sectionem, phlebotomiam esse iterandam, vt docebimus parum infra in tractatione de phlebotomia iteranda. Ratio vero ob quam conuenit tanta in hoc affectus genere vacuatio, est, quia cum existat magna fluxio, magna indigemus reuulsione, multaque ob insignem plenitudinem vacuatione, hanc sane facere non potest venæ sectio exigua. De hac locutus est Galenus primo Aphorismorum, commentario vigesimotertio, cum ait: In vehementissimis doloribus nullum inuenisse maius præsidium, quam vsque ad animi deliquium vacuare, adhibita distinctione, an purgare, an venam incidere expediat. Secundo conuenit in febre synocho tam putrida, quam non putrida, tum quia à plenitudine ducit originem atq; ea quidem quo ad vasorum capacitatem: de qua vacuatione locutus est Galenus nono Methodi, capite quarto, his verbis vsus: Optimum factu visum est, venam incidere, anteaquam putredo inciperet: aufero itaque ab homine de industria eo vsque sanguinem, quoad animo linqueretur. Maximum plane, vbi valentes vires sunt continentis febris remedium: id quod tum ratione, tum experientia didici. Primum namque in contrarium statum corpus redigitur ex animi defectione refrigeratum, hoc vero nemo inuenire potest, neque

quod ipsis ægris, neque quod naturæ, quæ animantes gubernat, iucundius, vtilius ve sit. Postmodum in eiuscemodi corporibus necessario superuenit alui deiectio; nonnunquam vero bilis vomitio. Quas res statim à toto corpore sudores madoresque excipiunt: quæ nimirum omnia, cum huic quoque contigissent, protinus febrem extinxerunt, sic, vt quidam ex iis, qui aderant, iugulasse me febrem per iocum dicerent, vnde omnes risimus.] Hæc Galenus. Ex his manifestum esse omnibus potest, Galenum nunquam consuluisse, mittendum esse sanguinem vsque ad syncopen, sed vsque ad animi deliquium, quo cum adhuc vires validæ consistunt. Etenim animi defectio non est præceps omnium virium lapsus, sed status quidam corporis, in quo oculi obtenebrari incipiunt, sed adhuc vitales, & naturales virtutes optime consistunt: quod docent effectus, qui postea sequuntur hanc vacuationem, vt bilis vacuatio per inferiorem aluum, per sudorem, per vomitum: quomodo enim quæso hæ fierent, si virtus adhuc non seruaretur valida? Hoc loco vnum obiter adnotabis, naturam post hanc copiosam sanguinis vacuationem Crisim optimam facere, exonerando sese eo tempore ob omnibus excrementis biliosis per diuersas corporis regiones: hoc dignum est adnotatione, quia natura non semper per vnam duntaxat viam bene euacuat, cum aliquando per plures vias oppositasq; exinanitio sequatur accommodata. Igitur cum ἱκανῶς vel λειποθυμίας vires consistere validas locus ille Galeni demonstrauit. Alter etiam non minus id ostendit nono Methodi, capite decimo, cum inquit: Quippe aliqua eiuscemodi prędita sunt facultate, vt, si immoderate, aut intempestiue vtare, vitam adimant. Si quidem in sanguinis missione (quam vsque ad animi defectum faciendam esse paulo ante diximus, quo flamma in continentibus ex meatuum clausula febribus extingueretur) non parum merito subsequetur incommodum, nisi opportuno tempore, aut debita mensura fiat. Duos namque in ipsis Medicorum manibus perite vidi, qui postquam animo linquerentur, nunquam reuixerunt. Multi vero etsi non protinus, at postea propter virtutis imbecillitatem perierunt, quos si quis citra eius resolutionem vacuasset, minime periissent: quin etiam aliqui in morbos inciderunt longos, postquam immodica inanitione resoluta naturalis vis fuit. Alii cum immodicæ vacuationis noxam sarcire non potuissent, in omne reliquū vitæ tempus totius corporis temperamentum redditum est frigidius.] Hæc ille. Hisce duobus casibus, quibus venam incidere expedit vsq; ad animi deliquium, adderet tertium etiam oportet, scilicet lassitudinem tensiuam, & phlegmonosam in qua eandem vacuationis quantitatem esse perutilem Galenus declarauit in libro quarto de sanitate tuenda, capite decimo.

CAP. XIII.

Maxime periculosam esse vacuationem ad animi deliquium purgante medicamento.

DIXIMVS hucusque quomodo liceat vacuare vsq; ad animi deliquium secta vena: nunc vero doceamus, an pariter eadem ratione purgare oporteat vsque ad animi deliquium. Putant recentiores quidam Medici in vtroque vacuationis genere conuenire extremam hanc vacuationem: sed vt ego sentio, res existit plena dissensionis, duplici de causa. prima sumitur à medicamento purgante: alia vero ab ipsa virtute. Medicamentum purgans, vbi validissime purgauerit, non subiicitur nostræ potestati, vt eius actionem cohibere, & impedire liceat nobis, vbi placuerit. Ponamus ægrotum in animi defectum incidere vi purgationis, quam adhibebimus (quæso) diligentiam, vt non sequatur syncope, & tandem ipsa mors? Fortassis (inquies) medicamentis vtemur adstringentibus, & vim purgatoriam hebetantibus. Id certe faciendum est, sed quam habere certitudinem possumus, quod hæc suo munere fungantur: aliquando enim adeo effrænitant medicamenta, vt nullo præsidiorum genere possint refrænari. Res profecto videtur mihi nimis periculosa, & crudelis, (vt rectius loquar) hominē commit-

committere alicui remedio, cuius euentus sit periculi plenus, vt in pharmaco purgante contingit: secus omnino res habet in phlebotomia, quam vbi voluerimus sistere, statim possumus digito imposito; idcirco dicebat Galenus, quod exhibito purgante medicamento omnia contingunt fortuna administratrice, libro de venæ sectione aduersus Erasistratum. Accedit huic virtutis consideratio, quoniam quando indigemus medicamentis purgantibus, corpus vt plurimum malis humoribus refertum est, à quibus vires haud parũ imbecillæ fiunt. Quomodo ergo sperabimus eas citra maximum illarum detrimentum vsque ad animi defectum vacuationem ferre posse: hac de causa continuo suspecta fuit eiusmodi purgatio: quam rem vt innueret Magnus Auicenna In quarta sectione primi libri, capite tertio, sic scriptum reliquit: Ideoque minus detrimentum sequitur, aliquid superflui relinquere, quod euacuatione indigeat, quam exquisite vacuare, ægrumque eo perducere, vt vires exoluantur: natura enim illud residuum sæpissime resoluit.] Ex quibus patet purgationes vsque ad animi deliquium non esse ducendas, nisi tamen aliquando contingat ægrotum animo deficere ob humorum acrimoniam, aut malignum aliquempiam vaporem.

Cap. XIIII.

Dubitationum explicatio, quæ contrarium ex Hippocrate, & Galeno persuadent.

Cæterum Galeni sententia primo Aphorismorum, vigesimo tertio, non mediocrem difficultatem faciunt; verba enim sic habent: In maximis vero doloribus nullum præsentius noui remedium ea vacuatione, quæ ad lipothymiam vsque fiat, cum ea tamen distinctione, vt intelligatur phlebotomiane, an purgatione ad defectum vsque animi vti conueniat, quam rem demonstrauimus in commentariis, quos de phlebotomia conscripsimus.] His verbis dicere videtur euacuationem pharmaco fieri posse vsq; ad animi deliquium. Adaugent difficultatem Hippocratis verba in eo Aphorismo, in quo sic dicit: Deiectiones non sunt multitudine æstimandæ, sed si talia vacuentur, qualia vacuari debent, & facile ferunt: atq; etiam vsque ad animi deliquium ducendum est, si vires ferant.] Certissimum est loqui Hippocratem in eo Aphorismo de vacuatione, quæ fit medicamento purgante: quia dicit, si talia purgẽtur, qualia.] Quæ verba semper intelliguntur de cacochymia, & de purgatione, vt constat ex Galeni verbis libro primo Aphorismorum, commentatio secundo. Rursus, hoc verbum, Deiectiones,] idem manifestum facit: quia nomine deiectionis sanguinis vacuationem complecti non possumus; addens postea vsque ad animi deliquium vacuandum, videtur rem apertissime pronuntiasse. Equidem fateor, hosce duos locos plurimum vrgere; quibus tamen in hunc modum satis accommodate satisfieri potest. Quod attinet ad Galeni sententiam, dicere possumus, vt aliis etiam placuit antiquioribus, illius verba non esse intelligenda, nisi de vacuatione per sectionem venæ, etenim in vehementissimis doloribus conuenit aliquando sanguinem mittere vsque ad animi deliquium, aliquando neq; remedium conuenit, neque modus vacuationis, propterea est adhibenda distinctio, vtrum purgare, an sanguinem detrahere conueniat; vt libro de phlebotomia demonstrauit. In quo nullum verbum fecit, purgandum fore vsque ad animi deliquium, sed conspicuam distinguendi rationem docuit, an hoc, an illo vtendum sit generoso remedio. Confirmant explanationem nostram, quod hæc verba in commentario à Leoniceno posita: Ad defectum vsq; animi.] in quibusdam antiquis codicibus non leguntur, vt alios etiam antea animaduertisse scio. Ad Hippocratem vero quid respondebimus? Nempe in Aphorismo partes adesse duas, quarum prior de purgatione intelligitur, posterior autem de venæ sectione, quæ tamen pars proposita est in virtute prioris partis, quandoquidem conferre, & facile ferre, non solum debet intelligi de qualitate humorum peccantiũ, sed etiã de quantitate, vt omnibus esse manifestissimũ arbitror.

Dici etiam poſſet, ſi volumus veteres hanc admiſiſſe vacuationem extremam, id illos faciundum raro conſuluiſſe, atque in affectibus maximis, in quibus melius erat aliquid agendo periclitari, quam nihil agendo, aut procraſtinando periculum augere ægrotantis; quod ſi fiat, ordinaria non erit curatio, ſed coacta ob melioris cuiuſdam boni rationem inſtituta.

Cap. XV.

Reſponſio ad rationes Auerrois, & quomodo ars imitetur naturam.

Respondeamvs modo ſigillatim rationibus Auerrois. Ad primam itaq́; cum ille dicit artem imitari naturam, atque idcirco nunquam ad animi defectionem vſque vacuandum, pro reſponſione primum obiicio Auerroi. Natura in principiis morborum nunquam bene vacuat: at vero ars ipſa aliquando id optime facit, vt quando turgentem materiam, aut humores venenatos educit. In aliquo tempore naturæ motus eſt aliquando peſſimus, lethaliſq́; hunc ſi faciat ars ipſa, ſalutaris erit, quam rem Hippocratis confirmat ſententia in quarto Aphoriſmorum, cum ait: Deiectiones nigræ, qualis eſt ſanguis niger, ſiue ſine febre, ſiue cum febre venientes, peſſime, & quanto colores plures fuerint, peius, cum medicamento vero melius, & quanto colores plures fuerint, non prauis.] Quomodo igitur ſtatuemus artem in his imitari naturam? Ars equidem ipſa aliquando naturam operantem imitatur, aliquando naturam imbecillam adiuuat, aliquando ipſa per ſe operatur tanquam architectonica, in qua re euadit ars longe ſuperior natura. Siquidem luxatos artus reponit, vulneriſque diſiuncta labra adducit, venam incidit, ſecat, vrit, & in aliis non paucis curationis præcipuam adminiſtrat partem, quam minime aggredi poteſt natura. Amplius illud etiam obſeruandum eſt, artem imitari naturam tum in iis, quæ facit natura, tum etiam in iis, quæ non facit. In iis quidem quæ facit natura, dicitur ars ipſa dupliciter imitari naturam: vno modo cum illam adiuuat non perfecte propter imbecillitatem operantem; hac ratione purgationes inſtituit per eas regiones, per quas natura tendat: cum alioquin periculum ſit, ne morbi reliquiæ temporis progreſſu faciant recidiuam. Alio modo naturam imitatur, quando illa nihil mouet, vt quoniam natura concoctam ſolet expurgare materiam, iamq́; apparentib. ſignis perfectę cōcoctionis, nihil illa moueat, tunc officium eſt Medici mouere hora motus naturæ. Porro in illis etiam, quæ nunquam facit natura, eam imitatur Medicus in hunc ſenſum, quia eo modo res facit, procuratque, quomodo natura faceret, ſi opus illud efficeret. Ars domum facit ad imitationem naturæ, non quod hæc aliquando domum fabricet, ſed quia ſi faceret domum, eodem modo fabricaretur, vt inquit Auerroes. Scinditur à Medico ſuperflua caro, eandem exſcinderet natura, ſi poſſet. Ars in Tetano prouocat febrem, eandem prouocaret natura, ſi liceret. His ita poſitis, facilis eſt ad priorem rationem reſponſio. Nam ponamus verum eſſe, naturam nunquam ad animi defectionem vſq; vacuare: non propterea ſequitur, quin idipſum vrgente neceſſitate facere aliquando ipſa ars debeat; nam ſi natura id facere conſueuiſſet, ad illins imitationem actio artificialis fuiſſet excogitata; rurſus, quia non fit à natura, ad illis exemplar factum dicitur opus, ſi natura id poſſet efficere; deinde falſum eſſe dico, nunquam naturam ad animi defectum vſque vacuare; nam aliquando bonas vidi Criſes per vomitum, alias per inferiorem aluum factas vſque ad animi defectum, quarum cauſa ægroti fuerunt ſanitati reſtituti. Hæc ad primam.

CAP. XVI.

Humores malos dici multipliciter, non dari vacuationem, quin educantur boni humores, aut spiritus dissoluantur, ratione Triuerii.

AD secundam ratiocinationem dicimus, quod humores, qui vacuantur, non sunt simpliciter boni, etenim malus humor dupliciter dicitur, vel qualitate, vel quantitate, iam sanguis phlebotomia vacuatus malus est multitudine, quia vereri oportet, ne aut suffocet calorem naturalem, aut vasa nimium distendendo rumpat: aut ne subito ad nobilem aliquampiam appellat particulam: hunc solum vacuamus. Secundo etiam respondetur, admittendo aliquam vacuari à nobis portionem humoris boni; quod non est propterea eiuscemodi vacuatio culpanda, sed si ex duobus malis id perpetuò eligendum est, quod minus est malum, hanc vacuandi rationem vsque ad animi deliquium consulto eligemus, tanquam multo minus malum, quam ipsa sit mors. Deinde sciendum est, nullam excogitari posse vacuationem, quæ non educat aliquam portionem bonorum humorum, aut spirituum, & tamen haud eas detestamur, detur igitur aliquid spirituosæ substantiæ, & bonorum humorum vacuari, non debet prætera culpari Medicus ratione huius quantitatis. Ad tertiam respondemus per accidens, sanguine misso totum corpus refrigerari: adhiberi tamen debet, atque necessitate vrgente exerceri, non ob eam causam, sed vt ingentem multitudinem vacuemus, quæ sua natura, vbi leuioribus præsidiis nequeat educi, phlebotomiam indicat. Supponitq; hic Auerroes vnum, quod omnium iudicio falsum esse constat, nempe vires ex hac vacuatione in tantum debilitari, vt de cætero non possit humores reliquos euincere, atque superare: nam nos ipsi censemus vires adhuc validas adeo conseruari, quod postea crisin faciat vacuando illos per vomitum, per inferiorem aluum, & per sudorem, vt ex Galeni historiis apertum est nono Methodi relatis, capite quinto. Decipit Auerroem, quod differentiam ignorauit inter animi deliquium, & syncopen. Ad rationes Hieremiæ Triuerii quid attinet respondere? constat enim nullam habere difficultatem, nunquam ad syncopen ægrotum perducemus: ad animi deliquium aliquando vrgente necessitate. Postremum vero licet animo delinquant ægroti: tamen virtus ferre potest hanc vacuationem. Quia non tantum dissipantur, quantum in syncope, idcirco vires adhuc existentes validæ reliquias humorum expurgant.

CAP. XVII.

Quibus de causis vena sectio sit repetenda.

QVONIAM hactenus demonstratum est à nobis, licere Medico generoso, ac in artis operibus exercitato, sanguinis detractionem admittere vsque ad animi deliquium, & qui affectus tantam vacuationem exigant, quaue ratione Auerrois argumentationibus satisfaciendum sit. Nunc reliquum est, vt doceamus præcepta ad venæ sectionem reiterandam opportuna. Inprimis vero explanandum venit, quibus de causis venæ sectionis iteratio sit instituta; mox de reliquis agemus. Tres inuenio causas huius instituti, vna est, vt reuulsio facilior, certiorque instituatur. Alia, vt vires imbecilliores eam tutius ferre possent, tertia, vt sanguis extra maiores venas in habitum corporis iam sparsus ad eas deducatur, ipsa postea iteratione vacuandus. Cum euacuatio reuulsiua proposita est, qua humores confluentes debent motu contrario ac etiam in contrariis partib. moueri, quanto magis ipsam venam frequenter secuerimus, tanto facilius assuescent humores motu contrario, atq; hæc sane vera est reuellendi ratio, quam qui in artis operib. non exercent, nunquam possunt aliquid afflatu dignum pro curatione reumaticorum affectuum moliri. Idcirco statuatur commune, atq; indubitatum axioma in arte medica, fluxiones à sanguinis impetu concitatas, nulla tutiori sanari posse ratione, quam repetita venæ sectione. De

qua inuenio à Galeno sic fuisse scriptum libro huic tractationi dicato. Proinde satius est tam copiosis vacuationibus abstinere, nisi magna incumbat necessitas, quin & reuulsionem non leuem & ipsum auxilium, quodq; sæpe secta adhibetur vena, quanto maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tanto efficaciorem effeceris.] Græcos vero authores, qui post Galenum de hac eadem materia tractarunt, Oribasium, Aetium, Paulum Actuarium; deinde vero Arabas omnes, præsertim vero Auicennam horum præcipuum, & maximum Galeni imitatorem, eodem fuisse vsos axiomate in reuulsione perficiunda multo certius est, quam quod debeat hoc loco explanari. Porro instituitur etiam repetitio venæ, dum sola vacuatio proponitur, vt quando imbecillior aliqua ex parte virtus est, quam quod ferre possit vacuationem simultaneam, hancque vacuandi rationem me non infrequenter obseruasse viderunt quamplures in iis, in quibus, aut in toto corpore, aut in primis venis pituitosorum humorum inerat copia simul cum sanguinis abundantia, nam pauculo sanguine detracto protinus mel rosaceum zuccarinum exhibeo cum oxymelite, aut acetato syrupo simplici, addito decocto aliquopiam incidenti ex origano, anetho, menta, amaraco, aliisque id genus: ac ita quidem rursus sanguinem diminuo nonnunquam eodem die, si affectus vrgere videbitur: interdum tertio die, atque tum postea rursus incidentibus, detergentibusque vtor: posteaque, si oportere iudicauerim, denuo sanguinem minuo, donec totam plenitudinem euacuatam fuisse probabiliter cognoscam. Quod si crudi humores non sint, sed praui, expurgo illos, mox autem copiam sanguinis minuo; rursus eosdem artis beneficio præparatos pharmaco purganti educo, & secundo multitudinem vacuo; hacq; contemperatione tutissimam Medendi rationem, & rationalem instituo. Cæterum tertia causa huius consilii est, quando ex carnibus ad maiores venas attrahere volumus sanguinem, atq; lassitudinem illam grauissimam, & maxime periculosam sanare instituimus. Magna existens in carnibus copia sanguinis per cutaneos meatus tota expurgari non potest, atq; etiam si posset, id tuto non fieret, quia longiori tempore indigeret ad eiuscemodi opus, quam morbi vehementia postularet. Præstat idcirco vacuare multitudinem, & interponere tempus aliquod vt venæ exinanitæ sanguinem ex paruis venis carnium, & habitus corporis attrahant ad venas maiores. Hanc medendi rationem Galenū instituisse constat, quemadmodum supra manifestum fecimus. Ex iis colligendum est, nullum morbum vacuationem per se indicantem, si lassitudinem hanc phlegmonosam excipias postulare iterationem. Quorsum enim si semel & confestim liberare potes, procrastinandum duceres? extremis morbis extrema remedia debentur, atq; in acutis eadem die medicari oportet, nam tardare malum est. Quamobrem tota ratio iterationis fere ab hisce duobus pendet, scilicet à virtutis imbecillitate, ac à morbo Rheumatico, à quibus indicatio eiuscemodi sumitur. Quæ ad duo pertinere videtur mihi, nempe ad quantitatem, & ad modum vacuandi. Illam respicit ob vices multiplicatas, numerumq;, cuius causa ad quantitatem refertur discretam. Hunc vero respicit in relatione ad vacuationem, quæ subito & confestim fit.

Cap. XVIII.

De interuallo in ipsa iteratione obseruando, dubitationes.

HActenus iterationis necessitatem inuenimus; nunc de interuallo tractandum est, circa quod haud exiguæ adesse videntur mihi difficultates. Nam Galenus, Oribasius, Auicenna, & alii antiquiores, quædam præcepta tradiderunt, quæ postea in artis operibus minime exequuntur. Proponunt enim eodē die repetendam venæ sectionē, si vacuationis gratia adhibeatur: at si reuulsionis, posse vsq; ad tertium, & fortassis etiam quartum diem extendi, & prorogari. At neutrum exequuntur. Namq; cum proponit sibi Galenus euacuare plenitudinem cum humorum crudorum copia consistentem, tertio etiam die sanguinem mittit, prorogatq; vsq; in illum diem. Locum hunc supra frequenter citaui-

citauimus ex libro de ratione curandi per venæ sectionem, atque sumus etiam interpretati. Deinde vero dum reuellit, aliquando eodem die ter, & quater venam incidit, vt infra docebimus: contrarium faciundum admonuit libro quinto de sanitate tuenda, quando curationem prosequitur ex instituto suæ tractationis lassitudinis phlegmonosæ, vbi dat præceptum, prorogandam iterationem in tertium vsque diem. Quod vero ad ipsas attinet tationes, apparet in vacuatione posse tutissime prorogari interuallum. Quoniam si iteratio fit propter imbecillas vires, diem vnum, aut alterum intermittentes accommodatum habemus tempus illas instaurandi, quo videmur omnino destituti, si eodem die repetamus vacuationem. Rursus in corporibus vacuandis nulla sese offert tantæ celeritatis necessitas; cum enim sanguis vniusmodi existat, in venis eadē permanebit proportio post illam detractionem, quæ permanebat antea: præsertim vero id vrget, si sanguis bonus fuerit, vt in habitu athletico contingit, & in iis omnibus in quibus mittitur ratione præseruationis. Ad hæc vero crudelis Medici munus videri posset in casu maxime ancipiti, & acutissimo, in quo celeriter succurrenti indigemus auxilio pro reuulsione facienda accommodato, prorogare illud in diem tertium aut quartum. Quis enim fluente sanguine ex vtero, ex naribus, ex mariscis, ex vulnere, ex thorace, aut aliunde vehementi fluxione existente in tertium tardabit remedium? Nam certe tunc nullum habebit locum, atque frustra medicina tentaretur. Idcirco multo conuenientius videri posset pro ipsa exercenda reuulsione primo die bis, ac tertio, & si oporteret quatto venam incidere, quam in alios inutiliter prorogare dies. In ipsa vero euacuatione contrarium exerceri poterit, cum parum in illa eiuscemodi tarditas obesse possit. Amplius noua quædam diebus hisce nostris inuasit hæresis, quæ parum dicit referre, quod interuallum adsit: siquidem non modo in principiis morborum, sed etiam in augumento, quinimmo vigentibus morbis tuto repetitionem hanc fieri posse asseuerant, probabili quadam, imo (si illis credimus) necessaria ducti coniectura ex verbis Galeni sumpta. Quandoquidem docuit ille, non esse numerum dierum obseruandum, vt quispiam tuto venam incideret, sed robur virium, & magnitudinem morbi, quibus præsentibus scopis, etiamsi vigesimus sit à morbi principio dies, remedium conuenire. Ita quidem illi putant in venæ sectione repetenda nullum certum de interuallo dari posse præceptum. Hac ducti ratione, vbi morbnm ingrauescere vident, nullo amplius adhibito respectu ad vnam venæ sectionē tanquam ad sacram anchoram confugiunt, quasi quod generosum aliud, & magis accommodatum pro morbis ipsis profligandis inueniri non possit remedium. Hæc si quis fuerit oscitantius, & negligentius (vt à nouatoribus fit Medicis nostri temporis) contemplatus, occasionem passim inueniet arguendi Galenum, quod de vna, eademque re varia admodum præcepta tradere videatur, suaque non obseruet principia. Hoc certe facile tolerari possit, cum homo fuerit & pro omnium natura communi potuerit etiam aberrare. Sed certe ferenda non est à nobis perniciosissima hæc humano generi opinio, non quod Galeno contradicat, sed quod omni probabili ratione careat, sitque excogitata in perniciem mortalium. Hac de causa, quoad eius fieri potest, funditus extirpanda est, nullo habito (nostra consuetudine) personarum respectu. Ad hanc igitur explanationem accedentes docebimus maxime vtilia præcepta, principio in hunc modum desumpto.

CAP. XIX.

Quæ circa interuallum obseruari debeant præcepta gratia vacuationis, ex Augenii sententia.

FVNDAMENTVM huiusce nostræ Methodi fuit, duabus duntaxat de causis venæ sectionem fuisse institutam: vna fuit euacuatio: alia reuulsio. Doceamus prius præcepta in euacuatione obseruanda, mox de reuulsione nostra transiget oratio. Primum itaque sit præceptum. Venæ sectionis repetitio ratione

præſeruationis inſtituta, poteſt vſque ad tertium, aut quartum diem retardari. Supponimus in ſanguine nullam adeſſe labem præſentem, quia ſanum non eſſet corpus, ſed minari malum ob ſanguinis plenitudinem præſentem, aut etiam futuram. Hic nulla adeſt neceſſitas, quæ nos cogat remedium accelerare, cumque vires imbecilliores exiſtant, ferre non poſſunt ſimultaneam vacuationem: idcirco repetitione indigemus, & in interuallo aut vires nutrimus, aut cruditates detergimus: ſimul vtrique ſuccurritur, imbecillis viribus ob interuallum, & nutrimentum plenitudini, repetitione. De hoc præcepto locurum fuiſſe Galenum profiteor, quando modum docet vacuandi plenitudinem, cum humorum crudorum copia. De hoc etiam locutus eſt Auicenna, cum inquit: Ex iuuamentis vero ſecundationis eſt quod phlebotomati virtutem cum perſecutione ſuæ vacuationis, quæ eſt neceſſaria, conſeruat. Et melius quidem ſecundationis terminus eſt, vt duobus, aut tribus tardetur diebus.] Secundum præceptum ſit. Sanguine exiſtente putrido prope phlegmonẽ contento repetitio eodem die facienda eſt. Huius pręcepti ratio eſt in promptu. Supponimus enim bonum exiſtere in venis maioribus ſanguinem, at illum qui in paruis venis continetur eſſe omnino deprauatum. Cum igitur hic debeat vacuari, & non poſſit, ob vires imbecilliores, prima vice permanebit ille corruptus mixtus cum bono, quẽ pariter coinquinabit, & ad putredinem ducet, niſi ſtatim vacuetur. Eſt hoc præceptum Galeni quarto de ſanitate tuenda, dum ait: Vtile eſt poſt primam detractionem tantiſper intermittere, dũ aliquid eorum, qui in corpore ſunt humores, remigret ad venas, quod tamen, quoniam committendum non eſt, vt in his maneat, vtpote ex dimidio corruptum, ſed potius plurimum eius expellatur, idcirco detractionem ſanguinis etiam ſecundo die iteramus.] Adnotanda ſunt hæc verba, quia ſtatuit terminum iterationis, quod ſummum eſt, die ſequenti futurum, cum tamen antea admonuiſſet eadem die fieri debere. Eius oratio in hunc modum habet. Itaq; nec cunctari, nec parum detrahere conuenit, ſed & mature educere, & niſi quid aliud vetat, ad animi deliquium vſque, optimum vero fuerit bis eodem die, ſi fieri poteſt, detrahere.] Dixi adnotandam eſſe hanc Galeni ſententiam contra imperitos quoſdam noſtræ ætatis Medicos, qui in Pleuritide ex eodem latere ſanguinem mittentes in principio inflammationis: poſtea vero, ſi morbus non cedat remedio, in quinta, ſexta, ſeptima aliiſue deinceps diebus venæ ſectionem repetunt. Hæc egregia eſt illorum medendi ratio. In qua (vt ego ſentio) peccant grauiſſime. Illos enim certiſſimum eſt inſtituere hanc rationem curandi, vt ſanguinem in phlegmone contentum euacuent, non vt confluentem reuellant, atque quoad eius fieri poteſt, affectam particulam à fluxionis impetu liberam reddant. Dixi id certiſſimum eſſe, quia ſi reuulſio fuiſſet illis propoſita, diſtantiores partes elegiſſent, ex quarum venis ſanguis profuſus potuiſſet accommodatam facere in contrarium humorum attractionem, quia vero proximas eligunt venas, propterea deriuationem ſibiipſis propoſuerunt, qua potiſſimũ cum aliqua reuulſione ſanguis vacuatur in phlegmone contentus, vt ex Galeni verbis colligitur, quæ ſic habent libro huic tractationi dicato, capite decimoquarto: In quibus autem iuxta ſectam venam phlegmone eſt ingens, optimum eſt ſanguinis, & in colore, & in conſiſtentia mutationem expectare.] Sunt hæc verba (iuxta ſectam venam phlegmone eſt ingens) etiam atq; etiam animaduertenda; quia cum Galenus præcipiat vacuandum eſſe ſanguinem in phlegmone contentũ, non eligit venam diſtantem, ſed eam, quæ iuxta phlegmonem exiſtat ingens, & magna, hanc tundere præcipit vacuationis facilioris gratia. Supponantur hæc in præſentiarum explicanda à nobis, poſt ea diligentius libro de reuulſione, qui erit ſeptimus huius Methodi. Hæc igitur cum ſic habeant, quæſo cauſam illi mihi dicant, propter quam eodẽ die aut ſaltem ſecundo nollent remediũ reperere? Cur tanto tempore maxime neceſſarium remedium prorogent? Si Galenum, Auicennam, alioſq; clariſſimos authores imitari nolunt, quam ob cauſam non admittunt ſaltem rationem, plurimum vrgentem (quemadmodum ſentio) ab eodem Galeno propoſitam? Ratio

vero

vero eiuſeemodi eſt. In laſſitudine phlegmonoſa celerrime vacuandũ eſſe præcepit, quia veretur, ne ſanguis ſemimalus, & ex dimidio putridus, ex habitu corporis attractus in venas, corrumpat ſanguineam maſſam: rationabilis quidem ſuſpicio. At quid continget poſtea, ſi humor multo magis corruptus, in phlegmone conſiſtens, in venas attractus, non educatur ſtatim? Cur non coinquinabit ſanguinem? Semimalus poteſt eum coinquinare, malumque reddere? non poterit idem efficere ſanguis omnino malus, atque corruptus. Sanguinem in phlegmone contentum magis putridum eſſe: quam ſit in laſſitudine phlegmonoſa, mihi videtur apertiſſimum: at ſi quis non credat, obſeruet duo, vnum in laſſitudine, de qua ibi agit Galenus, nondum adeſſe febrem, quamuis maximum periculum minetur, ne cito acutiſſima adueniat, vt ille ſcribit quarto de ſanitate tuenda, in pleuritide vero febris putrida actu hominẽ fatigat. Alterum quod multo maior adeſt meatuum conſtipatio, & obſtructio circa phlegmonem, quam circa corporis habitum, & propterea multo maior eſſe debet putredo in particula phlegmonoſa, quam in laſſitudine. Poſſum ego indubitata fide teſtari me non raro obſeruaſſe multos ex hac peruerſa medendi ratione vitam cum morte commutaſſe, toto venarum ſanguine coinquinato, & ſordida putredine affecto, ob diuturnam moram putridi ſanguinis attracti, ex phlegmone in venas. Quid igitur, dicet fortaſſe aliquis, agendum eſt, ſi non licet, vnica vice in pleuritide tantum ſanguinis vacuari, vt in phlegmone contentus educatur? Reiterandam eſſe (inquam) venæ ſectionem eodem die, aut ſemel, aut bis: ac rurſus ſubſequenti ſemel, aut bis: hoc modo res erit in tuto: Galenum imitabimur: Rationem ducem ſequemur: nullum tandem ægrotis adueniet incommodum. Quamobrem hoc firmiſſimum ſit in præſenti materia præceptum, terminum iterationis eundem eſſe diem, aut quod ſummum ſit, poſtetum, vbi proponitur vacuatio ſanguinis in laſſitudine phlegmonoſa contenti, aut in aliquapiam inflammatione. Addamus iis aliam regulam. Si quando in omnibus venis putridus humor contineatur, huncq; confeſtim vacuare non liceat, parum refert, ſi eodem die non repetatur venæ ſectio, modo tamen hic celerrime vacuetur. Veritas regulæ pendet ex iis, quæ proxime dicta ſunt. Nam, ſi, vbi magnum imminet periculum, eodem die medicari expedit, cum tardare ſit malum, vbi tantum non adeſt periculum, poterit virium cauſa prorogari curatio. Iam ſanguis putridus continetur in venis neq; aliunde attrahitur, vt iam diximus de laſſitudine, & de pleuritide, factaq; priori euacuatione eadem remanet portio humorum in venis, ex qua nullum maius imminet periculum: idcirco ſi vires non permittunt eodem die fieri vacuationem, repetemus ſecundo, aut etiam tertio die ſemel, aut bis, prout neceſſarium eſſe indicabitur.

CAP. XX.

Quæ præcepta ſint obſeruanda in iteratione facta, reuulſionis gratia.

DE vacuatione ſatis videor dixiſſe, nunc de reuulſione pertractemus, pro qua reperficiunda opus eſt diligenter animadnertere, qualis exiſtat fluxionis conditio, cuius magna eſt vt ſuperioribus libris dicebamus, in eo quod magis, ac minus, latitudo. Pone maximam eſſe fluxionem, tunc tenere hanc regulam oportebit. Quanto citius iterationem feceris, tanto magis proficies. Regulam declarauit Galenus & exemplis nõ raro confirmauit. Dicebat enim venę ſectionem adhibitam gratia reuulſionis, quanto maiorem in numerum auxeris, tanto magis fore profluam: licebit igitur eodem die bis, & ſi videbitur opportunum tertio repetere, & ſequenti die ſimiliter bis, donec ſedatam fuiſſe fluxionem cognoueris. Pulchram hac de re Galenus commemorat hiſtoriam libro quinto Methodi medendi iuuenis cuiuſdam, qui ex refrigeratione inſtrumentorum reſpirationis incidit in ſanguinis reiectionẽ, huic primo die ſanguinem bis detrahendum curauit. Rurſus ſequenti die bis, ita vt quater fuerit ſanguis

miſſus duorum dierum ſpatio. Hunc ego imitatus ſum admodum frequenter in artis operibus, præſertim vero diebus præteritis, cum noſtra hæc tractatio imprimi cœperat. Incidit Ioannes Baptiſta Ratterius, vir nobilis, & amicus meus ſingularis, in ſanguinis conſimilem reiectationem, cui primo die bis, alio ſemel, tertio die ſimiliter bis ſanguis miſſus fuit magna illius vtilitate, & certiſſima ſecuritate: Hic non doceo, quot vicibus certo debeat repeti eodem die venæ ſectio; quia hoc neque dici, neque ſcribi poteſt, vt puta conſtitutum in manu prudentis Medici. Non tantum ab re fuerit putare maximam fluxionem ſiſti debere citiſſime iterata phlebotomia, ſpatio dierum quatuor, aut quinque, aut ſex: quemadmodum obſeruaui Galenum feciſſe In libro de ratione curandi per venæ ſectionem capite decimoſeptimo, cuius verba ſic habent: Sentit autem circiter horam quintam, ac prima protinus detractione tres ſanguinis libras exhauſi: deinde hora nona aliam.] Recordor ego in vehementiſſimo fluore ſanguinis ex vtero, me eodem die quater ſanguinem miſiſſe ex cubito, prima vice ad libram, aliis ad vncias octo, ac deinde ſecundo die ter ſanguinem miſiſſe tanta felicitate, vt quæ à ſuis Medicis nobilis mulier tanquam deplorata ſolo prognoſtico fuerat relicta, tandem magna omnium admiratione ſanitati fuerit reſtituta. Alia regula. Si fluxio non fuerit vehemens, ſecundo, aut etiam tertio die iterationem exercebimus. Hoc præceptum ex rei natura deducitur, quandoquidem celeritas auxilii ex motus celeritate morbi originem habet, cum vero tanta non mouetur celeritate, procraſtinatio inutilis eſſe non poteſt. Galenus quarto de ſanitate tuenda agens de curatione laſſitudinis phlegmonoſæ dicebat, in tertium diem remittendam eſſe iterationem, ſi propoſita reuulſio fuerit. Quod certe nullam omnino habere veritatem poſſet, ſi fluxio plurimum vrgeret: neque etiam Galenus poſſet à contradictionis nota vindicari, vt capite ſequenti docebimus.

Cap. XXI.

De modo obſeruando in iteratione. Ad quot dies debeat in ſummum extendi iteratio: Locorum difficilium in Galeno, & aliis authoribus explicatio.

Hiſce quinque regulis addendæ ſunt aliæ prioribus haud minus frugiferæ. Quarum vna pertinet ad modum: quem cognoſcere oportet, ne aliquid incommodi in hac materia contingat. Sit igitur regula: Prima vacuatio copioſior ſit ſecunda, tertiaq; ſit minor ſecunda, & ſic de reliquis. Huius ratio in promptu eſt. Nam ſi validiori exiſtente virtute copioſior ſemper decernenda vacuatio eſt, cum primum ſanguinem mittimus, vires multo validiores eſſe conſtat, quam progrediente morbo. Hoc tamen præceptum non eſt ita vniuerſale, quin aliquam exceptionem patiatur. Nam cum vacuationem inſtituimus in phlegmonoſa laſſitudine, prior ſanguinis detractio minor eſt, quam ſecunda: quemadmodum Galenus hiſce verbis ſignificauit. Optimum autem fuerit bis eodem die, ſi fieri poteſt, detrahere: ac primum quidem ita mittere expedit, vt animi deliquium homo non adeat: ſecundo autem, ne defectus quidem ipſe eſt reformidandus. Cauſa vero cur ſic faciundum ſit, alia non eſt, niſi quia vult vacuare eum ſanguinem, qui in exilibus venis carnium continetur, quæ res fieri ſemel non poterat ob diſtantiam ſanguinis phlegmonoſam laſſitudinem concitantis; idcirco prima vice eum ipſum ſanguinem in venas magnas attrahere voluit: poſteaque, iteratione facta, vacuare: quia non expediebat in illis diutius contineri ſemimalus, & ſemiputridus exiſtens, vt idem ſignificauit, & nos ſuperiori capite explanauimus. Porro non conturbent nos verba Pauli Æginetæ libro ſexto ſuæ medicinæ, capite quadrageſimo, quibus dicere videtur, primam vacuationem parciorem aliis adhibendam. Dictio illius ſic habet: Iam vero, ſi magnam vacuationem res poſtulet, vires autem ſint inualidæ, diſtribuenda erit inanitio, ac primum parcius detracto ſanguine, denuo idem auferetur, ſi res

etiam exigat tertio.] Etenim illud, ac primum parcius.] non eſt referendum ad ſubſequentes detractiones, quaſi quod illæ maiores eſſe debeant; ſed intelligenda ſunt in relatione ad corporis plenitudinem. Rem ſic habere declarat Galenus libro de ratione curandi per ſanguinis miſſionem, vbi inquit: Vbi ergo multa vacuatione eſt opus, vires autem ſint imbecilles, in his vacuationem partiri expedit, vt cum parum ſanguinis detraxerimus, iterum, ac ſi lubet, tertio eundem mittamus.] Quibus verbis apertiſſime admodum docet, parce vacuandum tam in prima, quam in aliis deinceps ſubſequentibus vacuationibus; idemq; Oribaſius, & dilucidiſſime Aetius libro decimoſeptimo teſtatur, dicens: Hos caute inanire oportet, primamq; ſanguinis ductionem ita imperfectam relinquere, vt ſecunda, ac tertia quoq; ſuppleat, ſi expedierit.] Sed de hoc præcepto ſatis. Addo nunc aliud. Terminus iterationis non tranſeat diem quartum. Pro huius dilucidatione ſciendum eſt, magnam hic ſeſe offerre diſcordiam inter antiquos artis huius magiſtros, & recentiores quoſdam medicos. Hoc enim præceptum intelligitur ex veterum ſententia, qui nunquam in hoc opere perficiundo eum diem tranſiuerunt; quinimo raro admodum obſeruaui Galenum ad quartum iterationem feciſſe. Nam vtplurimum non tranſit diem tertium, vt manifeſtum fecit libro de phlebotomia capite duodecimo, cum inquit: Nam pauculo ſanguine detracto, protinus melicratum exhibeo probe coctum, cum incidentium medicaminum quopiam, veluti hyſſopo, origano, & interim etiam nepita, aut pulegio, aut certe cum melicrato oxymel, aut oxyglycii; ac ſi rurſus ſanguinem minuo, vel ipſo eodem nonnunquam die, interdum die poſtero, in quo rurſus exhibito propoſitorum medicamentorum quopiam iterum de ſanguine quid aufero: ac rurſus tertio die ſimiliter bis.] Ex hiſce verbis colligimus trium dierum ſpatio quinquies ſanguinem detraxiſſe: ſemel primo die, duobus ſequentibus bis. Neque tamen hæc verba opponuntur iis, quæ ſcribit idem author in capite vigeſimoprimo, dum dicit: Iteratæ autem detractionis tempus, in quibus ſimpliciter quidem vacuare conamur, eadem die eſto, at in quibus reuellere, ſi vel duobus deinceps fiat, melius fuerit.] Idemque dixerat etiam in capite decimoſexto. Atque Oribaſius libro ſeptimo, capite tertio, & ſexto, in quo eiſdem Galeni verbis vtitur. Nam quomodo debeamus eodem die ratione vacuationis repetere, quomodo in poſterum remittere ſupra ſatis dilucide, niſi fallor, videor explanaſſe. Et nunc quidem illis addo, Galenum in capite duodecimo non propoſuiſſe ſibi ipſi ſimplicem vacuationem, vt in capite vigeſimoprimo, in quo dicit, ſimpliciter vacuare.] ſed vacuationem propoſuit cum præparatione crudorum humorum. Propterea diſtulit vſque ad ſecundum, tertiumque diem. Hac etiam de cauſa in capite decimoſexto addit: Eodem die, ſi ita expedire videatur.] Quid ſibi volunt hæc verba? An quod non ſemper expedit eodem die id facere ob virium imbecillitatem, ideo cogimur in ſecundum, & in tertium reponere iterationem. Hoc autem præceptũ eſſe quoddam commune patrum decretum, & traditionem quandam vniuerſaliſſimam profiteor, cuius rei aliud afferre teſtimonium nolo, quam quod ex multa illorum lectione diligentique obſeruatione ſcriptorum, nunquam licuit mihi inuenire contrarium. Legere oportet Paulum Aeginetam, qui Galeni ſimia nuncupatus eſt, libro ſexto, capite quadrageſimo, Oribaſium, libro ſeptimo, capite ſecundo, tertio, & ſeptimo, Aetium, ſermone octauo, capite ſexageſimoſecundo, Alexandrum Trallianum libro ſeptimo, capite primo, Galenum, locis iam explanatis, ac præterea in capite decimoſeptimo, tum libro ſexto Epidemiorum, ſectione tertia, commentario vigeſimonono, quinto methodi medendi, ac paſſim alibi. Quid hic Auicennæ, Auerrois, Rhaſis, atq; aliorum teſtimonia proferam? adeo ſunt euidentiſſima, vt in re hac immorandum non eſſe ducam. Nunc ad aliorum explanationem progredior.

Cap. XXII.

An in omni tempore vniuersali facienda iteratio sit. An easdem venas perpetuo incidere oporteat, vel vna pro alia sit substituenda.

HANC tamen nostrorum patrum traditionem Nouatores quidam Medici minime admittendam censent, putantes, quemadmodũ prædiximus, nullum esse tempus, in quo tuto eiuscemodi repetitionem exercere valeamus, quæ res non modo in aliis morbis, sed etiam particulariter in putridis febribus exequantur, in quibus in statu vniuersali volunt iterationem conuenire. Hanc video consuetudinem ita apud illos vigere, vt si quis eam non admittat medendi rationem, hunc tanquam in artis operibus parum exercitatum contemnendum esse ducunt. Deberem certe hoc loco eiuscemodi opinionem refellere, quoad eius fieri potest diligenter, cum videam, esse maxime absurdam: sed cogor hanc disputationem in locũ remittere commodiorem, ne tractationes inuicem confundantur: magis enim propria tractatio hæc pertinet ad eum locum, in quo ex proposito edisseram de tempore secandi venam, quod fiet libro Methodi huius nostræ octauo. Non patiar tamen, quin studiosi hoc loco non consequantur, quid nos ipsi sentiamus. Nullum tempus est, in quo non liceat commode venam incidere, si scopi sint præsentes, qui hanc vacuationem admittant, si vigesimus fuerit à morbo dies, illiq; tandem viguerint, protinus detrahendus sanguis est, atq; si non liceat per vires tantum vacuare, quantum morbus ipse postulauerit, facienda est iteratio, quocunq; tempore contigerit illius necessitas, obseruatis interea regulis ad ipsam iterationem necessariis. Verum, oportet meam hanc assertionem ita quidem accipere, tanquam ex suppositione quadam veritatem habeat, non autem absolute ac simpliciter. Suppositio est, si vigeant scopi morbo prorogato. Hoc autem num habere possit veritatem suppositum, discernere non est cuiusuis hominis, sed maxime iudiciosi, & in artis operibus exercitatissimi, quiq; etiam circa propriam ægroti naturam decipi nulla ratione aut difficulter possit. Quam sit hoc difficile, ea demonstrant, quæ in superioribus dicta sunt à nobis, quæ passim etiam à Galeno dicuntur, ac certe ego indicantes scopos adesse fortassis admitterem, vt plenitudinem aliquam corporis magnitudine morbi concomitatam, sed contraindicantes, aut raro, aut (vt rectius loquar) nunquam vigere in tanta morbi prorogatione contendo. Non fit venę sectio sola præsente magnitudine morbi, sed conspirantibus in vnam indicationem duobus illis scopis præcipuis magnitudine morbi, viriumq; robore, iis omnino dissentientibus, omnino est impossibile, ad eiusmodi opus accedere, vt prædiximus. Velim hoc perpetuo animaduerti, quia totius institutæ disputationis fundamentũ est: hoc autem sentio in putridis febribus augescentibus, minus etiam, vigente morbo, vires generosum hoc remedium pro dignitate morbi, ægrotiq; vtilitate vix ferre posse. Cur sic sentiam, explicabitur loco suo diligentius. Cæterum, quod accedant ad venæ sectionem, ob metum noui morbi, aut etiam, vt quidam arbitrantur præsentis, videntur probabilem quandam afferre sui operis excusationem, quæ recipienda ab omnibus est, si morbus eius fuerit naturæ, qui superuenit, vt venæ sectione perfecte curari, aut certe aliqua ex parte emendari possit. At si neutrum fieri potest, res est controuersiarum, & periculi plena, cum vires citra leuamen aliquod possint extremam, vt aliquando contigisse vidi, imbecillitatem incurrere, à qua nunquam, aut vix recreatos vidi. Prætermissa hac disputatione, rectius quæsierit quispiam, an in repetitione eandem semper incidere venam debeamus, an autem aliam illius loco substituere. Quæstioni breuiter in hunc modum satisfacio. Vigentibus eisdem indicationibus, ex eisdem venis perpetuo sanguis detrahendus est. Easdem vocare venas placet, duplici nomine, tum quæ præcise tales existunt, vt si primum iecoraria secta fuit, hanc eandem secundo incidamus; tum etiam, quando easdem non liceat penitus incidere, quæ illis proportione respondent, pro eisdem accipiendæ sunt. In

cubito,

cubito, vt explanabimus postea, tres magnæ inciduntur venæ, interior, exterior, media: quæ licet singulæ propriam habere videantur vtilitatem, tamen vnam pro alia commode posse substitui, tum à patribus nostris traditum est, tum à nobis non infrequenti experientia confirmatum. Sed si venæ tantundem non possunt, vna pro alia nequit substitui, certe ab hoc munere abstinendum. Hoc dico propter eos Medicos, qui in morbis diuturnis venam incidunt saluatellam, aut etiam venis hæmorrhoidalibus duas, aut tres hirudines applicantes, putant se optime suo muneri satisfecisse. Peruersum hoc decretum esse censeo, & humano generi perniciosum. Quandoquidem saluatella, aut nullam, aut admodum exiguam ferre vtilitatem potest: neq; hac ipsa putauerim, Galenum aliquando ex propria sententia vsum fuisse, quinimo nunquam meminisse, nisi aliorum decreto, ea manifestum faciunt, quæ scripsimus in primo Tomo epistolarum medicinalium. Ferri tamen potest, si quispiam inchoante morbo eam secauerit, at consistente, & fortassis etiam declinante, inde sanguinem exhaurire, mihi sane videtur absurdum. Quid vero de ipsis hæmorrhoidibus apertis sentiendum sit, in propria de illis tractatione differemus. Finem imponerem tractationi de iteranda vena, nisi recentiores quidam Medici in Auicennam maxime contumeliosi me interpellarent, de quibus iam transigendum est pro institutæ methodi absolutione.

Cap. XXIII.

Leonardi Giacchini de iteranda venæ sectione, aduersus Auicennam & Galenum opinio.

VERVM, quia Medici quidam recentiores acerrime Auicennam insectantur, in iis, quæ ille de iteratione dixit, præsertim Leonardus Giacchinus Emporiensis, in omnes Arabes contumeliosissimus, operæ pretium est, me hic sistere gradum, & antiquos tueri, quia nollem incautam iuuentutem hominis huius authoritate decipi, propterea afferre volo in medium, quæ ille dicit, atq; illis sigillatim respondere. Cum igitur legisset Giacchinus iste, Auicennam dicentem: ad summum melius est, vt phlebotomiæ vices multæ, quam vt eius quantitas sit multa,] putauit, hanc sententiam non esse veram, neq; rationi, neque Galeno consentaneam, quin nec ipsimet Auicennæ, vt qui alias horum immemor, integram vacuationem suaserit. Quæ nimirum (inquit) monstrant, nihil ratione duce scripsisse eum, verum phanaticorũ more aliena loqui, sibi profecto non intellecta. Quod igitur verum non sit (præterquam casu aliquo, vt mox dicemus) ipsa docet experientia. Sed & Galenus multis monstrauit exemplis, & citas fieri, & tutas sanitates, dum vires valeant, ætas consentiat, sitq; morbus magnus, si affatim semelque corpus vacuetur. Nec interim ratio deest, quampluries tetigit Galenus. In contrarium (inquit Galenus) statum agitur corpus celertime refrigeratum, (febris namque calor est.) Porro ea ratione refocillata natura, promptius ac celerius, quæ reliqua sunt, morbique solutionem aggreditur, vt Galeni exempla declarant, quæ libro Therapeuticos nono posita sunt. Herus enim illico (qui citra putredinem febriebat) seruus autem ad primam septimanam liberatus est. Neque id mirum: quoniam non sola vacuatio febres finit, quæ ex putredine sunt (inquit Galenus) libro vndecimo. Non igitur perpetuo verum est, detractionum numerum augendum esse, verum cum reuulsionem excogitamus, aut cum minus vires valeant: ita enim nos Galenus docuit. Quod autem reuulsio hoc exigat, ea est causa, quoniam scilicet [illegible] natura, illuc sanguinem transmittere, cum per temporis interualla, quasi [illegible] ta, sæpius sanguinis quadam attractione extiterit: vbi vero vires labun[illegible] nerunt intermedio detractionum spacio refici. Quare & tunc, non ideo [illegible] ndo detrahimus, quo sic expediat magis: sed quoniam non omnia, ita se ha[illegible] te ægrotante, ad votum peragi possunt, haud scilicet consentiente virtu[illegible] igitur Galenum rem hanc hisce verbis declarantem: Cæterum, vbi fer-

uescentis sanguinis copia adest, acutissimam accendens febrem, subito ac simul vacuare expedit; vel ad animi deliquium vsque, virium modo inspecto robore.]

CAP. XXIIII.

Impugnatio opinionis supradictæ.

HÆc ille in Auicennam multo verius blaterauit, quam scripsit: Quam rem nunc facere manifestissimam volo. Inprimis autem illud constet, Auicennam venæ sectionem simultaneam, & ad animi deliquium vsque admisisse, vt etiam concedit Giacchinus, tunc vero potissimum id conuenire putat, cum à sanguinis multitudine magnus procreatus fuerit morbus, & vires validæ extiterint: idcirco non est erroris insimulandus, quod vel hanc ignorauerit vacuationem, vel quod prætermiserit. Eius itaq; sententia hunc habet sensum: Melius esse, in phlebotomia multiplicare numerum, non ratione eius morbi, qui simultaneam & copiosam postulat, consentientibus viribus, vacuationem, sed ratione virium, quæ copiosam illam vacuationem ferre non possunt. Vbi ergo suspicati fuerimus, vires non esse ferendo vacuationis quantitatem à morbo indicatam, aut quod manifesta signa sese offerant nobis imbecillitatis virium, vel etiam quod incognita sit nobis propria, & particularis ægroti natura, melius est, atq; tutius consultum, in vacuando infra subsistere, quam quomodocunq; vacuare; quandoquidem vbi supra, quam oporteat, fuerit vacuatum, id resarciri non potest, at si infra restiterimus, reliquum succi superuacanei ipsa iteratione cum magna commoditate vacuabimus. Quamobrem præstat, vt Galenus ait vndecimo Methodi medendi, aliquid sanguinis ad curationis totius spaciũ relinquere, ne postea citra necessitatem nutrire cogamur. Itaq; vniuersalissima est illa regula Galeni, atque rationi maxime consentanea. Illud etiam præterea confirmat regulam, quod in tota tractatione de venæ sectione, quam ille in cap. 20 quartæ sectionis primi libri inseruit, iterationis mentionem faciens loco suo, docuit, ad eam nunquam esse accedendum, nisi aut cum reuellere fuerit consilium, aut vires fuerint imbecillæ. Omnes Medici obseruare debent, & accurate perspicere hanc regulam, tam qui in arte parum profecerunt, quam qui maxime in artis operibus exercitati sunt: illi, ne pro animi deliquio afferant mortem, quod à nonnullis Medicis factum fuisse, Galenus tum libro de ratione curandi per venæ sectionem, tum nono Methodi docuit, & nos aliquando contigisse obseruauimus: hi vero, quando cognouerint, vires non esse admodum validas, tum etiam, quando propria ægroti natura fuerit incognita. Hæc enim ea est, sine qua mensura vacuationis haberi non potest: At vero, propriam naturam ad amussim cognoscere, maximam difficultatem semper habuit. Galenus quidem fatetur, sese non habuisse illius exactam notitiam: quid ergo aliis continget? Huius ipsius causa, Ars medica in actione dicitur esse coniectatrix: at coniecturæ fallunt non raro ipsos artifices. Hæc si vera sunt, quis audebit in ancipiti casu ad extremum vacuationes promouere? Quis non melius esse duxerit, aliquid naturæ committendum, quam totam semel exhauriendam peccantis humoris quantitatem? Ergo, qui propriam ægroti naturam minime nouerit exacte, ab eiuscemodi vacuatione abstinere etiam atq; etiam debet. Deinde vero in eo error est, quod putat non esse adhibendam iteratiõe, vbi ad animi deliquium vsq; vacuamus. Quam rem Galeno contradicere, eius verba manifestũ faciunt, lib. 4 de sanit. tuend. cap. 10. quorum supra mentionem fecimus. Amplius in eo decipitur, quod synochum putridam curari semper venæ sectione vsque ad lipothymiam arbitretur. Nam certe in hac re Galeno contradicit adeo aperte, vt nihil apertius: quemadmodum Galeni verba ostendunt, in 11. Methodi, cap. 14. ex quibus constat, Galenum in synocho putrida haud semper sanguinis missionem ad animi deliquium vsq; consuluisse. Itaq; concludimus, Giacchinum, dum videri vult acerbus Auicennæ, omniumq; Arabum reprehensor, turpi admodum errore detineri, quoniam vnum potissimum Galenum repre-

reprehendit: dogmaticumque præceptum subuertere conatur. Idcirco volo concludere, longe tutius esse, in phlebotomia excercenda multiplicare numerum & vices, quam totam simul quantitatem vacuare.

Cap. XXV.

Quibus signis sanguinis vacuandi mensuram ipso in opere decernere valeamus.

Postquam omnia videor prosequutus, ad quantitatem huius remedii pertinentia, tam continuam, quam discretam: Nunc dilucidioris doctrinę gratia, vt coniecturalem hanc notitiam magis conspicuam habeamus, docere volo signa, quibus sanguinis vacuandi mensuram ipso in opere decernere valeamus. Proponemus autem pro thesi nostræ tractationis Galeni verba, in libro de phlebotomia, quæ sic habent: Nam cum incisa vena sanguis effluit, mutationi eius, & maxime cum adest iam in phlegmone, labescentisq; fluxionis robori, potissimum vero pulsuum mutationi, tanquam signo haudquaquam mendaci animus diligenter attendendus est, continuoq; quiescendum pulsu alterascente, aut in magnitudine, aut in quauis inæqualitate: nam de mutatione in obscuritatem quid attinet dicere? Didicisti enim in hac qualitate certam fieri discretionem firmarũ, infirmarumq; virium.] hæc ille; breuissimis verbis multa complexus est, de quibus sigillatim agendum, si tamen admonuerimus, ex tribus hisce indiciis, duo præsertim videri aliis de causis posse contingere, quã à sola missione sanguinis: nempe sanguinis labescentis robur, & pulsus alteratio. Declarare itaq; oportet, quomodo distinguendum, an à venæ sectione, an autem aliis occasionibus contingat. Tribus de causis aduenire solent eiusemodi symptomata: vna est ægroti ingens timiditas: alia est morsus oris ventriculi, Græci vocant καρδιαλγίαν: tertia est imbecillitas vitalis facultatis. Si timor metusq; adfuerit, haud ægre cognosci poterit, tum scilicet ex assidentium relatione, tum vero maxime ex verbis ipsius ægroti, qui renuerit multum executionem remedii. At si ex morsu oris ventriculi contingat, notitiam habebis ex duobus potissimũ signis: nempe ex præsentibus dispositionibus, pręcedentibusq;, vt si ægrotus cardialgia laborare consueuerit, si morbus ex eorũ sit numero, qui ventriculo facere soleat negoriũ, atq; si aliàs facile in eum incidere affectũ fuerit assuetus. Confirmabunt præsentia symptomata, vt nausea, singultus, & vomitio. Iam quidem, si ex hisce duabus causis, aut in pulsu mutatio, aut sanguinis imbecillior motus appareat, non impedit remedii vsum, sed duntaxat retardat, donec fuerit illis occursum. Quę vero sit ratio succurrendi, non est hoc loco docendum, quia infra, dum loquemur de corporum ad hanc vacuationẽ præparatione, sermonem de hac re sumus habituri. Tertiam solum causam intelligit Galenus, cuius ratione, si fieri contingat mutatio in pulsu, aut etiam sanguis non libere profluere valet, protinus est ab ipso opere cessandum. Cæterum vires defecturas non hisce modo signis cognoscemus, sed ex pallidiori faciei colore, ex oscitationibus & pandiculationibus crebris, oculorum suffusionibus, aurium tinnitu. Si quando igitur hæc adfuerint omnia, aut horũ maior pars, firmam tunc habebimus coniecturam, ab opere desistendum, quia si vltra progrediemur, adeo reddentur imbecillæ vires, vt nulla postea valeant ratione in pristinum statum restitui. De hisce omnibus signis, & aliis, videtur mihi etiam luculenter scripsisse Auicenna in 4. sect. prioris libri, cap. 20. cum ait: Vigore igitur fluxionis inclinante, aut coloris sanguinis, vel pulsu immutato, præsertim ad imbecillitatem, protinus supprimendus est. Similiter si oscitationes, pandiculationes, singultus, nausea, vel aliud consimile accidens iis superueniat, quod si cito color aut impetus mutetur, attente pulsum obserua, cui maior in hoc fides habenda est. Ad hæc animi defectio in multis vacuationibus terminum obtinet.] Hæc ille: qui mihi maxime diligenter omnia videtur prosequutus ad hanc mensuram decernendam opportuna, quæ postea in subsequentibus maiorem fidem habebunt.

CAP. XXVI.

Qualis sanguinis mutatio circa colorem, & consistentiam expectari debeat in particulis phlegmone obsessis.

INCIPIAMVS igitur sigillatim docere, quæ aliquam nostra industria dilucidationem exigere videntur, principio sumpto à mutatione coloris, de qua Galenus hæc scribit: In quibus autem iuxta sectam venam phlegmone est ingens oprimum est sanguinis, & in colore, & solum consistentia mutationem expectare, sicut indicauit Hippocrates in libro de acutorum victu, quando de pleuritide verba facit, alius enim est, qui in phlegmone est sanguis, quam qui secundum naturam, vtpote plus excalefactus. Nam si antea crudior erat, rubidior multo & flauior efficitur. Sin eiuscemodi prius fuerat, ad atredinem vergit adustione. Proinde Hippocrates de pleuriticis in hunc modum scripsit: Secanda vero in cubito vena interna, nec verearis multum detrahere, si rubrior, flauiorq; multo fluat, aut pro puro, aut rubro, liuidus. Vtrumque enim euenit. Siquidem signum constituit, assumpti in sectam venam ex phlegmone sanguinis mutationem in eo apparere.] Dixerat ipso sectionis tempore tria esse, à quibus sumebatur de idonea mensura sanguinis coniectura, illius inquam mutatio, fluxionis eiusdem conditio, tertium vero pulsus alteratio. Egit de duobus hisce postremis, vtpote communibus omnibus morbis, nunc diligentius agere instituit de primo, de quo duo dicit: vnum, quæ mutatio in sanguine fit expectanda: aliud, an semper eam expectare debeamus, hæc summa est. Porro duplicem proponit in sanguine mutationem, vnam in colore, aliam vero in consistentia. Vtriusq; mutationis causa est alteratio à calore, quæ in parte phlegmonosa contingit. Fit enim phlegmon ex confluxu sanguinis vberioris in affecta particula, quam illi sit e:. vsu. Nam maiores venæ vbi aut multitudine, aut mala qualitate fuerint lacessitæ sanguinem expellunt in minores venas, hæ rursus in alias, neq; finem habet eiuscemodi motus, donec ad eam deuentum fuerit partem, quę ob imbecillitatem amplius propellere non possit, tũ extra venas prolabitur in spatiũ illud inane quod inter carnes, musculosq; continetur, ibi, cum in loco sit calido, sanguisq; calidus, & humidus existat, & difflari non possit, putrefit, quia caliditate, humoreq; prædita omnia, cum non difflantur, putrefieri necesse est. Hinc, tum substantiæ, tum coloris mutatio sequitur: substantiæ, quia aliquando tenuior, & aliquando crassior euadit sanguis: colore, quia fit multo rubrior, multoq; flauior, aut pro puro, aut rubro, liuidus. Primum, fit rubrior, atq; flauior, quia sanguis primo effluens tenuior est, magisq; ad flauæ bilis naturam accedit, mox autem crassescens, liuescit, tandemq; ad naturã conuertitur atræ bilis. Vtrumq; autem contingere admonuit Hippocrates; quæ verba duplicem habent sensum, vnus est in sensu coniuncto, vt scilicet dicere velit, in omni vacuatione sanguinis mutationem apparere quoad vtrumq; colorem: alius est iu sensu diuiso, quod vtrumq; contingat alternatim, modo hoc, modo illud. Posteriorem hanc explanandi sententiam admiserim multo libentius, quandoquidem citra omnem difficultatem constat pleuritidem pro maiori parte concitari à sanguine tenuiori, aut saltem nullam esse pleuritidem, quæ biliosum sanguinem non contin[illegible] viam præparantem crasso, & viscido sanguini, neque enim aliter potest imaginari, à melancholico, aut pituitoso fieri pleuritidem. Inchoante itaq; hoc affectu sanguis circa phlegmonem consistens, tenuis est, & biliosus, vtpote maxime excalefactus, progressu vero temporis, crassior omnino redditur. Hinc mutatio circa substantiam, & colorem duplex, vna quando sanguis tenuior effluit, alia quando crassior, vna quando flauior, ac rubidior, alia quando liuidior, atq; nigrior. Rem sic habere, atq; hoc modo in artis operibus obseruandũ, verba Hippocratis manifeste demonstrant, quæ sic habent: Si rubidior, flauiorque multo fluat.] Hoc sane pacto possumus ratiocinari, quando sanguis fuerit multo flauior, eo magis est tenuior, ad bilisq; flauæ naturam vergens: at dum sanguis mittitur in pleuritide, apparet sanguis multo flauior, cumq; talis apparuerit, supprimenda

menda vacuatio est. Mutatio itaq; in substantia sanguinis in phlebotomia obseruanda est, quando sanguis ex substantia temperata ad substantiam tenuiorem mutatur. Confirmatur præterea explanatio ex Galeno, secundo de febrium differ. cap. 9. & secundo de Crisibus, quibus in locis agens de pleuritide, sanguinem, inquit, in inflammationibus mutari in bilem flauam, & in melancholiam: pinguior, & tenuior, & calidior pars in flauam, crassior in melancholiam degenerat, sed prior est degeneratio, quæ fit in bilem: posterior, quæ fit in melancholiam. Id etiam exspuitiones manifestum faciunt; nam educitur prius flauescens sanguis, liuidior postea. Hoc sane voluit Hippocrates significare, cum dicebat: Si rubrior flauiorq; multo fluat,] hoc est, dum sanguis mittitur, obseruandum est, effluere primum sanguinem in consistentia, & in colore temperatum; postea vero educi multo rubidiorem, multo flauiorem, vtputa magis calefactum, multo tenuiorem biliosioremq;. Hinc aliorum Medicorum colligito errorem, qui dicunt, mutationem in substantia exspectandam in phlebotomia esse, cum sanguis ex tenui aut temperata substantia crassior apparet. Neminem hactenus in operibus artis contrariũ sentientem cognoui, & certe magna admiratione dignum videtur, cum Hippocratis contextus adeo sit dilucidatus, adeo apertus, vt qui veritatem non inspiciat, is mihi cœcutire videatur. At quid contextum Hippocratis profero? cur non etiam rationem Galeni pro illius dilucidatione propositam, tum lib. 2. acutorũ, tum hoc loco affero in medium, quæ veritatem apertissime docebit. Verba Galeni sunt: Nam si antea crudior erat, rubidior modo & flauior efficitur. Sin eiuscemodi prius fuerat ad atredinem vergit.] Locum hunc hoc pacto explanandum duco. Pleuritis fit aliquando à sanguine crudiore, qualem pituitosum esse dicemus; aliquando à sanguine bilioso. Pituitosus sanguis in phlegmone contentus maxime excalefactus, mutatur in sanguinem biliosum; alter vero in melancholiam, ille igitur attenuatur, alioquin in flauam bilem transmutare non posset naturam; hic vero assatione incrassatur. Libro secundo de ratione victus in morbis acutis, comment. 10. hisce verbis idem author nostram explanationem confirmat. Quicquid igitur sanguinis in phlegmone continetur, id caloris abundantia colore permutatur; reliquum autem in partibus omnibus simile manet. Eam ob causam sanguine, qui in totum spargitur corpus, pituitosiore existente, rubidior sane erit, qui in eo, quod phlegmone obsidetur, latere continetur: quod si sanguis in totum corpus diffusus rubidus fuerit, is proculdubio, qui ad phlegmonem est adustus, assatusq; in nigrũ permutabitur; liuidus autem ex ea, quæ fit à rubido, ad nigrum transmutatione medium obtinet.] Hæc ille. Ex quibus colligo, quod si pleuritidem fecerit sanguis ad pituitam vergens, quo totum abundauerit corpus, oportere sanguinem in phlegmone contentum magis excoctum excalefactumq; tenuiorem fieri, at si fiat ex temperato sanguine, aut etiam crassiore, mutationem fieri ad nigrius, crassioremq; substantiam. Hæc secundum explanationem Galeni. Quid vero huic nostra addiderit explanatio, alii iudicabunt.

Cap. XXVII.

Magnæ dubitationis explicatio, quæ contra sententiam Hippocratis & Galeni insurgit.

SED quomodo ex phlegmone sanguis assumitur in venis, qui nulla ratione in ipsis remanere potest? Sic enim Hippocrates libro tertio de morbis tradidit: Quemadmodum, vbi quis vehementer percussus est, sanguis sub plagam subtercurrit, nimirum in venas à plaga vacuatis: postquam autem carnes veluti spongiæ fuerint impletæ, non amplius remittunt, sed continent in seipsis, donec in loco aliquid ex seipsis vacuatum fuerit: cum enim collectus fuerit sanguis, præ copia viam intercipit.] Hæc ille. Quæ si vera sunt, qua ratione hic dictum est a Galeno, & libro secundo acutorum, commentario decimo confirmatum, sanguinis missionem ex phlegmonis loco humorem vacuare? Respon-

deo, me imaginari non posse, extrauenatum sanguinē à calore naturali destitutum, & iam crassiorem redditum, secundo in ipsa venis remeare posse. Hunc enim arbitror, vel per insensibilem transpirationem dissolui, vel in pus conuersum abscessum facere, aut sudoris instar percolari: at à venæ sectione vacuari posse non credo, vt recte traditum est ab Hippocrate. Porro si fuerit admodum tenuis & paucus, nondū coactus, nec in particula affecta tenaciter inhærescens, id impossibile non esse putauerim, quamuis admodum raro contingat. Neque propterea fit, vt arbitrer, Galenum non recte sensisse: nam animaduertere oportet, posse nos dupliciter locum interpretari: primum, quod sanguis inflammationem efficiens, non solum in loco inflammationis continetur, sed etiam ex communi omnium consensu in proximis venis, à quibus effluit postea in capacitatem propriam. Ergo, qui extra venas continetur sanguis, amplius non potest in venas attrahi aut remeare. Atqui adest in venis, iam proxime in locum phlegmonis confluxurus, educitur à sectione venę. Intelligamus igitur per phlegmonem non modo particulam continentem sanguinem extra venas: sed etiam totum tumorem cum venis illum circumambientibus; atq; hoc modo nullus amplius erit contradictionis locus; & nota pro confirmatione opinionis huius, quod in Græco codice manuscripto, qui est apud me, legitur, ἐγγὺς φλεγμονῆς,] quod est, prope aut iuxta phlegmonem.] & quamuis hanc lectionem in Aldina impressione atq; aliis non obseruauerim, veram tamen esse arbitror, tum quia rationi consona est, tum quia eandem etiam admittunt lectionem Germani quidam scriptores, in Græcis literis versatissimi, quos gratis sic transtulisse contextum minime putauerim. Secundo etiam dicendum est, posse aliquando sanguinem in venas regredi, cum tenuis fuerit & paucus, atq; nondum inhærescens partibus, aut crassefactus. Hippocratem vero locutum fuisse de multo sanguine, & inhærescente: Galenum de pauco & tenui.

Cap. XXVIII.

An semper exspectanda sit mutatio in colore, & in consistentia, in pleuritide, omniq; inflammatione.

DOCERE nunc superest, an semper sit exspectanda eiuscemodi mutatio, & quando apparente mutatione cessandum. Diximus, duabus de causis ab opere quiescendum non exspectata eiuscemodi mutatione: vna est, quando vires imbecillæ sunt: alia est, quando phlegmon praue sit disposita. Quod vires imbecillæ copiosam vacuationem prohibeant, dictum est in superioribus, & abunde hactenus explanatum. Prauitas autem phlegmonis, quam hic nominamus, est, cum nihil illa quidem remittit suscepti sanguinis; non remittit autem, cum maxime impactus fuerit, & fortiter in affecta particula constrictus; tunc enim, licet vires validæ sint, mutatio exspectanda non est, sed tunc venæ sectionē iterare oportebit, quam semper adhibemus duplici nomine: tum propter vires imbecilliores; tum quia non potest sanguis semel vacuari; quando vero neutra ex hisce causis impediat, exspectari mutatio debebit, præsertim si aeris adfuerit temperata constitutio. Sed circa mutationem coloris dubitari posset: quonam tempore, vbi mutari contigerit, confestim ab opere cessandū sit, num scilicet statim atq; incipit, an autem postquam diu processerit mutatio. Respondeo, quod non debemus statim supprimere vacuationē sanguinis, cum incipit: malus enim corruptusq; sanguis contineretur in venis: Sed catenus in vacuando progrediendum est, quatenus iudicatū à nobis probabili coniectura fuerit, sufficientē fuisse quantitatē vacuatam: nam si aliqua portio adhuc remaneat, eam tamen superabit natura, aut per insensibilem transpirationem, aut per sudorem. Hęc vero sigillatim confirmat Galenus hisce verbis: Non tamē omni ex parte hæc exspectanda est, verū est, vbi tanquam existat, cessare conueniat: idq; duplici nomine, ob infirmas videlicet vires, aut phlegmones prauitatem. Interdum enim nihil ab ea emittitur, sed inibi fortiter constrictus est. Si tamē vires exsolui euacuatione non-

ne nondum videantur (id quod ex pulsu scies, & si cui sanguis mittitur, ætate sit florenti) expectanda est mutatio, præsertim si aer sit temperatus.] Quam vero ob causam ille dixerit, præsertim si aer sit temperatus,] libro tertio demonstratum à nobis est.

Cap. XXIX.

De aliorum erroribus circa sanguinis colorem & consistentiam.

EX iis, quæ dicta sunt, multa colligemus maximi alioquin momenti contra aliorum Medicorum sententiam. Quorum primum est hoc, venæ sectionem in pleuritide fieri Hippocratis præcepto, ex eodem latere, vt vacuetur sanguis in phlegmone contentus, non autem vt fluentem sanguinem reuellat. Quam rem videtur mihi parum recte animaduertisse Curtium & Martinum Achachiam, atq; alios eiusdem opinionis fautores, qui reuulsionē simpliciter dictam in principio omnium inflammationum necessariam, cum deriuatione turpi admodum errore confundunt. Verum, quod hic dico, multo fiet illustrius, apertiusq;, cum de reuulsione septimo libro pertractabimus. Colligo præterea, hoc præceptum de mutatione coloris fuisse præcipue scriptum propter inflammationes, vt sanguis in illis contentus vacuatus esse cognoscatur: idcirco in aliis morbis non habet ita locum, vt in phlegmonosis partibus. Dixi, non ita habere locum, quia mutatio coloris est aliquando in aliis morbis obseruanda: quomodo autem vtrumq; locum habeat, explanabitur à nobis, proposita prius Cornelii Celsi sententia, quæ sic habet: Cum sanguis profluit, colorem habitumq; eius attendere oportet: nam si is crassus & niger est, vitiosus est, ideoq; vtiliter effunditur: si rubet & pellucet, integer est, eaq; missio sanguinis adeo non prodest, vt etiam noceat, protinus is supprimendus est.] Hanc sententiam adeo ducunt obseruandam Medici quidam nostri temporis, vt nunquam profundere sanguinem velint, si rubeus lucidusq; effluxerit, quod citra distinctionem prolatum absurdissimum esse constat: neq; etiam Celsus eam, vt vniuersalem proposuit, quemadmodum iudico; tum quia præcipuus Hippocratis fuit imitator, tum etiam, quia satis patere arbitror, illum de phlegmonosis dispositionibus fuisse locutum. Expendamus rem diligentius. Si præseruationis causa sanguinem mittimus, quia tunc nulla in sanguine labes existit, mutationem aliquam in colore atque consistentia facere non potest. Solam enim plenitudinem euacuare propositum est, à qua eiuscemodi morbi imminent, quorū præseruationis causa remedium adhibetur. Hac ratione nullam omnino expectabimus mutationem in sanis corporibus. Addo, quod neq; etiam in synochis febribus citra putredinem: nullam præterea in putridis febribus intermittentibus, quandoquidem in illis mittitur sanguis ratione præcautionis, venis nihil patientibus, vt in tractatione de febribus & superioribus libris me abunde arbitror demonstrasse. Est autem animaduertendum, in quartana abstinendum à phlebotomia, quando sanguis appareat rubeus: si enim niger effluxerit, vacuandus est, quia à sanguine nigro quartana ducit originem. Si quando igitur contingat, nigrum sanguinem vacuatum esse, postea vero tenuis flauusq; subsequatur, protinus ab opere abstinendū est; quod si neq; niger etiam appareat, nunquam vacuandus est Galeni testimonio, primo ad Glauconem, capite de curatione quartanæ. Ridenda est igitur consuetudo Medicorum quorundam nostri temporis, qui in omnibus morbis hanc expectandam esse mutationem dicunt. Intelligunt vero mutationem, quando sanguis effluit primum niger, mox autem in rubeum desinit. Sed certe id ego maxime erroneum esse censeo: nam accidit primū sanguinem aperta vena effluentem nigricare aut putridum esse; cum sæpe fuerit obseruatum purum illum, sincerumq; vacuari, prout illius fuerit conditio. Nulla fit tunc segregatio partiū sanguinis, at confusus & permistus foras prosilit. Putare igitur, vt illi dicunt, prouidam naturam statim sanguinem malum emittere ad propriū emissarium, segregareq; illum statim quodam admirabili modo à bono sanguine, est omnino contra experientiam rationemq;. Idcirco mutatio caloris in phlegmone af-

fectis partibus ea debet obseruari, quam supra ex Galeno demonstrauimus; in aliis autem morbis, aut nullius vsus est eiusce modi obseruatio, aut admodum exigui. Sunt præterea, qui venam secantes, vbi viderint sanguinem rubeum perlucentemq́;, statim volunt, supprimendam esse vacuationem, quæ res vniuersaliter pronuntiata omnino est falsa. Quid enim, si quispiam præseruationis causa ab ardente febre vere sanguinem mittat? Cur non habebit pro summa gratia sanguinis huius ardentissimi vacuationem? Talis enim vacuatur, qualis in corpore consistens, & adauctus facere morbum solet; ideo illius vacuatio maximum vsum afferre poterit. Sed de mutatione circa illius colorem & consistentiam satis diximus, relinquitur, vt de aliis tractemus.

Cap. XXX.

Quod signum erit sufficientis vacuationis, sumpto indicio à sanguine, vbi particula phlegmone minime laborauerit.

ERGO, si nullum certum à colore signum sumi potest, quando particula phlegmone obsessa non est, quod haberi signum poterit sufficientis vacuationis? Quomodo cognoscemus statim supprimendam inanitionem? Duo signa sunt: vnum est, impetus sanguinis labascens: aliud vero pulsus mutatio. Est vtrumq; certum: at secundum multo certius. Animaduertendum est circa modum sanguinis effluentis, ne fluere desinat, aut ob timorem, aut ob sectionem à chirurgo haud bene factam: nam vtrunq; contingere solet: aberrantq́ue non mediocriter quamplures Medici, statim supprimendum esse sanguinem putantes, vbi viderint illius impetum firmari. Quid agendum, si ob timorem contingat, explanabitur loco suo: at vero, si ob incuriam chirurgi adueniat, id aliis docendum relinquo: neq; enim hoc meæ Methodi institutum est. Duntaxat hoc admoneo, videri mihi signum satis euidens ac certum, virtutem validam existere, si aperta vena sanguinem valide profundat; si enim non adesset in ipsis venis, aut maior copia, quam deberet adesse, aut mala quędam sanguinis dispositio, expultrix facultas haud ita valide ad expellendum insurgeret. Sed certe segnius sineret profundi sanguinem. Mutationes vero, quæ apparent in pulsu, adeo certe terminum huius vacuationis denotant, vt nihil certius inueniri possit, modo tamen absint affectus animi, vt prædiximus; si ex magno paruus, si ex æquali inæqualis, ex robusto imbecillius euadere incipiat, quis non statim vacuationem supprimendam esse duceret? præsertim aliis accedentibus signis supra commemoratis? Cæterū, hę regulæ videntur certam præ se ferre coniecturam supprimendi sanguinem, quando secta fuit vena vacuationis causa. At si reuulsionis adhibendæ causa hoc fuerit admissum remedium, nihil horum continget; quia neque maxima quantitate singulis vicibus profunditur; neque etiam aliqua circa pulsum, aut faciem ægroti, aut sanguinis motum apparere possunt signa imbecillarum virium, nisi certe admodum raro, vt cum ex aliquo errore, aut Medici, aut ægroti, aut assidentium inopinatus quispiam casus contigerit. Quis enim imaginabitur, virtutem ex repetita venæ sectione labefactari? Idcirco nihil est, quod in ipsa repetitione terminum quæramus vacuationis huius, facta ratione reuulsionis, ex signis supra positis. Quid igitur ab euacuatione abstinendum significabit? nihil sane aliud, quam vbi fluxionem destitisse viderimus. Id vero tunc potissimum cognoscemus, cum symptomata fuerint mitigata morbi naturam consequentia. Sed quia videntur hæc sufficienter explanata, nunc ad aliorum dilucidationem nostra progrediatur oratio.

Cap. XXXI.

Dum sanguis mittitur, non solum pulsus mutationem in paruitatem, aut inæqualitatem, sed etiam in magnitudinem esse obseruandam.

DIFFICILIA maxime videntur hæc Galeni verba: Continuo quiescendum pulsu alterascente, aut in magnitudine, aut in quauis inæqualitate.] Nam

Nam certe, quomodo si pulsus ex paruitate in magnitudinem mutetur, signum esse possit, vires existere imbecillas, ita vt supprimere vacuationem debeamus, maxime ambiguum videtur; nam eiuscemodi mutatio nullam indicare potest imbecillitatem, quin potius robur adesse magnum. Quamobrem si protinus à sanguinis vacuatione desistendum, cum vires fuerint imbecillæ, hic non potest indicari vacuationis terminus, viribus existentibus validis. Hæc mihi videtur magna difficultas, quam Germani luci huius enarratores, atq; alii nostræ nationis minime obseruarunt. Respondeo, ab ipsa vacuatione protinus desistendum, tum quando virtus adeo imbecilla est, vt copiosiorem ferre inanitionem non possit; tum etiam, quando virtus ad pristinum statum reuersa est. Signum imbecillitatis ex pulsus mutatione cognoscitur in paruitatem, aut inæqualitatem, magno antea existente & valido, de qua mutatione dixit: Nam de mutatione in obscuritatem quid attinet dicere? didicisti enim, in hac qualitate fieri discretionem firmarum infirmarumq; virium.] Signum vero, virtutem ad priorem statum fuisse reuersam, est mutatio ex paruitate in magnitudinem. Procuius rei dilucidatione meminisse oportet eorum, quæ superioribus libris à nobis dicta sunt de virium imbecillitate. Namque duobus modis imbecillas dici statuebamus: tum quando erant per dissolutionem substantiarum languidæ; tum quando erant per oppressionem: illæ non ferunt vacuationem: hæ admittunt, & aliquando etiam copiosam: propterea haud possum nuncupari imbecillę absoluto sermone. Cum itaque vires opprimuntur à sanguinis multitudine, protinus vacuationem instituere oportet, cuius vacuationis terminus erit, quando videbimus pulsum mutari ex paruitate in magnitudinem, quia tunc certi erimus, vires amplius non opprimi à multitudine. Idcirco natura tunc non postulabit vlteriorem vacuationem. Pulsum vero ab eiuscemodi causa paruum fieri certum est.

HORATII AVGENII A MONTE SANCTO, DE RATIONE CVRANDI PER MISSIONEM SANGVINIS;

LIBER SEXTVS.

CAP. I.

De quibus in hac tractatione agendum sit.

LICET hactenus videar omnia ad quantitatem pertinentia prosecutus: nonnulla tamen adhuc supersunt, quorum explanatio pro tractationis institutæ absolutione perquam necessaria est. A nobis enim, tum sæpe aliàs, tum in hoc etiam opere dictum fuit, ætatem, corporis habitum, anni tempus, superuenientia symptomata, mulierem vtero gerentem, aliaque eius generis, non habere vim contraindicandi venæ sectionem, sed quantitatem duntaxat limitandi. Idcirco videtur operæpretium, vt de illis differamus, quatenus præfinire possunt huius remedii quantitatem. Verum, quoniam de indicatione, quam suggerit ætas primo libro abunde contra recentiorum quorundam consuetudinem, & fortassis etiam veterum disputauimus, de aliis vero in eo, qui hunc sequebatur, tractatio instituta fuit, quando de coindicantibus, & secundo loco contraindicantibus sermonem habebamus, mulieribus vtero gerentibus prætermissis, propterea nunc reliquum vi-

detur, vt de illis tranſigamus, atque doceamus, quoad eius fieri poteſt, diligenter: an vteri geſtatio prorſus inhibeat venæ ſectionem, an autem quantitatem menſuret. Scio difficile hoc eſſe negotium, quia Hippocrates & Galenus videntur prorſus negare hoc generoſum remedium. Admittunt alia ex parte Cornelius Celſus, & Auerroes. Experientia magis his, quam illis fauet. Recentiores præterea Medici in varias opiniones diſtracti de hac re quotidie litigant, cum vnus mittendum eſſe ſanguinem, alius omnino abſtinendum contendit, ita vt arbitrer ego, hanc ipſam contemplationem controuerſiarum plenam exiſtere. In re igitur admodum difficili enitar veritatem docere, antiquorum ſententias, (illas quidem ſatis ſuperque ambiguas) dilucidare, vt, quod ad me ipſum pertinere poſſe iudicabitur, omnia videar in ſtudioſæ iuuentutis gratiam, & pro vtilitate humani generis præſtitiſſe. Sed ne ordo deſit, quoniam duplex ſeſe offert in hoc mulierum ſtatu contemplatio; vna eſt, an liceat illis graui, & acuto morbo obſeſſis, venam incidere; alia vtrum idem conuenire poſſit remedium, vt ab ipſo præſeruentur abortu. Propterea de hiſce duobus pertractabimus, à priori contemplatione ſumpto in hunc modum principio.

CAP. II.

Vtero gerentibus conuenire venæ ſectionem acuto morbo obſeſſis.

ACVTO morbo & graui obſeſſis venæ ſectionem conuenire primum demonſtrabo; mox autem rationes afferam in medium eorum, qui contrarium perſuadent. Sed præſtat antea pro dilucidiori explanatione quædam repetere principia breuiſſime, quibus rei huius declaratio potiſſimum inhæret. Vbi affectus adfuerit magnitudo à plenitudine concitata, aut motu, ſemper vigere de ſanguine mittendo indicationem, iam ſatis ſuperque demonſtrauimus. Verum non ſemper, quod ab indicante ſuggeritur, in opus deducitur; quoniam fieri poteſt, vt contrariarum indicationum vis atque poteſtas multo ſit maior, quæ indicatum adhiberi prohibeat. At ſi in vnum indicationes omnes conſpirauerint, nihil eſt, quod eiuſcemodi poſſit actionem remorari. Duo igitur ſunt ſola, atque præcipua, ad quæ omnia rediguntur, affectus magnitudo, & ægrotantis vires, quæ in vnum ſi conuenerint, primum ac ſtatim ad venæ ſectionem accedimus: at minime conſpirantibus abſtinendum eſt. Iam vero vtero gerentes, morbo acuto poſſe moleſtari, nemo eſt qui neſciat, hacque de cauſa adeſſe aliquando indicationem de ſecanda vena, certius eſt, quam quod monſtrari debeat. Sed quid poterit eſſe impedimento, quin vires validæ ſint. Fœtus ipſum facere non poteſt: quoniam vbi ipſa adfuerit in corpore multitudo, ſupereſt ſanguis copioſior, quam ſit pro fœtus nutrimento neceſſarium, quo certe exonerata natura, multo reddetur validior. Sic obſeruatum eſt à nobis frequenter, quod vbi pleuritide, angina, continente febre, aut alio eius generis affectu prehenduntur, ingenti vtilitate citra fœtus aliquod periculum ſubueniri ſolere miſſione ſanguinis. Quam rem Cornelius Celſus, eximius alioquin Hippocratis imitator, teſtatiſſimum reliquit his verbis: Antiqui primam vltimamq; ætatem ſuſtinere non poſſe hoc auxilii genus iudicabant; perſuaſerantque ſibi, mulierem grauidam, quæ ita curata eſſet, abortum eſſe facturam. Poſtea vero vſus oſtendit, nihil ex his eſſe perpetuum, aliaſque potiores obſeruationes eſſe adhibendas, ad quas dirigi curantis conſilium debeat. Intereſt enim non quæ ætas ſit, neque quid in corpore intus geratur, ſed quæ vires ſint. Firmus puer, & robuſtus ſenex, & grauida mulier valens, tuto curantur.] Hæc ille. Quibus adde, quod ſi debemus in vtero gerentibus materia turgente purgans adhibere medicamentum, vt Hippocrates admonet, cum ait: Vtero gerentes, ſi materia turgeat à quarto vſque ad ſeptimum, purgandæ ſunt.] multo quidem ſecurius ſanguis mitti poterit. Primum videntur in hoc vno, conuenire phlebotomiam, & purgationem, quod ambo vires validas exigant, vt quarto methodi

thodi

thodi medendi à Galeno dictum est. Sed in multis longo distant interuallo: Quæ phlebotomiam tutiorem esse medicamento expurgante faciunt, horum primum est, quod deleteriam facultatem habens pharmacum, tota substantia infestum est, inimicumq; fœtui: at non habet hanc malignitatem sanguinis missio. Deinde, illud excrementa deorsum præcipitans potest abortum facere, hæc sursum attrahens, humoresq; ab vtero reuellens, ab hoc periculo reddere nos tutos videtur. Postremo, non est in nostra potestate situm, vbi purgans medicamentum exhibuerimus, apposita manu, violentam, si ita contigerit (contingit autem frequenter) illius actionem sistere, aut saltem remorari; deinde vero incerti sumus, quod suo munere perfungatur medicamentum. Contingunt enim, vbi pharmacum semel fuerit exhibitum, omnia fortunæ ipsius administratione, vt Galenus inquit, at vena incisa in nostra situm est potestate, eam vacuare sanguinis quantitatem, quam voluerimus, sumusq; certissimi secta vena sanguinem effluere. Quamobrem multo tutior iudicari debet venæ sectio, quam purgatio: quod Galenum olim obseruasse primo libro demonstrauimus. Præterea meminisse oportet, Hippocratis tempore, quod medicamenta purgantia, quorum frequens erat vsus, omnia calidissima erant, vehementissimeque purgabant, vt peplium, colloquintida, tapsia, helleborum vtrumque, ac id genus alia; memineris etiam eorum, quæ à Galeno dicuntur libro de ratione curandi per missionem sanguinis, antiquiores copiosissima sanguinis missione fuisse vsos. Quid igitur nobis secundum artis præcepta operantibus obesse poterit, quin abstinentibus, & à validis medicamentis, & à copiosa vacuatione, pro morbi præsentis conditione, vtroque vtamur præsidio, lenientibus scilicet medicamentis, & sanguinis missione exigua? Amplius, si verum est, quod naturæ legibus ars medica sit consentanea, vtpote, quæ ad illius imitationem inuenta, excultaque est, arbitror ego, naturam docere nos propositæ quæstionis dissolutionem. Haud enim infrequenter obseruatum est, grauidas mulieres plenitudinis morbo vexatas, vacuatione facta ab ipsa natura, per fluorem sanguinis, è naribus, ex hæmorrhoidibus, atq; etiam ab vtero citra aliquod discrimen fœtus, fuisse liberatas. Cur igitur non licebit etiam nobis ad illius exemplar, necessitate vrgente, aut pro vacuatione, aut pro reuulsione, sanguinem secta vena vacuare?

CAP. III.

Quæ vena, quo tempore, in quibus mulieribus & affectibus, incidendæ sint.

POSTQVAM mittendum esse sanguinem constitit, doceamus quas venas incidere oporteat, quo tempore, quibus mulieribus, & affectibus conueniat. Illud etiam atque etiam cauere oportet, quemadmodum diximus, ne pro hoc opere perficiundo venas eligamus inferiorum partium, vt malleoli, aut poplitis: hæc enim fœtum præcipitarent: quæ igitur in cubito eligendæ sunt venæ; sed non equidem omnes, verum illæ potissimum, quæ cum vtero minorem habuerint consensum. Interiorem hac de causa maxime suspectam habeo, quia maxima illius est cum vtero societas: multo minorem habet exterior: communis vero medio quodam sese habet modo. Idcirco, qui medicinam me facientem aliquando viderunt, ii possunt attestari, nunquam iussisse interiorem, sæpissime vero exteriorem secari. Sed si virtus fuerit imbecillior, quam quod ferre videatur tam generosum remedium, illius loco substituantur Cucurbitulæ scarificatæ spatulis, & dorso, ex quibus tenuiori vacuato sanguine magna sequitur refrigeratio totius corporis. Reliquum est, vt doceamus, quo tempore hoc auxilium tutius administrari possit. Sunt qui contendunt, quod quemadmodum a quarto vsque ad septimum vtero gerentes purgandæ sunt, si materia turgeat, sic etiam, vbi sanguinem expediat mittere, eisdem mensibus exerceri debere præsidium. Verum (vt libere dicam) longe decipiuntur: iis enim temporibus tutius exerceri potest præsidium, quibus maior adest

sanguinis vbertas, minorique alimento indiget fœtus; at primis mensibus fœtu non multam attrahente, maior adest sanguinis abundantia, quam intermediis mensibus. Hinc fit, vt ego arbitrer, multo securius primis mensibus mitti sanguinem quam intermediis. In quibus tamen minime interdico missionem sanguinis (vbi necessitas maxima adfuerit) sed certe non pari securitate, præsertim vero fœminis octimestribus, quæ acuto morbo superueniente vix liberari possunt, vt Aristoteles author est libro septimo de historia animal. capite quarto. An igitur in vtero gerentibus secanda sit vena, dictum est: neque vero proportio illa de medicamento purgante ad missionem sanguinis, aliquam habet necessitatem; quia purgationes deorsum trahunt, sanguinis missio sursum. Illæ sane deleteriam quandam facultatem habent, idcircoque periculum semper afferunt; hæc vero nullum habet periculum. Quamobrem tutior est ante quartum, quintumue mensem, neque propterea reprobanda aliis in mensibus adhibita venæ sectio, vrgente eadem necessitate. Cæterum, non sunt omnes mulieres ad hanc vacuationem perferendam accommodatæ. Quæ enim exiguum sanguinem habent, & quibus venæ sunt exiles, non ferunt phlebotomiam; aut si vrgeat magna necessitas, pro venæ sectione oportebit vti scarificationibus, sic enim sanguinis tenuioris multitudo citra aliquod, vel saltem exiguum vitium detrimentum, vacuari poterit: eoque minus abstinendum à remedio, si malos humores coaceruare in corpore consueuit, quales potissimum sunt biliosi, & melancholici. His etiam addere oportet morbi acuti propriam naturam; neque enim in omnibus acutis temere accedendum est ad eiusce modi auxilium, si vera tamen sunt, quæ nos primo libro disputauimus. Hic profecto elucescit error quorundam medicinam facientium, qui in omnibus febribus volunt euacuare sanguinem: nam dupliciter aberrant: primum, quia mittunt sanguinem, vbi mittendus non est, & quem in corpore conseruare expediebat, deinde citra necessitatem alimentum detrahunt fœtui. Cur enim quispiam in tertiana exquisita sanguinem vacuandum consulet? cur (vt in vniuersum dicam) hanc promouebit vacuationem in leuioribus morbis? Non semel obseruaui ex sanguinis detractione intempestiua, quam plures vterogerentes non solum fecisse abortum, sed parum postea subsequuto maximo fluore sanguinis obiisse. Quamobrem non est temere in grauidis accedendū ad phlebotomiam, sed magnam semper adhibere præmeditationem oportet. Sanum consilium fuerit, vt qui in artis operibus admodum exercitatus non est, aut propriam ægrotæ naturam non cognouerit, abstineat à remedio tantisper, donec occasionem nactus fuerit consultandi cum aliquo ex præcipuis Medicis, cuius doctrina, & obseruatione innixus possit postea citra damnum, tum ægrotæ, tum fœtus, tum suæ famæ remedium exercere.

CAP. IIII.

Quæ contra hanc opinionem obiici solent, & eorundem explicatio.

QVID sentiendum sit iam diximus: nunc doceamus quomodo satisfaciendum sit dubitationibus nostram opinionem plurimū vrgentibus. Qui ergo nolunt in vterogerentibus sanguinem detrahere, Hippocratis sententiam proponunt in libro quinto Aphorismorum, trigesimo, vbi inquit: Mulier vtero gerens sanguine misso ex vena abortit, & magis si fœtus fuerit grandior.] Hæc ille. Et non absque ratione. Destruitur enim fœtus alimenti defectu: at vero deficit illi alimentum duplici de causa: tum quando sanguis mittitur: tum etiam quando longiori vtatur mater inedia; haud abre longiorē dixi, quo niam exiguam fortassis ferre potest, vt infra dicemus, ipsaque docet experientia: licet maxime sit periculosa, vbi acuta febre teneatur: quæ semper minari solet mortem, vt Hippocrates inquit hisce verbis: Mulierem ab aliquo morbo acuto capi, lethale est.] Addunt prætereà multo tutiorem esse inediam vterogerentibus, quam vacuationē sanguinis, quam rem experientia fecit manifestissimam.

mam. Quotidie quamplures videmus, quæ adeo ingentem habent ἀνορεξίαν, vt primis fere mensibus vsque ad quartum, non possint quicquam degustare alimentorum: fœtum tamen illæ gestant vsque ad maturitatem. Signum hoc videtur satis euidens, quo facile posset persuaderi, tutissimo ferre posse inediam aliquorum dierum: aut saltem, si non hanc, victus rationem aliquampiam tenuiorem, qua sensim omnis multitudo potest discuti citra fœtus incommodum. Hæc obiici solent contra opinionem nostram, quibus sigillatim satisfaciundum est. Quid igitur ad Hippocratis contextum respondebimus, quo admonuit mulierem abortire misso sanguine? Quid inquam, respondebit mihi idem author, si aduersus eam sententiam alterum eiusdem oraculum protulero? Admonens vtero gerentem singulis mensibus expurgari posse? quamuis dicat fœtus imbecillos nasci? Quamobrem abortum non semper facit expurgatio ab vtero: neque etiam faciet venæ sectio. Ii, qui iudicium in Hippocrate nullum adhibent, hosce putant Gordianos nodos, quos ego in hunc modum extricare soleo. Abortum facit mulier sanguine misso, cum sanguine exiguo prædita, pro veterum in hoc exercendo consuetudine ingentem quantitatem exhauserit Medicus: eritq; id periculum certius, si venas inferiores aperuerit quæ ad infimas partes præcipitato sanguine, fœtū vna præcipitare possent. Neq; tamen id ipsum perpetuū est, & vsquequaq; necessarium, cum indies obseruemus malas quasdā fœminas procurare, vt aperiatur saphena, ne vtero gerere cognoscantur, minimeq; sequatur abortus. Porro quæ copiosum habeant sanguinem, possunt statutis mensibus primis potissimum ex vtero purgari vtilitate minime contēnenda, sic enim exoneratur sanguine natura, quo veluti sarcina premebatur, atq; de cætero reddita potentior fœtum optime conseruabit. Rarum est, quod aliis mensibus contingat: quandoquidem grandior fœtus, vt plurimum solet abundantem sanguinem absorbere. Quod si accidat, nisi adsit ingens plenitudo, fœtus infirmiores (proprio destituti alimento) redduntur. Quæ res aduenit similiter, vbi exigui sanguinis mulier propter imbecillitatem continentis facultatis vteri singulis mensibus reiectauerit sanguinem. Quod hic scribo, id ipsum me obseruasse profiteor non semel, cum viderim singulis mensibus vsq; ad quintum expurgatam mulierem fœtum tamen salubrem edidisse, qui adhuc vegetus, & incolumis viuit. Vides quomodo neutrum verum est, & proprium: quod optime admonuit Celsus. Cum itaque hæc sic habeant, quid mirum si abortum non facit euchyma mulier sanguine misso ex venis cubiti, cum acuto aliquo morbo premitur, si neque sequitur abortus, vbi singulis mensibus ab vtero purgamenta fluxerint? Explanatio, qua sumus hactenus vsi, verissima est, & in artis operibus executioni perpetuo demandanda: quamuis haud plene videatur Hippocratis mentem referre: nam ille quidem absolute negat venæ sectionem in vtero gerentibus, propterea dici posset, hanc sententiam intelligendam esse eo modo, quo aliæ quæ ad rationem præcidendi spectant. De qua extat eodem libro Aphorismus à nobis supra citatus: Mulierem vtero gerentem capi aliquo acuto morbo lethali.] Non autem ob id putare oportet, omnes morituras, sed magna ex parte id euenire: sic etiam neque sanguine misso omnes abortum passuras, sed magna ex parte. Propterea fere eundem scopum esse, atque fere pares vires indicandi habere putato eum, qui sumitur ab ætate, & eum, qui à conceptione. Diximus enim in superioribus libris, scopum ab ætate sumptum non esse præcipuum, sed secundo loco denotare auxilium, & quantitatem vacuationis magis indicare. Cum itaque mulier in vtero gerens sese offerat, conceptus ipse non indicat abstinendum ab hoc remedio, sed limitandam quantitatem. Quemadmodum aliena est inedia pueris, sic aliena est vtero gerentibus; atque vt illis temperata conuenire potest ad aliquod tempus, sic vtero gerentibus aliqua potest decerni vacuatio, vt supra ex Cornelio Celso demonstrauimus. Neque postremo valet ratio sumpta a cibi fastidio, quo vtero gerentes afficiuntur. Fert quidem non raro natura simplicem affectum, cui si alius superaddatur, intolerabilis fiet. In morbo itaque

acuto, vbi tot sunt quæ fœtum perdere possunt, si victu simul priues, nihil mirum, si ocyssime interficias. Consulit igitur in re tam dubia vtriq; accommodata medendi ratio; prouidendum scilicet esse tali victus ratione instituta, quæ nulli aperte nocere valeat. Quod si fieri non possit, quin aut mater pereat cibi copia, aut fœtus inopia, satius iudicabitur prouidere matri: quippe fortasse infans ea ratione à periculo euadet, quod mortua matre nequibit. Idcirco hanc instituere victus rationem consueuimus, vt optimorum alimentorum exiguam quantitatem sæpe dantes ea correctione ac præparatione, quam morbus ipse postulauerit, matrem & fœtum conseruantes, morbum neque etiam augentes, aut quanto minus fieri potest, vacuationem sanguinis ex cubito moliamur, repetitam duabus aut tribus vicibus citra aliquod incommodum.

CAP. V.

An vtero gerentes præcaueri possint, ne faciant abortum. Disputationis ordo explicatus.

De priori difficultate hæc sufficiat dixisse. Aggredior nunc ad secundam, quæ maximis implicita est dubitationibus; quandoquidem clarissimi quidam nostræ ætatis Medici summopere digladiantur, auxilium nonnullis admittentibus, ne prægnans abortum faciat, aliis vero omnino contradicentibus. Dilucidaturus hanc difficultatem, prius explanabo, quæ supposita ponat hæc tractatio ex recentiorum opinione; mox rationes eorum afferam in medium, qui non conuenire sanguinis missionem dixerunt; tertio loco causas abortus veras & necessarias enumerare conabor. Postea vero demonstrabo, saluberrimum esse, pro hac præseruatione sanguinem euacuare, siue sanguis ex vtero fluat, siue non fluat. Postremo, rationibus illorum satisfaciam.

CAP. VI.

Quæ supposita ponat hæc tractatio ex aliorum sententia.

Scripsit quidam nostræ ætatis Medicus admodum illustris, hac de re disputationem satis longam, cuius hoc loco summam breuissimis recensebimus, ita tamen vt nihil necessarium nos prætermissuros polliceamur. Is itaque primum affert causas abortus ex Hippocrate, Galeno, & recentioribus Medicis: mox autem quibusdam in medium allatis fundamentis conclusionem eiuscemodi ponit, sanguinis missionem vtero gerentibus pro præseruatione abortus fluente, vel nō fluente ex vteri vasis quibuslibet sanguine multo, aut exiguo in primis, vel in mediis, seu in vltimis mensibus nullo modo faciendā fore. Probat opinionem rationibus multis, quas anteaquam afferam sigillatim, volo prius hominis huius hypotheses afferre. Quantum ad Hippocratem pertinet, refert illius opinionem ex lib. 1. de morbis mulierum, in quo dicebat, quod si alicui fœminæ vtero gerenti caput pituitosum fuerit, eaq; pituita in ventriculum descendat, cum necessum sit ad id consequi, nonnullos cordis affectus præter naturam fieri abortum. Sic etiam & ingenti inedia, & in ciborum fastidio periculum est, ne abortus fiat: hoc idem volebat fieri in largo ventris fluore, si onus aliquod graue gestauerit, si percutiatur, si saliat, si non comedat, si aliqua animi perturbatione vexetur, terreatur, si fortiter clamet, si febriat, sic etiam si crapuletur. Si vterus ipse plenus fuerit flatuoso spiritu, causa est, vt partus eiiciatur, sic si densus valde, si magnus, si paruus sit vterus ipse, si aliquo alio magno morbo, vel dolore laborat, & potissimum lumborum. Sunt etiam causæ quædam, quæ fœtum eiiciunt, vt si quid acre, asperum, vel amarum præter consuetudinem comedant vel bibant, potissimum primis mensibus. Ita etiam si ea comedantur & bibantur, quæ valde ventrem mouent. Ex superfluo item exercitio seu labore, ex maxima ventris constrictione sequitur quoq; nonnunquam abortus. At vero in quinto Aphorismorum libro multa de causis abortus docuit. Nam dice-

dicebat, quod in primis, & vltimis mensibus verenda esset grauidis purgatio, tanquam de facili valens abortum prouocare, & in Aphorismo subsequenti dicebat, quemlibet morbum acutum seu cum febre seu citra febrem aduenientem vtero gerentibus lethalem fore, vtpote tum fœtum, tum matrem perimentem. Et in alio clarissime dixit, sanguinis missionem ex vena, causam abortus existere: cuius causam Galenus in eius loci commentario in medium attulit, additq; alui profluuium facere abortum; & in altero contextu, declarans signa abortus dicebat, si mammæ vtero gerenti repente fiant graciles, abortit.] Galenus autem in commentario reddens causam dicti Hippocratis in Aphorismo asserebat, nō propter aliud significari abortum ex mammarum gracilitate, quam propter alimenti defectum, qui alimenti defectus sequitur tum ad inediam, tum ad sanguinis paucitatem, quæ in venis communibus vtero, & mammis adest. Rursus erysipelam in vtero grauidis fore lethalem significat. Aphorismo autem quadragesimoquarto ait: De his quæ præter naturam tenues existentes vtero gerunt, necessario abortum pati, anteaquam fœtus in lucem prodeat, aut crassescat. Sed in alio inquit: Quæcunq; præter naturam crassæ sunt, non concipiunt. Verum in Aphorismo quadragesimoquinto fatebatur causam abortus in primis mensibus in corporibus mediocribus absque alia causa manifesta semper fore mucorem nimium, acetabula vteri replentem, ac ex pondere ea disrumpentem non valentibus supradictis acetabulis propter dictum pondus fœtum continere: huiusq; opinionis fuisse Galenum scribit in sexto de locis affectis, libro decimoquinto de vsu partium, & libro de dissectione vteri. Prosequitur deinde eodem capite recentiorum Medicorum opinionem de causis abortus: interim non explicans quos fuerit hac re imitatus recentiores, quorum alioquin maxima est turba. Ego non affero quid de his ab illo scribatur quia in Hippocraticis sententiis omnia quidem, aut maior illorum pars, virtute saltem continentur. Sed non prætermitto conclusionem ex Galeno factam de causis abortus, dum ait: Communis autem omnibus iam dictis affectibus ipsa est vteri offensio, atq; huius ipsius triplex est causa, aut moles nimia, aut pondus aliquod, aut morsus. moles, vbi amplius distendi vterus non valet; pondus cum supra vires eius sit, quod continet; morsus vbi vel hum[illegible]es, qui prius in membranis continebantur ruptis in ipsum vterum sunt effusi: vel etiam totus partus corruptus, & putris, ac in noxiam saniem dissolutus, vteri tunicam eius occasione irritat, & mordet. Posteaquam autem de causis abortus disseruisse sibi visus est diligenter, quarto capite suæ tractationis, sex facit hypotheses. Primam sanguinis missionem duos habere præcipuos scopos: aut enim fit pro euacuatione tantum eorum succorum, qui in venis continentur, aut cum auersione, cum euacuatione tam ad longinqua, quam ad proxima, siue fiat ratione curationis, siue ratione præseruationis. Secundam, quod præseruatio, quam Græci prophylacticen vocant, vera, ac sincera, vt dicebat Galenus libro de constitutione artis medicæ, & in libro, an ars tuendæ sanitatis pertineat ad medicum, vel Gymnasticam, & libro tertio artis medicinalis, proprie pertinet ad effectum, futurum fieri prohibendo eum, quamuis nondum sit in corpore, tamen quia imminet periculum, ne quam primum fiat. Hoc autem perficit artifex delens ac auferens eam causam, ex qua affectus ipse præter naturam, primum futurus est fieri, & non eam, ex qua sensibiliter morbus gignitur: nam illa, quæ hanc aufert causam, non est sincera, & pura prophylactice, cum sit pars quædam artis curatricis. Dicitur autem aliquo modo prophylactice, seu præseruatio, quia causam, quæ morbum creat, adimit, vt voluit Galenus libro vndecimo Methodi medendi. Tertio supponit, quod sanguinis missio facienda pro præseruatione abortus, potest dupliciter intelligi: vno modo nullo adhuc apparente fluore sanguinis ex vtero, siue fuerit ex venis, quæ in eius cauitate terminantur, siue ex venis, quæ ad ceruicem committuntur: alio modo possumus loqui de ea, apparente aliquo sanguinis fluore, ex quouis supradictorum locorum fuerit. Quarto notat, quod diuidendo tempus fœtationis in tria tempora

præcipua, possumus loqui de supradicta sanguinis minutione facienda, aut in primis tribus mensibus, aut in mediis, aut in vltimis. Notandum insuper est & quinto, quod cum loquimur de supradicta sanguinis missione facienda pro præseruatione abortus, de ea non aliter loquimur, quam indicatione tantum sumpta ab ea abortus causa, quæ licet ipsum nō cœpit facere, tamen facere potest in futurum. Ita quod per ipsam sanguinis missionem fœtum præseruando prohibemus, ne abortus in futurum fiat, & sic loquimur de vera & sincera præseruatione, & non loquimur de supradicta missione sanguinis, prout posset in vtero gerentibus curare nonnullos affectus præter naturam, qui in ipsis gignuntur, ac fiunt. Postrema hypothesis est, quod sicuti perpetuo optimum est, tuto curare, vt volebat Galenus decimoquarto Methodi medendi, quod consistit in tribus, videlicet in consecutione intenti finis, aut saltem, vt quem curas, non lædas: & tertium, quod non facile vitium reuertatur. Propter quod præcipiebat ipse duodecimo libro Methodi, quod terminus Medici, qui contra morbum pugnat, quem nullo pacto transire debet, est, vt tuto medicetur. Ita quoque in prophylactice seu præseruatione prosequendum est, quia cum in ea Medici intentio sit causam auferre, quæ posset aliquem præter naturam affectum futurum efficere (vt prius dictum est) debet id prosequi omni conatu, tam per alterantia, quam per euacuantia, cum eis, quæ maxime tuta sunt, & cum quibus iam certus est, non posse aliquam noxam corpori inferre. Hoc idem volebat Hippocrates primo de morbis vulgaribus, his verbis: Te ad hoc exerceto, morbis vt prosis, aut, ne quid noceas.

Cap. VII.

Rationes, quibus recentiores probare conantur abortum prohiberi non posse venæ sectione.

QVAMOBREM his in hunc modum suppositis, ad confirmationem suæ opinionis rationes affert, quarum prima sic habet: Omne illud, quod est per se causa faciens abortum, nō potest præseruare ab eo, sed sanguinis missio est per se causa faciens abortum; igitur non potest præseruare ab eo. Maior patet, quia si non sequetur, quod idem simul ac semel esset per se causa abortus, & præseruaret ab illo, quod est falsum & impossibile. Minor est Hippocratis, Aphorismo trigesimo primo, quintæ particulæ. Secunda ratio: Ex quacunque causa per se fœtus destruitur, ex eadem nullo pacto potest præseruari & conseruari, sed alimenti defectu per se fœtus destruitur, igitur ex eo non potest conseruari. Maior patet. Minor est Galeni in commentario citati Aphorismi. Tunc arguitur sic: Ex sanguinis missione vtero gerentibus facta per se sequitur defectio alimenti fœtus, vt patet per Galenum in eodem loco; igitur ex sanguinis missione nullo modo potest fœtus ipse in vtero conseruari. Tertia ratio, si de quo minus videtur non inesse, & inest; ergo de quo magis. sed minor noxa videtur, quod fœtui inferatur ex inedia, & tamen ea est causa abortus (vt patet per Galenum in comment. trigesimoprimo & trigesimoseptimo, quintæ particulæ) ergo magis sequetur ex sanguinis missione, cum maior noxa fœtui inferatur. Maior clara est apud omnes logicos. Quarta ratio: Si ex alui profluuio periculum est, vtero gerentes abortire solum ratione vacuationis, vt volebat Galenus in comment. Aphorismi trigesimitertii, quintæ particulæ, quæ euacuatio est aliorum humorum à sanguine, quanto magis ex euacuatione per sanguinis missionem, quæ sanguinē euacuat, ex quo sanguine fœtus nutritur, & per consequens magis ei alimentum subtrahitur. Quinta ratio probans, quod nullo modo pro præseruatione abortus primis mensibus conueniat missio sanguinis, est ista. Dictum est supra, præseruationem fieri per ablationem causæ, quæ posset in futurum, quam primum aliquem affectū præter naturam in corpore gignere. Tunc argumentor sic: Quæcunque corpora mediocria absque occasione manifesta abortiunt in primis mensibus, eius causa est plenitudo mucoris in vteri acetabulis,

bulis, quæ dicta acetabula disrumpit: sed sanguinis missio nullo modo potest talem causam auferre ac prohibere, imo potius auget: igitur nullo pacto in primis mensibus ea facienda est. Et si diceretur, quod possunt nonnulli alii affectus sensibiles, manifesti, aut occulti præter naturam in dictis primis mensibus abortum facere, qui affectus præter naturam curari possent per missionem sanguinis, & ita abortus præpediri: tunc dico, quod ea sanguinis missio præcipue fit pro curatione dicti affectus præter naturam. Quo casu non est nostra intentio de ea loqui: nam (vt diximus supra) loquimur hic de sanguinis missione vtero gerentibus facienda, prout principaliter & per se posset ab abortu præseruare, & non per curationem alicuius affectus præter naturam, in quos possent prægnantes incidere, & curari forsan per sanguinis missionem, licet per eam (vt voluit Hippocrates citato Aphorismo trigesimoprimo, quintæ particulæ) semper noxa fœtui inferatur, & præcipue si aliis auxiliis curari non valeant: nam eo tempore licet per sanguinis missionem noxa immineat fœtui (vt diximus de intentione Hippocratis) tamen quia alia salutis ratio non est, quam ea, etsi fuerit cum periculo, tentanda est, vt dicebat Galenus in his casibus, decimo Methodi medendi ex Thucydidis consilio: eius tamen quantitatem minuens. Quod si affectus ipse præter naturam ex ea curetur, & abortus non sequatur, hoc erit per accidens, tum ratione quantitatis, non qualitatis missionis sanguinis, cum ratione sui semper habeat abortum facere, nisi à quantitate labefactetur. Tum quoque, quoniam ex tali sanguinis missione maius sequitur commodum, quam incommodum auferens per eam maiorem abortus causam, & hoc quoque dicendum meis erit, si aliquando in mediis & vltimis mensibus præcipiatur sanguinis missio alicui gerenti vtero, & abortus non fiat. Sexta ratio ad idem: Humoribus crudis seu vitiosis in ventriculo contentis, nullo pacto facienda est sanguinis missio, vt Galenus docuit libro de ratione curandi per sanguinis missionem, & nono Methodi medendi: sed vtero gerentibus semper, vel vtplurimum tales humores in ventriculo continentur: igitur in eis non est facienda sanguinis missio. Quod autem vtero gerentes vitiosis humoribus & crudis in ventriculo abundent, Galenus declarat libro primo de symptomatum causis, capite septimo. Quod autem postremis atque intermediis mensibus non conueniat sanguinis missio, probat: quoniam iis temporibus fœtus cum indigeat alimento copiosiori; sanguinis autem missio idipsum maxime diminuat, periculo carere non videtur. Postremo argumentatur à loco ab authoritate. Mirum esse dicunt, quod conueniente ipso in casu phlebotomia, nullus Græcorum hac de re meminerit, vt Galenus, Hippocrates, aut alii recentiores Græci. Quamobrem cùm hoc præsidium sub silentio præterierint, non est dubitandum, ipsum non esse necessarium, atq; omnino in facitanda medicina, tanquam summopere perniciosum fore ab omnibus Medicis prætermittendum. Hinc sane accusat eos, qui volunt pro abortus præseruatione vti phlebotomia, nomine ignorantiæ, & temeritatis, & imprudentiæ, & erroris maximi, appellatq; similiter hosce Medicos Empiricos, & nullius iudicii. Hunc sane in modum habet illius sententia.

Cap. VIII.

Quibus de causis abortum fieri contingat.

EGo vero, cui ab ineunte ætate hoc fuit maxime propositum, proprio labore, vigiliis, atq; diligentia aliis omnibus prodesse, cum hanc opinionem fuissem diligenter contemplatus, atq; inuenissem existere illam erroribus plenam, continere me quidem non potui, quin eam, quantū in me esset, validissimis rationibus funditus euerterem. Quam rem nunc præstiturus, exordiri volo dissolutionem quæstionis à causis abortus: quoniam, etsi de eisdem egit etiam ille, tamen nullam obseruare Methodum, tanquam purus transcriptor mihi visus est, vt prætermittam, quod causas quasdam abortus, & illas quidem necessarias prætermittit. Hac de causa, tum vero potissimum, quia multum confert nostræ ta-

ctationi, de his paulo diligentius tractabo. Dicimus itaq; abortum fieri, vel ab euidentibus causis ([illegible] Græci vocant) vel ab internis. Causarum extrinsecarum triplex est ordo. Nam quædam abortum faciunt, quia acetabula in vtero existentia dissoluunt, per quæ capescere alimentum fœtus consueuit: in quo genere continentur quam plures particulares: violenta scilicet exercitatio, potissimum primis, vltimisve mensibus facta; & quæ præsertim lumbos fatigare solet: ad hoc genus pertinet saltatio, qua fœtus concutitur, violenterque abrumpuntur acetabula, equitatio quædam durior, aut vectio: oneris alicuius grauioris gestatio, quæ fieri non potest, nisi regio lumborum summopere exerceatur, ex quorum lassitudine vteri vincula dissoluta, fœtum necessario præcipitare faciunt. Referas pariter hoc loco casum violenter concutientem, & ventris ictum, quo fœtus contunditur. Quædam vero, quoniam cibum, alimentumque proprium subtrahunt fœtui, abortire mulierem faciunt. In hoc ordine causæ multæ insunt: inedia diuturnior illa quidem, & admodum exquisita, siquidem obseruaui non infrequenter, vtero gerentes aliquando inediam temperatam satis commode ferre posse. Alui fluor abortum facit, sed qui fuerit immoderatus: nam quorundam dierum exiguus, vtilitatem afferre, tum nos ipsi experientia cognouimus, tum etiam alii scriptis mandarunt. His addito sanguinis fluorem. Hic notabis duo: primum cum dico fluorem intelligere me sanguinis impetum confestim, subitoque factum, quando cognouimus lente fluentem ex ipso etiam vtero quibusdam diebus citra incommodum perdurasse: quamuis etiam Sauonarola multæ experientiæ Medicus olim obseruauerit, neptem domini Prosdocimi de Comitibus prægnantem, à qua exiuerunt in duodecim diebus libræ plus quam sexdecim per nares, fœtusq; sanus exiuit, mulierq; à morbo euasit, vixitq; puer. Sed id profecto admodum raro contingit; quia cum sanguine nutriatur fœtus, vbi copiosa fit illius vacuatio, confestim, ac subito per quascunque partes contigerit, alimento multum diminuto, necesse est fœtum abortum experiri. Alterum etiam adnotabis, quod quamuis omnis fluxio sanguinis præcipitare fœtum faciat, tamen quæ per vterum accidit, id præsertim efficere consueuit. Adhæc vero ex hæmorrhoidibus effluens: tandẽ vero sanguinis missio ex poplite, aut saphena, aut vulnus illarum partium non exiguum: ex supernis autẽ partibus idem facit, sed maiori difficultate. Additoq; his, quod fœtus multo magis incurrit hoc ipsum periculum, cum fuerit grandior, quo scilicet tempore sanguine copiosiori fruitur, quam cum est exiguus. Tertius est ordo earum causarum à quibus fœtum mori contingit. Porro enecatur dupliciter: vel ab iis, quæ manifestis qualitatibus id faciunt, vel ab iis, quæ toto genere extinguunt. Primo loco syncope continetur, quæ cum sit præceps omnium virium lapsus, facit fœtum destitui spiritibus vitalibus, caloreq; insito influente, hincq; opus est illum omnino mori. Timor, & tristitia huic additur causæ, à quibus spiritus dissoluuntur, difflanturq;. Nolim hic intelligas timorem omnem atque tristitiam, sed eas passiones audito, quæ modum excedant, diuturnæque fuerint, quemadmodum neque animi deliquium leue potest abortum facere. In secundo complectuntur ea, quæ suffitu enecant fœtum vel odore, aut venenata substantia, aut ammoniacum, assa fœtida, sabina, helleborũ, vterq; filix, galbanũ, iuniperus, vngulæ asini, ireos, vitis alba, lupini, nasturtium, & si quæ sunt eius generis alia. Iam vero causæ internæ multiplices. Morbus acutus, vteri affectus mali, vt vlcera, humiditas nimia, hystericus affectus, & aliæ affectiones: vteri acetabula humiditate multa referta: cibus mali succi, ab hócque nata cacochymia, immoderatus cibus, & plethora. De acuto morbo dixit Hippocrates in Aphorismis: Mulierem vtero gerentem capi ab aliquo acuto morbo lethale est.] Galenus autem in commentario, non absq; ratione (inquit) siue enim sit cum febre morbus, necesse est ipsum habere febres continuas: talis enim est morbus acutus, & hic duplex periculum: vnum quidem propter febrem ipsam fœtũ occidentem; alterum autem, quod ex longo interuallo cibum dantes, ex alimenti defectu fœtum

tum destruemus. Si vero, vt seruemus hunc, non verebimur crebro cibum exhibere, febres continuas victu intempestiuo augentes, mulierẽ grauidam occidemus. Sic etsi absq; febre aliquis alius acutus morbus fiat, veluti morbus comitialis, morbus attonitus, quem Græci apoplexiam vocant, conuulsio, distentio propter magnitudinẽ morbi, & acutiem impossibile est laborantem euadere.] Velim hic obseruari, quod epilepsia haud necessario facit abortum, nisi cum fuerit vehemens & crebra; neq; facit ratione alia, quam vehementia conuulsionis. Vidi ego multas hoc affectu detentas, quæ fœtum vsq; ad perfectionem maturitatemq; portarunt. De affectionibus vteri sic locutus est: Si mulieris grauidę in vtero fit erysipelas, lethale.] obseruatione dignum est, quod Galenus asseruit in commentario, quod facto in vtero erysipelate, fœtus ex necessitate morietur, si quidem & febres acutæ aliquando sine inflammatione fœtum interficiunt. At vero, si patiatur affectum proprio nomine inflammationem appellatum, an possit aliquando fœtus viuere, dignum esse dicit inquisitione. Ego autem minime quidem dubitaucrim, quod inflammatio pariter abortum faciat. Est enim vterus pars quædam, maximam obtinens societatem (licet sit frigidus) cum omnibus præcipuis partibus, vt aliquando idem author in epidemiis disseruit, cum tradat, ex vteri phlegmone fieri febrem synocham propter grandes venas & arterias, in ea parte consistentes, nisi dixerimus, posse fieri naturalem partũ, cum exigua fuerit inflammatio, sed tunc, meo iudicio, eadem erit dubitandi ratio de exiguo erysipelate. Rursus de hac re sic locutus est libris de morbis mulierum: Quæ mulieres concipiunt quidem, sed fœtum gestare non possunt, quod ipsis in vtero corrumpatur tertio aut quarto mense, in his vteros male habere, humectosq; esse nimium, aut duros, aut resiccatos, aut malo aliquo premi oportet.] Contendunt hoc loco recentiores ex Galeno, quod quæ corpora abortiunt secundo aut tertio mense, habeat originem abortus ab acetabulis mucore plenis, idq; semper vsu venire commemorant. Sed certe non est ambigendum, rem sic aliquando se habere, cum Hippocrates in Aphorismis admonuerit: Quæcunq; mediocriter corpora habentes, abortiunt secundo aut tertio mense, sine occasione manifesta his acetabula plena mucoris sunt, & non possunt ex pondere fœtum continere, sed dirrumpuntur.] At vero, quod hoc ipsum semper contingat, id habere veritatem nequit: cum huius rei, neq; Hippocrates in contextu, neq; Galenus meminerint. Falsum igitur tribuunt Hippocrati & Galeno. Duo sunt equidem veritatem huius negotii persuadentia: primum, quod abortus ex vtroq; authore causæ multiplices adsint, quas illi sigillatim recensent: alterum, quod in citato contextu de affectionibus mulierum meminit huiusce causæ, non tanquam semper necessariæ atque communis, sed tanquam propriæ & particularis. Nam inquit: In his vteros male habere, nimiumq; humectos esse, aut duros, aut resiccatos, aut malo aliquo premi oportet.] Sed quorsum, si hic mucor semper concurrit abortum tertio aut quarto mense, hic author meminit duri & resiccati vteri, aliorumq; affectuum? Hic duo notanda sunt, ne iuniores, qui hæc nostra legent, aliquando ambigant; vnum est, quod acetabula, Græcis κοτυληδόνες, nuncupantur, qua voce intelligunt quædam venarum capita ad vterum tendentia, ex quibus fœtus idoneum sugit alimentum, alterum quod per mucum intelligenda est pituitosa materia, crassa atq; lenta, quam Græci μύξαν vocant, hac ratione Philotheus interpretatur hunc locum, his verbis: Τοῦ δὲ φλεγματώδους καὶ γλίσχρου χυμοῦ, χαλῶνται χαλαροί, καὶ ἀδρανεῖς γίνονται. λοιπὸν δὲ καὶ ἡ καθεκτικὴ δύναμις τῆς μήτρας ἀσθενὴς, ὑγρὰ καὶ φλεγματικῆς πλέα σαρκώσεως ὕλης.] videlicet pituitoso & lento humore, & hic molles debilesq; fiunt: præterea vero, & vis vteri contentiua humida, & pituitosa materia plena debilis fit.] Cibi autem malum succum generantes non possunt alia de causa facere abortum, nisi genitis iam primum ipso in corpore malis humoribus, quorum causa coinquinatus sanguis, redditus nempe acrior, calidior, tenuior, aut alia quapiam præditus qualitate mala, potest facere abortum, hinc vitio totius corporis; (nam in cacochymia talis affectus censetur) malum fœtui contingit. Eadem est ratio de cibis optimi succi & euchymis, à quibus ge-

nerata plethora, tam quo ad vaſorũ capacitatem, quam quo ad vires poteſt fœtum irruens in vtero affatim ſuffocare, aut ſaltem longiori tractu temporis perdere. Hęc ſane vna eſt cauſa, in qua admittenda omnes fere conueniunt, recentioribus illis duntaxat exceptis, qui nolunt hanc recipere. Verum, profectò hic ego non ambigo, quoniam quemadmodum ſanguinis inopia poteſt fœtum citra controuerſiam perdere, ſic arbitror, copiam repente irruentem ſuffocare: neque multum eſt infrequens caſus, vt aliquis fortaſſe putaret, quando puſſum teſtari, me in hanc vſq; ætatem obſeruaſſe, quatuor hoc periculum ſubiiſſe mulieres. Sed quoniam videtur hoc quibuſdam difficile controuerſum, atq; impoſſibile factu, volo in ſtudioſorum gratiam Methodo ipſa pro veterum conſuetudine negotio perquiſito, dilucidiſſimum reddere. Primum ſane illud abſurdum eſt negare, quod temerè à quibuſdam factum ſcio, mulieres non poſſe plenitudinem pati, quandoquidem cum eadem proportione ſuccos in venis contineant; qua viri, atq; eiſdem vtantur cauſis plethoricis, imaginari non poſſum, quomodo in hanc opinionem peruenerint, quam certe ſenſus ipſe manifeſte redarguit, cum indies plethoricas mulieres offendamus. Adde, quod ſi Galenum inſequi ducem deſiderant (quem tamen vnice imitandum ſibi propoſuerunt) hic author oſtendet illis opinionis falſitatem, vtpote qui, tum certe paſſim alibi, tum vero maxime in libello de ratione curandi per miſſionem ſanguinis, mulieres plethoricum habitum acquirere docuerit menſibus retentis. Hoc ſuppoſito, quis habebit anceps iudicium, quin vbi toto corpore plenitudine laborent, primum omnium vterus ſanguinis multitudine turgeat, à quo vniuerſalis illa multitudo principio deduxit originem? Nam ſi totum corpus ſuppreſſis ab vtero purgamentis copia vel grauetur, vel diſtendatur, quæ venæ & arteriæ in vtero ſunt, multo magis eum affectum patiuntur. Duplex afferri poteſt cauſa: vna, quia ſanguine ad vterum prolapſo & non expurgato, venas illas tumefieri primum oportet, quibus plenis poteſt vniuerſum corpus ſanguine repleri: altera, quia cum vterus locus ſit, per quem ſolet natura ſanguinis multitudinem exonerare, arbitrari debemus, naturam mole ſuccorum grauatam illam partem primum omnium replere, quæ illorum vacuationi deſtinatur, & hic ſane, quanquam non habuerit plenitudo principiũ à ſuppreſſis menſibus, vterus primum, aut certe maxime multitudinem continebit. Sed quomodocunq; res habeat, ambigere non poſſumus, quin ipſo in vtero particularis plenitudo poſſit conſiſtere. Quamobrem mulieres tum in vniuerſo corpore, tum etiam in vtero multitudinis affectum patiuntur. Sunt igitur omnibus iis obnoxiæ periculis, quæ ab vna plenitudine fieri & concitari ſolent, hæc ſunt putredines phlegmones, fluxiones variæ, venarum ruptiones, & natiui caloris ſuffocationes, de quibus ego in libro huic tractationi dicato abunde admodum ſcripſi.

CAP. IX.

Vtero gerenti plenitudine præſente ratione vacuationis conuenire venæ ſectionem.

PONAMVS modo ſic affectam concipere, quæro, an vtero gerente muliere pericula eadem immineant, quæ non gerente imminere docui. An maiora plethoricis cauſis propter menſium retentionem adauctis. Ita quidem mihi videtur: Nam adaucta multitudine adaugentur pericula. At malum eſt equidem, vbi ingens adfuerit ſanguinis copia procraſtinari: quia bonum corporis habitum, cum non poſſit proficere in melius, atq; ſit conſequens in deterius incidere, ſtatim ſoluere debemus. Eiuſcemodi ſoluitur habitus vena inciſa profluente ſanguine: neq; enim alia, quæ multitudinem reſpiciunt auxilia, ad id ſunt idonea, tanquam ea, quæ idipſum, quod quærimus, lente admodum efficiant, quod fieri confeſtim, ſubito, atq; ſtatim oportebit. Temerarii quidem fuerit Medici officium, & hominis nullo præditi iudicio, remedium generoſum prætermittere atque ſinere, vt extremum aliquodpiam & immedicabile malum adueniat, dum ſocordia & negligentia ductus, leuioribus duntaxat inſiſtens auxiliis, generoſa

herosa præsidia relinquit. Secta vena cubiti omnibus malis subuenit: ac tanta maiori securitate, quanta multo facilius imminentes morbos arcere & propellere solemus, quam præsentes curare: nam vt ille inquit:

Aegrius eiicitur, quam non admittitur hospes.

Referamus hoc loco, quæ passim Galenus memoriæ prodidit, magnitudinem affectuum in sanguine mittendo considerandam, non solum præsentem, sed etiam futuram. Quis igitur tam exigui fuerit iudicii, qui vtero gerentibus, dum acuto morbo premuntur, venæ sectionē consulat citra abortus periculum, hanc vero, dum morbus abest, deneget, maxima interim imminente de futura pernicie, tam matris, quam fœtus suspicione. Non faciet abortum ægrota mulier; faciet sana, nulloq; morbo adhuc obsessa. Optima est hæc medendi ratio, vel vt dicam, cum recentioribus Medicis præseruandi ratio, qua certe non solum puer in vtero consistens, sed mater simul communi periculo subiecti, ab internecione liberantur. Sed hoc loco dicet fortasse aliquis, quod fœtus non per se præseruatur, sed ex accidenti, seruata videlicet matre. Deinde vero dicet, quod impossibile sit, à sanguinis multitudine suffocari fœtum: quia dum hic in vtero consistit, sanguis non attrahitur à puero, nisi paulatim, & vt sic dicam, suauiter, atq; tantum, quantum pro alimento iudicari potest necessarium. Verum hæ suspiciones sunt nullius momenti, veraq;, vt libere dicam, deliramenta. Primum vero dicimus, morborū esse auxilium, quodcunq; & quomodocunq; potest morbos propellere, siue id per accidens faciat, siue per se. Audi, vir bone, quid Galenus pro tua hac hæresi exstirpanda in medium afferat. Ex sunt auxiliorum inuentiones, ad quas quicquid conducere quomodolibet videbitur, id fatendum est, ad curationem esse necessarium.] Notes, quod inquit, quomodolibet;] hac enim voce admonet nos, remedia minime prætermittenda, quæ possint quomodolibet, siue per se, siue per accidens opitulari, hoc ex Hippocrate edoctus, qui Tetanum frigidum alioquin affectum frigidissimæ inspersione curauit. Quamplura sunt in hoc genere ab vtroq; authore celebrata remedia, quæ vt omnibus nota prætermittuntur. Deinde vero quis tandem docuit, non præseruari fœtum per se, sed ex accidenti? quod enim causa est abortus per se, illud vbi aufertur, per se causa est præseruationis: at copia sanguinisve multitudo est abortus causa per se, quemadmodū paucitas & modum excedens inopia, idem facit? Potest insitus calor matris à multitudine suffocari, non poterit in vtero existens tantillus, idem perpeti? Inopia corrumpere valebit fœtum? corrumpere ac perdere non valebit ingens copia? Sed dicit fortasse, Galenum non admisisse multitudinem sanguinis inter causas abortus. Duo hic respondeo: vnum posito non admisisse, quid tum postea inquam? siluit Galenus causam, igitur non est admittenda causa? Hic locus est certe ridiculus: quandoquidem sub silentio inuoluerunt multa præsidia Hippocrates atq; Galenus, quorum fortasse nullam habuere notitiam, quibus tamen nostris hisce temporibus felicissime vtimur, vsum mannæ, cassiæ fistularis, sennæ, & quorundam aliorum medicamentorum expurgantium non scripsit Galenus, an propterea non est adhibenda fides posterioribus Medicis? Hippocrates docere prætermisit multa, quæ monimentis literarum mandauit Galenus, huicne igitur propterea deroganda est fides? Sic pariter haud erit credendum tibi, cum quamplurima scribis, quæ Galenus non scripsit, atque neque etiam fortasse somniauit. Olim quidem dixi, & antea testati sunt quidam de Medicis rebus optime meriti, non perfecisse medicinam Galenum: relictumq; locum esse posterioribus aliquid scribendi ab illo prætermissum: quia per additamentum scimus, artes omnes atque scientias fuisse adeptas perfectionem suam. Præterea si hic author plenitudinem inter causas abortus non enumerauit, quæsierim ego ab illis, an propterea negauerit aliquando? an hoc ipsum principiis suis minime conueniat? Quamobrem non sequitur falsum esse, ex eo quod Galenus non scripserit. Alterum hic addo, quod vterque author, quinimo recentiores multi causam hanc receperunt: ostendam rem sic habere, cum rationes persoluam. Porro quod addunt, non posse fœtum

à multitudine suffocari, quia non attrahit alimentum nimis copiosum, inconsiderantiæ plenum est. Quandoquidem fluxionis non est vnica duntaxat causa, attractio scilicet, aut naturalis, aut præter naturam: sed aliæ ad rheumaticos affectus gignendos concurrunt, vt expulsio, humoris natura, loci recipientis conditio, & alia de quibus ex Galeni sententia diximus nostris commentariis, tum in librum secundum ad Glauconem, tum libro de ratione curandi tumores præter naturam. Pone igitur fœtum tantum attrahere alimentum, quantum suppetit sibi: vbi tamen ingens adfuerit in venis copia, natura posset abundantiam per easdem vias exonerare, adiuuante potissimum attractione à fœtu, & successione, loci recipientis imbecillitate, natura ad propellendum sanguinem, ac se exonerandam consuetudine per easdem vias, atque tandem inferiori situ partis.

Cap. X.

Mulieres plenitudinis affectu laborantes posse vtero concipere.

CÆTERVM hæc, quæ diximus, habere non contemnendam difficultatem videntur; primum, quia nos videmur supponere, mulierem plethorico habitu laborantem posse concipere: quod sane nunquam fortasse consisteret. Hippocrates enim asseruit, quod cum vteri vasa sanguine referta non sunt, sed vacua, semen ad se trahunt, fœtusq; concipiunt: at plenitudine tum aliis in partibus, tum ipso in vtero existente, venis abundantia maxime turgentibus, conceptio fieri non valebit. Hippocratis verba sic habent: Concipere in ventre pluribus mulieribus necessarium est post menstrua purgamenta, vbi ab his exolutæ fuerint.] Et libro de morbis muliebribus cum purgatæ fuerint mulieres à mensibus, maxime tum in ventre concipiunt, cum viro consuetudinem habentes, & genitum ipsis corroboratur.] Atque alibi multo apertius. Mulier si quidem vacuatur à sanguine, in ventre concipit: si vero repleta est, non.] Ex quibus colligere vnusquisq; potest, repletas mulieres non concipere. Deinde vero controuersum est, & plenum dissensionis, quod nos diximus, mulieribus multitudine obsessis missionem sanguinis esse necessariam, quasi quod alia non adsint remedia pro corrigenda multitudine; secus quidem atque fuerit à Galeno expositum, libro quarto Methodi medendi, aliisque locis sexcentis, & nos in libro secundo tractationis huius demonstrauimus. Priori difficultati respondent quidam, quod plethorica mulier, si talis euasit post conceptũ retentis mensibus, quod nullum locum habet proposita difficultas; quoniam anteaquam conciperet plenitudine non laborabat, quo casu loqui illos arbitrantur. Verum, si nos ante conceptum putemus, plethoricum affectum adesse, vteriq́ue venas sanguine plenas imaginemur, tunc impossibile esse huic conceptionem aduenire. Sed mihi non satisfacit opinio, quia non est absurdum, plenitudine affectas concipere, quemadmodum neque etiam absurdum est concipere illas, quæ malum coaceruare succum solent, vt in dies hoc modo contingere obseruauimus. Nam si habuerint semen prolificum (habere enim semen, hocq; ad generationem effectiue concurrere, vt semen viri, cum Galeno, atq; aliis Medicis clarissimisq; Philosophis illos credere minime ambigo) si instrumenta fuerint optime disposita, quid esse potest impedimento quin concipiant? Eadem esset quæstio de plethoricis viris, an scilicet possint emittere, necne semẽ prolificum, cum tamen hactenus, quod ego sciam, dubitauerit nemo. Quamobrẽ statuatur validissima ratio in hunc modum: Quæcunq; prolificum generare semen valent, vterumq; bene dispositũ habent, ad conceptionem sunt idoneæ. Possunt generare eiuscemodi semen plethoricæ mulieres, itaq; ad conceptionem idoneæ sunt. Circa maiorem nulla est dubitandi occasio, minor vero ipsa experientia euidentiam habet, cum obseruemus quotidie eusarcbas mulieres non modo concipere, sed etiam frequentes partus edere. Si dixeris habere illas prolificum semen, non tamen habere vterũ bene dispositum, quia plenitudo impedit expurgationẽ, hic inquam non esse hoc necessariũ, quoniã videmus plethoricas men-

menses habere, aliquando multos, aliquando paucos pro conditione corporis, & quæ menses habent mulieres, concipiunt; adde quod non videtur maior ratio de plethorico habitu quam de cacochymia: at quis dubitauit malo succo præditas non posse concipere? si obstructionem facit multitudo: cur eandem non procreabit humorum crassities, & viscididitas? Quamobrem causa sterilitatis non debet necessario referri in multitudinem, aut in cacochymiam, sed in malam dispositionem vteri, cum in vtroq; habitu possit vterus, quantū ad conceptionem pertinet, & bene & male sese habere. Ostenderem pluribus rem in hunc modum habere, verum quia in re apertissima pudet me amplius immorari, volo id tanquam notum prætermittere, simulq; statuere plethoricas aliquando concipere. Si quis huic hypothesi non credit, is quidem sterilitatis causas peruestiget omnes, atq; sic veritatem inueniet. Ego quidem hac vti distinctione soleo. Plethoricæ mulieres, vel ex vtero statutis temporibus emittunt sanguinem, vel minus, quę nihil reiectant sanguinis, aut nunquam concipiunt, aut certe admodum raro: quia conceptus fieri non potest, nisi affluente ad vterum pro fœtus alimento, sanguine: hinc enim semen vbi siccum, & rugosum inuenerit vterum foras delapsum, nullam facere conceptionem potest, de qua re fuisse locutum Hippocratem constanter affirmo. Nam ait: Quæ siquidem vacuatur à sanguine mulier, in ventre concipit: si vero repleta fuerit, non. Nam vacuis vteris & venis à sanguine factis, mulieres in se fœtus concipiunt.] Id vero multo euidentius, cum ait: Etenim post menstrui sanguinis purgationē, mulieres in ventrem concipiunt.] Hæc ille. Verum, quæ aliquid emittunt sanguinis, siue multum, siue parum emittant, concipiunt eo tempore, dum vel ipsi efflorescere incipiunt menses, vel dum penitus effloruere, vt Galenus hisce verbis testatur: Conceptionis tempus est, vel incipientibus, vel cessantibus menstruis.] Ac rursus. Concipere cur alio tempore, quam dum vel incipiunt vel cessant menses, mulieres nequeant, causa est, quod semen nequeat in vulua remanere: sed à confluentis sanguinis copia eluatur.] Quarum igitur vteri venæ ita sanguine refertæ sunt, vt nullam aliquo tempore sanguinis illius copiam exonerent, hæ non concipiunt: quæ exonerant, optime concipiunt. Quod vero tradunt, quæ prius non aderat, generari plenitudinem muliere vtero gerente ex purgamentis in vtero retentis: id quidem verissimum esse constat, sed hæ certe minus periclitantur mulieres, quam illæ, quæ ante conceptū plenitudine laborant. Nam fit plenitudo multo maior in illis, duplicata scilicet causa: altera, quæ prius aderat in toto corpore: noua altera genita retentis mensibus, quorum copiam tantillus fœtus absorbere, & vniuersam in suam commoditatem trahere non potest.

CAP. XI.

Venæ sectionem vtero gerentibus conuenire etiam ratione reuulsionis.

HACTENVS docuimus, vacuationem per missionem sanguinis vtero gerentibus conuenire. Eadem etiam causa facit, vt pariter conueniat idem auxilium reuulsionis ratione, siquidem inter causas quæ rheumaticos facere affectus consueuerunt, vna est præcipua, multitudo quoad vires, qua onerata natura non exiguum periculum imminet, quin ex vtero sanguinis fluxione prouocata aborsus consequatur. Prudentis autem fuerit Medici consilium, periculum cauere anteaquam veniat, quod sane optime præstabit vena secta, quæ in vtroque casu iuuat, tam scilicet dum euacuationem, quam dum reuulsionem molimur, quo autē id fiat à nobis tutius, & citra periculum, hæc obseruanda duximus. Primum quod vtero gerens optimo sit corporis habitu prædita, neq; difflabilis, sed nigra carne, venasque latas habeat. Deinde vero sanguinem non ita confestim mitteremus, quemadmodum vtero non gerente mitteremus, sed paulatim, multisq; vicibus, vt diebus continuis duobus, aut tribus ex cubito dextri lateris vsque ad vncias quinque, aut sex pro vice: Recordor, dum Auximi

omnium totius Picenni ciuitatis antiquiſſimæ, medicinam facerem, nobilem quandam mulierem ſingulis annis abortum in tertio menſe fuiſſe perpeſſam. Alteram etiam noui, quæ parum egreſſa quartum, mortuum puerum ſingulis annis emittebat. Dum pro meo munere inueſtigare cauſas conor, inuenio aliam non adeſſe cauſam, quam plenitudinem ſanguinis, puerum ſuffocantem. In quam ſane opinionem veni, quoniam ex cauſis abortum facientibus, nulla quidem aderat multitudine dempta, cuius manifeſtum apparebat indicium ex plethorico illius habitu, & victus ratione euſarcha. Itaq; conſtitui primis menſibus copiam ſanguinis vena ſecta in gibbero diminuere, atque etiam iterationem adhibere, qualem ſupra docuimus. Reclamabat Auximianus Medicus, hunc ego parui pendens, ſtatuta deliberatione accedo ad auxilium. Mirum eſt dictu, quanta fuerit felicitate excogitatum. Nam quæ ante noſtrum aduentum quater abortiuit, nunquam poſtea id perpeſſa eſt periculum, & adhuc viuit cum ſobole numeroſa. Hoc igitur auxilium præſente neceſſitate iam expoſita non eſt prætermittendum.

Cap. XII.

Cum remedia multitudinis multa ſint, cur ad venæ ſectionem accedendum in vtero gerentibus.

VERVM quia, vt recte admonuit Galenus, non oportet ſtatim accedere ad miſſionem ſanguinis, vbi plenitudinis ſigna, & ſyndromes adfuerit, quod perperam faciundum ſemper curauit Menodotus ille Empiricus, quibuſdam enim ſatisfacit inediam adhibuiſſe: ſufficit aliis exercitatio, nonnullis frictio, aliquibus balneum, & purgatio vtilis eſt; Quamobrem doceamus hoc loco cauſam, cur non aliis præter miſſis auxiliis ad phlebotomiam, tamquam ad ſacram anchoram perueniendum eſſe duxerimus. Dicamus itaque primum ex omnium Medicorum conſenſu, balneum nulla ratione vtero gerentibus conuenire, quo fœtus paruo admodum negocio præcipitari ſolet. Porro exercitationem non eſſe vtilem in caſu, primis potiſſimum menſibus, hoc manifeſtum facit: quoniam cum ſit vehemens quidem motus exercitatio, haud valebunt citra periculum abortus hanc ferre vtero gerentes: fiet enim omnino abortus, ſi omnes exerceantur partes: ſi inferiores partes duntaxat laborauerint, multo magis, & certius continget abortus: at ſi partes ſuperiores exerceantur, quia laborioſos oportet motus exiſtere, quamuis minori periculo ſequatur, tamen non eſt propterea denegandum, quin ingens mulier abortiendi periculum ſubeat. Quod ſi dicerent non intelligere ſimpliciter dictam exercitationem, ſed pro motu corporis communi appellatione vſos videant, quomodo ſuperiorum partium leuis motus poſſit multitudinem tum particularem, tum vniuerſalem, emendare. Adde quod Galenus, cum obnoxios plenitudini ſanari exercitatione tradidit, veram intelligit, & non communiter dictam: mox autem leuis motus magis augere, quam diminuere plenitudinem poteſt, vt cuiq; ſatis manifeſtum eſſe poteſt: quia certe non poteſt illa diſcutere humores in venis, & in habitu corporis contentos, ſed nouos attrahit excalefactis partibus. Quod ſi facere idipſum non poterit exercitatio leuis, quomodo ſperabimus à frictione fieri? Poſtremum vero, tam exercitatio, quam frictio, atque etiam ciborum parcitas, & inedia plenitudinem ſi valebunt diſcutere; id quidem facient longiſſimo temporis interuallo: at quis tam cordatus erit Medicus, qui quod breui admodum tempore, tutoq; poſſit efficere, velit longiori tẽpore, neq; citra inſigne aliquod damnum perficere? His itaq; de cauſis putauerim, neq; balneum, neq; exercitationem, neque frictionem, neq; inediam conuenire. Purgatio vero neque admodum eſt tuta, quam tamen humoribus turgentibus neceſſariam eſſe a quarto vſque ad ſeptimum tradidit Hippocrates. Nam, ſi duo hæc geneto ſa præſidia inuicem conferre volumus, ſanguinis miſſionẽ longo interuallo, purgantis medicamenti vſum ſuperare cognoſcemus. Nihil enim artem ipſam medendi

æque

æque reddit coniecturalem, vt superiori libro admonuimus, quam vniuscuiusq; remedii quantitas, quæ profecto neque scribi, neq; ad vnguem dici potest. At in venæ sectione hanc mensuram facile deprehendimus, in purgatione non item. Nam & coloris mutationem, nunc quidem in ipso fluente sanguine, nunc vero in ægrotantis corpore dispicere licet, animi quoque defectio in pluribus affectibus vacuationis terminum obtinet: quemadmodum sanguinis fluentis vigor languescens, & pulsus mutati in quacunque magnitudine, vt ex Galeno docuimus; adde quod Medicus huius solius vacuationis liberam habet facultatem sistendæ, quandocunque illi placuerit, aliarum autem nullius. Nam vbi propinandum sit aliquod medicamen, prima exhibitio in sua potestate sita est, cætera vero fortuna administratrice obtingunt. Ingens præterea in propinatione pharmacorum periculum est, præsertim in vtero gerentibus, cum vel non commouetur purgatio, vel quod in aluum attractum est, non facile excernitur; vel cum dolore, torminibus, refrigeratione, pulsus euanescentia, & animi defectu exprimitur; vel cum corpus vehementer perturbatur, interimq; parum admodum vacuatur, aut euacuatio modum excedit, id quod sæpius ceu extremum malum contingit. Quam rem cum aliquando Auerroes magnus Medicus, aut certe maior philosophus contemplaretur, in hanc eandem opinionē peruenit, dum inquit: Dicit Hippocrates, mulier prægnans non debet phlebotomari, nisi quando embryonis virtus fuerit fortis. Hoc est à quarto mense vsque ad septimum, nisi humores fuerint furiosi, & pharmaciam concedit tunc. Ego autem dico, quid phlebotomia, quando adest repletio, qua embryo non indigeat, non est mala; sed pharmaciam non credo ad bonum peruenire finem, immo necessario lædit embryonem, eo quod id substantiam habet venenosam, & fortasse faciet multos humores fluere ad embryonem, vt ipsum lædant.] Hæc ille. Ex quibus duo colligito (vt hoc ipsum obiter dicam) primum, quod secundum sententiam Hippocratis mittendus est sanguis vtero gerentibus; non enim dixisset Auerroes hæc verba, dicit Hippocrates, quod mulier prægnans debet phlebotomari, nisi constitisset illi opinio Hippocratis, & quamuis non inuenimus in Aphorismis conscriptam hanc fuisse sententiam, tamen alibi id explicasse, credere quidem absurdum minime videtur, eoq; volumine caremus, vt aliis quam pluribus. Secundo quod plenitudine existente in vtero gerentibus, qua non indigeat fœtus, mittendum esse sanguinem. Vides igitur, quam pueriliprædicti sint iudicio, qui negant vtrumq;, tum quod mulieres plenitudinis affectu nequeant laborare, tum quod vena illis non est incidenda. Sed ad propositum reuersi, alia etiam est causa, qua admonemur sanguinem mittere, ea vero est, quam libro tertio huius tractationis, & primo docuimus, nempe, quod plenitudo propriè curatur hoc præsidio, quemadmodū succi mali præsentia, & vitium, expurgatione corrigi solet. Succurrit quidem plenitudini purgatio, sed impuræ, quam etiam tutius vna phlebotomia emendari posse non dubito. Postremo autem purgatio humores trahit deorsum, laborq; in egerendo cum fiat, præcipitare fœtum cogit. Sanguinis autem missio ex cubito sursum attrahens minus periculum minatur.

Cap. XIII.

Fœtum, ne suffocetur à multitudine, periclitari, & quomodo pro deuitando periculo ad sanguinis missionem ex cubito sit accedendum.

Mihi arridere non potest, quod illis placuit, periclitari non posse fœtum à multitudine corporis. Nam si mater in aperto periculo ponitur, cur in eodem tamillus fœtus constituendus non est? si robustior à plenitudine obruitur, cur imbecillior euadet incolumis? Iam quidē pericula sunt in vtraq; plenitudine, vasorum abruptiones, suffocationes natiui caloris, putredines, fluxiones, & harum occasione morbi rheumatici, febres, aliique id genus affectus: his equi-

dem subiectæ sunt matres; cur eisdem non fore subiectos fœtus arbitrabimur? si sugentes sanguinem, natura quærens exonerare sese à multitudine, quacunque premarur, aut quo ad vasa, aut quo ad vires, mulro maiorem transmittat copiam sanguinis, quam tanrillis fœtibus sit ex vsu, cur in suffocationis periculum non incident? Quod sane certius esse poterit, si mulierem concepisse non post expurgationem, sed antea contigerit, atque si multitudo habuerit principium à retentis mensibus quam Galenus in libro de ratione curandi per missionem sanguinis admittit, tunc enim venæ vteri magis turgentes adaugere facient multitudinem, periculumq; duplicabunt. Fœtus (inquiunt illi) attrahit quantum sibi est necessarium: fateor, sed causa periculi non est attractio fœtus, sed certe naturæ expulsio, & exoneratio, fluxio ipsa, quorum potest esse principium attractio ab ipsu fœtu. Eadem ratio est de generatione phlegmonis: nam fit inflammatio ex confluxu sanguinis vberioris, quam postulet affecta particula: iam quidem hæc attrahit sanguinis conuenientem quantitatem; cur igitur fit phlegmon? Duplici potest de causa contingere, vnà est, quia adsit attrahens aliquapiam causa præternaturalis, alia vero, quia humores expelluntur ad morbosum locum. In proposito casu, ratione fœtus, nulla aduenit sibi labes, sed ratione quantitatis, cum qualitate humorum maxima aduenire potest: addunt illi propterea; Verum isti pauperculi meo iudicio decepti sunt, opinantes eodem modo sanguinem deferri ad vterum tempore imprægnationis, quo defertur eo tempore quo vtero non gerunt, parum exercitati in commentariis Hippocratis, & Galeni, & aliorum medicinæ bonorum authorum.] Sed profecto hic tota, quod dici solet, aberrat via, quandoquidem per eandem viam obrui posse, & suffocari fœtum, per quam alimentum fugir, constanter affirmamus: huncque suffocari non sane ob naturalem attractionem, sed propter fluxionem præternatutalem factam à natura, vt sese à multitudine sanguinis exoneret: hacq; via non modo suffocari, sed extingui potest attracto sanguine putrido, qui per venas totius corporis oberrans in febre synocha, facile ad vterum, vt partem imbecilliotem, transmitti potest, hæc enim febris, vt alibi declaratum est à nobis, fit in habitu plethotico. Præterea quæsiuerim ab hoc homine, an vterus concipere possit inflammationem? Anque hanc semper insequatur ptopter grandes venas, & arterias quibus præditus est, febris continens? scio responsurum: quod vtrumque possit contingere. Quæsiuerim rursus, an idipsum in vtero gerentibus aliquando adueniat? ac adueniente, an abortus periculum immineat, quemadmodum de crysipelate superius diximus? neque id negabit. Tunc explicent mihi boni Medici, per quam viam sanguis in vtero copiosior fluit phlegmonem facturus; si dixerit, non posse deduci per eam, per quam alimentum capit, reddenda est illi ratio, cur non valeat, explicandaq; ratio est, cur in illis affluenti cruore copioso non fiat inflammatio, fiat autem in aliis, quæ scilicet sit præstantior vnius, quam alterius partis conditio. Quod si dixerit in ceruice vteri phlegmonem concitari sanguine confluente ad eam sedem abundantiori, quam postulat vsus illius, iam quidem certum est, ex inflammatione proposita abortum fieri posse, oportereque hac de causa inhibere antea quam fiat eiuscemodi confluxus, quæ res ad puram prouidentiam pertinet, quam Græci προφυλακτικὴν vocant, hocque meo iudicio artificis præcipuum est opus. Cauere ne morbus fiat: maioriq; honore dignus est Medicus, qui prænoscens, præuidensque, quod fururum est, sua opera, studio, diligentia præcauet euentum, quam dum futurorum ignarus, secors, atque negligens expectato morbo, præsentem curat. Ergo pericula imminentia sunt suffocationes, venarum ruptiones, putredines, inflammationes, fluxiones, quorum causa, vt præseruemus aliquando vtilis est venæ sectio, aliquando autem inutilis. Cæterum, hic doceamus quando sit vtilis. Equidem non me fugit, non esse ad hoc ipsum auxiliũ, vbi plenitudine laborauerit aliquispiam, confugiendum illico, nisi prius conuenientem distinctionem adhibeamus, vt secundo libro tractationis huius demonstrauimus. Primum videre oportet, quanta sit plenitudo:

nitudo:

nitudo: deinde vero memorandum, quid aliis temporibus aduenerit. Exigua enim, & a ſanguine tenui progenita leuioribus auxiliis corrigenda eſt, leuiora dico, victus rationem pauciorem, aut inediam, balneum, frictionem, exercitium. Ex his duobus conueniunt. Frictio ſuperiorum partium, & exercitium, alia in vtero gerentibus haud arbitror tuto adminiſtrari poſſe, niſi quis forraſſe ad aliquod tempus victum inſtituat tenuem. Verum ſi magna fuerit, quæ leuioribus corrigi nequeat præſidiis (hoc ſane optime iudicabit Medicus ex incremento ſignorum plenitudinis, aliisq; alibi a nobis diligenter expoſitis) fruſtra leuiora præſidia tentarentur, quæ ſane magis augere, quam minuere plenitudinem poſſent; idcirco ad venæ ſectionem accedendum. Hic iuuabit momorari, quæ olim contigerunt: ſi enim ſit aliqua abortum faciens, tertio aut quarto menſe, aut aliis prioribus, vel poſterioribus, emittatq; mortuum fœtum plenitudine laborans, nullaque ſubſit alia cauſa neque interna, neque externa, equidem in eam debet opinionem venire plenitudinem ſuffocaſſe fœtum. Quamobrem vbi rurſus conceperit, non eſt expectandum periculum, ſed prudentis Medici fuerit anteuertere, & præcauere antea quam fiat. Eodem indigemus conſilio, ſi plethorica mulier quotannis ſynocho febre affecta primis menſibus abortum fecerit. Quis igitur id tempus expectabit? Addito his copioſum ex vtero fluorem ſanguinis, de quo ſequenti capite diſſeremus. Ita eſt tamen temperanda venæ ſectio, vt tuto fiat, quia modum excedens obeſſet: hinc vt fœtui ſufficiat ſanguis, quo alioquin abundabat antea, vacuamus per vices, duobus aut etiam tribus diebus continuis ſanguinem dementes ad vncias quinque, aut ſex, pro vice, hocque modo citra incommodum aliquod optime ſuccedit. Ego certe poſſum candide profiteri, me aliquando vſum hoc fuiſſe modo ſectionis venæ in iis quæ abortiebant ob ſanguinis multitudinem, aut fluorem, atque illas optime perſeueraſſe. Verum, vt illi, qui contrariam opinionem tenent, aliquod non habeant refugium, explicandum ex Galeno eſt negocium paulo diligentius. In primis autem ſupponamus in illius gratiam, ſanguinis vacuationem ſecta vena conuenire vtero gerentibus, dum acuto aliquo morbo prehenduntur: hoc enim tanquam certum, & quotidiana experientia comprobatum admittunt. Volo tamen huic addere diſtinctionem, quod morborum acutorum natura eſt duplex: quoſdam enim committit ſanguinis multitudo, aut motus: alios vero mali ſucci præſentia, cacochymiam vocant. In prioribus, vel pro vacuatione vel pro reuulſione conuenit venam tundere; in poſterioribus autem purgare expedit, de quibus dicebat Hippocrates, vtero gerentes à quarto vſq; ad ſeptimum, ſi materia turgeat, purgandas eſſe. His in hunc modum ſe habentibus, propoſita ſit præſeruatio ab eiuſcemodi morbis, quæritur quid agendum. Si dixeris inſiſtendum eſſe præſidiis leuioribus, aberrabis vtique, quia validus morbus imminens, validis arcetur præſidiis: iis itaque fuerit vtendum: ſanguiſque potiſſimum eſt mittendus ex eiſdem venis, ex quibus mitti debet dum iam ægrotare incipiunt: Quamobrem pro arcenda plenitudine, aut morbo magno, & acuto, ſanguinem ex cubito mitteres citra abortum; pro impedimento eiuſdem euentus, ex eadem parte vacuationem facere conueniet. Audi Galenum: In quibus autem corporibus nulla dum particula affecta eſt, cęterum vacuationem Vere inchoante anteuertimus, in iis ſiquidem talis ſit homo, qui quotannis æſtiuo tempore febrilibus morbis obnoxius eſſe aſſolet, atque in eo exundantiam euacuare ſtudemus, æque pars quæuis in ſanguinis detractionem accommoda eſt, ſicuti etiam ſi arthriticus ſit omnibus articulis laborans. Quibus autem eximie pars quæpiam, vbi prius vacuati non fuerint, infeſtetur, haud æque liceat ex quauis parte vacuationem moliri, verum ſicut in iis, qui pati iam incipiunt. Quam ob rem, podagricos, ex cubito purgato, comitialibus vero morbis, & vertiginibus obnoxios potius ex cruribus.] Ergo ſi vterus phlegmone afficitur, ſi fluxione ſanguinis nimium tentatur, ſi plenitudine ſanguinis laborat, protinus Galeni præcepto ſanguis mittitur ex cubito, vt optime conſcriptum reliquit libro ſecundo ad Glauconem. Vbi ergo non fuerint

præſentes hi affectus in vtero, immineatq; periculum ne fiant, idem remedium pro puta prophylactice conuenit. Inextricabilis eſt nodus, quo, velit nolit, cogitur confiteri miſſionem ſanguinis vtero gerentibus antea, quam morbus inuadat, vtilem exiſtere: hacq; præſeruari fœtus duplici ratione: vna ſane, diminuendo maxime abundantem cibum, quo ſuffocari periclitabatur: altera, matrem ab imminentibus morbis tutam reddendo, quorum præſentia ſolet matri, & infanti mortem afferre. Diximus itaque quod mulieres plethoricæ poſſunt concipere: quod conceptus a multitudine ſanguinis ſuffocari poteſt, & quando ad miſſionem ſanguinis, & quomodo ſit veniendum. Hippocratis autem ſententiam, quod plenæ mulieres non concipiant, quia ſuperiori capite ſumus interpretati, declarare hoc loco ex induſtria prætermiſimus.

Cap. XIIII.

Vtero gerentibus mittendum eſſe ſanguinem, vbi immineat fluor ſanguinis ex vtero.

SANE vnum hoc apud omnes Medicos euidens eſt, venæ ſectionem ex Saphena, aut poplite certiori periculo abortum facere, quam ſi in gibbero exillcus diuideretur, adhucq; certius videri, ſi ex vtero ſanguis effluxerit. Neutrum tamen ita certum eſt, vt ſemper, atque neceſſario inſequi abortum oporteat; quoniam indies obſeruatum eſt à nobis, quinimo ab omnibus cognitum, malas quaſdam fœminas, vt celarent vterum, data opera ex inferioribus venis, non ſemel, ſed bis, terque ſanguinis vacuationem procuraſſe, citra abortum, cuius cauſa ſanguinis miſſionem fecerunt. Experientia ſimiliter docuit, vtero gerentes reperiri quaſdam euſarchas, quæ ſingulis menſibus purgabantur citra fœtus aliquod incommodum: Ego ſane multas in hanc vſque diem cognoui, fœtus validos emittentes, quæ ſingulis menſibus ex vtero purgamenta emittebant. Quamuis certe nouerim etiam alias imbecillos fœtus parturientes. de quibus dictum fuit ab Hippocrate in Aphoriſmis. Si mulieri vtero gerenti purgationes eant, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum.] Galenus in eius commentario. Et verbum purgationes numero plurali dictum, & alterum, eant, adiunctum, oſtendunt non eſſe paucum eum, qui excernitur ſanguis, neque ſemel, ſed ſæpius & multum. Qui enim ſemel aut bis paucus excernitur, ſæpius apparet abſque hoc, quod fœtus patiatur. Cum vero nihil deficit multitudini purgationis menſtruorum, & ſeruat deinceps terminum circuitus per menſes, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum: ſiquidem ille, qui fortis eſt, ad ſui alimentum vtitur illo, qui ex toto corpore ad vteros fertur.] Philotheus autem multo diligentius interpretatur contextum, cum doceat poſſe expurgari mulieres vſque ad ſextum menſem citra puerorum offenſam: idque ipſum contingere, cum ſunt plenæ ſanguine neque multum purgantur: conſtareque in hunc modum rem habere vt ipſa experientia teſtatur. Inter Neotericos ſcriptores Triuerius videtur mihi Aphoriſmum indocte admodum interpretatus, dum ait; Fieri non poteſt, vt fœtus conſtet, vbi purgationes pro conſuetudine redeunt: nam fœtus alimento ſuo expoliatur; verum inprimis, atque adeo aliis quibuſdam menſibus, citra difficultatem modice apparere poteſt, in primis quidem menſibus, quia ſuperfluit, in poſterioribus autem, quia nequaquam toto vtitur ſanguine menſtruo fœtus, duntaxat meliori, reliqua pars fere venenoſa eſt atque per collum vteri expurgari poteſt, & in quibuſdam fortunatis vtiliter expurgatur. Frequentius id euenit in primis menſibus, atque ex hoc ferc vno ſigno lactantes ſe concepiſſe coniiciunt, quod præter conſuetudinem nunc aliquid menſtrui ex vtero apparere deprehendant. Eſt enim argumentum, quod ſanguis, qui hactenus ex vtero ad vbera ſolebat adduci, nunc in ipſo ad conceptus nutritionem retinetur.] Hæc ille. Ex his equidem colligo, venarum inferiorum ſectiones, menſiumq; expurgationes ſtatutis temporibus non ſemper abortum facere, ſed aliquando, cum ſcilicet modum exceſſerint, cogere mulierem ad abortum.

ortum. Alterum vero ex eisdem sequitur, nempe ex cubito factam venæ sectionem, haud necessario obesse puero: quia si necessario non obest facta ex infernis partibus vacuatio, qua solet alioquin præcipitari fœtus; cur oberit, quæ sursum attrahit sanguinem, ac reuellendo illius ad vterum fluentis impetum remouet? Hæc infra diligentius expenduntur à nobis. Interim contra hosce homines rationem afferamus, meo iudicio, maxime efficacem. Ea sic habet: Sanguine ex vtero affatim, subito, multumque effluente, abortus periculum manifestum imminet. Ergo sanguine sursum attracto, & subito ab hoc periculo præseruat: antecedens nullam habet difficultatem: consequentia vero probatur. Contrariæ causæ circa idem subiectum, eodemque modo dispositum agentes, contrarium effectum faciunt, sanguis deorsum affatim effluens abortum committit: Ergo sursum attractus abortum non faciet, sed fœtum conseruabit. Quoniam vero debet remedium cum morbi qualitate proportionem habere, idcirco aliis prætermissis auxiliis, ad sanguinis missionem confugiendum est: quia alia non possunt sanguinem affatim fluentem reuellere breui tempore, quo fœtus ratione indigemus, vt phlebotomia efficit: primum, quia statim id facit, demum quia per communes venas. Hinc sane recte aliquando conclusimus, magnum imminens periculum, magno remedio gaudere. Hic non probo quod ex vtero fluores possint sanguinis aduenire admodum copiosi: quoniam hoc negans aliquis carere iudicio videbitur: neque probandum duxi, quod ex plenitudine vtraque concitari possit eiuscemodi fluxio: hoc enim lippis notum est, atque tonsoribus, quemadmodum etiam silentio inuoluendum iudicaui, venarum sectionem pro reuulsione exercenda à particula sanguinis motu affecta indicari, quandoquidem id à nobis in superioribus fuit abunde explicatum. Quamobrem concludimus, quod sanguine affatim fluente ad vterum, vel extra vterum, missio sanguinis ex cubito pro reuulsione facienda, maximam commoditatem affert. Hic videamus quid alii quidam respondeant, qui videntes hunc sibi prætensum laqueum, soluere in hunc modum conantur. Pro solutione inquiunt notandum, quod quædam venæ ad vteri cauitatē deferuntur, quædam aliæ ad eius ceruicem cōmittuntur. Ea de re primo videndum est, à quibus venis fluor iste sanguinis fiat, an videlicet ab iis, quæ ad cauitatem, an ab eis, quæ ad ceruicem committuntur. Secundo quantitas sanguinis est animaduertenda. Fluente ex vteri ceruice sanguine, quod vtplurimum accidit vterogerentibus, vt Galenus testatur sexto de locis affect. & in quinto Aphorism. si fuerit exiguus, nullum afferre potest fœtui incommodum, at si modum excedat, adstringentibus vtendū est præsidiis, non missione sanguinis, quod si reuulsione vtendum est, tunc profecto ad cucurbitulas sub mammillis, ad frictiones, & deligaturas partium superiorum phlebotomia prætermissa deueniendum est: huncq; modum extitisse omnium Medicorum ab Auicenna vsque ad sua tempora testatur. Si autem ex venis proficiscatur in cauitate vteri consistentibus, tunc adstringentia veniunt tam intrinsecus, quam extrinsecus applicanda: neque venę sectio adhibenda est, sed eisdem prędidiis reuulsoriis vtendum, de quibus fuerat supra locutus. Confugiunt postremo ad suam distinctionem de pura prouisione, & de prouisione curationi admista: dicentes loqui se de sincera prophylactice, indicatione sumpta à causa, quæ nondum facit affectum, sed facere potest: propositum vero casum de fluxione sanguinis ex vtero, vel ad vterum, non esse aliqua ratione referendum ad puram prouidentiam, verum ad curationem simul, idcircoq; nihil concludere. Tandem asserit, non negare se, quod vbi aliquispiam præter naturam affectus vterogerentibus fuerit genitus, à quo nedum abortus, sed ipsius etiam vitæ periculum immineat, & pro eius sublatione venę sectionem desideret, quod ea vtendum sit moderate, tamen cum maius ex ea compateretur commodum quam incommodum, licet periculo non vacet, sublato per eam eodem effectu; qui magis ac certius poterat abortum causare, idque indies experimur, cunctis tamen aliis rite perpensis, & semper feliciter successis. Dum autem ego hanc opinionem diligenter considero, non possum

non vehementer admirari, cur in eam peruenerit vir alioquin clariſſimus: nihil enim continet veritatis: Nam ſuppoſitum eſt, fluorem exiſtere magnum, & affatim fieri: quæritur an ſit reuellendus, nec ne. Negari non poteſt, quin egeamus retractione. Tunc retrahentium quædam conueniunt magnis morbis, quædam paruis aut mediocribus. Quæſiuerim, quæ conueniat magno huic affectui. Si dixerit exigua reuellentia, inſequetur, quod nihil facient, cum non habeant inuicem proportionem morbus & remedium: magno enim morbo magnum, extremo extremum, vt dicit Hippocrates, auxilium debetur. Accidit aliquando, quod vbi magnum remedium fuerit adminiſtratum, quod exiguum, repreſſa iam aliquatenus magnitudine, conueniat: neq; ſemper à leuioribus exordiendum eſt, ſed aliquando à maximis, neceſſitate vrgente, vt admonuit Galenus quinto Methodi medendi agens de ſanguinis reiectione. Nemo eſt, qui dubitat, frictiones, & deligaturas partium ſuperiorum non eſſe auxilium conueniens pro morbi huius magnitudine tollenda. Neque arbitror eſſe, qui putet cucurbitularum vſum ipſo in caſu ſufficere. Cum inquit, quod fluente ſanguine ab vtero ſolis vtendum aſtringentibus. Dico id falſum eſſe, quia certe prima omnium indicationum eſt retractio conueniens: dixi conuenientem, quia fluente bile, hæc retrahenda: ſanguine vero, hic veniet reuellendus: nulla vero tutior eſt reuellendi ratio venæ ſectione, tum quia reuellit eum, qui fluit, humorem, tum quia per venas communes id facit, tum demum quoniam breuiſſimo tẽporis interuallo id efficit, quod deſideramus. Negab.t forte, quod phlebotomia non conueniet in fluxu ſanguinis? non arbitror hominem tantæ doctrinæ id aliquando dicturum, cum Galenus agens de fluxu ſanguinis ex naribus admittat auxilium, ſi æger, inquit, reſolutus non fuerit] idemque eſſe iudicium de immoderatis fluxionibus ex vtero nemo eſt qui ambigat, quinimo omnes ex cubito, ſi fuerit animus euacuationem ſiſtere, conſulunt venæ ſectionem. Dicet aut fortaſſe, fœtum inhibere quin ſanguis mittatur: ſed ſubterfugium eſt inane, quia ſi ferunt vtero gerentes dum acuto morbo prehenduntur, auxilium citra aliquod incommodum fœtus, cur nõ ferant, dum ſanæ ſunt, dum vires validiores exiſtunt? locus eſt Topicus, ſi de quo minus videtur ineſſe, & ineſt, ergo & de quo magis, videntur ſane ægrotantes propter imbecillitatem virium annexam fœtui in vtero, minus ferre poſſe phlebotomiam, & nihilominus illius etiam teſtimonio, ferunt ſine damno, cur ſana ferre non valet? ſi dixeris in ratione me non ſupponere ſanam, ſed ægrotam, iam ſcilicet patientem fluxum ex vtero, hic duo inquam; primum rationem eſſe validiſſimam ſuppoſito fluxu futuro, qualem aliis remporibus paſſa fuerit: ſecundum, quod dato, quod iam ſit in affectu præter naturam conſtituta, nihilominus relatione habita ad ſuffocationes, ad putredines maximas, hic videtur caſus leuior, in quo virtutes cum ſint validiores, magis ferendo ſunt miſſionem ſanguinis. poſtremo autem conſtat quod qui curat fluxum ex vtero præſeruat fœtum: nam ſi vera, ac ſincera prophylactice eſt, quæ cauſas tollit, à quibus aliquis præter naturam affectus gigni poteſt, videre non poſſum, quomodo curatio ab hoc fluxu, fœtus ratione non ſit vera præuiſio, & prouidentia. Fœtus enim incurrere poteſt duplex periculum, vnum ne à multitudine ſuffocetur: alterum, ne proprio deſtitutus alimento intereat in vtero, aut immaturus effluens extra vterum ſtatim moriatur. Horum neutrum adeſt vtero fluente, aut recipiente fluxum ſanguinis: at vtrumque aduenire poteſt: ergo qui fluxum reuellit, qui multitudinem euacuat, hic idem præcauere ab hiſce periculis poteſt, ac dicitur. Tandem vero quicquid alii ſentiant, ego ſane ſum opinionis huius, quod plethoricas mulieres, dum vtero gerunt, optime ſimul cum fœtu præſeruamus, venam incidentes per quaſdam vices, cum vrgenti aliqua neceſſitate premuntur, aut præſenti, aut futura, in hacq; opinione permanebo, donec validioribus rationibus perſuaſus aliud ſentire fuerim coactus.

Reſpon-

CAP. XV.

Responsio ad omnes rationes contrarium persuadentes.

EXPERIAMVR modo, an rationes contrariæ eam habeant, quam profitentur efficaciam. Prima igitur eius ratio in hac propositione consistit. Sanguinis missio per se abortum facit, hanc putat esse certissimam ex Aphorismo trigesimoprimo, quintæ particulæ. Ego autem puto, contrarium omnino sentiendum esse. Quam rem hoc modo facile persuadeo: Quod inest alicui per se, idipsum inest de omni, & secundum quod ipsum: sic enim Aristoteles in posterioribus analyticis locutus est. Sed si sanguinis missio per se facit abortum, id facient semper, atq; in omnibus: hoc autem consistere non posse docent superiori capite tradita, quibus commonefacimus, ex malleolis aut poplite incisa vena haud semper abortum fecisse: ex vtero fluentem sanguinem singulis mensibus aliquando fœtui nullum attulisse incommodum, ex Galeno & Philotheo demonstrauimus: atque etiam eorundem sententia vtero gerentibus, dum graui aliquo premuntur malo, conuenire phlebotomiam ostendimus: igitur non semper, neque in omnibus abortus insequitur. Liceat hic mihi more Platonico percunctari: an grauius immineat periculum de abortu sanguinis vnciis decem, aut etiam viginti ex vtero profluentibus? an autem ex cubito vacuatis quatuor vnciis pro vice duobus diebus continuis? si voluerint, vt debet pro veritate satisfacere, haud dubitauerim, quin sint dicturi maius instare ex vtero, quam ex cubito fluente sanguine. Quam itaque ob causam tantopere auxilium verentur, si potest sine incommodo, vbi plena est mulier, sanguis tribus aut quatuor diebus continuis ex vtero stillare, vt Galenus & Philotheus asseruerint: quod veteri oportebit incommodum secta vena cubiti? Quid igitur ad Hippocratem, nempe, primum nunquam dixisse, venæ sectionem per se abortum facere: illud enim per se] additum ab illis est. Secundo, quod facit incommodum, si fuerit copiosa, si mulier non fuerit eusarcha, si poplitis & malleoli venæ incidantur, permittaturq; sanguis exire admodum copiosus. Abortus ergo non sequitur missionem sanguinis: sed eius quantitatem & modum. Secunda ratio non est magis necessaria, quam prior. Nam cum inquiunt in paralogismo, missionem sanguinis per se alimenti defectum facere dico, quod multipliciter aberrant. Primo, quia deficere potest alimentum duobus modis: vno, cum nihil illius remanet, aut saltem adeo exiguum, vt pro fœtus nutritione minime sufficiat: alio modo, cum diminuitur ingens eius copia, relicta amplius in corpore tanta quantitate sanguinis, quantam necessariam pro pueri nutrimento probabili ducti coniectura arbitrabimur. Venæ sectio nō semper facit alimenti defectum vtroq; modo, sed in plethoricis, in quibus maxima adest abundantia, deficit quidem alimenti pars aliqua, at remanet pars pro fœtu necessaria: in aliis autem corporibus non item, potissimum si multum sanguinis detraxerimus. Secundo, liceat argumentationem sic reflectere: Sanguinis missio per se facit alimenti defectum in vtero gerentibus, acuto morbo prehensis: ergo in illis semper abortum facit. Ergo nunquam debebit adhiberi. Quæ res præterquam quod habet experientiam contrariam, habet [illegible] eosdem authores sibi repugnantes. Tertio, si omnis vacuatio sanguin[illegible] alimentũ, hincq; abortus insequitur, quomodo poterunt aliquę vsq; ad [illegible] sextum ve mensem ex vtero citra pueri incommodum purgari? Postremo, Galenus in trigesimoprimo commentario quintæ sectionis non dixit, omnem venæ sectionem defectum alimenti facere, sed eam intellexit tantummodo, quæ magnam sanguinis quantitatem detrahit: & qua olim antiquiores illi vtebantur. Quantum ad tertiam rationem attinet, maiorem propositionem admittentes, dicimus, minorem falsam esse, quod scilicet videatur minor noxa fieri posse ab inedia, quam à missione sanguinis. Pro cuius rei intellectione dicimus, quod inedia, (qua nos intelligimus omnimodam priuationem victus) duplici de causa nocere solet: vna est, quia matrem, alia, quia puerum interimit. Periclitatur ma-

ter ob defectum proprii alimenti: puer vero ob sanguinis inopiam, quo nutriebatur, & quia cibis potulentisque generabatur. Sanguinis autem missio, neque matri neque fœtui incommoda est: non illi, quoniam dempta sanguinis conuenienti quantitate, relinquitur alia pro pueri nutritione opportuna: poteſtq; mater optimi ſucci alimentis reſarcire ſanguinis quantitatem deperditam, non eſt puero nocua, quoniam, cum ipſo in corpore mulieris ingens adſit plenitudo, qui duntaxat exiguum euacuat ſanguinis, reliquum in pueri vtilitatem reponit. Idcirco magis nocet longior inedia, quam ſemel, aut bis adhibita ſanguinis miſſio. Dixi longiorem inediam] quia certe ad inediam, vt inedia eſt, haud ſemper ſequitur abortus: cum non raro vſu veniat ferre poſſe illas moderatam inediam, quando acutis morbis prehenduntur. Vixq; arbitror aliquem reperiri ex medicinam factitantibus, qui profecto id aliquando inter medendum non obſeruauerit. Verum longior inedia, qua non ſuppetit matri noua pro deperditi ſanguinis regeneratione materia, neceſſario periculum infert vtrique maximum. Hic vero ſunt corporis habitus conſiderandi: nam quædam ſunt corpora frigido, humido, pituitoſoque excremento abundantia, quæ inediam diuturniorem ferre poſſunt, tranſmutata pituitoſa materia neceſſitatis tempore in ſanguinem: & hæc fortaſſe minus offenderentur ab inedia, quam à miſſione ſanguinis: in quibus profecto quemadmodum non conueniret venæ ſectio, ſic neque illa pericula ſuperius expoſita in habitu plethorico contingentia aduenire poſſent: in his inedia non facit abortum etiam longior: in his nunquam pro præſeruatione propoſita ſanguis mittendus venit. Inedia vero in bilioſis corporibus extremum eſt malum: primum, quia facit abundare bilem ipſam flauam, hancq; magis prætorridam reddens, febres creat ephemeras, acutas in habitu: deinde quia fœtus ſanguine bilioſo, & acerrimo vix poteſt citra incommodum nutriri: in quo habitu corporis raro ad hoc remedium accederemus, niſi vel phlegmonis, vel eryſipelatis phlegmonodes in vtero, vel fluxionis ſanguinis ex eadem ſede manifeſtam ſuſpicionem videremus: quo in caſu reuulſionis cauſa expediret ſanguinem mittere. Volo his addere, quod neq; inedia ſimpliciter, quæ etiam diuturna eſt, abortum facit: nam vidi ego anno prætерito villicam quandam euſarcham, & optimi habitus nono menſe laborantem graui morbo, ventriculi ſcilicet exulceratione, quæ diebus viginti ſine cibo, potuq; permanſit, cum quicquid deuorabat ſtatim vomitu eiiciebat, affectusque ſæuitia tandem mortua, diſſecto vtero puerum extraximus viuum, qui Fortunatus ad fontem ſancti baptiſmatis vocatus me conſultore fuit, adhucque vitali fruitur aura. Caſum vidiſſe conſimilem Ioannes Fernelius refert his verbis: Mulierem vidi grauidam cui tuberculo duro, eoque ingenti ita os ventriculi obturabatur, vt quicquid indebatur attracto ventriculi ore, mox remearet, arq; redderetur. Sic aſtantium omnium iudicio, nihil cibi potuſq; bimeſtri, vel conatu maximo ea vorauit. Tandem morbo, deſipientia, febreq; confecta, deceſſit edito partu, quem vitæ ſuperſtitem reliquit.] Rari certe ſunt caſus, qui vbi contingunt, poſſunt haud incommode referri ad abundantiam pituitæ, ſeu crudioris ſanguinis. Iam vero ſi alui profluuium fuerit moderatum, non ſolum non facit abortum, vt etiam ab ipſo præſeruare poſſit, qui in artis operibus exercitatus eſt, facile cognoſcit, mulieres acuto prehenſas morbo, iudicio à natura per ſeceſſum facto, liberatas fuiſſe, qui modum excedit, periculum affert multis de cauſis: vna eſt, quia ſpiritus multos euacuat, qui pro fœtus abſolutione in vtero debent eſſe copioſi: horum defectus perdit fœtum Et quid mirum, cum in ſpiritibus potior vis caloris inſideat naturalis. Alia, quia redditur imbecillum totum corpus, præſertim vero naturales partes, à quibus pro bono ſanguine, aut flatuoſus ſpiritus, aut viſcida procreatur pituita: potiſſima tamen, meo iudicio eſt cauſarum omnium, quod ex frequenti anhelatione, & conatu ad expulſionem fœtus idoneo, ligamenta fœtus laxantur. Additur his ingens agitatio, qua deorſum truduntur humores omnes; præcipitatiq; abortum faciunt. Multo rectius videtur mihi haſce cauſas proſequutus Philotheus, quam Gale-

nus

nus in enarratione illius Aphorismi, cuius verba hæc sunt: Πρῶτον μὲν ὅτι οὐκ ἀναδίδοται εἰς τὰ μέλη, καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἀλλοιοῖ πολὺ αἷμα τὸ ἧπαρ, καὶ οὐ φέρεται τὸ ἀρκοῦν τῇ μήτρᾳ. Διότι μαχόμενον τὸ ἔμβρυον σκαρίζει, καὶ λοιπὸν ἐκπίπτει, ἢ καθυγραίνονται τὰ περὶ τὴν μήτραν, καὶ διὰ τὸ ἀσθενὲς τῆς καθεκτικῆς δυνάμεως ἀμβλώσεις γίνονται. ἢ ὅτι συνεχείᾳ τῶν ἐξαναστάσεων καταλύονται αἱ δυνάμεις, καὶ ἀσθενεῖς γινόμεναι ἐκπίπτειν ποιοῦσι τὸ ἔμβρυον. Videlicet, primum quidem per membra non fit distributio: & hinc iecur multum sanguinem non permutat, & quod satis est, ad vterum non defertur: Proprerea, pugnans fœtus turbatur, & deinde excidit: vel quoniam ea humectantur, quæ circa vterum sunt, & hinc, debilitata contentiua potentia, abortio fit: vel quod continuitate seditionum dissoluuntur potentiæ, & debiles effectæ fœtum excidere faciunt.] Si hæc vera sunt, vt putantur, nullam habere videtur difficultatem, quin fœtus maius ex diuturno (sic enim loquitur Hippocrates) alui profluuio periculum contrahere possit, quam ex missione sanguinis semel aut bis, aut etiam ter, si oportuerit, in cubito adhibita. Putant ad hæc illi validam contraxisse rationem, qua persuadent, in primis mensibus aliqua ratione non conuenire missionem sanguinis: habet hæc ratio efficaciam ex Hippocratis Aphorismo, dum ait: Quæcunq; mediocriter corpora habentes, abortiunt secundo aut tertio mense, sine occasione manifesta, iis acetabula vteri plena mucoris fuit, & non possunt propter pondus fœtus continere, sed disrumpuntur.] Verum in hac ratione pariter aberrant, atq; in aliis; non enim licet ex particulati vniuersalem causam colligere; hæc vna est causa interna, ad quam sequitur abortus: nec ita abortum facit, quin possit hic effectus ab aliis proficisci. Fatemur equidem, vteri acetabula plena mucoris abortum facere, cum disrumpuntur. Sed addimus, quod ab aliis fieri potest causis internis: vt à sanguinis copia fœtum obruente, vel ab illius fluxione ad vterum. Fallit ratio à secundum quid ad simpliciter. Sanguinis missio non conuenit cum fit abortus ob mucorem acetabulorum: ergo pro abortu cauendo nunquam conueniet. Vide, quam fallax sit locus, fuerat enim concludendum, non conuenire in ea duntaxat causa: non simpliciter. Adde his, quod casus ab Hippocrate significatus distat a proposito casu, nam inquit: Sine manifesta occasione:] qua voce innuit sine febre vehementi, alui fluxione, profluuio sanguinis, vel erysipelate in ipso vtero constituto, vel saltu grauidæ mulieris vehementiore, vel clamore, vel ira, vel timore, vel victu parciore, vel tali aliquo actu, sine passione. Nos vero supponimus à multitudine fluxionem fieri ad vterum, cuius præsentia possit fœtus obrui, possint fieri inflammationes, erysipelata, aliique id genus morbi, quamuis facti non sint, supponimusq; aliquando fluxionem ingentem extra vterum ferri, à qua destitui potest suo alimento fœtus, motuq; inferiori agitatus, immature foras prodire. Præterea Hippocrates in contextu inquit: ὁκόσαι μετρίως τὰ σώματα ἔχουσαι,] quæcunq; mediocriter corpora habentes.] sed plethoricæ mulieres non habent corpora mediocriter constituta, vt apud omnes satis superq; constat. Comminiscuntur hoc loco quædam, nempe, quod qui curat affectum aliquem præter naturam, hic equidem non dicitur proprie ac vere præseruare, sed aberrant. Quia curatio non dicitur respectu eiusdem, cuius respectu dicitur præseruatio. Duo sunt in vtero (quod ego causa exempli in medium affero) fœtus & phlegmon: huic debetur vera curatio, illi vera præuisio: quia cum iam non exeat fœtus, neq; iam sit mortuus, sed immineat illi periculum exitus immaturi & mortis, præsente phlegmone, tanquam causa id periculum effectura, quamuis hactenus non faciat, recta, vera, & sincera dicetur præseruatio. Sed esto, sit mista quædam actio, quid rum postea? loquimur, inquient, de pura, cum nullus adest affectus præter naturam? lis est in nomine vir bone: siquidem eisdem auxiliis præsentes affectus curantur, quibus futuri atq; imminentes: eadem prorsus est ratio vtriusque. Quam rem, quia alibi diligentius exposui, hic tanquam notam suppono. Erat sexta ratio, quod humoribus crudis atq; vitiosis in ventriculo contentis, nulla ratione conuenit phlebotomia, quibus vtero gerentes abundare, omnes confitentur. Ego sane hanc rationem non admitto multis de causis: prima, quod sciam in crudorum humorum copia, cum scilicet fuerint

cum sanguine permisti, aut à sanguinis natura parum distiterint, Galenum venam pertudisse; Alia est, quod haud semper contingit vtero gerentes in venis habere horum copiam, cum indies experiamur quasdam nihil penitus incommodi ab vteri gestione fuisse aliquando perpessas. Tertio ponamus habere omnes horum in primis venis excrementorum colluuiem, dico, quod prudentis est Medici consilium, si ob imminentem morbum permittitur, illorum antea quam venam secet, expurgationem, aut concoctionem moliri, quod si non permittitur vrgente malo, ad remedium statim est accedendum, quo sane maior fiet vtilitas vacuato sanguine, quam damnum ex crudorum humorum præsentia. Hanc rem tractauimus libro sexto nostrorum Commentariorum ad Galeni librum de ratione curandi per venæ sectionem, quo loco egimus de præparatione ad venarum sectionem necessaria. Hic pluribus non prosequor, vt ostendam quomodo in crudorum humorum abundantia liceat sanguinem mittere, cum libro tertio huius tractationis de missione sanguinis abunde explicatum fuerit. Ad aliam rationem respondeo, quod in vltimis mensibus, vt puta in nono, & octauo, aut septimo, nunquam id fieri debet, sed in primis potissimum, vt supra admonuimus, quod si in aliis videatur expedire, illam exercere non est cuiusuis Medici munus, sed eius duntaxat, qui iudicio exquisito præditus fuerit.

Cap. XVI.

Respondetur authoritatibus aduersariorum, & contrarium persuadetur illustrium Medicorum decretis.

Reliquum est modo, vt soluamus rationem aduersariorum ab authoritate desumptam, de qua sane, quamuis hactenus plurimum dictũ sit à nobis, dicetur etiam adhuc diligentius. Hippocratem & Galenum non admittere auxilium in vtero gerentibus testantur, hacque de causa debere ab omnibus Medicis prætermitti. Tria hic dicam pro solutione difficultatis: Primum, falsum esse, non meminisse Hippocratem & Galenum huius auxilii: Secundum, quod si non meminerunt, non propterea arguendos esse, qui post Hippocratem & Galenum fecere mentionem: Postremum, quod alii clarissimi Medici venæ sectionem vtilem esse pro abortus præseruatione docuerunt. Quantum igitur ad primum pertinet, recordari oportet, quale fuerit nostrum suppositum, nempe, quod à plenitudine vtraq; puer in vtero suffocari potest, aut extingui, copia & fluxione imminente. Meminisse etiam expedit, vniuersalia ordine doctrinæ præcedere particularia: quodque in particularibus tractandis vniuersalium præceptorum notitia continuo supponitur. His in hunc modum stantibus, quis negabit Hippocratem in habitu athletico vacuationẽ non consuluisse incisa vena? Habitum athletarum statim esse præcepit soluendum, quia non potest in melius proficere, sed labi in deterius? Quis negabit, quantum ad fluxiones pertinet, Hippocratem non docuisse vniuersalia præcepta in reuulsione potissimum obseruanda? Pleni sunt harum præceptionum Hippocratis libri, quibus admonuit passim ad contrariũ fluxiones reuellendas. Quid igitur in Hippocrate amplius desiderabitur? An Galenum dicemus inuoluisse silentio, posse ab vtraque plenitudine vasorum abruptiones, suffocationes natiui coloris: putredines, tumores præter naturam, atque in vniuersum fluxiones generari? Afferrem locos, si putarem non esse omnibus apertissimos. Dubitabitne fortasse aliquis, quod hic Doctor docere prætermiserit missionem sanguinis emendare multitudinem, atque illius arcere impetum, fluxionemque? An prætermisisse dicent Galenum morbos magnos, sed futuros illos quidem à sanguinis copia, vel violento fluxu concitatos, non postulare missionem sanguinis? Si hæc vniuersali quadam ratione, vt bonum decebat artificem, ab illo explanata sunt, si demum Hippocrates minime prætermisit, tandem vero si omnes Græci idem passim docuere, quid amplius hic desiderari potest? Tacuerunt hoc in particulari, nempe in vtero gerentibus pro præseruatione conuenire

ſtenire auxilium. Sed cur oportuit id ſigillatim explicaſſe? An non ſufficiebat magnitudo morbi, aut præſens, aut futura à ſanguinis copia, vel motu, cum virium robore pro venæ ſectione facienda? Cur pariter non culpabis eoſdem authores, quod in aliis particularibus vniuerſalium præceptionum nihil ſcripſerint? Donemus hoc tandem prætermiſiſſe auxilium: quid hinc ſequetur? Eos videlicet aberraſſe, qui ſuo labore vtilem eſſe inuenerint illius vſum. Tacuerunt, an quia ignorarunt? Id non putauerim, quandoquidem fuerunt duo maxima artis noſtræ lumina. An quia neglexerunt? nec id puto de oculatiſſimis hominibus dicendum. An vero, quia vt omnibus notum prætermiſere? id fortaſſe credendum eſt. Sed quæcunq; fuerit huiuſce ſilentii cauſa, dico antiquiores & recentiores Medicos id particularius explicaſſe. Cornelius Celſus non prætermiſit, Auerroes non tacuit, non Michaël Sauonarola, neq; Bartholomæus Montagnana inuoluere ſilentio: inter recentiores Antonius Muſa Braſſauolus manifeſtum fecit, citra periculum abortus venæ ſectionem vtero gerentibus conducere. Quid dicam de Nicolao Florentino, viro ſane vt multæ lectionis, ſic iudicii exquiſitiſſimi? Quid recentiores Pariſienſes commemoro, Stempanum illum citra controuerſiam clariſſimum, Ioannemq; Fernelium poſt Hippocratem, Galenum, & Auicennam, nemini ſecundos? teſtati ſunt ſuis monumentis phlebotomiam aliquando ſaluberrimam eſſe in vtero gerentibus. Non refero horum verba, quia breuitati ſtudens, finem huic tractationi imponendam duxi. Sed tamen nequeo ſilentio inuoluere doctiſſimi Fernelii ſententiam, qui ſic inquit: Mulier in vtero geſtans, inciſa vena (vt inquit Hippocrates) abortit, idq; magis, ſi eſt fœtus auctior. At certe hoc perpetuum minime eſt, vt neq; illud, quod proxime anteſcribitur. Mulierem in vtero gerentem acuto morbo corripi, lethale eſt; cum enim purgatio, quæ malignis fit medicamentis cum periculo grauiori fœtus, quam venæ ſectione decernatur, ſi Hippocrates grauidæ morbo ex cacochymia tentatæ purgationem largitur iis menſibus, qui inter tertium & ſeptimum interponuntur, nos profecto iiſdem multo tutius ſanguinem mittemus ei, quæ aliquo plenitudinis morbo conflictabitur. Quod ſi media geſtatione liceat, longe tutius in initio factu fas eſt, quod ſanguis magis redundet, & fœtus minore egeat alimento: hoc tempore ſæpe natura illius ſuperuacui effuſionem ſponte vtiliterq; aggreditur per nares, per hæmorrhoides, aut per vterũ, & nonnunquam menſes ſtatis temporibus ſalubriter effluunt: cur non ſimiliter nobis liceat premente neceſſitate naturam arte imitari? multæ, niſi venæ circiter quartum menſem reſecentur, abortiunt. Fœtus enim copia obruitur, nec vero in plethora ſola, verumetiam citra hanc cum pleuritis, aliave inflammatio vehementius vrget, prægnanti vena in cubito incidenda: inferiores autem prægnantium venas incidere minime tutum, quod impetu deorſum conuerſo menſes procedant, præcipiteturq; fœtus. Octauo ac nono menſe raro citra abortum ſanguis emittitur, cum præſertim mulier leui ex cauſa, vt pari imbecillitate, vel ob lubricum lentorem abortire conſueuit.] His ego tandem videor docuiſſe mulieribus vtero gerentibus, cum aliquopiam acuto morbo premuntur, venæ ſectionem conuenire, eandemq; admodum vtilem exiſtere, vt præſeruentur ab abortu multitudinis ratione imminente, atq; propterea vteri geſtionem non impedire phlebotomiam, ſed limitare quantitatem; cumq; omnia ſint explicata ad quantitatem auxilii huius pertinentia, hic finem dicendi faciamus.

HORATII AVGENII A MONTE SANCTO, DE RATIONE CVRANDI PER MISSIONEM SANGVINIS

LIBER SEPTIMVS.

CAP. I.

De reuulsionis definitione.

POSTQVAM omnia ad ipsam quantitatem pertinentia sumus diligenter prosecuti, nunc reliquum est, vt de agendi modo nostra transigat oratio. Quia vero ad agendi rationem attinet reuulsio & deriuatio, quæ duo, vt semper maximas habuerunt apud clarissimos quosq; Medicos difficultates, sic in artis operibus cognitu maxime necessaria sunt. Propterea de illis primo loco pertractabimus, reliqua postea sequentibus libris explanaturi. Cæterum, exordiamur à definitione reuulsionis, quam vbi dilucidam fecerimus, nihil amplius erit in hac materia ambiguũ, quod facere possit difficultatem. Sed prius adhibere distinctionem oportet, vt omnis è medio tollatur æquiuocatio. Inuenio, reuulsionem duobus modis sumi apud antiquos authores, tum generatim, vt complectitur deriuationem & exactam reuulsionem simul, tum vt distinguitur à deriuatione; prius definiemus ipsam in communi, postea vero speciatim ac proprie. In hunc igitur modum ex Galeno definio: Reuulsio, quæ Græcis ἀντίσπασις dicitur, est auersio humorum, vel in partem omnino contrariam, vel in vicinam. Nomine auersionis in hac vtitur definitione tanquam genere, quoniam à locis inflammatione obsessis duobus modis auerti humores solent, vel cum ad vicinas partes illos transferimus, vel cum ad contrarios locos violenter attrahimus: illud deriuare vocant, hoc autem reuellere. Quamobrem auersio genus est ad deriuationem & reuulsionem, vt ex Galeni verbis colligitur, quinto Methodi, cap. 3. cum inquit: Auertitur autem sanguis, atq; ad alia membra conuertitur, tum ad proxima deriuatus, tum ad contraria reuulsus. Illud παροχέτευσιν, hoc ἀντίσπασιν Græci vocant. Porro in contrarium humores trahuntur, quando motus instituitur contrarius, quam illi ferantur, tum etiam quando ad contrarias partes attrahuntur, in quo munere obeundo, licet obseruare semper fluxionis originem debeamus, non tamen semper ad ipsam, aut ad particulam illi vicinitate coniunctam, humores attrahendi sunt, quæ res, quomodo contingat, infra explicabitur. Humorum nomine intelligimus eos, qui confluxuri sunt, & qui fluunt, non autem, qui iam confluxi continentur, in particula phlegmone obsessa. Porro reuulsionem maxime proprie dictam, rectissime hoc modo definiemus, dicentes: Reuulsionem esse attractionem seu auersionem humorũ vehementer confluentium, vel qui confluxuri sunt in partem omnino contrariam.] In hac definitione locum generis habet attractio, siquidem omnis reuulsio semper est attractio: at non reciprocatur, vt statuamus, omnem attractionem reuulsionem esse. Cum vero, humorum confluentium, vel qui confluxuri sunt,] dicimus, materiam propriam docemus, circa quam versatur, & cuius causa à deriuatione potissimum distinguatur. Addidimus: In partem omnino contrariam,] vt duas oppositiones exciperemus intus, extra, ante, retro, quæ licet in partibus contrarietatem faciant, nihilominus non ita exacta contrarietas in illis conspicitur, qualis inest à dextris partibus in sinistras, à superioribus ad inferiores, & econtra. Idcirco hæ duæ oppositiones

positiones ad reuulsionem exquisitam, illæ vero ad deriuationem magis pertinent, quamuis aliquando intus, extra, & è contra, vacuare liceat exquisite reuellendo. Verum quia hæc magnas habent difficultates, præstat vnumquodq; diligentius perpendere.

Cap. II.

Quid nomine contrarii sit intelligendum secundum recentiorum Medicorum sententiam.

PRimo loco discutiendum proponitur, quid nomine contrarii sit intelligendum: an scilicet contrariæ partes secundum omnem oppositionem, ante, retro, intus, extra, à dextris, ad sinistras, sursum, infra, & è contra: an duntaxat contrarius motus humoribus confluentibus. Huius inquisitionis causa est, quod Galenus hac in re nonnullis anceps videatur. Quæstioni respondent recentiores Medici, debere nos in omni reuulsione ad contrarium motum fluxionis retrahere, atque ad ipsam originem, vel ad partem origini proximam: minime vero ad partem contrariam: cuius opinionis hæc potissima fundamenta sunt. Primum, quia non solum remotissimæ partes, sed etiam propinquissimæ sunt, quæ fluxiones mittunt: velut cum caput salsos humores demittit in pulmones, qui illos exulcerant: cui quidem malo succurrit Galenus libro quinto Methodi medendi tal psiæ, & aliorum acrium medicamentorum admotione capiti, vt scilicet reuellatur ad ipsam originem fluxio. Eodem pacto cum à digito aliquo pedis aura ascendit ad caput, & comitialem morbum committit, vt sæpe visum est, remedia quæ alteri cruri adhibentur, nihil conferunt ad reuulsionem, quia fluxionis origo in eo non est. Addunt præterea, non prodesse venæ sectiones, quæ fiunt in brachio opposito in latere affecto, vt in pleuritide, quia fluxio à sinistra parte in dextram, aut ab hac in illam non fit, sed dextræ in dextras, & sinistræ in sinistras, sese exonerant ob rectitudinem, & communionem venarum. At quomodo quæso (interrogant) remedia, quæ non attingunt fluentes humores, illos sistere possunt? Qua ratione Galenus scribit in secundo ad Glauconem cum humores fluunt ad genu, ad fluxionem sistendam, secandam esse venam in cubito eiusdem lateris, & non in cubito, vel crure opposito; quoniam sciebat ex his non excitatas fuisse fluxiones, sed à superioribus partibus eiusdem lateris. Igitur spectanda est fluxionis origo. Si enim vniuersę partes mittunt, veluti cum ex cursu, & labore assurgunt humores, & vapores ad caput, ad pedes optima fit reuulsio. Si enim frangimus impetum omnium partium, quæ mittere ad caput aliquid possunt. Eodem modo quum ad crura descendunt humores quæ capiti & brachiis adhibentur, attrahentia præsidia maxime reuellunt. Cum vero fluxionum causæ non vniuersum corpus commouent, sed eas solum partes, quæ sunt coniunctæ per vasa cum illis, in quas decumbunt humores, tunc remedia reuellentia sunt, quæ, vel ipsi parti mittenti, aut illi maxime vicinæ admouentur. Sic sane cum pleuritides aut peripneumoniæ nascuntur, vt omnes fere fiunt refrigerato aut excalefacto capite, & ita repulsis, aut liquatis humoribus, & decurrentibus per venas ceruicis, & musculorum pectoris, tandemque firmatis iuxta membranam costas subcingentem, venam secamus eiusdem lateris, quoniam ab alio nihil influit: nec per venam cauam, aut eam, quæ dicitur sine pari, vt hactenus alii tradiderunt, fluunt humores, qui pleuritidem pariunt. Nunc vero illud tanquam firmum & stabile præceptum ponatur, fluxiones reuellendas esse ad suam originem: Nec obstat, quod scribitur ab Hippocrate, venam secandam esse in cubito, cum dolor ascendit ab affecto latere: putant enim, qui ita sentiunt, eundem motum fieri à sectione venæ & fluxiōne, quæ inflammationem parit. Sed in eo error est: Nam humor, qui inflammationem facit à supernis partibus, descendit à capite per venas ceruicis, & musculorum pectoris: at secta vena in cubito, per eadem vasa, eadem materia ascendit; contrarii ergo sunt motus.

Sic in angina cum mittitur sanguis ex vena cubiti, non sequimur eundem motum, qui scilicet deorsum fit, etsi cubitus in loco decliuiori, quam sit pars affecta, sit positus: Nam vena humeralis, & ea, quæ in musculos gutturis fertur, nascuntur ab ea diuisione, quæ fit in ceruice; quapropter cum vena secatur humeraria, sanguis fluens ad eos musculos, prius ascendit ad communem locum diuisionis, atque ita reuulsio fit: postea vero descendit in venam humeri, & per eam fit euacuatio. Cum vero Galenus renibus inflammatis, iubet secari posse venam in cubito, aut in cruribus, non ideo confunditur præceptum de reuulsione ad contrarium motus humoris: propterea quod ad renes, fluere possunt per venam cauam à superioribus, & inferioribus partibus, & quoniam probabilius est à superioribus potius partibus demitti humores, nimirum, quod facilius illi descendant, quam ascendant, & plures sint superpositæ, quam subiectæ renibus partes. Itaque Galenus præcipit in recenti affectu potius secandam esse venam in cubito, quam in cruribus; aliter vero faciendum, cum malum est inueteratum. In hoc enim casu ad id euacuandum, quod in parte affecta, aut vicina est receptum, magis accommodatæ sunt venæ in cruribus, vt viciniores, ad fluxionem vero sistendam aptiores sunt venæ cubiti. Hæc illi de proposito argumento scripserunt.

Cap. III.

Proposita opinionis impugnatio, atque primum, quod Hippocrati, Galeno, aliisve Græcis contradicat.

PORRO multa sunt, quæ mihi in hac opinione quam Ioannes Argenterius, & pleriq; recentiorum Medicorum & magni nominis insequuntur, haud mediocriter displicent: prima quia à Galeno apertissime dissentire videntur; Secundo, quia negant, humores à dextris partibus ad sinistras posse confluere, ac reuulsiones ab eisdem partibus funditus tollunt: tum postremo, quia nouam quandam, ac vt ego sentio, falsam opinionem de pleuritidis & peripneumoniæ origine in medium attulerunt. Hæc examinemus, sigillatimque veritatem candide doceamus. In primis equidem, quod opinio hæc omnino negans reuulsionem fieri debere ad locos contrarios contra Galeni doctrinam fuerit [illegible] tur mihi certissimum, cum passim ille ad locos contrarios fieri debere ipsam reuulsionem significauerit. Hic proferam aliquos in medium, ne gratis a doctissimis viris dissentire videar. In vltima parte artis Medicinalis hæc habet verba: At attrahendi ex omni loco ad oppositas partes communis indicatio est, ad quam maxime distantia, deriuatio ad vicina.] In quinto libro Methodi medendi. Nam (inquit) & hæc quoque Hippocratis inuenta sunt, omnis scilicet immodicæ vacuationis communia remedia. Deriuatio ad vicina loca fit, cum id quod per palatum vacuatur, per nares deriuatur. Reuulsio vero ad contraria, cum ad infernas reuellitur:] & paulum postea: Reuulsio vero (ait) in iis, quæ supra sunt, omnibus deorsum semper agitur: sursum in iis, quæ sunt inf a: Præterea, a dextris ad sinistra, sicut rursus, ab his, ad illa: Similiter ex iis, quæ intus se habent, ad ea, quæ foris sunt, contraque ab his, ad illa.] Et in Commentariis libri sexti de morbis vulgaribus, ita scriptum reliquit. Reuellere quidem deorsum statim iubet Hippocrates ad contrarios locos in his, quæ superius ortum habent: Sursum vero in iis, quæ inferius: vt eadem regula vtentes opem feramus, & ad differentes locos abducamus. Igitur si in pedes, & crura fluxionem decumbere senserimus, ex cubiti venis sanguinem mittemus, aut vomitu purgabimus. Nam, vt quidam putant, nequaquam sursum retrahendum est, licet ad inferiora prorumpentibus succis, magnus aliquis morbus futurus sit. Idem in quarto & decimotertio Methodi proponit, & in commentario in librum Hippocratis de humoribus, atque aliis in libris adeo frequenter, vt qui hanc illius existere sententiam non videat, in reclarissima cæcutiat. Oribasius libro de Hirudinibus, & reuul-

sione,

sione, qui liber Galeno tribuitur, sic inquit: Atque, vt summa rem complectar, ita reuulsio efficitur, in humoribus videlicet partes superiores petentibus, ad inferiores, & contra. Si inferiores petant partes, ad superiores, & contra. Ad dextram similiter partem, aut læuam, item in anteriorem, & posteriorem, si quid defluxerit, ad oppositas partes reuulsio facienda est. hæc ille: A quibus non dissentire Paulum Æginetam libro sexto, capite quadragesimo, & Aetium sermone quarto, tetrabili secunda, capite sexagesimooctauo, cuius verba sequenti capite afferemus, multo certius est, quam quod dici debeat. Constat igitur Hippocratis authoris vetustissimi decretum fuisse, ad contrarios locos reuellendum. Hocq; omnes Græcos vnanimi consensu admisisse: idcirco multo magis horum doctrinam, quam Nouatorum imitari debemus. Quid vero Galenus voluerit, quando reuellendum præcepit ad originem fluxionis, & an hoc præceptum huic sit contrarium, parum postea docebimus.

CAP. IIII.

Humores moueri à dextris partibus ad sinistras, & econtra, ac propterea ab his reuellendum.

HABEBVNT fortasse hic quod respondeant, recognoscere illos Galeni sententiam, omniumque antiquorum consensum, sed hoc potissimum non admittere, quod dicant à dextris partibus ad sinistras moueri humores, fluxionesq; concitari, ita vt in eisdem aliquando fieri debeat reuulsio. Quoniam fluxiones nunquam hac ipsa fiunt ratione, quum semper dextræ partes communicent fluxionem dextris, & sinistræ sinistris transmittant. Hic ego duo inquam adfero. Primum, non decere interpretem ab illius authoris opinione discedere, quem interpretatur; hoc enim potissimum esse munus explanatoris à Galeno non semel traditum est, & ab aliis omnibus confirmatum. Certe, vt licuit Argenterio multa contra Galenum scribere, dum non agit munus explanatoris, sic ego non conuenire arbitror cuiquam, authorem, quem suscipit interpretandum, arguere, vt in artis Medicinalis explanatione facit frequentissime. Deinde vero, si quando id fieri liceat, necessarium est magnas afferri rationes, quæ antiquissimam sententiam arguant. Periculum itaque faciamus hoc loco, an horum rationes tanti sint æstimandæ, vt cogant nos veteris magistri opinionem relinquere. Disputo primum contra illos, & ostendo humores à dextris partibus ad sinistras, & econtra, vehementer agitari, & moueri posse. Atque eius rei videtur mihi fidem facere, quod in lethalibus capitis vulneribus contingere indies obseruamus. Tale autem existit, si vulnus in parte dextra capitis fuerit paralysis aduenit in parte sinistra: & econtra. Huius euentus causa licet multiplex afferri soleat, ac non plane consentiant authores, maxime tamen probabilis ea mihi semper visa est, quæ id fieri asseuerat ex humorum motu violento facto à natura ad partem contrariam. cum enim læsæ partis facultas maxime grauetur à multitudine excrementorum, & per eandem non detur expellere, valide insurgit, vt in contrariam exoneret sese, quo facto conatu, aliquid extrudit in neruorum propagines, paralysimque concitat. Ad hæc in iis morbis acutis, in quibus materia turget, humores mouentur ad omnes situs oppositiones, nunc ad dextram, nunc ad læuam, sursum, deorsum, quoniam animalium ad coitum incitatorum exemplo, firmum habere locum non possunt. Videtur mihi maxime firmum argumentum à dextris partibus ad sinistras moueri posse humores. Affero hic etiam in confirmationem dolores colicos, qui modo vnam modo aliam intestinorum partem miserabili tormento solent afficere, quæ res fieri non posset, nisi materia in sinistra, aut dextra parte contenta, violento quodam impetu agitaretur ad partem contrariam. Amplius, supponamus in Liene fieri inflammationem, Iecur vero, & venas in Iecinore existentes sanguine abundare, cur quæso, non poterit fluxio transmitti ad ipsum Lienem ex Iecinore: præsertim, quoniam Lienis venas in Hepatis termi-

nari substantiam, anatomica docet obseruatio? Si illæ partes originem fluxionis excitant, quæ sanguine turgent, cur dextræ partes plenitudine laborantes nequibunt exonerare sese in sinistras? Item si hic modus fluxionis è medio tolleretur, frustra dixisset Hippocrates, totum corpus esse vndiq; peruium, transpirabile, & sibi consentiens? quia non totum consentiret, sed duntaxat dextra dextris, & sinistra sinistris, non econtra. His addamus, corpus secundum naturam existens, sanguinem vndiq; recipere pro nutrimento partium, propterea venę sunt in vniuersum corpus propaginatæ: habentes potissimum originem ex iecinore, si Medicis credimus, aut ex corde, si Aristoteli fides adhibenda est, at ex iecinore propagantur venæ in partes sinistras & dextras: ex corde pariter in ambas deduci debere propagines eiuscemodi, certissimum est. Cur igitur, quęso, cum partes eædem præter naturæ institutum habuerint, non poterunt transmittere sanguinem in omnibus partibus? Si à dextris partibus, vt à iecinore secundum naturam sanguis transmittatur ad sinistras, cur non poterit idem subito & affatim transmitti præter naturæ ordinem? Quod vero pertinet ad artis opera, eadem videtur mihi ratio cruris dextri ad sinistrum, quæ est dextræ thoracis parti ad sinistram: atq; rursus, vt inflammato vno crure ex opposito reuulsionis causa sanguinem vacuamus, sic inflammatione in dextris costis existente, ex cubito sinistro vacuantes, optimam facere dicemur auersionem. Præterea, illis contradicit experientia: nam in dextro cubito existens inflammatio postulat venæ sectionem factam in sinistro cubito: idem iudicium faciundum est de inflammatione humeri alterutrius, hunc modum medendi omnes admittunt, estq; à Cornelio Celso declaratus. Cur itaque eiuscemodi venæ sectio debebit administrari in cubito opposito, si illa non habet vim attrahendi fluxionem ex parte opposita? Consiliumq; & intentio sit fluxionem auertere? Quomodo igitur humorem fluentem ad cubitum reuellemus? Affero Celsi verba, lib. 2. cap. 10. quæ sic habent: Si quod in humero vitium est, ex altero brachio. Credo, quia si quid parum cesserit, opportuniores hæ partes iniuriæ sunt, quam quæ iam male habent.] Multo euidentius Aetius, loco proxime citato, cum inquit: in his vero, qui acuto morbo, vt diximus, infestantur, siquidem circa mammas & clauiculam hæreat dolor, venam incidere oportet, vt dictum est in brachio, non eo, quod recta ab inflammato latere procedit, seu opposito.] Postremo loco addendum est, Curtium, Ioannem Manardum, omnesq; Medicos, qui hactenus de proposita materia scripserunt, admisisse, fluxiones fieri posse à dextris partibus ad sinistras, & econtra. Primus omnium, qui communem hunc consensum reprobare ausus fuit Fernelius, extitit, à quo isti (nisi decipior) suæ opinionis fundamentum desumpserunt. Hac quidem, & alia huius generis, quæ in sequentibus explicabuntur à nobis, hanc opinionem vrgent incommoda, sed iam pergamus ad alia.

CAP. V.

Reuulsiones nunquam fieri debere in affecta particula, atq; in pleuritide non fuisse missum sanguinem ab Hippocrate & Galeno in eodem latere, ratione reuulsionis.

ALIA nunc horum hominum dogmata perpendamus. Atq; primum illud, quo asseuerant fluxionis origine͂ (ad quam semper trahendi sunt humores illorum iudicio) aliquando contineri in recipiente particula, aliquando in vicina, & aliquando in particula distantissima, atq; idcirco fieri debere reuulsiones, aliquando in eadem, aliquando in vicina, & nonnunquam in admodum distanti. Succedit huic etiam illud, quo contendunt, Hippocratem & Galenum in pleuritide sanguinem misisse ex cubito eiusdem affecti lateris, vt humorem fluentem reuelleret. Primum certe mihi videtur carere omni probabilitate, quandoquidem nunquam exquisitæ reuulsiones in eadem particula fieri debent, quæ fluxionem aut recipiat, aut sit recepturà. Agemus de hac re præsenti

libro

libro loco suo diligentius. Interim prætermittere non possum causam, ob quam decepti mihi videantur, quam libenter profero, vt alii facilius postea ferre possint iudicium. Mala ascendente ex cruribus aura ad cerebri ventriculos epilepsiam effectura, duo sunt affectus, quorum vnus alterius causa est. In cruribus certe subest morbosa quædam dispositio, malam illam qualitatem cerebro demandans, morbumq; concitans periculosissimum. Medendi methodus supponit, epilepsiæ maxime incumbendum, vtputa morbo maiori, & ex cuius vehementia facile posset ægrotus mori, aut saltem nunquam liberari procreato affectu incurabili. Ideo contemplatur causam, quæ est aura ascendens, eamque exstirpare conatur celerrime cauteriis, sinapismis; deligaturis, frictionibusq;, & aliis accommodatis remediis, factis in eo loco, ex quo aura ascendebat mala, aut in partibus proximioribus. Vides, hic remedium reuulsiuum fieri in affecta particula. Sed non in ea particula affecta, quæ fluxionem recipiebat, verum in demandante distantissimaq;. Quamobrem in affecta parte fit remedium reuulsiuum, sed non in ea, quam à fluxione liberare volumus. Idem iudicium fieri debebit de acri materia è cerebro distillante in pulmones, eosque exulcerante. Duæ sunt partes affectæ: vna est, cerebrum calida intemperie laborans; alia, pulmones exulcerati; Intemperies cerebri cum acri salsoq; humore præcipua causa vlceris est: hanc summouere oportet, quod dum facimus, reuellimus à pulmonibus reuulsione exactissima, ad partes, inquam, maxime distantes & demandantes, causamq; remouemus fluxionis. Quando igitur dicunt, remedia reuellentia fieri aliquando in particula affecta; dico, id nunquam esse verum; nam in affecto loco fit remedium, euacuans locum, illumq; omnino expurgans, ab omniq; malo liberans: quod remedium dicitur reuulsiuum alterius morbi illius causa concitari. Causa itaque vna fuit erroris hæc, quod non distinxerint partem affectuum vacuationē postulantem, ab ea, quæ exigebat reuulsionem. Aggredior nunc ad examen alterius dogmatis. Quod neque etiam consistere posse video; in pleuritide, scilicet mitti sanguinem in eodem cubito, vt materiam ad suam originem reuellamus. Qui enim reuellit, hic nunquam naturæ motum imitatur, sed contrarium potius molitur. Illud enim, quo natura tendit, eo ducere oportet, vt senex venerandus docet in Aphorismis: in euacuatione, ac in deriuatione duntaxat omniū communi consensu locum habet: Quemadmodum Hippocrates inquit, libro sexto de morbis vulgaribus, sectione secunda, textu vigesimonono, cum ait: Reuellere, si quo non oporteat, vergat: Sin autem, quo oportet aperire, quemadmodum singula vergunt.] Ea venæ sectio, quam in pleuritide vsurpat Hippocrates, instituta est secundum imitationem motus naturæ: quomodo igitur eam statuemus existere reuulsiuam. Audiendus est Galenus, qui omnem è medio tollit difficultatem: Sic enim habet lib. 2. de rat. vict. in morb. acutis, commentario decimo: Pro humorum, qui inflammationem pariunt vergentia inclinationeque, vacuationes facit Hippocrates; nempe, quod dicitur, quo natura vergit, per loca conferentia eo ducere, id verissimum existit.] & parum infra eodem commentario: Cum igitur superiorum condolentia signum fecerit, venam in cubito secare eam oportet, quæ sanguinem ab affecta parte, & magis, & velocius tum reuellere, tum vacuare possit.] hæc verba clarissime ostendunt, simplicis & exactæ reuulsionis causa non fuisse institutam eiuscemodi vacuationem, sed ratione deriuationis. Quis enim in reuellendo humores confluentes, tentaret illos per eam regionem vacuare, per quam confluunt? Ad hæc vero maxime vrgere videtur hosce homines, quod causam afferre non possunt, ob quam Hippocrates descendentem pleuritidem venæ sectione sanare noluerit: Sed vsus purgante fuerit medicamento. Est eadem ratio pleuritidis ascendentis atq; descendentis, quod attinet ad fluxionis principium; quia semper materia ad originem fluxionis retrahere consueuit, vt illi dicunt: Sed quomodo fieri hæc ipsa potest retractio descendente pleuritide ex peplio aut helleboro. Quasi quod origo in partibus contineatur infernis; quam rem si admisse-

rint, iam quidem illorum de pleuritidis principio fundamentum omnino ruit; vtpute quod ascendentem duntaxat, nunquam vero descendentem pleuritidem respiciat; sed quænam erit (quæso) maior ratio vnius quam alterius, cur vna ex fluxione à capite proficiscetur, alia minime? Non igitur ratione reuulsionis Hippocrates & Galenus venæ sectionem admittunt cubiti lateris inflammatione obsessi, sed propter euacuationem sanguinis in phlegmone contenti, ac eiusdem deriuatione ad proximiores partes. Rem sic habere id persuader, quod tantum sanguinis detrahi debere voluit, quantum esse necessarium coloris mutatio significauerit: vt Galeni verba in commentario demonstrant, & nos etiam lib. 5. manifestum fecimus. Hæc autem actio dicitur vacuatio & reuulsio simul, & alio nomine deriuatio vocatur. Reuulsio autem simpliciter non potest, neq; debet nuncupari: Quemadmodum neque reuulsio & deriuatio simul; quod Matthæo Curtio, Manardo, atq; aliis quampluribus placuisse scio. Nunquam enim hæ duæ venæ sectiones conuenire possunt: quia nunquam pars longe distans, poterit esse proxima. Debetur reuulsio, vt sæpe demonstratum à nobis fuit, humoribus valde fluentibus aut fluxuris. Deriuatio vero humoribus confluxis mobilibus, vel leuiter confluentibus. Postulat illa partes contrarias & remotas: hæc autem vicinitate coniunctas: Quamobrem nunquam inuicem coincidere poterunt, suapte natura maxime contraria, si exquisitam horum nominum significationem retineamus. Non enim reclamabimus, si reuulsionis nomen ratione communi ad veram reuulsionem & deriuationem intelligamus, vt diximus in principio huius. Verum hæc fient multo euidentiora in subsequentibus.

Cap. VI.

Noua pleuritidis & peripneumoniæ origo ab eisdem proposita refellitur, eorundemq; rationes dissoluuntur.

NVnc perpendamus, quæ illi de noua pleuritidis origine conscripserint. Nascitur (inquiunt) pleuritis capite refrigerato, atque excalefacto, atq; ita depulsis, vel ligatis humoribus, & decurrentibus per venas ceruicis, & musculorum pectoris, tandemq; firmatis intra membranam costas subcingentem.] Sane ingeniosum inuentum, quod licet prima facie aliquid habere videatur probabilitatis, tamen si diligentior adhibeatur contemplatio, omnino falsum apparebit. Est igitur pleuritis inflammatio membranæ subcingentis costas. Ac communis omnium phlegmonarum generatio est ex sanguinis influxu, copiosioris scilicet, quam pars postulet. Certe copiosior sanguis influit, alia quapiam, aliisve particulis aliquando eum mittentibus, & ea, quæ phlegmone laborare incipit, recipiente. Ac aliquando particula, quæ affligitur, hunc ad se trahente. Partes quæ mittunt, alias vt copia superuacuum, vel vt qualitate molestum, alias vtroque nomine succum propellunt: quæ attrahunt ea morboso calore trahunt. Porro in doloribus incipit quidem causa ab eo, quod affligitur, sed quicquid est phlegmones id superpositę partes efficiunt. Ergo quod ad partem excalefactam vel trahuntur vicini succi (vt nos censemus) vel confluunt (vt Asclepiades putabat) euidenter cernitur, vt constet hoc loco, ex ipso quod cernitur, sermoni fides. At vero quæ dolent cernuntur ea quoque phlegmonem ex dolore pati, sed causam eius quidam omnino non assignant: quidam nullo modo probabilem. Quæ vero hac in re nostra sententia sit, explanare non est loci huius, propterea supponantur, quæ libro de doloribus conscripsimus. Hæc si vera sunt, quemadmodũ creduntur, quis à cerebro excalefacto, aut refrigerato fieri duntaxat pleuritidem arbitrabitur? Cur ex calore solo modum excedente, aut ex dolore lateris, fluxio ad eam membranam concitari non poterit? Cur imbecillo existente thorace, ac tussi vehementer agitato attrahi sanguis non poterit citra cerebri affectũ? quod etiam non infrequenter contigisse obseruauimus. Si quãdo nõ purgatur vterus, reiectare solent mulieres sanguinẽ ex thorace atq;

etiam

etiam per vomitum: cur ascendens non poterit sanguis firmari in spatio membranæ costas subcingentis? Præterea, quam ob causam non poterit totum corpus, aut iecur, aut lien, exonerare multitudinem sanguinis in thoracem imbecillum? Adhæc vero, si solo excalefacto, vel refrigerato cerebro fit pleuritis, citra externarum causarum concursum inflammationes fieri non poterunt, at nulla euidenti concurrente causa fieri non infrequenter omnibus notissimum est. Tandem si externæ etiam concurrunt causæ, cur in cerebrum affectum eiuscemodi originem referemus? & cur non adhibemus remedia capiti fluxionem transmittendi? nam ab aere fieri solent putredines, & inflammationes hac potissimum ratione, quam declarauit Galenus, cum inquit: Quæ autem ex densitate cutis accenditur febris, qualis maxime frigefactis, atq; adstrictis corporibus solet accidere, mordaci effluuio in corpore aceruato cõtingit, semper enim animalium corpora difflantur, idq; duplici modo, effusis ad exteriora vaporosis atque fuliginosis superfluitatibus, ac intro attracta refrigerante, & ventilante natiuum calorem aerea substantia. Cum igitur aliqua causa potentior cutim densans, eos de quibus diximus meatus angustiores facit, sæpius quidem in plethoricam dispositionem incidit corpus, quando & vaporosum, & optimum, quod effluit, extiterit. Nonnunquam vero in febrem, cum nimium acre, mordaxq; fuerit; quo tempore maxime, quoniam intra corpus, quod refrigerandi vim habet, non attrahitur, calor simul augetur;] hæc ille. Ex quibus colligo, Aere ambiente frigidiori existente, condensari meatus, impedíriq; effluuium ex cute: ex quo aut fit febris, aut plenitudo. Porro, ex vtroque excremento contingit generari inflammationes exquisitas, si halituosum, & benignum fuerit, quod effluit, erysipelatosas vero, si acre fuerit, atque mordax. Quid igitur ad huiuscemodi affectuum generationem conducit caliditas, aut frigiditas capitis? Postremo, si Galenus thapsia capiti adhibita vsus est; vbi ex capite in pulmones acrium excrementorum confluxio fit: cur eadem non vtimur in pleuritide, cum præceptum sit ad fluxionis originem deducendos esse humores confluentes? Videtur autem eo magis vrgere hæc ratio, quod destillatio in pulmones fit ex internæ substantiæ cerebri læsione humores acres agitante, qui sane magna difficultate ad cutem trahi possunt ob membranarũ & ossium interuentum: at in proposito casu, externæ capitis partes sunt ab ambiente excalefactæ, vel refrigeratæ; quæ facilius remediis extrinsecus adhibitis auscultabunt. At vero Galenus vtitur eiuscemodi remediis in exulceratione pulmonum, interiori cerebri parte summopere oblæsa; & materiam distilationi suppeditante: vbi vero externæ partes affectæ sunt, multo commodior erit causticorum remediorum vsus. Hæc tamen ratio medendi, præter quam quod nullum habuit hactenus authorem, qui scilicet in pluritide cerebrum vel calefaciat, vel refrigeret, vel cutem exulceret; meo iudicio perperam ab omnibus tentatetur, & non sine magno vitæ periculo. Quod vero Peripneumoniam concitari dicant hac eadem ratione excalefacto, aut refrigerato cerebro, si de vera loquantur, consistere non potest. Fit enim ex tenui biliosoq; sanguine è dextro cordis sinu per venam arterialem in pulmones vehementius, & abundantius excusso; qui non modo pulmonis venas, & arterias, verum etiam totum ipsius corpus præter modum implens, atque distendens, coarctatur ac putrescit, pulmonisque inflammationem accendit, eum quidem non aliorum more collectum, sed toto viscere effusum: Quamobrem nulla ratione dici potest hunc affectum fieri duntaxat cerebro excalefacto, aut refrigerato. Præterea, fiunt etiam peripneumoniæ ex angina & pleuritide, cum ad suppurationem veniunt: ex quibus repente humor confluit in pulmones, de quo generationis modo scriptum fuit ab Hippocrate. A morbo laterali inflammatio pulmonum malum.] in vehementi enim pleuritide, si sine causa lateris dolor soluitur, repente aut plurimum mitescit, plerumque in pulmones transitus fit, ac tum increscente tussi, maioriq; orta suffocatione, peripneumonia nascitur cum sputo etiam cruento, à qua pauci admodum liberantur. Quam dicemus habere communicationem

cum cerebro einſcemodi affectum; Quamobrem ſiue illam peripneumoniam intelligamus, quæ admodum exquiſita eſt, & ab initio gignitur, ſiue quæ ſequitur ad alios affectus, à cerebro excalefacto & refrigerato hebere non poteſt originem. Præterea, contra hanc opinionem faciunt, quæ ſupra agentes de pleuritide obiicebamus. Cæterum ipſorum rationibus arbitror me in ſuperioribus abunde ſatisfeciſſe. Nam in pleuritide ſuperiores partes occupante ex eodem latere ſanguinem mittimus, non vt reuellamus confluentem materiam, vt illis placuit, neque etiam vt deriuemus, & reuellamus ſimul, vt alii dixerunt, quia non poſſunt inuicem in vnam conuenire naturam hæc duo præſidia: quemadmodum dicebamus; ſed ſolum vt reuellamus ſimulque vacuemus ſanguinem in phlegmone contentum; quam rem planam fecimus libro quinto tractationis huius. Anginam vero curamus ſanguinem mittentes ex cubiti exterioris vena, quæ exhauriens multitudinem ſanguinis ex caua, & ex communi trunco à quo materia ſuppeditatur faucibus, facit etiam deriuationem ex affecto loco per meatus inconſpicuos. Inflammato vno crure, poſſumus reuulſione vti, aut in oppoſito crure, aut cubito è directo reſpondente: ex crure fit, quando non eſt adeo multa materia confluens, ita vt facile ſperemus illam ex caua vena poſſe in ramum attrahi deſcendentem in crus oppoſitum: in cubito vero incidimus venam, vbi maxima fuerit humorum confluxio: Quod vero afferunt poſtremo loco, de affectu nephritico, licet pro reuulſione tam in cubito, quam in poplite, aut malleolis venam incidere tutum ſit: tamen non fit ob affectum recentem aut diuturnum: quod ille ex cubito, hic ex pedibus vacuationem exigat. Sed potius, quia vt Galenus docuit, Renes ambiunt, cum non magis ſuperioribus partibus conſentiant: expedit nihilominus ſanguinem mittere magis ex cubito, quando maior adfuerit humorum copia, ex malleolo, vel poplite, quando minor. Sed de hac re loquemur infra, quando ſcilicet ſermo erit inſtitutus de venis in vnoquoque affectu ſecandis.

Cap. VII.

Quid ex Galeni ſententia nomine contrarii ſit intelligendum ſecundum authoris opinionem.

DIxi libere quid ſentiam, mea alioquin conſuetudine: in qua re aliorum iudicium maxime deſidero: Reuertor modo ad explanationem propoſiti argumenti, vnde neque ſine vtilitate noſtra digreſſa fuit oratio. Omnis igitur reuulſio fit humoribus agitatis, atque attractis, in contrariam partem, ſi tamen vaſorum adſit communio, vt poſtea docebimus: Contrariæ partis nomine intelligimus illam potiſſimum, quæ habet magnam, & affatim dignam diſtantiam ab affecta particula. Neque enim reuulſionem ſimpliciter dictam omnes oppoſitiones conſtituunt: ſed quæ in longitudine corporis extiterint, & in latitudine maiores, vt ſupra, infra, à dextris ad ſiniſtras, & è contra, iis adhibitis diſtinctionibus, quas poſtea proſequemur. Ante & retro in exquiſita reuulſione locum non habet, ſed in locali duntaxat, ſic enim eam nuncupant Ioannes Damaſcenus, & Palladius Græci authores, Galenum hac in re, vt fere in aliis imitati: qui ſexto libro Epidemiorum, ſectione ſecunda, commentario vigeſimoſeptimo ait: Conſtat autem remedium hoc locale eſſe & ad contraria reuulſorium;] ac in commentario eiuſdem ſectionis nono dicebat: Superius elatos humores, & creatos affectus ad inferiora ſtatim ab initio retrahere conuenit, & contraria iis deinceps facere, quod eſt loco vacuare, vt in capite poſteriora capitis dolentem recta frontis vena inciſa iuuat, quæ locale remedium eſt.] Conſtat itaque ante, retro factam vacuationem ſimplicis, exacteq; reuulſionis nomen minime mereri. At vero quæ fit intus, extra aliquando ſimplex reuulſio eſt, vt parum poſtea docebimus. Quamobrem vt contrarietatis ratio duplex eſt, quarum vna reſpicit extremam, magnamq; diſtantiam, de qua illud ab Ariſtotele dictum puto. Contraria ſunt, quæ poſita ſub eodem genere maxime

xime distant. Alia vero non respicit extrema, sed media in eadem latitudine. Sic in reuulsione generatim sumpta hæ duæ contrarietates inueniuntur: in exacta reuulsione adest contrarietas simpliciter dicta: in alia reuulsione, quam proprio nomine deriuationem nuncupamus adest contrarietas medii ad extrema. Duæ igitur contrarietates in reuulsione, de qua agimus, adesse possunt, scilicet à dextris ad sinistras partes, & à superioribus ad inferiores, & è contra. Ante, retro, numquam. Oppositio autem intus, extra, aliquando: quod quomodo se habeat, nunc paulo diligentius exponendum est. Partibus internis morbo obsessis, & in iis multitudine consistente, haud fuerit tutum reuellere ad cutim, aut frictionibus, aut fotu, aut balneo, aut cataplasmate linimentove: quandoquidem hærerent fortassis multi humores in via, & agitati, neque vacuati morbum non mediocriter augere possent. At si quispiam hoc facere venæ sectione tentauerit, & in quibusdam corporibus alia missione sanguinis, optimum erit aliquando. Iecinore, (quod exempli gratia propono) inflammatione obsesso, venæ sectio in cubito facta eiusdem lateris, reuellit, vacuatq; sanguinem ad inflammationem confluentem; in qua vacuationis ratione duæ admodum conspicuæ sunt contrarietates; vna à superioribus ad inferiores partes: alia ab interioribus ad exteriores. In iis autem corporibus, quæ coaceruant sanguinem tenuem, aut quæ innatam habent euacuationem, vt pueri, præsertim si fuerint candida carne præditi, & cœli status calidus, & siccus, cum venæ sectionem suspectam habemus, tunc scarificatione cutis supplere possumus nullo ægroti damno: quemadmodum in decimo libro huius tractationis explanabimus. Sic intus, extra oppositio in propria reuulsione adesse potest. Eadem ratio est de oppositione extra, intus; quam rem non doceo proposito quodam sensatissimo & frequentissimo casu pro exemplo. Si mala exustaque excrementa tum corporis habitum coinquinauerint, veluti contingit in lepra atque psora, & ad ipsam cutim continuo fluxerint, optima reuulsio videtur mihi tentata per partes internas, vt verbi gratia medicamentis purgantibus melancholicum excrementum. Hanc reuulsionem existere tum ipsa medendi methodus, tum Galeni testimonium ostendunt. Vbi enim extat in cute eiuscemodi affectus, prima omnium indicationum est, detergere illam ac ab omni malorum humorum copia exoneratam, in pristinum statum restituere. At vero hoc fieri non potest, nisi prius humorum affluxum ad cutem inhibeamus; qui in venis contenti, ad cutem quotidie propelluntur. Neque præterea absoluta est methodus, nisi de cætero caueamus, ne eiuscemodi humores adusti generentur. Hic finis est methodi; atque hic principium adesse debet actionis institutæ, quam curationem nuncupamus; itaque primo instituemus rationem victus contra hunc morbum accommodatam, postea vero vacuabimus per inferiorem aluum, aut vomitum humores exustos; postremo contractum in cute morbum detergentibus sanabimus. Ex quibus constare volo purgationem exactam esse reuulsionem affectus cutanei; nam alia inueniri magis accommodata non potest. Afferamus modo Galeni testimonium: Hippocrates libro sexto Epidemiorum, sectione secunda, commentario trigesimo sic inquit: Latæ pustulæ, non admodum pruriginosæ, quales Simon hyeme habebat; quæ cum ad ignem inungeretur, ad calida lauaretur, iuuabatur. Vomitus non iuuabant: Puto si quis calida fomenta adhibuisset, vtilitatẽ percepisset.] Galenus hunc enarrans contextum, ait: Deinde inquit, ipsum nullũ ex vomitibus fructũ percepisse. Vtrum vero ipse Hippocrates, an alius quispiam vomitionibus vti consuluerit, non declarauit. Verum neque id scire nobis necesse est, tantum illud nouisse satis sit, succos ad cutem vergentes per eam esse euacuandos; nam iterum ab intima corporis reuulsio ipsis valde longinqua est, vt per aluum, aut vomitum vacuentur.] hæc Galenus. Quibus primam indicationem in inuentione proposuit, quæ erat vacuare humores in ipsa cute contentos, quia vero omnis euacuatio fit per eundem locum, in quo materia continetur, aut si id non licet, saltem per proximas partes, propterea optimo iure Galenus inquit, succos ad cu-

tem vergentes, per eam esse vacuandos: quandoquidem vacuatio facta ad intimas corporis partes, vt per vomitum, aut aluum, nimis remota erat, ac idcirco minime idonea, vt inde vacuatio promoueretur. Porro quia cognoscebat admirabilis author hanc executioni demandari nō posse indicationem ab Hippocrate in contextu propositam, nisi prius multitudo fuerit omnis vacuata ex internis partibus, vt certum faceret sese id protulisse ratione curationis, non præseruationis indicatione sumpta à causa, & à fluxione humorum ab internis ad externas partes, hæc tandem voluit subiicere. Sed fortassis me dicere putabis, numquam purgatione per aluum in talibus vtendum esse. Ego vero non id dico. Nam in libris de arte curandi, in quibus corporibus permulta humorum copia est, iis vtiles esse purgationes didicisti; priusquam enim ita redundantem materiam, aut venæ scissione, aut purgatione quis eduxerit, si fouens, hoc est, calidis vtens ipsam discutere conetur, plus attrahet, quam per cutem vacuabit. Sed cuti inhærentium succorum curatio, prorsus per fotus et calida medicamenta præstatur:] quibus verbis adeo aperte significauit, purgationes per inferiorem aluum in opere ipso primum locum habere, vt nisi fallor, nihil apertius. Hæc si vera sunt, quæritur, an hæc vacuatio nuncupari debeat reuulsio exquisita, necne. Respondeo primum reuulsionem esse, nullam habere posse difficultatem: tum quia id Galenus in eo commentario testatur, tum etiam, quia ratio suadet esse reuulsionem extra intus oppositione facta. Deinde asseuero hanc existere absolutam reuulsionem, quoniam nulla maior inueniri potest distantia, nulla magis accommodata pro hoc munere perficiundo, vt hæc attestantur Galeni verba: Nam iterum ad intima corporis reuulsio ipsis valde longinqua est, vt per aluum, aut vomitum vacuentur.] Certissimum est fieri reuulsiones exactas in partibus maxime distantibus, vt docebo posthac diligentius: hæc vero est (inquit Galenus in eodem commentario) reuulsio valde longinqua, vt per eos locos vacuari possint humores, qui scilicet iam ad locum affectum confluxerunt, sed quæ valde remota est via pro vacuatione humorum in cute contentorum, ea valde opportuna est pro vacuatione confluentium, & pro reuulsione perficiunda. Hic igitur locum non habent aliquem Cinici nostram opinionem arguendi; vt temere tentarunt; sed quia in decimosexto epistolarum medicinalium libro illis plane satisfactum est; finem huic impono tractationi.

Cap. VIII.

Nunquam confluxis, sed solum confluentibus, aut confluxuris humoribus deberi reuulsionem.

IAM si vera sunt, tum quæ proxime hoc libro diximus, tum quæ secundo libro à nobis fuere proposita; manifestum fit ipsam reuulsionem solum fluentibus humoribus, vel confluxuris deberi; nunquam vero confluxis. Quandoquidem proprie vacuandi sunt illi, aut ex eadem sede affecta, aut ex vicina. Sed contra nostram sententiam duo potissimum facere dubitationem videntur, quorum tum Hippocrates, tum Galenus meminerunt. Horum primum colligitur libro quarto de ratione victus in morbis acutis contextu trigesimo. Aliud vero in quinto Aphorismorum continetur textu sexagesimooctauo, quæ persuadent humoribus confluis, impactisque in phlegmonosa particula reuulsionem deberi; horum afferenda hoc ipso capite dilucidatio est. Agens Hippocrates de anginæ curatione ceruici applicari debere auxilia reuulsoria præcepit. Dictio illius hoc habet modo: Debet item ceratum tum collo, tum capiti circumponere, lanisque circumuoluere, mollibusque spongiis ex aqua calida expressis fouere.] Galenus in commentario rationem reddens, hæc inquit: Præterea, & ad exteriorem superficiem reuellere oportet circumpositis collo, quæ attractoria polleant facultate medicamentis.] & optima sane ratione. Qui enim humor anginam facit in faucium interioribus partibus impactus

pactus est, cum illum retrahimus ad partes externas, tunc dicimur reuellere humorem ad originem suæ fluxionis. Ex quibus satis apertum videtur, dilucidumque, humoribus confluxis deberi aliquando reuulsionem. In Aphorismis vero, & libro de morbis popularibus præcepit, dolente posteriori capitis parte iuuare venæ sectionem in fronte factam, Galenusque testatur esse remedium reuulsorium, & in contrarium, vt superiori capite dicebamus. Hæc licet facere difficultatem aliis videantur, mihi certe nullam faciunt; quoniam in superioribus potestate dilucidata sunt; nuncque etiam sic illorum cogente importunitate explanabuntur. Secta vena frontis (vt ab hoc ὕστερον πρότερον exordiar) iuuantur dolores posteriorem capitis partem obsidentes; quando adhuc materia ad cerebrum amplius non confluit, totiusque corporis plenitudo fuerit exinanita; si vero secus accidat, maxime lædet remedium; idcirco recte cum Galeno supra dicebamus, hoc remedium esse locale, cuius natura postulat, vt vniuersalia auxilia præcedant. Reuulsionem factam ab internis partibus ad externas & ab his ad illas, licet aliquando vniuersale remedium debeat nuncupari, vt superiori capite demonstrauimus, non semper tamen id accidit; vbi enim exigua distantia adest, simpliciter dictam reuulsionem exercere non possumus; Contra vero vbi magna distantia præsente maiorem exhauriamus venam, tunc plenitudinem remouentes, impedientesque sanguinis affluxum, optime reuellimus. Cæterum hæc quemadmodum etiam alia huius generis quam plura parum infra maiorem sunt lucem habitura.

Cap. IX.

Quando in reuellendo trahere debeamus ad ipsius fluxionis originem.

ILLVD nunc dilucidandum superest, an ad originem fluxionis attrahere debeamus reuellendo: quod Curtius, & qui illius opinionem insequuntur, semper obseruari debere contendunt: ego vero semper fluxionis originem obseruandam esse profiteor; at non semper ad originem fluxionis reuellendum contendo, cum aliquando id maxime perniciosum esse statuam, sed ne gratis id videamur protulisse, supponamus quæ supra contra recentiores disputando de inflammationis principio dicebamus. Ex quibus satis superque constare putauerim, quando in reuellendo ad principium, & originem fluxionis trahendum, & quando minus oporteat. Si origo existat in parte phlegmone obsessa, aut quod nimium caleat, aut quod doleat, vel in vicinis partibus: nulla ratione possumus ad eam reuellere; sed contra debemus longissime trahere à particula fluxione tentata: hoc enim commune præceptum est in omni reuulsione obseruandum: nempe vt nunquam trahamus fluxionem ad particulam affectam: vt omnium communis est opinio: At si origo fluxionis in remota parte consistat, ad eam dubio procul attrahendum est. Hinc ego plurimum doctissimos quosdam viros admiror, qui de hac re scripserunt in hunc modum. Non ergo in inflammatione remedium fluxionis est, quod primum tollit id, quod in locum influxit, doloremque facit: sed quod fluxionis impetum coercer auferendo causam, quæ mouet humores: quæ quidem aliquando est in ipsa parte, aliquando in partibus propinquis, aliquando in remotis. Quamobrem si in omni parte corporis venæ reperirentur, quæ secari possent in omni affectu: nunc in ipsa parte laborante, nunc in vicina, alias in remotissimis vena secanda esset incipientibus inflammationibus: cum ex omnibus eis locis fluxionis occasiones nasci possint: & tunc illis solum vel maxime sit succurrendum, quoniam illarum cursum prohibere, & hominem à malo, quod possint gignere, præseruare studemus.] hæc illi. Qui certe mihi non mediocriter displicent. Illud in primis constare omnibus puto, hosce homines doctissimos sua non seruare principia. Nam si omnis reuulsio, vt illi scribunt, fieri semper debet in contrarium, atque humor ipse moueatur, quomodo venæ sectio in eadem particula phlegmone obsessa in contrarium instituta esse potest? Nulla

hic adest contrarietas partium: nulla in motu humorum: quia attrahuntur illi ad partem inflammatam, & tu vacuas ab eadem particula: ex qua nulla ratio apparet contrarietatis. Præterea, incipiat quis ex contusione anginam pati, aut ex dolorifico faucium vlcere: in hoc statim sanguis ex venis sub lingua mittendus esset: quia origo fluxionis fuit in affecta particula; habemusque venas in vicina parte insertas, ex quarum vacuatione pars exonerari solet: sed si quis hanc medendi rationem iniret, hic omnes profecto suffocaret: cum multo maior fieret ad locum attractio, quam confluentis humoris reuulsio. Ad eundem modum doleat quis ex insolatione in posteriori parte capitis; iam affectus originem habet in parte ipsa: Venæ adsunt vicinæ in fronte: eas igitur semper secabimus, nunquam in hoc ipso casu cephalicam. At si totum plethoricum esset, maximo ægroti malo hanc vacuationem adhiberemus, vt supra ex Galeno demonstrauimus. Quod ergo de insolatione dixi, exempli gratia, idem intelligendum esse volo de dolore capitis in posteriori parte ex contusione, aut vulnere. Amplius nunquam ad particulam fluxione tentatam fieri debere reuulsionem, Galeni verba manifestum faciunt lib. 11. Methodi, cap. 6. cum ait: Illud enim patere vel me tacente arbitror, eum, cui crura phlegmone laborant, non esse vel ambulatione, vel cursu exercitandum, sed nec stare esse iubendum, imo sedenti plurimum fricari, mox manuum motu exercitari illi est satius. At si cui in supernis partibus cœperit pars aliqua phlegmone tentari, huic motus ex inambulatione, aut cursu est salutaris. Similiter & frictio his quidem ea potior est, quæ cruribus adhibetur illis, quæ in supernis partibus administrantur; quippe præceptum in contrarium reuulsionis in omnibus talibus commune est. Neque igitur cum vel circa sedem, vel aliquam huic vicinam partem initium phlegmones incidit, aluum deiicies; neque cum in vesica, vel colo, vel renibus est cœpta, pharmaca, quæ vrinas prouocent, bibenda dabis; nec si mulieri in vtero, vel pudendo insedit, menses huic prouocabis, sed ad partes, quæ maxime longinquæ sint, semper reuulsionem facies, æstimata scilicet tum phlegmones magnitudine, tum corporis totius statu.] hæc Galenus. Quæ ostendunt, maxime perniciosum esse in phlegmonis principio, vacuationem moliri per particulam phlegmone obsessam, aut illi vicinitate coniunctam, quod etiam passim alibi admonuit, vt explicabo posthac. Quibus etiam addamus Cornelii Celsi sententiam, libro suæ medicinæ secundo, cap. 10. vbi sic ait: Videtur tamen vsus ipse docuisse, si caput fractum est, ex cubito sanguinem mittendum esse. Si quod in humero vitium est in altero brachio.] hæc Celsus. Sed cur quæso non misit sanguinem in eodem cubito, si in proximis partibus fieri debet reuulsio? Neque est, quod hi dicant, decretum hoc intelligi debere, cum fluxionis origo non extiterit in affecta particula: quia præceptum hoc commune esse significauit: mox, quia dixit, semper ad partes longinquas reuellendum: postremo, quia multo magis veritatem habet, vbi principium inflammationis continetur in affecta particula, quam vbi in distantibus existat partibus. Quod si cursum fluxionum prohibere volumus, remouendæ sunt, atque mitigandæ causæ irritantes: vt calor refrigerantibus obtundendus, quibus tum repellamus fluxionem ipsam, tum intemperiem partis refrigeremus. Dolor simpliciter anodynis mitigandus est, quæ scilicet vere talia sint, non autem quæ ex accidenti sensorium stupefaciendo id faciunt: quemadmodum eodem decimotertio Methodi Galenus admonuit. Cæterum, quomodo Hippocratis intelligenda sententia sit, qua ille dicit, doloris causa proximum ventrem tundendum esse, explanabitur a nobis parum infra. Interim vero statuamus, ad fluxionis originem nunquam reuellendo deducendos esse humores, si in affecta particula, aut in vicina contineantur, vt contingit in dolore & calore; at si vitio totius contingat fluxio propter affectum plethoricum, vel malam aliquampiam qualitatem irritantem, aut ob affectum distantium partium, tunc a totius vacuatione exordiri curationem expediet: Plura etiam ad hoc argumentum pertinentia dicemus infra.

Antre-

CAP. X.

An reuellendo ad maxime distantes partes attrahere oporteat humores. Varia authorum proponuntur sententia, Matthai Curtii & Laurentii Iouberti opiniones declarata.

QVÆ supra diximus, controuersiarum esse plena recentioribus Medicis videntur. Propterea pertinet hoc loco ad institutum tractationis nostræ, ea sigillatim dilucidare. Inprimis autem omnes conditiones ad reuulsionem exquisitam requisitas doceamus. Prioriq; loco discutiendum proponamus, an de natura reuulsionis sit, humores ad partes plurimum distanres attrahere. Hęc enim ex omnibus adeo magnas difficultates habet, vt fere pronuntiare ausim, adhuc litem esse sub iudice. Quandoquidem authores de hoc argumento pertractantes minime consentiunt. Qui vero aut Galeni, aut Auicennæ obscuras profitentur interpretari sententias, adeo inuicem discordant, vt illos in vnum reducere consensum videatur impossibile. Alii enim ad partes maxime longinquas reuellendum: Alii in propinquis id continuo faciendum asseuerant: Alii rursus ad distannissimas partes humores trahunt, cum præseruare volunt: ad propinquas, quando curatio proposita est. Atque ne singula prosequar, in summa, quot capita, tot sententiæ. Enitar ego, veritatem multis incognitam patefacere, & quo ad eius fieri poterit, dilucidare; quod vt facilius efficiam, prius aliorum opiniones afferam: deinde vero, vbi exposuero, quid bene, aut non bene ab illis dicatur, quid ipse sentiam, declarabo. Exordiamur tractationem à Matthæo Curtio, qui in libro de mittendo sanguine in pleuritide summatim sic opinatur. Aliquando ad partes maxime distantes, aliquando ad propinquas reuellendum: cum enim præseruare cupimus ad partes distrahendi, sunt humotes maxime distantes; quemadmodum etiam cum leuis est affectus, & nobiles pattes non inuadit; vel in eo, qui celerem curationem non postulat, vel quando affectus minime periculosus est. At vero quando excretrix facultas vehementer est concitata, id est, validæ fluxiones fiunt, estque morbus magnus remedium celere postulans, & humor cum graui periculo in affectam partem influit, tunc reuellendum est ad propinquas partes. Nam in hoc casu dolores excitantur vehementes; quorum causa proximum ventrem incidendum esse, iussit Hippocrates. Medendum enim dolori inter initia celerrime, vt qui vires destruat, & fluxionem irritet, atque non mediocriter augeat; quæ res fieri non posset, nisi vena incideretur proximior. Præterea respondent, nos scite non posse originem fluxionum; atque duplicem esse fluentem materiam: vnam, quæ in venis partis affectæ continetur, & ob dolorem continuo commouetur, ac influit, & partem læsam magis grauat: aliam vero, quæ in remotioribus vasis fluit, & sequitur aliam, & hac ablata dolorem mitigari, nec amplius reclinqui occasionem alicuius fluxionis. Sic enim illi scribunt, quia sciebant, à Galeno fuisse traditum, in principio inflammationum primum fluxionem sistendam esse, mox vêniendum ad eum humorem, qui influit. Hæc opinio est Matthæi Curtii: quam ex recentioribus Medicis quamplures imitati sunt, vt Martinus Achachia, Manardus, Leonardus Fucsius, & omnes fere, qui tueri profitentur inchoante pleuritide, corporeq; existente plethorico, venam ex cubito lateris affecti perpetuo esse incidendam. Huic etiam opinioni fauet plurimum Franciscus Valesius in suis controuersiis, libro scilicet septimo, capite quarto, vbi agit de restitutione. Laurentius autem Ioubertus Delphinas, Medicus citra conttouersiam doctissimus, prima decade suorum Paradoxorum, capite decimo, hanc opinionem admittens, hæc addit: De natura reuulsionis esse, vt ad partes oppositas fiat, non autem remotas, quia ex propinquis locis faciendam esse reuulsionem primæ classis Medici volunt, quum citius leuari ægrotum student, eo enim promptius sentitur commoditas, quo magis ex vicina parte reuellimus, dummodo insignis fiat vacuatio. Nam sit, per hypotherim in extrema manu (quam Græci ἀκρόχειρον proprie vocant) inflammatio. In

morbi initio, & augmento à superioribus ad partem affectam continue fluet sanguis. Nonne hunc commode auertet fluxum in eiusdem membri cubito venæ sectio? Ita sane videtur. Nam qui ad extremam manum contendit, atque magno impetu irruit humor, in medio cursu nactus exitum, per vulnus profunditur effluitque, nec ad partem vsque laborantem peruenit. Simul etiam aliquid eius, quod iam defluxerat, retrahitur, cum pars extrema valde tumeat, & tantum humoris nequeat continere, quantum illam premit. Deponit itaque in plagam satis vicinam eius, quod aggrauat portionem. His adde, quod vulnerato per phlebotomum cubito præ dolore sanguis vndique fluit, quia venæ tum superiores, tum inferiores contrahuntur, vt quauis re molestante fieri solet. Hac ratione simul fit cum reuulsione deriuatio. Porro, si à parte contraria vt ab altero brachio, vel (quod præstantius esset) ab eiusdem lateris crure sanguis mitteretur, non protinus, sed post multum tempus fieret humoris fluentis reuulsio. Nam ad manum phlegmone tentatam fluit sanguis, qui brachii venis, aut superioribus etiam continebatur. Illum prius minuere, si non exhaurire decet, quam fluxionem sistere possis. Atqui eius membri sanguinem ad partes inferiores secta in poplite vena detrahere non est breuis temporis opus: nam id consequutione quadam, & sensim fit, dum ad locum inanitum humores hinc inde confluunt. Feri etiam potest, vt qui brachio continetur sanguis crura versus non descendat, quod in tam remota parte factam vacuationem minime sentiat. Hanc citius explent, quæ vicinæ sunt, neque ad brachium vsque peruenit successionis, ad id quod vacuatum est, necessitas. Quamobrem factam in crure sanguinis iacturam propinquiores partes resarcient: interim dum maxima humorum copia ad manum ex brachio toto irrumpit. Quod si demonstres ad inferiora necessario vergere sanguinem, secta in poplite vena: non tamen eo probabis, humorum, qui partem affectam premunt, impetum mox retineri. Nonne satius foret in medio cursus humori viam facere, qua effluere posset, vt non vlterius proficisceretur? Hoc esset veluti intercipere, ni fallor: & quo afflictæ parti propius fieret vulnus, eo melius illabens materia efflueret: quæque iam locum dolentem occupauit, retrocederet. Cum igitur iam inchoata est humoris defluxio, parum iuuat ad valde distantia loca reuellere: omnium præstantissime fit affectæ parti propinqua, sed tamen superior ipsa reuulsio. Superiorem locum accipit, vnde humor effluit. Additque in reuulsionibus, quæ ad sistendum sanguinis effluxum, & αἱμοῤῥαγίαις fiunt, rem aliter sese habere. Nam si manus est vulnerata, vt sanguinis fluxum cohibeamus, non in eodem brachio reuulsoriam phlebotomen aggrediemur, sed in altero, vel in crure, quod è regione est: Atque ea methodo influxurum sanguinem cohiberi. Tandem vero de fluxionis principio agens, hæc scribit: Sed & cum fieri incipit defluxio, si non multum processerit, ad distantia valde loca reuulsionem facere nihil prohibet: non quidem eius portionis, quæ defluxerat, ratione, sed continuo fluentis, & potissimum fluxuræ adhuc materiæ. Hæc ille summatim de reuulsione proposuit.

CAP. XI.

Impugnatio opinionis Curtii. Easdem venas pro præseruatione & procuratione secandas. In inflammationum & fluxionum principiis ad partes maxime distantes reuellendum.

CÆTERVM quod ii de hoc ipso argumento non bene scripserint, ea manifestum facient, quæ nunc contra Curtium obiicio. Primum, si licet ad partes maxime longinquas reuellere, cum præseruationi studemus, licebit etiam eandem reuellendi rationem exercere, cum proposita curatio fuerit: nam easdem venas secari pro ipsa præseruatione, quæ secantur pro curatione, Galeni verba manifestum faciunt, libro de ratione curandi per venæ sectionem, quæ sic habent capite decimonono: Quibus in corporibus nulla adhuc pars laborat,

laborat, & tamen accedenre vere volumus aliquam moliri vacuationem, quando fuerit ille assuetus æstiuo tempore à febre atripi, cuius fomitem subtrahere volumus, tunc quælibet pars idonea est, vt inde sanguis detrahatur: & eodem modo, si quis morbo articulari, & eo passim in omnibus arriculis sit solitus laborare. Sed cum timemus ne particulariter in vna quapiam particula tantum laboret, nisi sanguis mittatur; nequaquam in his eodem modo agendum est. Non enim expedit vndequaque vacuare: sed eadem rarione in his agendum est, sicut in illis, qui iam laborare cœperunt: & hac de causa podagricos euacuamus secta vena in cubito: vertiginosos vero, & qui morbo comitiali arripiuntur in ribiis] hæc Galenus. Vbi apparet ipsum lucidissime docuisse, ea ratione fore illos pertractandos, qui vel natura, vel quopiam alio accedente morbo cuipiam particulatim sunr obnoxii, antea quam arripiantur ab illo, qua essent pertractandi, cum cœpissent iam laborare. Quamobrem cum proposita reuulsio est, eandem semper debemus venam incidere, siue quispiam ægrotet, siue minus. Neque profecto id mirum videri debet: quia si reuulsio, quæ procul fit ab affecto loco, potestatem habet tueri corpus ne in morbum incidat, cur non poterir illa eadem reuulsio, si inter initia cum morbus cœperit iam inuadere, obsistere, ne augeatur, quod in principio potissimum quærimus, cum eo tempore omnia fere eisdem causis augeantur, ex quibus fiunt: atque tradiderint Hippocrates & Galenus libro sexto Epidemiorum, & de ratione curandi per venæ sectionem, ea quæ cum morbus incipit, si fianr, remedium afferunt, si anteaquam cœperit administrentur, prohibere ne fiat. Amplius vero illud consistere non posse videtur mihi: quod reuulsionem ad distantes partes necessariam esse dicant, cum leuis fluxio est, aut cum partes ignobiles afficiuntur. Nam vtrumq; falsum est. Reuulsio quidem est remedium, quod institutum pro impedienda vehementi fluxione, non autem exigua, vt sæpe Galenus docuit, præsertim vero libro secundo de ratione curandi ad Glauconem, & libro quarto, & quinto, & decimotertio Methodi medendi. Quinimo vbi leuiter humores fluunt, neque vllum adsit periculum futuræ fluxionis, reuulsio nullum vsum afferre potest, sed sola vtimur deriuatione, facta scilicet vacuatione per partes vicinas. Affero hic locos quosdam Galeni in eorum quæ diximus confirmationem. Libro de humoribus sect. prima, commentario decimotertio inquit: Vsu enim reuulsionis prohibemus ne vehementissimi humorum effluxus confestim in partes decumbant.] & libro nono de Methodo medendi, capite vndecimo ait: At in iis quidem venæ sectio vtilis est ceu vacuantium præsidiorum vna, in aliis ceu quorum vehementiorem imperũ ad diuersam partem reuocet, vel per propinqua deriuet.] quod etiam alibi passim significauit. Ad hæc vero cerebrum apoplexia laborans, vel epilepsia, vel scotomia, reuulsionem postulat in partibus maxime distanribus, vt in tibiis secta vena, siue præseruare, siue curare voluerimus, modo ingens adfuerir in toto corpore plenitudo. Rursus iecur nobilis est pars: hæc tamen cum inflammationem patitur, vult venæ sectionem in parte distantissima, vt Galenus ait libro decimotertio Methodi, capite sexto, cuius verba parum infra proponentur, atque explanabuntur à nobis: Præterea incisio, inquit, proximæ venæ succurrit citissime omnibus inflammationibus inchoantibus, cur igitur, inquam, eadem non est adhibenda, cum ignobiliores partes pati phlegmonẽ incipiunt? Quæ maior ratio est harum, quam illarũ partium? Præceptum est medicinæ Asclepiade primum inuentum, vt tuto, cito, & iocunde sanemus; si quispiam citius inflammationem sanare potest, in quacunq; constiterit parte, is munus crudelis medici subire videbitur, qui sanationem in tempus diuturnum prorogat. Quis crederet Galenũ, cum præcepit inflammato vno genu, ex cubito tanquam ex parte distantissima venã esse incidendam, eiuscemodi mala leuiora, & nullius momenti putasse? cum certe grauissima sint, maximas molestias, & cruciatus afferant intolerabiles. Hoc igitur præcepũ, quod ad partes distantissimas oporteat reuellere nos cõmune statuamus omnibus partibus, siue illę fuerint pręcipuę atq; nobi-

les, siue minus. Quandoquidem illius necessitatem inuenit fluxionis impetus, quem primum impedire omni ratione debemus, nō huius, aut illius partis conditio. Ad hæc, quod dicant ignorari fluxionis originem, admittendum non est. nam siue in particula affecta consistat, siue in remotioribus adsit, satis aperta signa sunt. Dolor & calor, tum causæ sunt, tum etiam signa fluxionis. Plenitudo totius corporis, aut quo ad vasa, aut quo ad vires, & cacochymia, siue simplex, siue permista plenitudini originem fluxionis indicant: ii vero affectus suis innotescere signis adeò apertum est in medicina, vt fere apertius nihil. Quis enim fuit aliquando ambiguus de phreneticidis origine? Si ex vulnere, aut contusione contingit, origo manifesta est; Si internis de causis proficiscitur, a toto venarum ambitu biliosus sanguis, & vapores mouentur ad cerebrum inflammationem facturi. Adde quod aliquando sensus declarant principium fluxionis, vt cum contingit à pedibus malam auram ad cerebrum transmitti facturam epilepsiam. Ex his quidem, & aliis multis, quæ studio breuitatis prætermittuntur, colligo non esse impossibile originem fluxionis cognoscere.

Cap. XII.

Explanatio sententiæ Hippocratis, qua præcipit dolorum causa proximum esse ventrem incidendum.

Non debemus hoc loco conniuentibus oculis explanationem præterire loci cuiusdam Hippocratis, in quo maxime Curtius confidit. Afferemus prius venerandi senis verba, mox ostendemus Hippocratem opinionem eius haud mediocriter subuertere. Dictio illius habet hoc modo: In doloribus próximum ventrem purgare oportet, & sanguinis ventrem rescindere. Vstio, sectio, calefactio, refrigefactio, sternutatio: stirpium humores, in quibus vim habet, & cyceon maleficiorum, lac, allium, vinum feruefactum, acetum, sal,] hæc Hippocrates. Cuius propositum fuit eo loco (si Galeno credimus) recensere auxilia succurrentia leuibus, & sæuis doloribus, sicut in Aphorismis oculorum tantum dolentium remedia scripsit, vbi inquit: Dolores oculorum meri potio tollit, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut cum medicamento purgatio. Quamobrem sexti Epidemiorum generalior videtur sententia. Sed quid ex hac ipsa ingeniosus deducit Curtius? Purgationem (ait Hippocrates) venæque sectionem, quemadmodum alia eius generis auxilia opitulari doloribus: Ego id admitto libentissime. An propterea concludendum est, tunc, cum instituta reuulsio est, venam incidendam in loco affecto proximam? Neque enim docuit quando id fieri debeat: neq; an sola sufficiat pro eiuscemodi munere obeundo. Quod sum sæpe solitus dicere, id nunc cogor efferre, nihil humano generi perniciosius esse, nihil detestabilius, quam adhærere sectis. Atque non benigne antiquorum patrum, de re nostra optime meritorum sententias interpretari. Non sunt nuda illorum verba perpendenda. Cur hæc inquies, vt manifestũ faciam, nihil minus cogitasse Hippocratem, quam quod ab illo propositum est. Adsint nostræ huic disputationi pacato animo, qui veritatis studiosi humano generi opem ferre desiderant. Dicunt proximum ventrem, id est, venam propinquam incidendam, quando simpliciter voluerimus reuellere, cum doloribus opitulari volumus: quia pro expurgando corpore proximum eligendum esse ventrem docuit. At quæ necessaria consequutio adest a purgatione ad venæ sectionem? purgamus in doloribus proximũ ventrem, ergo secabimus proximas venas in doloribus? Longe diuersa ratio est. Quis enim ignorat vtero dolente ex impacta materia, neque amplius fluente iuuare plurimum expurgationem per aluum, per vrinarios meatus factam? Proximiores enim atque magis accommodatæ partes pro hoc munere perficiundo inueniri non possunt. Rursus doleat vterus ex confluente sanguine, quis esset tam corrupto præditus iudicio, qui eam purgandi rationem iniret? Qui ad proximas partes humorum multitudinem præcipitaret? Idem est in venæ sectione adhibendum iudicium: proximæ se-

mæ ſecandæ ſunt venæ, quando fluxionis nullum imminet periculum, cum ſolum propoſitum eſt vacuare humorem in phlegmone contentum, aut in partibus illi vicinitate coniunctis. At ſi fluxio immineat, ſi totius corporis plenitudo faciat negotium, quis incideret propinquas venas? Quis ad locum fluxione tentatum humores attraheret? Exemplo rem illuſtremus. Crebro laborante phrenitide, proxima vena frontis eſt. Angina obſeſſo gutture, quæ ſub lingua ſunt. Si quiſpiam in illa ſtatim ſecuerit venam frontis: in hac vero, ſub lingua exiſtentes, maxime læderet ægrotos, quinimo (vt ſentio) a dogmaticorum Medicorum numero ſecludendus foret, omnibusq; vt publicus quidam carnifex odio habendus. Nihil eſt autem, quod dicat, eas nunquam pro reuulſione venas incidi debere: quia ſunt eligendæ proximæ venæ, non quæ in affecto loco ſitæ ſunt. Atqui, vir bone, non ſunt in particula phlegmone obſeſſa inſertæ eiuſcemodi venæ, ſed in vicinis locis conſiſtunt, vt non ſemel Galenus admonuit, præſertim libro de ratione curandi ad Glauconem, & de phlebotomia, quando ſcilicet præcepta tradit deriuationis. Hac de re in phrenitide prius ſecanda vena eſt in cubito exterior: deinde, quæ in fronte conſiſtit. In angina eadem prius, mox, quia ſub lingua reſident. Hæc recta eſt medendi ratio. Hæc accommodata ſuccurrendi neceſſitatibus humani generis ab omnibus eſt inſtituenda medicatio, qui ſecus faciunt, toto aberrant cœlo. Verum ne quiſpiam exiſtimet, nos proteruos eſſe, admittamus vltro, quod illis placet. Nempe, quemadmodum pro expurgatione proximum eligere ventrem debemus, ſic etiam pro venæ ſectione. Addo etiam, quod quemadmodum eundem ventrem expurgamus, ſic eaſdem venas in affecto ſcilicet loco poſitas incidimus, quod quomodo ſit audiendum, nunc in illorum gratiam explanabimus ex Galeni commentario, atq; ex ipſa Methodo. Vicinæ ſunt eligendæ partes, quando vacuare deriuando volumus, ſi non liceat vacuationem inſtituere per eaſdem, vt ex illis humores prompte vacuentur. At vero quando reuellere fuerit animus, tunc ventres remotos & contrarios eligere oportet, ſiue fiat vacuatio venæ ſectione, ſiue purgante medicamento. Meminerint ii, quæ Galenus de hac materia dicebat libro de ratione curandi per venæ ſectionem, cap. 19. in quo ſic ait: Putro, vt ſummatim dicam, incipientes phlegmonas reuulſu euacuare oportet, quę vero inueteratę iam ſunt, ex ipſis, ſi fieri poteſt, affectis partibus, quod ſi nequeat, ſaltem ex vicinis.] De induſtria hunc locum affero, tum quia cum de rectitudine ſermonem habebimus, hunc interpretabimur, tum etiam quia docet, vacuationem factam in vicinis partibus nunquam fieri debere, quando reuulſioni incumbendum eſt. Quod etiam in decimotertio Methodi medendi, in quarto & quinto apertiſſime ſignificauit. De quibus locis infra loquemur diligentius. Quando igitur Hippocrates ait, proximum ventrem ſecandum eſſe, reſpexit morbum iam factum, indicatione duntaxat ſumpta à materia confluxa, non autem à confluente, vt aperte ſignificauit Palladius in eius loci commentario, hiſce verbis vſus:

Εἰ οὖν ἐθέλεις θεραπεῦσαι τὴν ὀδύνην, μέμνησο τοῦ Ἱπποκρατικοῦ κανόνος· δεῖ δὴ πρότερον καθόλου ἐπιμέλεσθαι παντὸς τοῦ σώματος, εἰ μὲν ποιότης λυπεῖ, καθαίρομεν. εἰ δὲ ποσότης, φλεβοτομοῦμεν. ἀλλ' ἐν τούτοις λέγει ὅτι τὸν τόπον δι' οὗ ὀφείλεις ποιῆσαι τὴν κάθαρσιν· φησὶ γὰρ διὰ τῆς ἐγγυτάτω κοιλίας, κοιλίαν δὲ καλεῖ πᾶσαν κοιλότητα, καὶ θέλει σε τὴν ἐγγυτάτω κενοῦν. ὡς καὶ ἐν τῷ βιβλίῳ τῶν ὀξέων πλευριτικὸν φλεβοτομεῖ, διὰ τὴν κοινωνίαν τῆς μασχάλην διερχόμενον. ἔξεστι δὲ καθολικὸν τὸν λόγον λαβεῖν. ἐγκέφαλον γὰρ κενοῦμεν, διὰ ὑπερῴας καὶ μυκτήρων. θώρακα δέ, διὰ βηχός.

Quod eſt: Igitur, ſi dolorem volueris curare, memineris regulæ Hippocratis, quod, inquam, inprimis ratio habenda ſit totius corporis, quia ſi illis ſit qualitas moleſta, purgabimus, ſi vero quantitas, ſecabimus venam. Sed & locum tibi monſtrant, per quem expediat moliri purgationem: inquit enim per proximum ventrem, & ventrem omnem appellat concauitatem: atq; iubet, quam proxime vacuare, quemadmodum in l. bro de victu acutorũ morborum pleuritico venam ſecturus, e[illegible], quæ per aſcellam tranſit, ob ipſius particulæ communionem ſecat. Tibi vero, licet eam rationem vniuerſalem accipere nam cerebrum vacuato per palatum, nareſq;, pectus autem per tuſſim.] hæc ille, quæ

adeo aperta sunt, vt qui non videat Hippocratem de reuulsione non loqui, hic profecto tota, quod dici solet prouerbio, via aberrat. Verum quia hæc multo apertiora fient in tractatione de ipsa rectitudine, & deriuatione, hæc sufficiant de re proposita dixisse.

Cap. XIII.

Impugnatio opinionis Iouberti.

QVod vero pertinet ad opinionem Laurentii Iouberti, pauca hic scribam, quia multa superiorem opinionem arguentia hanc eandem redarguunt. Dicam tamen tria. Vnum, quod si nomine reuulsionis ille intelligit deriuationem, quæ est quædam cum retractione humorum ex loco affecto, aut vicinis partibus vacuatio, recte sentire illum: quamuis eius verba contrarium videantur persuadere. Eiuscemodi enim reuulsio semper fit ad propinquas partes, nunquam ad remotas. Sed nihil erat, vt hanc ipsam rem omnibus apertissimam tanquam paradoxum proponeret. At si de reuulsione simpliciter dicta sermonem habet, nunquam ille ostendet, in locis admodum vicinis fieri debere. Aliud inquam, satis aperte illum contraria in hac materia scripsisse. Nam inquit, in cipiente fluxione, si non plurimum fuerit protracta, ad locos maxime longinquos retrahendum, idque ex Galeno probat. Cuius tamen contrarium scribit his verbis: Cum igitur iam inchoata est humoris defluxio, parum iuuat ad val de distantia loca reuellere, omnium præstantissime fit, affectæ parti propinqua, & quæ sequuntur. Atq; ipso in opere agendum persuadet inflammata vltima parte manus; præcipiens incidendam esse venam eiusdem cubiti: qua opinione nulla videtur mihi absurdior. Emissarium enim illud impedire fluxionem non potest ad locum affectum, quinimo, vt ego sentio, multo magis adaugere. Etenim non solum per eam, quæ secta fuit, venam, sed etiam per alias multas ad phlegmonem sanguis effluit, & forrassis magis per alias, quam per illam. Deinde licet diminuatur fluxio aperta, exempli gratia, interiori cubiti vena, dum sanguis ducitur, tamen postea multo maior adaugebitur impetus humorum fluentium, qui iam consuetudinem acquisiuerunt ad eam partem confluendi ex aperta vena, ex imbecillitate partis, ex dolore, ex calore loci: quando igitur illud clausum fuerit, quid continget, quem locum petet sanguis? vnde vacuabitur? sinemus igitur totum impetum irruere ad particulam phlegmone obsessam? siccine obseruabimus regulas a maioribus nostris traditas? nempe, vt ad particulam phlegmone obsessam, quo ad eius fieri potest longissime trahamus. Ego certe sanguinem mitterem ex alio cubito, vt fieri solet ab omnibus fere Medicis: cum manus inflammatæ non videatur mihi dispar ratio, à cubito, humeroque inflammato. Quod vero ille tum deriuationem, tum reuulsionem simul fieri posse contendat, quam sit absurdum, fuit à nobis in superioribus explanatum. Addamus non videri omnino verum hæmorrhagiam postulare sectionem venæ distantissimæ: hoc enim præceptum intelligendum est non simpliciter, sed iis adhibitis distinctionibus, quas capite sequenti, ac aliis deinceps docebimus. Propterea sanguine fluente ex naribus, venæ cubiti secandæ sunt, non poplitis, aut malleoli: quoniam illæ multo proximius respiciunt originem fluxionis sanguinis, videlicet multitudinem in caua vena consistentem. Audiat ille Galenum suam hæresim pulchre arguentem. Eandem ob causam (inquit libro quinto Methodi medendi) cum è naribus sanguis erumpit, id retinent maxime in præcordiis affixæ cucurbitæ. Infigendæ autem sunt, si ex dextra nare profluit, super iecinore: si ex sinistra super liene: si ab vtraque nare, super vtroque sunt imponendæ viscere; Quod si resolutus adhuc æger non sit, etiam vena ex eo cubito incidenda est, quæ profluxioni è directo respondet, vbi paulum detraxeris, mox vnam horam intermittens rursus detrahes, post iterum atq; iterum pro laborantis viribus.] hæc ille, quæ clare docent fluente sanguine ex naribus, venas in cubito, non in partibus distantissimis fore incidendas.

Confir-

CAP. XIIII.

Confirmatio opinionis nostræ ex variis Galeni & antiquorum authoritatibus, ostenditurq; in principio inflammationum ad distantes partes reuellendum.

SED ne hæc aliquam difficultatem habeant, apud eos præsertim, qui Galeni doctrinam sequuntur, præstat, quæ diximus illius verbis, & aliorum authorum confirmare. Is igitur habet lib. 4. Method. At si perpetuum est, quod ab eo didicimus, incipientem fluxionem ad contraria trahendam esse; fixam vero iam in laborante particula vacuandam esse, vel ab ipsa particula, quæ affligitur, vel à maxime vicina in promptu nobis, & de sanguinis detractione colligere nunc est, quod in principio hæc è longinquo, postea ab ipsis exulceratis partibus sit emolienda.] Hic locus maxime subuertit Brisotti & Curtii dogma, quo illi conficere studuerunt, in principio inflammationum vacuandum esse à proximis partibus: at vero Galenus contrarium inquit, nempe à principio vacuandum à longinquis partibus, postea à proximis. Alter locus est satis dilucidus, libro 2. de natura humana, in quo sic ait Hippocrates, vel quisquis illius libri sit author: Oportet autem (inquit) operam dare, vt quam longissime ab his locis sectiones fiant, in quibus dolores fieri consueuerunt.] Hæc sententia adeo clara est, vt nullum relinquat aduersariis subterfugium. Nam supra manifestum fecimus, hunc locum non esse intelligendum de præseruatione duntaxat, sed de ipsa etiam curatione: licet Galenus in eius loci commentario videatur reprehendere authorem libri, quod minime definierit, num dolentibus iam partibus censeat, esse procul reuellendos humores, vel potius sanitatis tempore, atque suam declarans sententiam, dicat: Et mihi quidem videtur, quod in his, qui prospera vtantur valetudine, dictum sit: quippe quod voluerit author assuefacere, humores redundantes in alias ferri partes.] Nam, quæ alibi scribit, præceptum in curatione veritatem habere demonstrant: quemadmodum cum in decimotertio libro Methodi medendi docet rationem curandi inflammationem, sic enim inquit: Sed ad partes, quæ maxime longinquæ sunt, semper reuulsionem facies, æstimata scilicet tum phlegmones magnitudine, tum corporis totius statu.] Hic certe tergiuersari non possunt, Galenum non fuisse locutum de principio inflammationis; non autem de sanis corporibus, anteaquam ægrotarent. Rursus non minorem habent efficaciam, quæ subsequuntur verba in cap. 11. eiusdem libri conscripta. Ergo pariter, tum reuellendus, tum educendus, qui ad iecur fluit, sanguis est, interna in dextro cubito in secta vena, propterea quod & è regione, & ampla via cum vena, quæ caua dicitur, societatem habet, & nonnullis interpositis verbis ait: Si quidem longissime à parte, quæ fluxione tentari incipiat, quod redundat reuellere, nequaquam ad eam trahere conuenit. Quis hic dicet, sermonem non esse institutum de iis, qui actu phlegmonem pati iam incipiunt? in his certe, quam longissime ab affecta particula humores trahendos, admonuit. Hactenus, quid secundum Galeni sententiam sentiendum sit, docuimus. Nunc idem ex aliorum Græcorum testimonio confirmemus. Primum omnium proponere volo Archigenem, quem semper Galenus acerrime insectatur, omnia fere illius placita redarguens. Hic igitur de pleuritidis curatione pertractans, præcepit, venam incidendam esse in cubito. Non quidem affecti, sed lateris oppositi. Illius tractationibus caremus (& magno fortassis medicinæ damno) sed Aetii Amideni opus extat, in quo huius decreti mentio fit hisce verbis, vt supra etiam citauimus ad probandam contrarietatem partium Archigenis. In iis vero, qui acuto morbo, vt diximus, infestantur, si quidem circa mammas & claniculam hæreat dolor, venam incidere oportet (vt dictum est) in brachio. Non eo, quod recta ab inflammato latere procedit, sed opposito.] hæc refert Aetius tetrabili secundo, sermone quarto, capite sexagesimooctauo. Adest præterea testimonium Arethæi Cappadocis Medici antiquissimi, qui idem confirmauit libro de curatione acutorum morborum, capite

decimo. Duos hosce authores imitatus est Cornelius Celsus libro secundo suæ medicinæ, capite nono. Ac licet me non fugiat locum ab authoritate nullius momenti existere: putauerim tamen hos habere magnam vim ad persuadendam, quam nunc inquirimus, veritatem. Quandoquidem Galenus cum fuerit acerrimus Archigenis reprehensor, & nullibi hoc illius decretum reprobauerit, signum (meo iudicio) satis est efficax, quo possit persuaderi in inflammationum principiis, indicatione sumpta ab ipsa duntaxat fluxione, semper à remotis partibus vacuationem esse moliendam, præsertim Arethæo, & Cornelio Celso consentientibus. Hic non recenseбо Arabum omnium consensum, non Latinorum testimonia fere sexcenta, quia pro multis sufficiunt, quæ diximus. Cum igitur pluribus agendum non sit, supponamus primam conditionem ad reuulsionem requisitam esse, vt humores, quo ad eius fieri potest, longissime à parte phlegmone tentata, retrahantur: dixi, quo ad eius fieri potest, quoniam vna hæc ad reuulsionem rectè obeundam non sufficit conditio, sed etiam desiderantur quam plures, de quibus posthac differemus.

Cap. XV.

In reuellendo prius aliquando mitigandum, aliquando autem non mitigandum esse dolorem. Contrariæ, quæ videbantur Galeni sententiæ, explanatæ.

AVICENNA agens de reuulsione, dixit, dolorem prius mitigandum esse, antequam ad contrarium trahamus, sic enim scribit in quarta sectione prioris libri, capite primo. Cæterum cum ad contrarium reuellere desideras, prius dolorem illius particulæ, à qua retrahis, mitiga.] In qua re videtur Hippocratem imitatus, qui in secundo de ratione vict. in morbis acutis, statim in libri initio, agens de pleuritide, principium curationis exorditur à fomentis, quibus dolor mitigatur, postea vero accedit ad venæ sectionem. Hæc tamen sententia multas habet difficultates, harum vna est, quod Galenus primo Aphorismorum, commentario vigesimotertio, contrarium dicere videtur, cum inquit: In vehementissimis doloribus nullum maius inueni præsidium, quam vsq; ad animi deliquium sanguinem mittere, adhibita tamen distinctione, an purgare, an venam incidere vsq; ad animi deliquium oportet, vt in libris de venæ sectione demonstrauimus.] est autem hoc loco, vt opinor, manifestum, reuulsionem hanc vacuatiuam fuisse institutam, nondum mitigato dolore. Præterea, quod contrarium est dolori, & causæ dolorem facienti debet statim fieri antea quam dolor sedetur. Atqui venæ sectio reuulsiua est huiusmodi: nam fluxio concitat dolorem: at reuulsio fluxionem tollit, vt prædiximus: opponitur igitur dolori vt sit à fluxione sanguinis: opponitur etiam causæ dolorem concitanti, nempe multitudini: à qua fit fluxio, cui proprie conuenit reuulsio cum euacuatione. Etenim dolorem facit copia humoris particulam distendentis, soluentisque illius continuitatem, vacuatio autem hanc copiam diminuendo ex consequenti dolorem curabit. Præterea obseruatum est, quod vbi dolor pleuritidis vrget, venæ sectionem statim dolorem sanare, aut mitigare; quod etiam in aliis doloribus ab inflammatione concitatis verum esse ipsa docet experientia. Sed quamuis propositæ difficultates vrgere plurimum videantur, nihilominus illas dilucidare conabimur, principio a quibusdam distinctionibus in hunc modum sumpto. Dolorum quidam vehementissimi sunt, à quibus maximum solet imminere periculum, ne virtus prosternatur, nisi prudens Medicus adiurrices statim manus adhibeat. Quidam vero longe sunt miriores haud minantes hoc periculum. Rursus animaduertendum, dolorum quosdam fieri à sanguinis confluxu: quosdam à flatuoso spiritu: & quosdam ab humoribus excrementitiis, vt à bile, aut pituita. Postremo curandi ratio est duplex: vna est coacta & irregularis; alia regularis est. Coactam voco, quæ instituitur magna aliqua vrgente necessitate, vt subitum certumq; deuitemus periculum: hæc ipsa curandi ra-

di ratio non est admodum tuta: quia semper aliquid mali efficit, quod tamen tolerabile est in comparatione ad maius malum imminens, si eiuscemodi curatio prætermitteretur. Regularem curationem nuncupo illam, quæ prorsus tuta est, omnique vacat periculo; vt in nostræ Methodi principio diximus. Hic obiter notari velim, licere aliquando vti præsidiis quibusdam periculosis, vbi aliam non habemus sanandi rationem, modo tamen id fiat à Medico iudicioso & prudenti, & docto. Propterea recordor aliquando scripsisse Galenum, melius esse periclitando aliquid agere, quam sinere sine remedio ægrotum mori: in horum præsidiorum numero, quæ periculosa sunt, ponitur phlebotomia vsque ad animi deliquium, potus frigidæ, balneum frigidæ in hecticis, & alia id genus multa. His itaq; in hunc modum explanatis, propositæ quæstioni satisfaciamus. Si dolor maxime vehemens non sit à sanguinis fluxione causatus, opus est in contrarium reuellere, tum iis, quæ vacuant, tum iis, quæ non vacuant, quia tunc fluxionem auertentes, doloris causam corrigimus, & propterea illum aut sanamus, aut certe mitigamus. Sic dolores oculorum venæ sectione sanamus in cubito, cucurbitulis, cum & citra scarificationem in dorso appositis extremarum partium frictionibus. At vero si dolor fuerit vehementissimus, regulari curatione, quam tutissimam esse diximus, melius est incumbere prius mitigationi doloris, quam reuulsioni, cuius rei multiplex afferri solet ratio, harũ vna est sumpta ex vniuersali regula, de qua Galenus libro septimo Methodi pertractauit: quando scilicet duo affectus coniunguntur inuicem, ita vt vnum sine alio sanari non possit, prius afferendus est ille, sine quo alius sanari non potest. In proposito nostro duo connectuntur, dolor, & fluxio: at impossibile est sanare fluxionem, nisi prius dolor fuerit mitigatus; quoniam hic proxima est fluxionis causa, & quanto vehementior est, tanto maius facit negotium fluxio. Addamus his, vacuationem sufficientem reuellendo aut non fieri, aut certe cum periculo: nam supponere oportet vehementissimum dolorem, vehementissimam fluxionem concitare; tunc si reuulsione vti vis, aut vacuabis parum, aut multum: si parum, non erit sufficiens pro tractione fluxionis in contrarium: imo illo motu fortasse magis agitabitur materia, fietque tum calidior, tum tenuior, ac ad motum magis accommodata. At si multam vacuationem facere vis, equidem oportebit vsque ad animi deliquium ducere: quod licet aliquando fieri debeat, tamen à regulari curatione abstinendum est. Præterea, duo sunt scopi præcipui in omni vacuatione obseruandi: vnus est affectus, cui medemur, alius est virtus; si affectus multam postulat vacuationem, & vires fuerint validæ, vtique nihil esse poterit impedimento, quin statim exequamur, quod morbus faciundum esse indicauit. Vbi vero discordant hæc duo, illi magis incumbendum est, & prius qui magis vrget, alio interim, quo ad eius fieri poterit, minime neglecto. Vbi dolor vehementissimus est, maximam postulat vacuationem; at vires imbecillæ eam impediunt. Statuamus inter omnes causas nullam esse, quæ magis virtutem reddat imbecillam, quam dolor; qui eo magis lædet virtutem, quo fuerit maior; præsertim, si dolor notabili aliquopiam tempore sit duraturus. In hoc igitur contrariarum indicationum complexu, virtuti operam dare debemus, mitigando prius sæuitiam doloris, vt illa possit de cætero vsque ad curationis finem perdurare: mitigato dolore, tunc postea ad causam remouendam erit accedendum. Non ab re autem dictum à nobis fuit, incumbendum mitigationi doloris: quia aliud est dolorem sanare; aliud mitigare illius sæuitiam. Illud enim fieri non potest, nisi vacuatio præcedat causam doloris auferens affatu digna. At hoc contingit etiam sine aliqua sensibili vacuatione; duplici autem ratione possumus mitigare dolores: vna, quæ optima est, & tutissima, nullo tempore non exequenda: remediis inquam vere anodinis, quæ persistente causa dolorem vere leniunt, & mitigant, quæ proprie paregorica dici debent. Ea autem vel temperata existunt, corporiq; nostro consimilia vel ordine primo calida, tenuiumq; substantiarum, quæ nimirum doloris causam æquabilem reddunt, temperant, demulcent, corporisq; substantiam fouent. Alia

ratio fit iis, quæ ſenſum ſtupefaciunt, ex accidenti dolorem mitigantibus. Hanc euitare vtplurimum debemus, & ſi quando neceſſitas coget, id faciundum cum magna præmeditatione: Nos hic de doloris mitigatione agentes, priorem leniendi rationem intelligimus, non poſteriorem, ad quam nunquam regulari curatione accedere debemus. Sic quidem agendum, quando fuerit concitatus dolor ex fluxione ſanguinis. At vero quando contrariæ indicationes ſeſe offerunt, vt puta, ſi fuerit dolor aut à flatuoſo ſpiritu, aut à vitrea pituita, aut ab iis, quæ à natura ſanguinis plurimum diſtantia, venæ ſectionem non poſtulant: adſit autem complicatio affectus exigentis phlebotomiam, vt ſynochus, aut inflammatio: tunc mitigare prius illum oportebit dolorem, vel etiam ſi fieri poſſet, ex toto debebit remoueri, anteaquam ad phlebotomiam accedamus: remoratur enim conuenientem illius vſus affectus contrarius. Sed prudentis Medici eſt, atque iudicioſi contemplari, quænam magis vigeant indicationes, vt poſſit recte mederi. Dixi, quid in hac re ſentirem. Ex quibus ſatis aperte eluceſcit, quomodo Galenum interpretari debeamus, admonentem in vehementiſſimis doloribus vſque ad animi deliquium vacuandum. Et quomodo Auicenna dolorem prius fore mitigandum ſcripſerit, quam reuellendum, rationibus vero in oppoſitum reſponſio ex ſupradictis patet. Quod vero de pleuritide dicebamus, in qua Hippocrates prius fomentis vtitur, quam phlebotomia qua ratione debeat interpretari, ſupra ſatis euidenter demonſtrauimus.

Cap. XVI.

An in reuulſione latitudinis oppoſitio ſit obſeruanda, an ſolius longitudinis, recentiorum opiniones propoſita.

NVNC diſcutiendum, ac diligenter examinandum venit, an in reuellendo omnes obſeruare oppoſitiones debeamus: an quaſdam. In qua re minime conueniunt authores: Curtius enim & Manardus venæ ſectionem eiuſdem lateris in pleuritide omnem fere habere oppoſitionem profitentur, propterea in reuulſione omnes obſeruari debere ex illorum ſententia quis facile coniiciet. Dum enim (inquiunt) inciditur vena eiuſdem partis, primum adeſt oppoſitio intus, extra, quatenus extra mittitur ſanguis: adeſt ſecundo oppoſitio à dextris ad ſiniſtras pro vario ſitu brachii. Ruſus adeſſe videtur oppoſitio in longitudinem, quatenus humor ſurſum trahitur, qui deorſum vergebat. Præſtat illorum in medium afferre verba dilucidioris doctrinæ gratia. Manardus in duodecimo libro epiſtolarum medicinalium, epiſtola quinta ſic ſcribit: Nos enim dicimus ſectionem venæ interioris cubiti eiuſdem lateris in pleuritide à reuulſionis ratione nequaquam cadere, cum ab interioribus ad exteriora ſanguinem euocet, quem reuulſionis modum Galenus ipſe in proprio de reuulſione commentario apertiſſime docuit. Et libro quinto curatiuæ Methodi eam etiam, quæ ab interioribus fit ad exteriora vacuationem cum his enumerans, quę ex ſuperioribus ad inferiora, à dextris ad ſiniſtra, vel è contrario fiant, æque cum illis ſtatuit reuulſiuam.] & parum poſtea. Coſtæ enim lateris ſiniſtri brachio eiuſdem lateris comparatæ ad dextram partē vergunt.] Rurſus in libro decimoquarto, epiſtola ad Andream Turinum, apertiſſime docuit, venæ ſectionem lateris eiuſdem affecti pleuritide tres habere oppoſitiones: nempe dextri ad ſiniſtrum, ſuperioris ad inferius, intus ad extra, in hunc enim modum inquit: Sed etſi quis bene conſideret, videbit eam quoq; à ſuperioribus trahere ad inferiora, vel è contrario: flexura quippe cubiti (vbi iecoraria vena communiter aperitur) inferior eſt ſubcingente membrana, ſi manum ad genu declines, vel ſuperius, ſi manum ſupra caput eleues: vel totum brachium quantum vales, intendas, vt in ſectione venæ fit: quod Celſum ſequutus brachium ſupra coſtam eſſe affirmauit. Et à dextris quoque ad ſiniſtra, aut è contrario trahit, quemadmodum epiſtola ad Pharuſium demonſtrauimus. Expletur igitur vna & eadem venæ eiuſdem lateris ſectione triplex retractationis genus: ab interioribus quippe ad

pe ad exteriora: à superioribus ad inferiora, vel è contrario iuxta varios positus, & considerationes, & à dextro in sinistrum, vel à sinistro trahit ad dextrum.] hæc ille. Ex quibus colligo primum, quod qui semper venam eiusdem lateris affecti in cubito incidunt in pleuritide, admittunt à dextris ad sinistras partes, & è contra fieri debere reuulsionem. Deinde vero eiuscemodi sectionem tres complecti oppositiones. Sunt qui hanc opinionem non admittunt: Primus omnium fuit Fernelius, qui à dexrris ad sinistras partes fieri non posse reuulsiones tradidit; dextrumque cubitum non esse contrarium sinistro contendit: Mox autem Ioannes Argenterius confirmauit. Scribamus hic quid vterque dicat, quia cum vtroq; futura est disputatio non inutilis. Fernelius itaque libro secundo Methodi medendi, capite quinto in hunc modum de hoc argumento scribit: Nomine quidem contraria sunt: ante, pone, ad dextram, ad læuam, sursum, deorsum, intro, foras. Cæterum in humorũ reuulsione, ne illa quidem contraria sunt, nisi & in fibrarum venarumque recto cursu collocentur. Pleuritidi dextræ nequaquam contrarium est latus sinistrum, vt inflammato cruri dextro contrarium est sinistrum. Hic enim communis & directa venarum societas, per quam sinistrum crus incisum euocat è dextro: at è dextro latere nulla vena rectis fibris in sinistrum concedit. proinde huius secta vena dextram pleuritidem non adimit, sed noxium humorem, vel in inflammata parte linquit, vel puro sanguini permiscet, vel (quod frequentissime accidit) sinistram pleuritidem inuehit.] hæc & alia plura Fernelius, ex cuius opinione omnino tollitur è medio venæ sectio reuulsiua à dextris ad sinistras partes, & è contra in cubito facta, admittitur in cruribus; vultque reuulsionem semper fieri per fibrarum longitudinem. Quam opinionem omnium postremus confirmauit Argenterius hisce verbis in tertio commentario artis medicæ. Cæterum, quod à Galeno est traditum, & receptum de reuulsione secundum omnem oppositionem, mihi non placet. Nam secundum dextrum & sinistrum nunquam puto posse in corpore nostro fieri reuulsionem. Etenim si fluxiones, authore Galeno in arte medicinali ad suam originem reuellere oportet, nunquam inueniemus à dextris partibus mitti fluxiones in sinistrum latus: aut è contra. An putamus in pleuritide dextri lateris venæ sectionem in sinistro cubito reuellere aliquid posse ad brachium sinistrum? vel aliqua pars ei vicina, quæ humores mittit in latus dextrum? per quas quæso venas, per quos locos? Scribit item Galenus in secundo ad Glauconem, & passim alibi reuulsionem faciendam esse per communes venas: at latus sinistrum nullam habet communitatem per venas cum dextris partibus, aut si habet, non erat opus admonere obseruandam esse illam communitatem, quæ si in omnibus est, præcepto non eget. Inter crus dextrum & sinistrum communitas quædam venarum adest, vt postea ostendemus, at inter brachium dextrum & sinistrum, & thoracis partes dextras & sinistras nulla inter venas, quæ secari possunt, & mittunt humores in partes affectas, societas est. postremo Galenus semper iubet reuulsionem faciendam esse secundum rectitudinem: quod, vt postea ostendemus, excludit oppositionem, quæ est inter dextrum, & sinistrum: anterius, & posterius, intus & extra. Et solum comprehendit oppositionem, quæ est inter sursum, & deorsum, secundum eandem longitudinem corporis.] Hæc Argenterius.

CAP. XVII.

Ioannis Manardi, Curtii, & sequacium opinionis de reuulsione breuis impugnatio.

PROPOSITIS itaque aliorum in difficili hac materia opinionibus, ostendamus, quid bene, & quid non bene dictum sit. Atque primum disputemus contra Manardum, & Curtium: mox contra Ioannem Fernelium. Vltimo contra Argenterium. Primum vero in eo laudandi videntur Manardus & Curtius, quod admittant antiquorum de reuulsione decretum à sinistris ad dex-


tras partes, & econtra. Sed in eo certe culpandi sunt, quod hasce oppositiones imaginarias efficiant (quod attinet ad dextram & sinistram) magno ægrotorum damno, vt nunc demonstrabo. Quandoquidem Galenus, Oribasius, & omnes, vt summatim dicam, Græci authores, cum de istis loquuntur oppositionibus, veras oppositiones intelligunt, quæ semper sunt tales, nunquam mutabiles: non autem imaginarias atque fictitias; quas ii ad pauca respicientes introduxerunt. Dextrum enim & sinistrum ita diuidunt corpus in latitudine, vt quod dextrum est nunquam sinistrum, & quod sinistrũ nunquam dextrum esse poterit. Nunquam fiet, caput non esse superiorem partem, atque tibias non esse loco inferiori sitas. At si horum sequamur opinionem, ubi æ locum aliquando superiorem obtinebunt, inferiorem caput, vt contingit iis, qui suspenduntur capite decliui ligatis pedibus: porro quem vsum afferre potest medicinæ inanis hæc oppositio partium? Si reuellendum supra, infra, aut econtra, quis fictitiam respiciet oppositionem? vera est à capite reuulsio, si quispiam crura scarificabit: aut si cruribus inflammatis manus concalefeceris, fricuerisve, mutes modo situm, mutabitur etiam reuulsio, attollantur crura, deprimantur manus, haud amplius eam, quam dictat naturalis situs, ratioque persuadet attractionem, in contrarium faciemus, sic ex voluntate nostra, non ex situ patiis, & ex rei natura eiuscemodi actio dependebit, quod absurdissimum esse, neminem esse arbitror, qui nesciat. In hunc errorem inciderunt ii, vt suam sectam tuerentur de venæ sectione in pleuritide. Suggerit mihi cum Galeno dicere, quod qui sectæ alicui seruiunt sese addixerunt, difficillime omniũ ad veritatem reuocantur, & propterea facile mentiri solent. Sic accidit Manardo. Absurdum ille indicabat, reprobare antiquum decretum de oppositione dextri ac sinistri: admittensque reuulsionem fieri posse à dextris ad sinistras partes: dixit, dextrum cubitum sinistrum esse in relatione ad costas, quarum membrana morbo tenebatur: qua sententia nulla (meo iudicio) inueniri potest absurdior.

Cap. XVIII.

Ioannis Fernelii opinionis impugnatio.

NVNC ad Fernelium nostra conuertatur oratio. Putat non esse contraria in situ dextrum & sinistrum, nisi & in fibrarum venarumq; recto cursu collocentur, in qua re mihi satisfacere non potest. Primum, quia illa vere contraria sunt, quæ posita in eodem genere maxime distant: iam vero in ipsius situs latitudine maior, quam dextri ad sinistrum inueniri distantia non potest: hacq; de causa eius dextrum, tanquam oppositum reuellere à sinistro, Galenus commemorat secundo libro ad Glauconem; atque simpliciter pronunciauit, alibi reuulsionem fieri à dextris partibus ad sinistras, & econtra. Deinde autem haud vera est, quam ille proponit, differentia, inter crurum contrarietatem & cubitorum, siquidem vt secta vena in crure dextro euocatio fit & reuulsio è crure sinistro, sic dextri cubiti secta interiori vena fit reuulsio pleuritidis sinistras costas affligentis. Habent (inquiet fortassis) crura communem venam, quam exhaurientes impedimento sumus, ne in alio crure fiat, vel augeatur inflammatio. At habent eandem (ego inquam) communem venam cubiti; quam exhauriendo fluxionem impedimus lateris oppositi: Hocq; modo statuamus, pleuritidi dextræ contrarium esse latus sinistrum. Rem demonstratione conficiamus. Vena caua sit A. hæc deorsum descendens, duos ramos facit, quorum vnus in sinistram, alter in dextram coxam mittitur, qui in varias propagines deducti irrigant tota crura. Sit B. ramus dextræ coxæ, C. vero sinistræ. Rursus hæc eadem caua vena ascendens, in duas partes præ aliis diuiditur satis insignes, quarum vna dicitur axillaris dextra, alia axillaris sinistra; ex qua in vtroque fiunt, postea tres illæ venæ, interior, media, & exterior, quæ incidi consueuerunt. Sit igitur D. axillaris dextra, E. axillaris sinistra. Porro statuamus etiam ex vena caua propagines deduci multas nutrientes costas, præsertim vero de-

duci venam fine pari, ex qua proxime tam supernis, quam internis costis suppeditatur alimentum, vt sensata fide in anatome obseruarunt omnes, hoc præsertim anno, Angelo Visca Sauonensi Anatomico insigni demonstratore, sint vero propagines F. His in hunc modum explanatis, sic demonstremus propositum. Quemadmodum venæ sectio euacuans B. & venam cauam reuellit ab ipso C. in hunc modum sectio venæ euacuans D. & venam, reuellit ab E. & ab F. costis, inquam, inflammatione obsessis. Hæc eo pertinent, vt ostendam contra Fernelium, eandem esse ratione reuulsionis proportionem dextri cruris ad sinistrum, quæ est cubiti dextri atq; sinistri, propterea q; reuulsionem fieri posse non in longitudinem solum, sed etiam in latitudinem; dextramq; pleuritidem oppositam esse cubito sinistro. Quamobrem cum propositum sit prohibere sanguinis multitudinem, ne virtutem oppressura ad male affectum locum confluat, ex opposito latere sanguinem mittere debemus: Hanc rem persuadere conabimur hoc pacto. Sit dolor in latere sinistro; aperta ibidem vena plus attrahet à dextro ad sinistrum, quam dextra incisa in sinistrum; plus enim humoris est inter circumferentiam dextram & doloris locum, & circumferentiam sinistram; vt hac figura constabit:



Sit itaq; pectus hominis A. B. C. D. Medietas pectoris H. I. Doloris pars E. vena, quam secandam præcipit Fernelius, F. vena opposita, quam pro reuulsione incidendam nos ipsi consulimus, G. Plus est humoris inter G. & E. quam inter E. & F. Ergo incisa vena F. minus aufert sanguinis, & ad locum affectum plus attrahet. Incisa vena G. plus aufert, & à parte læsa magis reuellet. Postremo certissimum est, si cubitus dexter inflammetur, aut humerus venam sectam in opposito cubito reuulsionem facere, vt supra ex Cornelio Celso demonstrauimus, reiq; natura faciendum postulat; cur itaq; dextræ pleuritidis non reuellemus fluxionem incisa vena in cubito sinistro? quæ maior vnius quam alterius ratio erit discriminis? hæc pauca contra Fernelium volui disputasse.

Cap. XIX.

Rationibus Ioannis Argenterii respondetur.

CÆTERVM quod attinet ad Argenterium, licet hæc eadem illius opinionem arguant, & quæ superioribus capitibus diximus de fluxionis origine: Hic tamen particulariter satisfaciamus rationibus illius. Cum igitur quærit, per quam viam, per quos locos fieri possit reuulsio à dextris ad sinistras: Respondeo, venas cubiti proxime axillarem inanire, hanc vero sanguinem ducere

ex vena caua: dumq; id fit attis beneficio, qui ex caua vena profluebat ſanguis, vberius ad propagines coſtas nutrientes, aut amplius non confluet, aut certe minote impetu, in hunc modum reuellitur ſanguis effluens ad inflammatam particnlam; hæcque via ſatis eſt accommodata ad hunc affectum propulſandum, & locus iduneus eſt; quem ille alibi fruſtra quærit. Vtrumq; vacuationis genus fieri debere per venas communes, tum Galenus docuit, tum etiam nos vltro admittimus, & infra diligenter docebimus, quomodo eiuſcemodi communitatem debeamus interpretari. Admiror interim plurimum, quod non cognouerit communitatem venatum vtriuſq; cubiti cum vtraq; axillari, & cum vena caua, à qua proxime irruit ſanguis in membranam ſubcingentem coſtas. nam ſenſata adeo communitas eſt, vt ſenſibilior inueniri non poſſit. Rectitudinem vero obſeruari etiam in latitudinis oppoſitione, ea manifeſtum facient, quæ docebimus in tractatione de κατ' ἴξιν, id eſt, rectitudine. Itaque, vt ſummatim contraham, quæ longioribus diſputata ſunt hactenus: in humano corpore oppoſitiones ſunt quatuor, harum duæ potiſſimum inſeruiunt deriuationi vt intus, extra, ante, retro. Duæ vero propriæ ſunt reuulſionis: ſupra, infra, & è contra à dextris ad ſiniſtras. Atque ita oppoſitio in reuulſione obſeruanda vnam duntaxat contrarietatem, non duas, aut tres habere debet, ſiue fuerit ſecundum longitudinem corporis extenſa: ſiue ſecundum latitudinem.

Cap. XX.

Reuulſionem fieri debere per venas communes, & quid venarum communium nomine intelligendum, ex authoris ſententia.

INTER conditiones reuulſionis illa etiam ſolet recenſeri, quod fiat per venas communes, de qua Galenus libro ſecundo ad Glauconem ita ſcribit: At à poſitu indicatio, neque ipſa negligenda eſt, nam per quæ vacuare oportet, atque quomodo, ipſa præcipue demonſtrat. Fluentium igitur adhuc humorum antiſpaſis, id eſt, retractio; ſic enim Hippocrates nominat; eorum autem, qui iam membrum obſederunt, paroceuteſis, id eſt, deriuatio, medela eſt. Vtrumque autem vacuationis genus per venas communes fieri præcipit. Veluti in locis muliebribus retrahes, ſi eas, quæ in cubito ſunt, ſecueris venas, aut iuxta mammas cucurbitulas appoſueris; vel manus concalefeceris, atque alligaueris. Deriuabis autem ſi eas, quæ in poplitibus aut talis ſunt, venas diuiſeris, & cucurbitulas coxis applicaueris, & crura calefeceris, ac perfricueris, atque illigaueris.] Hæc ille de venarum communitate in reuulſione obſeruanda ſcribit. In quibus contemplatione dignum videtur mihi, quid per venas communes intelligere debeamus. Dicunt quidam in reuulſione venas illas eligendas eſſe, quę ſint communes tum partibus demandantibus, tum recipientibus. Cum illis labere communionem debent, vt ex illis vacuantes, fluxionis originem amputemus. Cum his vero, vt ex loco inflammatione obſeſſo ſanguinem iam confluxum deducamus: ita vt omnis venarum communitas duo efficiat neceſſario, vnum eſt vacuare partem inflammatione obſeſſam, aliud vero, fluentem humorem ſimul intercipere: atque in hunc modum venarum communionem obſeruari debere putant. Sed rem habere contrario modo, Galeni verba docent, ipſaq; admonet experientia rationi coniuncta. Galenus quidem docens qua ratione per venas communes fieri debeat vtrumq; vacuationis genus, dixit reuulſionem fieri ab vtero ſectione venarum cubiti, manuum calefactione, frictione, & alligatione. At venæ cubiti non ſunt communes vtero, ita, vt ex illius cauitate quicquam vacuare poſſint: multo minus manuum calefactio, frictio, & alligatio. Eo enim ſpectant, vt deſcendentem ſanguinem in locis muliebribus inflammationem facturum, ſurſum reuocent, impediantque fluxionem. Quemadmodum etiam affixa cucurbitula ſub mammis, eandem retrahit. Deinde vero, eodem modo in reuulſione, quo in deriuatione venarum eſt obſeruanda communitas; quia vtrumq; vacuationis genus per venas fit communes. At, quæ

deriuatio-

deriuationis causa inciduntur venæ, nullam habent cum propellentibus partibus affinitatem, neq; ab illis humorum vacuare multitudinem possunt: Quam enim talorum, aut poplitum venæ vtero inflammatione obsesso, societatem habere dixeris cum partibus fluxionem concitantibus? quomodo illas vacuabunt? num quæ secantur venæ sub lingua proxime demandantes respicient particulas? Aliud est igitur venarum communium nomine intelligendum: quod quale sit, nunc breuiter docere aggredior. Venarum communio idem est, quod consensus: qui esse debet inter locum affectum, & particulam in qua vena inciditur: nisi enim hæc societatem habeat cum affecta particula, nunquam venæ sectio aut reuellet, aut vacuabit, aut deriuabit: Nam affectus locus indicat, per quam viam iustituere vacuationem debeamus, si enim incipiat fluxione tentari, aut si vereamur ne tentetur, indicatio insurgit reuellendi, prohibendo, ne fluxio sanguinis recipiatur in affectam particulam, quæ res fit eligendo venam in situ contrario, & quo ad eius fieri potest, maxime distanti. At si fluxio non modo iam inceperit, sed etiam humores pro maiori parte, aut omnino confluxerunt, tunc deriuandi scopus emergit; qui fit vacuando per eam viam, per quam tendat natura, eligendoq; venam proximam: ex qua citissime fluxos humores possumus deriuare. Exemplo rem illustremus. Supponamus vterum locum affectum esse: in hoc fluere sanguinem facturum inflammationem, fluxionem vero potissimum fieri per venam à superioribus partibus, vt fere fit, ratioq; ipsa persuadet; vena erit pro reuulsione incidenda in cubito, quia hæc communicat cum vtero, non quod ab vtero vacuandi habeat potestatem, (hoc enim est impossibile) sed, quod arcere potest fluxionem ad vterum, vena enim caua, ex qua fluxio habet originem, ad vterum pertinet, cubiti venæ illam vacuantes, fluxionem impediunt. Sed si sanguis iam fluxerit, vtrique vacuabimus vterum sanguine plenum secta vena in poplite, aut in malleolis; quæ communicat cum vtero ex quo plenitudinem vacuat. Præstat Galeni verbis docere, quæ hic de venarum communitate diximus: nam sic habet in libro de rigore: Vnde quum cognouisset tremoris causam esse sanguinis copiam, causæ vero occasionem vteri affectum, deinde indicaret quidem copia vacuationem, affecta vero pars locum per quem euacuare oporteret, ambobus his coniunctis de malleolo venæ sectionem fecit, & venæ quidem sectionem, quia sanguinem euacuare volebat, de malleolo vero, quia vterus affectus erat; quod quidem igitur sanguine abundante venam secare oporter, omnibus manifestum esse arbitror, sanguis enim in venis continetur, quod vero vtero affecto circa malleolum, aut poplitem secare oporteat, nisi prius ex corpora secandi arte docuero venarum communionem, ratione assequi haud poretis, alia enim vena cum alia corporis parte communionem habet, & per communes semper euacuationes facere oporter. Nam si venas nihil cum affecta parte commune habentes incideris, neq; affectam partem sanabis & sanam semper lædes. Necessarium igitur esse semper apparet: vt qui probe curare velit, causam noscat, ob quam fit affectus.] hæc ille. Ex quibus colligo duo: vnum semper in omni vacuatione sanguinis, quæcunq; ea sit, venas communes eligendas esse. Aliud quod venæ malleoli incidendæ sunt, quando sanguinem ex vtero vacuare, atq; deriuare fuerit institutum. His addamus ex eodem Galeno libro secundo de ratione curandi ad Glauconem, venas cubiti reuellere fluxionem ab vtero. Quamobrem aliæ sunt incidendæ venæ, cum reuellere studemus: aliæ vero cum deriuare: vena pro reuulsione non euacuat fluxione tentatam particulam, sed ab ea longius trahit: at ratione deriuationis incisa, pro vacuatione partis excogitata est. Vtraq; tamen vacuandi ratio instituitur, vt prædiximus, per venas communes.

Qui hæc non animaduertunt, passim in quamplures incidunt errores.

CAP. XXI.

De venarum communitate aliorum opinionis impugnatio.

CÆTERVM quidam recentiores de hoc negotio dixerunt, communitatem venarum in omnibus partibus, quæ secantur cum difficultate animo concipi posse: quam enim (interrogant illi) communitatem venarum lien habere potest cum venis extremis digitorum sinistræ manus? Si quidem venæ lienis in hepar terminantur, quod in dextra parte situm est. Quapropter venæ lienis potius cum venis brachii dextri, quam sinistri communitatem habent. Pes præterea cum manu, Curtio authore, nullam venarum communitatem habet. Sed proprie, & vere illæ dicentur partes communicare per venas, quæ eas habent ab eadem proxima concauitate, & trunco venarum deductas. Sic enim definit in libro de venæ sectione, cum ait: Optima fiet vacuatio per venas diductas ab iis, quæ in partibus ipsis sunt sitæ. Igitur cum pars, quæ afficitur & alia cui remedia adhibentur, venas habeant à cõmuni trunco proxime diductas, illę inter se venarum communitatem habere dicuntur. Addunt postremo loco, duplicem venarum communitatem reperiri, quarum vna est euidentissima per proximas venarum diuisiones, alia magis occulta per coniunctionem orificiorum & cauitates musculorum, aliosq; meatus inconspicuos: non semper in reuulsione, quæ fit venæ sectione attendendam esse communitatem sensibilem per venas: sed aliquando hanc, & aliquando aliam, obseruari debere præcipiunt. Hæc summatim illi; quæ mihi tribus potissimum de causis displicent. Harum prima est, quod putem, omnem reuulsionem venæ sectione institutam semper habere conspicuam communitatem, consensionemque venarum cum particula affecta. Etenim siue incidamus venas inferiores, vt malleolorum & tali: siue superiores, vt cubitorum, adeo apparet euidens consensus, vt euidentior inueniri non possit. Capite (gratia exempli sit dictum) fluxione tentato à sanguine ad supernas partes ascendente, vt in apoplexia cõtingere nonnunquam scribit Galenus, quis non videt sectiones venarum poplitis ex caua vena sursum ascendentem sanguinem ad infernas partes reuellere. Si pedes fluxione tententur per venas, quis non cognoscit conspicuam communionem ex venis cubiti cum caua; ex qua proxime sursum descendens reuellitur sanguis. Neque nos conturbet sectio cephalicæ, quæ non videatur habere manifestum consensum cum cerebro: Nam, vt prætermittam, quod aliqui dixerunt illam propaginem esse venarum iugularium externarum, quibus ego non adhæreo, aperta satis apparet communio, cum ex axillari deducta sit, ideo illam primum exonerando, mox vero iugulares, tum externas, tum internas euacuando, & cauam exinanirando venam, prohibetur sanguinis cursus ad capitis partes internas, atque externas. Quod vero attinet ad venam, quæ in manu secatur affecto liene, quæ nostra sententia sit, declaratum fuit in epistolis medicinalibus, & infra etiam loco suo dilucidabimus. Interim vero admonere obiter volo, venas lienis in hepar desinentes, nobis manifestam fidem facere, ex dextris partibus ad sinistras, & è contra fluxiones mitti posse, quod tamen illi, vt in superioribus diximus, obstinate denegarunt. Displicent secundo in iis, quæ de communitate vera ipsarum venarum scripserunt. Etenim non consistit in eo venarum communitas, quod à communi quodam trunco proficiscuntur. sed quod habeant consensum, & communionem cum affecta parte, in qua sitæ esse debent, vt ex illa vel reuellendo, vel deriuando vacuare humores liceat; vti sunt venæ mammarum, quæ in illis sitæ sunt, ac etiam in vtero terminantur; hincq; inuicem vterus mammis, & mammæ vtero cõmunicant. Nec locus Galeni in libro de venæ sectione fauet illis; quin potius aduersari videtur. Nam cum dicit: In ipsis partibus sunt sitæ,] intelligere oportet in partibus affectis, vt Galenus lib. de tremore significauit; Quoniam vero ita constitutũ est humanum corpus, vt non liceat semper secare venas, quæ immediate pertingant affectum locum; hinc nos ipsi cogimur eas incidere venas, quæ vel sitæ sunt immediate in affecto loco, vel

quæ

quæ mediantibus aliis venis, à quibus propagantur, affectam partem vacuent, vel ab illa retrahendo reuellant, vt ſupra diximus. Tertio non ſatisfaciunt in communione venarum per ipſarum orificia, capacitates muſculorum, & meatus inconſpicuos: non quod hanc ego non admittam comunionem, præſertim quidem neceſſariam in aliis præſidiis reuellentibus, vt in purgatione, & in cauteriis: ſed quia cum Galenus de venarum communitate pertractat, ſemper de venæ ſectione loquitur: quæ nunquam fit, niſi vt ſanguis reuellatur vacuando, vel vt ſimpliciter vacuetur, vel deriuetur, quæ res per meatus inconſpicuos fieri non poteſt, aut certe cum magna difficultate. Tandem, vt breuiter colligam quæ dicta ſunt, vbi venæ ſectio reuulſiua propoſita eſt, ſemper eam venam eligere debemus, quæ ita conſentiat cum affecta parte, vt ab illa reuellere fluxionem valeamus, quod fieri non poteſt, niſi illa ſit ſita in affecto loco, aut niſi incidamus, quæ aliarum interuentu ſitum in loco reſpiciat. Laurentius Ioubertus prima decade, paradoxo nono, de communitate venarum, ita ſcribit: At nos Galeni ingenio magis dignam interpretationem adferentes, venas communes dici aſſerimus, quæ ſanguinem continent nondum alicui particulæ nutriendæ determinatum, ſed omnibus, aut pluribus certe communem. Tales ſunt in brachio cephalica, baſilica, media. His opponuntur propriæ, & particulares, quæ vni tantum particulæ inſeruiunt, vt vena frontis, temporum, linguæ, & ſimiles: illæ vniuerſo corpori vacuando conueniunt, hæ vero à ſolo membro, cui inſeruiunt, euacuant.] hæc ille. Quem non eſſe aſſequutum Galeni mentem, ea manifeſtum faciunt, quæ prædiximus. Nam ſi vtrumq; vacuationis genus fit per venas communes, deriuationem oportet etiam fieri per eaſdem: atqui deriuatio fit per venas peculiares & proprias loco affecto, vt in faucium inflammatione, cum ſecamus venas peculiares & proprias loco affecto, vt in faucium inflammatione, cum ſecamus venas ſub lingua, in dolore capitis, venam frontis, in vteri affectu, venam poplitis: conſtat enim haſce venas proximas eſſe, tamen à Galeno nuncupari communes conſtat libro ſecundo ad Glauconem. Hæc de venarum communitate ſufficiat dixiſſe.

CAP. XXII.

Aliquando venam magnam, aliquando paruam in reuulſione ſecandam eſſe.

EORVM, quæ de communibus venis dicta ſunt à nobis occaſione, doceamus, in reuellendo magnas, an paruas incidere venas oporteat; Quæ res dilucida fiet, ſi naturam morborum indicantium reuulſionem cognouerimus. Aut enim acuti ſunt morbi, quales ſunt inflammationes, in quibus fluxio valenter irruit, aut diuturni, in quibus fluxiones validæ non ſunt. In omnibus propemodum acutis morbis tundere magnam venam oportet: expedit enim tum ſubito, tum multum vacuare: ſubito quia morbus eſt magnus, velocemq́ue motum habet, in quo tardare malum eſt: multum vero quia ſanguinis adeſt copia, ex magnæ venæ ſectione vtrumque contingit; Neque ſolum hoc faciundum, ſed etiam præterea ſatis magna fieri debet inciſio: in aliis vero non erit ab re minores venas incidere: cum enim diuturna ſit fluxio, fieri non poteſt, illam vnica venæ ſectione intercipi poſſe: cumq́ue multæ ſint neceſſariæ, vt paulatim aſſueſcat ſanguis ad diuerſum retrahi, ne ſpirituum diſſolutione vires nimium diſſoluantur, paruas incidemus venas: ſunt qui mariſcis fluentibus, lento quodam motu pro reuulſione incidunt venas in manu quater, aut quinquies, ſatis felici, vt illi profitentur, ſucceſſu. Fernelius vir apprime doctus, atque in artis operibus maxime exercitatus, hæc ſcribit libro ſecundo Methodi medendi. Capitis ex plenitudine affectus, tum interiores, tum externos, ſiue etiam nunc initium faciant, ſiue magnitudinem ſummam impleuerint reuellit ſecta cubiti humeraria, dextros quidem dextra, ſiniſtros vero ſiniſtra. At ſi ſegnius, & ignauius, id agendum erit, vti cum anteuertere, ac futuros

præcauere consilium est: secabitur, quæ directo inter pollicem indicemq́; manus contendit, nisi fortasse aliunde, quam ex humeraria ducat originem.] & parum supra, eodem capite sic scripserat: Ex partibus, quæ supra clauiculas sunt, perspicue reuellit, & vacuat incisa vena humeraria: celerius validiusq́; in cubito, tardius vero, & segnius in eo manus ramo, qui inter pollicem & indicem excurrit. Ex his vero, quæ inter clauiculas & tenes positæ sunt, reuellit secta interior, celerius, & maiore vi in cubito, tardius vero & segnius in manus ramo, qui inter annularem & minimum digitum porrigitur.] Ex his colligo, haud semper verum esse, quod proponit Curtius, venas incidendas esse magnas, cum reuulsioni incumbimus. Neq; etiam verum esse, fluxiones, quæ extrinsecus fiunt, postulare sectionem venarum, quæ paruæ sunt, quia nonnunquam, vbi sanguis vehementer effluat, aut ex manibus, aut ex matriscis, aut ex vtero, aut ex vulnere, magnam incidere venam conuenit.

Cap. XXIII.

Reuulsionem & deriuationem fieri debere secundum rectitudinem.

INTER conditiones ad ipsam reuulsionem requisitas, vna præcipua est, vt obseruetur rectitudo: hoc enim quotidie in ægrotantibus apparet, & Hippocrates ipse memoria prodidit. Quoniam quibuscunque secundum rectitudinem, quam Græci vocant κατ' ἴξιν, eruptio sanguinis accidit, summum id commodum laborantibus affert: quibus vero contra euenit, nihil iuuat, vt etiam interdum noceat, quod vires scilicet citra morbi leuamen deiiciat, atque exsoluat. Etenim si lien turgeat, sanguis ex dextra effluens nare, vtilitatem aliquam afferre non potest: quemadmodum inflammato iecinore, si ex sinistra nare proflueret. Sed reuulsio, quibus in directum adhibetur, euidentem vtilitatem celeriter ostendit. Quibus contra, haud etiam. Dextra igitur nare sanguis erumpens, ad dextrum hypochondrium fixa cucurbitula, clare celeriterq́; sistitur; sicut ex sinistra erumpens ad sinistrum. Porto reuulsionis causa, si venam seces indirecte quidem oppositis sanguinis eruptionibus, citissime conspicuam videbis vtilitatem, at si contra seces, nihil profueris. Sic affecto liene haud æque adiuuerit circa medium digitum sinistræ manus incisa vena, atque si internam cubiti secueris; multum enim iuuat afflictum lien sanguinis ex sinistro brachio detractio; præstat autem, non semel quantum conueniat extraxisse, sed in duos dies id partiri satius est. Inuenire tamen nequeo, quamobrem Medici lienosis sanguinem detrahere neglexerint; si quidem ego ingentem perpetuo vtilitatem prouenire conspexi, si vel libra duntaxat vna detracta foret. Quin & pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit sanguinis missio, clarissimam sæpe vtilitatem attulit: quæ vero ex latere opposito, aut omnino obscuram, aut certe post temporis interuallum. Ad hæc oculorum persæpe dolores grauissimos è directo venæ, quam humeralem nominant, sectio, intra horæ vnius spacium compescuit.

Cap. XXIIII.

Petri Brisotti, Curtii, & Ioannis Fernelii opinio de rectitudine.

HÆC, quæ ex Galeno de rectitudine dicta sunt, plena dubitationum videntur; propterea est à nobis de hac materia diligentissime tractandum, maxime, quia vsum affert in artis operibus insignem, aliorum primum opinionibus propositis. Petrus itaque Brisottus Parisiensis, vir apprime doctus, vt eius liber Apologeticus de pleuritide testatur, κατ' ἴξιν,] siue κατ' εὐθὺ,] interpretatur secundum rectitudinem partis affectæ: at vero ipsius rectitudinis nomine intelligit situm partis secundum longitudinem, vt inflammatione dextram vteri partem ob-

tem obsidente, è directo esse dicitur crus dextrum, & eiusdem regionis brachium: eodem modo sinistris inflammatis, sinistræ partes respondent; quam rem Galeni verbis in secundo ad Glauconem confirmat. Ipsa igitur, quam nos in sanguine mittendo rectitudinem obseruamus, nihil est aliud, quam partis secundum solam longitudinem consensus. Suam hanc opinionem quibusdam Galeni locis explanat. Vnus est in comment. 2. & 4. libri de ratione vict. in morbis acutis, vbi agens de pleuritide, dixit, mittendum sanguinem ex eiusdem lateris cubito, vt rectitudo obseruetur. Alter locus est in lib. de ratione curandi per venæ sectionem, cap. 15. vbi dicebat, venæ sectionem gratia reuulsionis in directe oppositis partibus citissimam vtilitatem afferre; at si contra feces, nihil profeceris. Tertius locus est in decimotertio Methodi medendi, in quo iecinoris inflammationem curat venæ sectione, adhibita in cubito dextro, reuulsionis gratia: constat autem id factum fuisse obseruata rectitudine per longitudinem partium. Causam reddit ille, ob quam feliciter succedat vacuatio. Nam venæ, in quibus continetur sanguis, fibras habent rectas, obliquas, transuersas: rectæ fibræ plurimum adiuuant vacuationem, non aliæ. Quia vero illæ sunt secundum longitudinem partis extensę. fit κατ᾽ ἴξιν penes aliud attendi non posse. quam penes longitudinem fibrarum: non penes latitudinem, cum eiuscemodi fibræ non adsint. Hanc opinionem imitati sunt quamplures, primus omnium Matthæus Curtius Papiensis, & aliquando Leonardus Fuchsius; præ cæteris vero omnibus Ioannes Fernelius, lib. 2. Methodi medendi, cap. 5. in quo in hunc modum scribit: Aperta porro vena, primum quidem pars vulneri propinqua exinanitur: hæc deinde longinquis sanguinem prolicit, cumque id rectarum fibrarum ope compleat, (illas siquidem natura trahendo, vt transuersas expellendo natura destinauit) plus sanguinis, & expeditius ab iis partibus, in quas fibræ diriguntur, quam à cæteris eripiet. Imo etiam si nihil venæ trahant, humores tamen sponte recto fibrarum cursu confluũt. Quicunque in dextris sunt, dextra consectantur, qui in sinistris, sinistra: laudaturque humorum cursus, quicunque in directum feruntur: qui vero oblique in transuersum vitio dantur, tanquam violatæ naturæ, & perturbationis indices.] hæc ille: qui etiam plura scribit, parum postea de contrarietate dextri ad sinistrum, quæ in superioribus reprobata sunt.

Cap. XXV.

Quid Altimarus contra Brisottum scribat. Atque eiusdem Brisotti defensio contra Altimarum.

VERVM hæc opinio non placet Altimaro, non placet Argenterio, non aliis quampluribus Medicis; idcirco videamus, quid ii contra communẽ hanc opinionem afferant in medium. At prius Altimari perpendamus, examinemusque sententiam. Refellit primum rationem, à fibrarum rectitudine desumptam, hisce verbis: Eam indicationem, quæ à partium positione sumitur, earumque figuratione laborantes partes, non qua similares sunt, sed qua instrumentales indicent; vt decimotertio Methodi medendi, capite septimo, ac nonnullis aliis in locis testatur Galenus, & propterea de instrumentalium partium positione verificatur rectitudo, non fibrarum in venis existentium. Nam auersionis in contrarium, quæ ab Hippocrate ἀντίσπασις dicitur, non à substantia, sed à curandi membri positu indicatio præstatur, vt idem Galenus ait decimoquarto Methodi, capite octauo. Ad hæc, cum prædicti authores nouerint fibras in venis contineri, cum non earum rectitudinem seruandam esse in venæ sectione pro diuersione, aut deriuatione statuerint, potissimum Galenus libro de curandi ratione per venæ sectionem, & libro secundo de arte curandi ad Glauconem, & reliquis in locis, in quibus Galeni verba declarat, proculdubio de insufficientia notari possent. Amplius, cum cunctis Medicis liqueat, sanguinis vacuationem secta vena, eiusque attractionem consecutione ad vacuum fieri,

nullum propterea præſtabunt vſum rectæ venarum fibræ pro eius vacuatione; (potiſſimum, cum conſueuerint, qui venam incidunt, iuxta inciſionem, partem ipſam, in qua vena ſecanda eſt, doloroſis vinculis alligare, multiſque frictionibus) interim etiam balneis aquæ calidæ, quo maior fiat attractio ad ſectam venam vti: vt propterea minime opus ſit rectis venarum fibris in hunc vſum: quinimmo neque etiam tranſuerſis: quamquam vſum præſtent venarum fibræ pro ſanguinis per vniuerſum corpus diſtributione: quo promptius ſingulæ partes nutriri valeant: ſunt enim communia totius corporis inſtrumenta, vt liquet decimoſexto de vſu partium. His rationibus Altimarus illorum ſubuertere ſententiam conatur. Quæ meo iudicio nihil prorſus concludunt, haud enim difficilis eſſet explicatio harum rationum Briſotto, ac aliis. Ad primam enim dicerent, admittendo indicationem de reuulſione ſumi à ſitu partium, quatenus inſtrumentales exiſtunt. Non autem à rectarum fibrarum diſpoſitione. Neque enim aliquis eorum dixit fibras rectas indicare vacuationem per reuulſionem, aut etiam deriuationem, ſed duntaxat iuuare vacuationem eam quæ fiebat per attractionem: cum rectæ fibræ ad eum vſum à natura ſint conſtitutæ. Aliud eſt indicare aliquid, atque adiuuare executionem rei indicatæ. Neque obſtat opinionem minus eſſe veram, quod Galenus nullibi meminerit harum fibrarum, dum ſermonem habet de eiuſcemodi vacuatione. Duplex enim afferri poteſt cauſa; vna, quod hac de re minime dubitauerit: vel alibi, vel ab aliis declaratam ſuppoſuerit. Alia eſt, quod licet maiores noſtri hoc non obſeruauerint, non tamen eſt dicendum, veram non eſſe illorum ſententiam; quandoquidem, vt inquit Poeta, non omnia poſſumus omnes, omneſque ſcientiæ, & artes per additamentum factæ ſunt, vt in Metaphyſicis prodidit Ariſtoteles. Tandem neque poſtrema hominis huius ratio aliquid valet: nam quamuis vinculis, frictionibus, & nonnunquam balneis vtamur, vt ſanguis largius, & facilius effluat, hoc tamen non prohibet, quin rectæ venarum fibræ non mediocriter adiuuent, illorum teſtimonio, eiuſcemodi vacuationem.

CAP. XXVI.

Quid Argenterius contra opinionem Briſotti dicat. Atque Briſotti contra illum defenſio.

ARGENTERIVS contra eandem opinionem pluribus rationibus inuehitur. Primum (inquit) cum omnes venæ eandem habeant compoſitionem ex filamentis rectis, tranſuerſis, & obliquis, hoc modo non referet vnam, vel aliam venam ſecare. Deinde ſanguinis fluxus, qui fit vena ſecta, nunquam fit per attractionem, ſed per expulſionem: quæ mouetur à dolore facto ob ſectionem, & vincula, quæ ſolent adhiberi parti, in qua venam aperire volumus: quibus ablatis, & ceſſante dolore, ſanguis fluere deſinit: quod non fieret, ſi per attractionem ſanguis exiret: nam attractio non requirit dolorem, imo præſente dolore ceſſat; quippe, cum illa ſola moueant attractionem, quæ ſunt amica, & familiaria, quæ vero moleſtant, ſolam expultricem excitant, aliis omnibus facultatibus ceſſantibus & cedentibus facultati expultrici, quæ quidem agere nequit, ſi attractio, retentio, & concoctio ſuũ munus exerceant. Præterea, Galenus in vulneribus partiũ ſcribit partem vulneratam contrahi ad ſanam, vt experientia etiam docet; quare venæ partis diuiſæ trahere ad ſe nequeunt quippiam, ſed quæ in parte ſana remanent integræ. Poſtremo, ex anatome oſtendere ille non poteſt communem, & directam, vt ait, venarum ſocietatem inter partes dextras ſupernas, & infimas; inter quas tamen eſt rectitudo, de qua Hippocrates & Galenus agunt. hæc ille; Qui in Fernelio, & Briſotto refellendo nimium (meo iudicio) acer videtur; propterea rationibus illius eſt reſpondendum, non alia quidem de cauſa, niſi vt in hoc maxime arduo negotio, detur nobis aditus ad inueniendam veritatem. Ad primam rationem dico, multum referre, quam quis venam incidat; quia non vna duntaxat rectarum fibrarum diſpoſitio facit

tio facit rectitudinem; verum alia etiam sunt obseruanda; tum quod fit è directo partis secundum longitudinem; tum quod vena incidenda habeat societatem cum euacuanda particula; quibus additur postea fibrarum rectarum dispositio; cum igitur ex Fernelio & Brisotto sint necessariæ eiuscemodi conditiones, quam quis venam incidat, multum refert. Dum considero secundam rationem mulca adesse videntur mihi à veritate prorsus aliena. Primum, quod non putauerim scalpello incisa vena sanguinem educi per expulsionem; etenim aperto vase sanguis sponte fluit, haud secus quam perforato dolio vinum effluere videmus. Quid enim quæso adest in dolio hanc expulsionem faciens? Aut quæ virtus adest in vino, illud foras expellens? Deinde in eo etiam mihi plurimum displicet, quod dicat cessante dolore sanguinem ipsum omnino supprimi; nemo enim est in artis operibus vel parum exercitatus, qui aliquando non viderit sanguinem é venis effluere citra dolorem. Adde his, quod nunquam sanguinem mitteremus vsque ad animi deliquium, imo numquam vacuari posset conueniens quantitas, cum semper admodum exiguus sanguis, & minime proportionatus morbo educeretur; id ostendo. Qui fit in phlebotomia dolor, est quando phlebotomo vena inciditur: at hic dolor momentaneus est, & statim cessans facta diuisione; statim itaq; ex Argenterii sententia cessare deberet sanguinis profusio, nullo ægroti commodo, artisque opera omnino frustrata. An fortassis ligaturam causabit? neque id dici meo iudicio potest; quia exiguo tempore perdurat dolor; & aperta vena illico relaxatur. Præterea, omnem attractionem fieri ab iis, quæ familiaria sunt, & amica, ego sane admittere non possum: vt qui alias adesse attractionis causas alibi diligenter demonstraui. Postremo putauerim, vacuationem quæ fit ab arte sectione venæ primum fieri sponte aperto continente, vt dixi: mox autem per attractionem; nam profuso sanguine proximo sectioni, vena exinanita alium attrahit à proximiori parte: & hæc ab alia, & sic deinceps; quæ attractio fieri non posset sine adminiculo rectarum fibrarum. Contrahitur (inquit ille) pars vulnerata ad partem sanam, vena igitur incisa attrahere sanguinem ab eadem parte non poterit? Ego quomodo hæc valeat ratio non video: scio vulneratas partes, si quando aut nerui, aut neruosæ partes, quales musculi sunt, patiuntur, contrahi illas, atque conuelli: sed quid hoc ad sanguinis attractionem; quid ad vulnus in vena inflictum? longe præterea differunt attractio humorum, & conuulsio partium: nam attractio naturalis fit citra conuulsionem, & citra omnem motum sensibilem, vt obseruatum est in mutatione partium. Neque postremo video, qua ratione ductus, neget ille ex anatome demonstrari posse eiuscemodi consensum ex venis: cum satis appareat omnibus in anatome exercitatis; ipsæq; fibræ, quibus contextæ sunt venæ, omnibus in propatulo sint.

Cap. XXVII.

Impugnatio opinionis Brisotti, Curtii, & Fernelii, ex propria authoris sententia.

SED satis videmur tutati opinionem Fernelii; nunc restat, vt nos illius imitemur sententiam, aut nouam impugnationem proferamus. At certe non placet mihi opinio multis nominibus. Atque primum, quod ille simul cum Brisotto, Curtioque, & Argenterio putet reuulsionem semper fieri per longitudinem partium; qua in re videntur mihi penitus euertere naturam ipsius reuulsionis; quemadmodum in superioribus demonstratum fuit à nobis. Dicent fortassis cum Fernelio. Dextrum, & sinistrum contraria esse propria natura; sed non in relatione, atque respectu ad reuulsionem. Verum hoc figmentum esse ea declarant, quæ proxime ex Galeno diximus: quandoquidem Galenus aperte admodum docet, reuulsionem fieri posse à dextris ad sinistras partes, & è contra. Deinde vero quod alibi etiam docuerit rectitudinem non modo secundum longitudinem partium obseruandam esse, sed etiam secundum lati-

tudinem. Verba illius libro tertio commentariorum ad lib. Hippocratis de Fracturis, commentario decimo sic habent: Ex processione, id est, κατ' ἴξιν semper pro ex directo ponit; aliquando per longitudinem corporis, aliquando per latitudinem, quemadmodum nunc;] vidit hunc locum Argenterius, & euitare conatus est, dicens non posse ad reuulsionem referri: verum cum ille id non probet; interim vero cum Galeni extet sententia, admonens à dextris ad sinistras reuellendum esse, explanationem prætermittamus, estque eo magis prætermittenda opinio, quod Galenus libro de humoribus primo, com. 11. reuulsionem fieri secundum latitudinem dextri ad sinistrum, & econtra; atque secundum longitudinem adeo aperte scribit, adeo dilucide, vt nullum arbitrer esse amplius dubitandi locum. His adde: quod si semper per longitudinem duntaxat κατ' ἴξιν est obseruanda, cur dextro crure inflammato, ex alio crure venam incidimus Galeni authoritate moniti, qui sic habet libro secundo ad Glauconem; Vno crure inflammato, ex altero sanguinem mittes;] eadem est ratio crurum quæ manuum, igitur si obseruamus ibi rectitudinem, manifestum fit, κατ' ἴξιν haud esse considerandum ratione solius longitudinis. Respondet huic argumento Fernelius, vt supra etiam notauimus: Pleuritidi (inquit) dextræ nequaquam contrarium est latus sinistrum; vt, inflammato cruri dextro contrarium est sinistrum. Hic enim communis è directo venarum societas, per quam sinistrum crus euocat è dextro; at è dextro latere nulla vena rectis fibris in sinistrum concedit.] Sed miram narrat ille mihi diuersitatem; quasi quod vtriusq; cubiti venæ originem ab eodem trunco non habeant; qui bifurcatus contendit in brachia; de qua supra disseruimus. Rem plenius doceamus ex horum hominum fundamentis. Supponamus pleuritidem ascendentem, quæ scilicet furculam afficiat, dum ex eodem cubito sanguinem extrahunt reuulsionis, vt illi dicunt, gratia; quo modo quæso suam obseruant rectitudinem? longitudo quidem intercedit nulla inter patientem locum, & cubitum, at adest latitudo. Id manifestum facit experientia. Quandoquidem, sit inflammatio in suprema humeri parte, quis erit locus ad reuellendum accommodatus? Si dixeris eiusdem humeri cubitum; magis deriuabis, quam reuelles proximum, vicinumque secando ventrem, non contrarium; attrahesque multo magis ad affectam particulam, quam reuelles. postulat autem reuulsio, tum vt in contraria fiat, tum vt in longinquis exerceatur partibus, vt supra diximus: tum etiam in epistola ad Ioubertum declarauimus: non igitur perpetuo est verum, quod vnanimi consensu dicunt, rectitudinem semper fieri per longitudinem partium: cum aliquando etiam latitudinem respiciat. præterea, in eo etiam adesse error videtur mihi, quod nullam putent inueniri rectitudinem, nisi vbi rectæ fibræ, & venarum stamina conspiciuntur; Nam si hoc verum esset, reddere nullam rationem possent, propter quam sinistri cubiti interior vena è directo respiciat lienē, non hepar: atque etiam cur magis lienem, quam iecur vacuare perhibeatur; vt optime demonstrare videtur mihi Argenterius. Exoritur enim vena lienis à portis iecinoris, estque necessarium si secta vena sinistri cubiti sit sanguis per venas, & amplas vias a liene reuellendus, vt illum putauit reuelli Brisottus, ad iecur primum attrahi: eadem sunt nihilominus venarum stamina per longitudinem illarum venarum exporrecta. Hinc apparet, illius venæ sectionem, nisi aliud, quam fibrarum rectitudo seruetur, non magis lienem, quam iecur vacuare; eadem viget dubitatio de fluore sanguinis ex naribus. Amplius, Hippocratis est sententia in Aphorismis: quod posteriore capitis parte dolenti secta vena frontis iuuetur. Dicat hic Brisottus, an rectæ fibræ in venis adsint à posteriori capitis parte ad anteriorem extensæ? aut quomodo, cum hæc sit reuulsio (quamuis non sit vniuersalis, aut simpliciter dicta) vt illi dicunt, rectitudinem secundum partis affectæ longitudinem obseruemus. Desiderantur ambæ conditiones, tum longitudo, tum rectitudo fibrarum. Postremo, artis opera falsitatem opinionis clarissime ostendunt: nam dolenti vno ex temporibus, venæ sectio ex alio certissimam afferre solet vtilitatem. At qualis hic per longitudinem rectitudo?

ctitudo? & quæ ibi recte communicantur fibræ? Ego hisce motus rationibus, admittere non possum hanc secundum longitudinem & rectarum fibrarum consensum rectitudinem.

Cap. XXVIII.

Opinio Ioannis Argenterii de rectitudine examinatur.

REPROBATA horum opinione, videamus quid alii sentiant, præsertim Argenterius, qui omnium postremus de hac materia satis diligenter, & accurate pertractauit. Hic igitur cum antiqua opinione partim conuenit, partim dissentit; conuenit, quod secundum Galeni decreta putauerit κατ' ἴξιν semper esse intelligendam per longitudinem. Discrepat autem, quod non omnem reuulsionem per rectitudinem fieri contendat: cum quædam sint reuulsiones rectitudine carentes: vt puta ab vno crure ad alterum, à posteriori capitis parte ad anteriorem, à dextra ad læuam. Porro conuenire inuicem omnem reuulsionem asseuerat in hoc vno, quod oporteat inter affectam particulam, & aliam in qua exerceetur reuulsio communicationem adesse aliquam aut conspicuam, aut occultam, conspicua societas est, cum per venas contingit deductas ab iis, quæ in partibus ipsis existunt: quæ igitur à communi trunco deductas venas habent, euidentem sortita sunt communionem. Occultam vero esse dicit, quæ fit per venarum orificia, per cauitates musculorum, per cæcos meatus, & ductus pernios. Neq; oportere tradit omnem reuulsionem per communes exerceri venas: hæc summatim ille in tertio commentario artis medicinalis. Hic autem multa sunt, quæ contra hunc hominem faciunt. Primum, omnia quibus Brissoti, & Fernelii opinio de rectitudine secundum longitudinem refellitur, hæc eadem Argenterium arguunt. Deinde vero, nouum est, atq; vt ego arbitror, minime cohærens decretum, reuulsionem ex necessitate nō postulare rectitudinem: nusquam enim ostendet ille huius decreti in Galeni doctrina veritatem; vt puta qui semper obseruandam esse rectitudinem tum in reuellendo, tum euacuando satis aperte docuerit, vt parum postea declarabimus. Postremo in eo etiam displicet mihi, quod putauerit fluxiones nunquam fieri à dextris partibus ad sinistras, & econtra. Nam si verum est ad imbecillam aliquampiam particulam omnes partes sua transmittere posse excrementa, cur negabimus fieri fluxiones posse à dextris ad læuas, & ab his ad illas, vt supra diximus? Quibus addo, si ab inferioribus partibus ad superiores humorum fluxiones fieri omnium consensu confirmatum est, cur negabitur fluxio à sinistris ad dextras? quasi quod humores maiori difficultate moueantur ad latera, quam ascendant ad superiores partes; etenim humorum ascensus multo difficilior, quam motus ad latera. Amplius, si totius corporis habitus internatum passionum est author: quibus Cor viscerum omnium præstantissimum male habere conspicitur, cur dextra pars corporis, aut multitudine onerata, aut mala qualitate stimulata, non poterit sua deponere excrementa in cordis substantiam, aut per venas, aut meatus, siue conspicui sint, siue inconspicui? Quod vero de ipsa venarum communione affert in medium, suo loco examinatum fuit.

Cap. XXIX.

Dubitationum quorundam propositio, quodq; rectitudo est duplex.

RELINQVITVR modo, vt, quia nobis aliorum opiniones non placent, tandem exponamus, quid pro ipsa veritate sit sentiendum, quam rem vt commodius, & dilucidius exequamur, prius nonnullas afferre volo in medium dubitationes maximi (vt ego censeo) momenti in hac materia: mox autem docebo quid sentiam. Harum igitur dubitationum vna est, quomodo inuicem cohærere possint hæc duo: vacuationem instituere secundum rectitudi-

nem: & reuellere in directum. Etenim in directum vacuare dicimur, cum naturæ mouentis impetum, atque propenſionem inſequimur, per eam ducentes regionem, per quam tentat natura, vt Galeni verba oſtendunt libro ſecundo de ratione victus in morbis acutis, commentario decimo, quem locum ſupra ſumus diligenter interpretati. At vero vbi volumus reuellere, attractionem facimus in contrarium. Vide quæſo, quam bene conueniant hæc duo, mouere contrario quodam motu, quam moueat humoris natura, & mouere ſecundum naturæ inclinationem, propenſionemq́; ? Haud videntur hæc inuicem conſpirare poſſe; atque hic certe nodus eſt fere inextricabilis, iis præſertim, qui hoc negotium nulla adhibita diſtinctione ſunt proſequuti: Altera difficultas eſt, quod ſi vacuatio facta per directum, ex iis venis quæ in parte affecta ſunt, vt Galenus ait, fieri debet; qua ratione admittit ex eiſdem venis poſſe nos reuellere; etenim non ſecantur venæ eiuſdem affecti loci, niſi tunc, cum vacuare humorem in phlegmone contentum conſilium fuerit. Ergo ſi huius vacuatio eſt ſecundum rectitudinem, per eaſdem fieri non poterit reuulſio; vtpote quæ non proponat ſibi exinanire partem phlegmone obſeſſam; ſed ab ea, quoad eius fieri poteſt, longiſſime reuellere, cum reſpiciat humorem fluentem, aut fluxurum. Itaq; vt reuulſio non eſt idem quod deriuatio, ſic diuerſis morborum temporibus atq; etiam ex diuerſis venis fieri debent. Hæ ſunt maximæ, quarum explanationem aſſequi non poſſunt, qui nulla diſtinctione adhibita de ipſa rectitudine ſermonem inſtituunt. Nos igitur experiamur, an laboribus hiſce noſtris tum iuuentutem ipſam erudire, tum alios ab errore vindicare valeamus, ſuppoſita theſi, de qua ſupra facta mentio eſt, nempe rectitudinem obſeruandam eſſe, ſiue vacuare duntaxat ex affecta particula: ſiue ab ea procul reuellere voluerimus. Dicimus itaque, quod quemadmodum euacuatio ab ipſa diſtat reuulſione, ſic rectitudo ſpectanda ratione vacuationis, diſtat ab illa, quæ reuulſionem proſpicit. Vacuatio humoribus iam fluxis debetur, reuulſio fluxuris, aut fluentibus. Vacuatio inſtituenda ſecundum naturæ propenſionem, inclinationemq́;, reuulſio contrario motu inſtituenda; idcirco rectum in vacuatione haud neceſſario directum erit in reuulſione; agamus ſigillatim diſtinctioris doctrinæ gratia de vtraque.

Cap. XXX.

Rectitudo pro deriuatione, & vacuatione obſeruanda quid ſit, & quas habere debeat conditiones.

RECTITVDO vacuationis propria eſt, quæ proxime reſpicit phlegmonoſam particulam; quoniam, vt illam ab humorum multitudine exoneret, excogitatum eſt vacuationis auxilium; hinc pars ex qua ſanguis mittitur, duas habere debet conditiones; vnam quod venas communes habeant infixas in affecta particula, quam exonerare contendimus; aliam, vt illi ſit propinquitate coniuncta. Cum enim propoſitum ſit cito, & tuto morbum leuare venarum longe diſtantium ſectiones, quamuis communitatem fortaſſis habeat aut conſpicuam aut inconſpicuam, cum phlegmonoſa parte, illam tamen, non niſi longo tempore iuuare poterunt: ideo debet incidi vena in eodem ſitu, eademq́ue poſitione partium: hoc autem eſt eſſe in directum poſita. Hanc obſeruamus rectitudinem ad imitationem naturæ, vtputa, liene affecto, natura ſanguinem effundit ex nare ſiniſtra: at vero iecinore, ex dextra. Viciniores natura eligere non poteſt venas: quod ſi poſſet, multo facilius, citiusq́ue morbum propelleret: in qua re magis poteſt ars, vt quæ viciniorem in eodem ſitu atq; poſitione venam eligat. Hoc cum animaduerteret Hippocrates, & imitandam eſſe naturæ propenſionem duceret, pleuritide ſuperiores partes occupante, ex interna cubiti vena quæ directo affectum reſpicit, ſanguinem mittendum conſuluit: vt purgandum, ſi inferiores coſtas inflammatio obſederit. Sic locum interpretatur Galenus: qua interpretatione nulla verior, nulla doctior excogitari poteſt. Hęc rectitudo, quā poſtulat vacuatio, apertiſſime oſtendit aliam eſſe ab ea, quam re-

uulſio

uulsio exigit. Est igitur hæc rectitudo proximus partium consensus in vnoquoque situ & positione, qui consensus fit tum per venas communes, tum per meatus conspicuos atq; inconspicuos, pro faciliori phlegmonosæ particulæ vacuatione obseruandus.

Cap. XXXI.

Rectitudo pro reuulsione obseruanda quid sit, & quot habeat conditiones.

CÆTERVM rectitudo ratione reuulsionis obseruanda suo iure postulat, vt demandantē particulam respiciamus, & in illa venam secemus, quæ transmittentem proxime possit omnino vacuare. Omnis enim reuulsio potissimum instituitur propter eius commodam vacuationem. Hæc porro rectitudo præcipue non respicit affectum, sed causam affectus: qua remota, impeditur illius incrementum. Si iam incepit inflammatio, aut prohibetur generari, si nondum cœpit. Atq; hic obseruandæ sunt duæ conditiones: Prima est, quod venas habeat communes cum demandante, superior rectitudo communes habebat cum recipiente. Quomodo enim à propellente parte sanguinem educemus, si vena, quæ inciditur, non habet cum illa manifestum consensum? Debet etiam habere communionem cum recipiente parte: quandoquidem eum reuellere sanguinem debemus, qui ad phlegmonem confluit ex propellentibus membris, in quibus adesse viam communem oportet, aut sensibus conspicuam, aut ratione duntaxat contemplabilem; quamplures enim natura sibi vias parat, quæ nobis prorsus incognitæ sunt, vt Galenus dicebat septimo Aphorismorum commentatio. Verum dum reuulsioni incumbimus, præcipue eum non quærimus consensum, sed duntaxat vt demandantem particulam exonerantes in contrarium deducamus humores confluentes. Secunda conditio est, vt vena incidenda procul absit ab affecta particula: imo quoad eius fieri potest, vt longissimo distet interuallo, vt Galenus dicebat decimotertio Methodi medendi, capite vndecimo, & ante Galenum Hippocrates, aut quisquis fuerit eius libri author, secundo de humana natura. Ex quibus tertia postea sequitur conditio, nempe, vt in contrarium instituatur, quam humores ferantur à natura: id est, vt in contrariam partem trahantur, & contrario motu agitentur, est vtrumque necessarium, vt in superioribus docuimus. erit igitur eiusce modi rectitudo, vt definitione rem summatim explicem, proximus partium consensus in vnaquaque positione & situ pro faciliori demandantis particulæ vacuatione obseruandus.

Cap. XXXII.

Dictorum confirmatio ex antiquis authoribus, & propositarum dubitationum explicatio.

PORRO manifestum est ex his, Hippocratem & Galenum rectitudinis nomine non intellexisse situm duntaxat partium secundum longitudinem, sed multo vniuersalius iuxta omnem positionem. Intus, extra, ante, retro, à dextris ad sinistras, supra, infra; quia dum Galenus agit de reuulsione, harum omnium situationum meminit, tum etiam, quia ἴξιν non modo secundum longitudinem, sed etiam secundum latitudinem dici debere, apertissimis verbis docuit, vt demonstrauimus. Extat ad hæc locus libro primo operis illius, quod κατ᾽ ἰητρεῖον inscribitur, vt exponens verba Hippocratis, quæ Græce sic habent: ταῖς ἑωυτοῦ δὲ καθημένῳ μὲν πόδας ἐς τὴν αὐτὴν ἴξιν κατ᾽ ἰητρεῖον.] in Commentatio hæc protulit verba. Nempe, non immerito Hippocrates suam vniuscuiusque ad se ipsam in sedendo moderationem ex habitu, quo sese partes suscipiunt, definiuit, cum posuit, vt pedes è directo genuum contineantur: quod bifariam esse potest: nam vt per longum membrum distendimus, aut in altum eleuamus: vnde non sine ratione in superioribus addit ἴξιν. (Consueuit autem ἴξιν rectitudinem, quæ in situ est, appellare.) Rursus, primo libro de Articulis, vbi

de brachii luxationibus agit, inquit Hippocrates: Cum vniuersa manus ad anteriora fuerit extensa, caput brachii κατ' ἴξιν concauo scoptulæ opertæ respondet.] Galenus exponens κατὰ τὴν ἰθυωρίαν, dixit: Eodem etiam libro, vbi succurrere docet iis, quibus facilis est humeri luxatio, vult, vt cutis apprehendatur è regione partis illius, qua excidit caput brachii.] Postremo vero sciendum est, quod ἴξις Ionica vox est, qua nihil significat aliud, nisi directionem, & tractum κατ' ἴξιν τὸ κοιλόν. vnde ἰξύα vocula in composito vtitur Herodotus in Thalia, semel atque iterum: μέρος ἐγίνετο τῷ ἀντίξοον αἰεὶ τὸ μάχιμον,] idemq́ in Terpsichore, & alibi, vt author est Iulius Scaligerus, libro de insomniis. Hæc, quæ satis longa, necessaria tamen sumus oratione prosecuti, manifestum faciunt, ἴξις nomine rectitudinem in situ in vniuersali, non in particulari intelligendam. Quærunt hoc loco recentiores, quæ maior sit rectitudo ex omnibus iis, quæ de rectitudine proponuntur, situationibus atq; positionibus? Respondet Argenterius, maiorem esse secundum longitudinem: atq; huic postea succedere alias. Ego vero id non posse distinctè pronunciari dico; nam si venæ sectionem adhibemus, vt sanguinem vacuemus, fortassis maior iudicabitur in longitudinem extensa: verum si reuellere in animo fuerit, vbi dextræ partes communicant sinistris, & econtra, tunc maior erit in protensa. Nunc reliquũ est, duas illas difficultates explanare supra propositas. Cum itaq; Galenus inquit, in directum vacuandum esse imitatione ipsius naturæ, dicimus, illum de venæ sectione fuisse locutũ, tanquam vacuatiuo atq; deriuatiuo præsidio, nõ tanquam reuulsiuo. Deinde vero addimus, quod venæ sectio in directum facta, conuenit vtriq; præsidio. Vacuatoriæ phlebotomiæ, quatenus è regione, & directe partem phlegmonosam exinanire potest. Reuulsoriæ autem, quatenus directe propellentem, aut quæ posset propellere, exinanire potest. Habet vtrumq; præsidium venas proximas communes: illud cum loco inflammatione obsesso, hoc cum locis demandantibus: Idcirco Galenus vniuersalem hanc declarans rationem, lib. 2. ad Glauconem dicebat: Vtrumque auxilii genus fieri per venas communes.] At in decimonono capite libri de ratione curandi per sanguinis missionem communitatem venarum in particulari explicauit, quatenus duntaxat vacuatiuum respiciebat auxilium. Patet præterea, quomodo inflammato vno crure ex alio sanguinem mittentes rectitudinem obseruamus, quandoquidem è directo est, quæ inciditur vena iis, per quas propellitur humor ad aliud crus; venæq́; sunt communes, tam partibus recipientibus, quam illis, ad quas humorum fluentium impetum ducere constituimus. Manu laborante scarificamus crura, vt Galenus admonuit. Sed quæ adest communitas venarum conspicua à cruribus ad manum? quæ venæ sunt in cruribus sitæ in manu affectæ? quomodo igitur admonuit per venas communes reuulsionem fieri oportere? aut certe reuulsio non est, quam pro reuulsione admittit Galenus, aut si reuulsio est, vt creditur, venas habere communes oportet. Sed profectò, si quæ inciditur vena reuulsionis causa, debet communi tum parti transmittenti, tum illi, quæ secatur, vel ad quam trahere in animo fuerit, adeo cessant omnes difficultates, vt meo iudicio, amplius aliquis dubitandi locus non sit. Hæc de rectitudine sufficiant dixisse; in quibus si non fuero veritatem assecutus, alii, qui postea hunc excolere campum voluerint, feliciori fortassis successu perficient.

Cap. XXXIII.

Quid sit deriuatio secundum opinionem Matthæi Curtii, quæ reprobatur.

SI omnia ad reuulsionem pertinentia non sumus hactenus prosecuti, potiora tamen diximus, ex quorum intellectione etiam reliqua facile elucescunt. Propterea superest, vt de deriuatione sermonem habeamus: De qua primum docebimus, quid sit, aliorum opinione prius examinata. Matthæus igitur Curtius, libro de secanda vena in pleuritide, hoc modo definit. Deriuatio (inquit) motus est, qui fit ad latus humoris fluentis. Hac de causa sanguinis missio-

missionem factam in cubito lateris inflammati. dicit simul esse reuulsiuam, & deriuatiuam. Reuulsiuam quidem eo, quod materiam ipsam à paruis ad magnas, & ab his, ad alias, ac ad contrarium scilicet sui motus retrahat. Deriuatiuam vero esse ait, quia materia per venam cauam ascendens ad partem dextram mouetur pectoris, retrahitur ad dextri cubiti flexuram, sicq; ad latus facta dicitur deriuatio. Et parum postea addebat, vt superioribus discursibus dictum à nobis fuit, ita sese habere duo hæc remediorum genera, reuulsionem, & deriuationem, vt si vtroque indigeamus, deriuationem in opere continuo præponendam: hæc quidem ille. Qui mihi aberrasse non mediocriter videtur, tum in rei natura exploranda, tum etiam in horum remediorum proportione: quandoquidem deriuatio semper fieri debet à vicinis partibus, quas partes in eodem latere constitutas esse, non semper contingit; illæ enim subiacent, aliæ incumbunt aliis. Affectus qui in vtero consistunt, deriuantur per intestina, atque etiam per vrinarios meatus; at vero eiuscemodi partes non respiciunt aliquod latus vteri, neque dextrum, neq; sinistrum, sed vtero incumbere dicuntur. Addo quod fieri potest ad latus vacuatio, quam proprie reuulsionem nuncupabimus, vt quando existente bubone in sinistro inguine, venam incidimus poplitis dextri cruris: ad latus fit, quia in latere dextro fit vacuatio, deriuatio non est, quia in contrariam exercetur partem. In eo præterea est error manifestissimus, quod asseueret, easdem venas incidendas esse, quando reuellere, & deriuare volumus, hoc enim esse impossibile, ea manifestum facient, quæ supra diximus: nunquam enim licet inuenire secundum Galeni doctrinam reuulsionem, deriuationemque simul fieri: at bene inueniemus frequenter dictum fuisse, eandem vacuationem reuellere, & euacuare: Clara quoque est Galeni de hac re sententia in quarto, in quinto, & in decimotertio Methodi, ac passim alibi reuulsionem fieri in partibus contrariis, & distantibus, deriuationem autem in partibus vicinis. Rursus in sexto Epidemiorum, textu septimo, commentario secundo, inquit: Deriuationem solet Hippocrates nominare, quando humores, qui non per conuenientem regionem ferri inceperant, ducimus non per eam, nec per remotissimam, sed per aliam propinquam. Quod si aliquando Galenus scriptum reliquit, deriuationem fieri ad latera, vt quinto Methodi medendi; ea voce intelligere oportet proximam venam, non quod sit aut in sinistra, aut in dextra parte. Postremo, illius decretum contendens deriuationo prius vtendum, quam reuulsione, nulla ratione posse consistere suo loco à nobis demonstrabitur.

Cap. XXXIIII.

Deriuationis definitio ex sententia authoris exponitur.

PRÆTERMISSA igitur opinione Curtii, ego in hunc modum definio. Deriuatio est humoris auersio ab eo loco, in quo adhuc mobilis existens illapsus est, vel ad quem mouetur; ad locum illi vicinum recte, & conuenienter facta, vt affecta pars à noxio humore subleuetur. Ideo autem dicitur, deriuationem esse auersionem, quia auersio est vniuersale genus reuulsionis, & deriuationis, vt in primo capite libri huius ex Galeno demonstrauimus. Quando autem dicimus, hanc fieri in loco vicino, eo spectat, vt hanc actionem distingamus ab ipsa reuulsione, in qua fieri debet attractio in particulis, quo ad eius fieri potest, distantissimis, proculq; ab affecto loco. Addimus ea verba in definitione in quæ illapsus est] vt vnam speciem deriuationis, quæ fluxam respicit materiam complecteremur: aliam vero hisce verbis notauimus. Vel ad quem mouetur,] quia deriuatio etiam humori fluenti accommodatur, vt secundo libro tractationis huius explanatum à me fuit. Porro in oratione posita sunt hæc verba: Recte & conuenienter facta.] vt artem illam exercendi denotaremus, quæ quidem in iis duobus potissimum consistit: primum, vt ante illam præcedat reuulsio (quando scilicet indigeamus vtroque præsidio) quæ fluxionis impetum vniuersi corporis sedet: & suspicionem recentis, & inopinatæ

fluxionis: Secundum, vt humor existens in parte affecta, liquidus adhuc ita sit, atq; mobilis, vt ab ea remeare possit retro, & ex viciniori euacuari. Nam quoties ita parti erit impactus, vt omnem fluendi & remeandi potestatem amiserit, equidem non amplius reuulsione, neq; deriuatione, sed alio remedii genere vtendum erit: veluti emollitione, digestione, & incisione loci. Cæterum non est hoc loco prætereundum, Galenum aliquando reuulsionem & deriuationem confundere, quoniam aliquando meminit præsidii reuulsiui, quod multo accommodatius inter deriuatiua debebat collocari. Locum affero ex lib. 6 de morbis popularibus, sect. 2. comment. 31. in quo ille dicit, oculorum fluxiones reuelli ad palatum, & ad nares, vsu acrium remediorum: nam cum ad contrarium motum, & partem mittentem non ducantur humores, sed per vicinas vacuentur, constat deriuationem magis nuncupari debere, quam reuulsionem. Hic duo superesse videntur: alterum, vt doceam, à quonam indicetur deriuatio facta, præsertim per sanguinis missionem: alterum vero, quibus humoribus debeatur deriuatio. Verum, quia horum vtrumque à nobis explanatum est libro secundo tractationis huius, propterea prætermittendum est. Illud autem istius foret explicandum, quomodo, per quas venas, & quando fieri expediat vtrumque genus: à quibus etiam abstinendum duxi, ne tractationes inuicem confundantur, cum loco suo dictum de iis abunde fuerit. Atque hic septimi libri finis esto.

HORATII AVGENII A MONTE SANCTO, DE RATIONE CVRANDI PER MISSIONEM SANGVINIS;

LIBER OCTAVVS.

Cap. I.

Summa tractationis de tempore vacuandi per venæ sectionem, in quibus potissimum consistat.

Qvta temporis occasio est præ omnibus cognitu difficillima, circa quam præcipitem admodum existentem (quemadmodum quodam in loco etiam scribit omnium bonorum nobis author Hippocrates) video plerumque Medicos non modo vulgares, sed etiam & præcellentes aberrare: postulat institutæ tractationis ordo, vt de occasione & tempore phlebotomiam exercendi tractemus. Et quod hactenus in scopis aliis effecimus, quoad eius fieri potest, maxime diligenter in hac eadem materia facere conemur. Atque inprimis, quia temporum morborum quædam sunt vniuersalia, quædam vero particularia, docebimus primum, an in principio magis sit tutus remedii vsus, quam in augmento, aut statu, aut declinatione: deinde vero de particularibus temporibus agentes declarabimus, an liceat in die exacerbationis venam incidere, an aliquando magis noctu quam die, & quæ hora sit magis expediens. Anni prætereà tempus considerandum erit, in quo securior sit phlebotomia, & qui modus in illa exercenda debeat obseruari: quæve prætereà præparatio corporibus debeatur, & quæ venæ in quouis affectu secandæ sint: ac quid ipso sectionis tempore faciundum; & qua ratione possimus subuenire symptomatis venæ sectionem aliquando concomitantibus: atque alia id genus explanabimus: in quibus eorum summa continetur, quæ super-

sunt

sunt declaranda. De hisce igitur propositis rebus agere in hunc modum incipio.

CAP. II.

Explicatio eorum quæ circa vniuersalia tempora controuersiam facere videntur.

CIRCA vniuersalia morborum tempora difficultatem faciunt variæ clarissimorum authorum sententiæ, quibus non bene inuicem consentire videntur. Sunt qui putant, nullum adhibendum esse temporũ delectum, sed in quocunque vacuandum, si res vrgeat. Galenum, recentioresque Græcos omnes vnanimi consensu id faciundum esse, ea manifestum facere videntur, quæ non semel scripta reliquit, tum libro de ratione curandi per venæ sectionem, tum nono Methodi medendi. Placet recensere illius verba, quæ sic habent: Quocunque enim die mittendi sanguinis scopos in laborante inueneris, in eo auxilium illud adhibeto, etiam si vigesimus ille ab initio extiterit. At quinam fuerint ii scopi? Morbus ingens, viriumque robur, excepta ætate puerili, & ambiente nos aere valde calido.] Atque rursus inquit: Optimum igitur factu est (id quod nos semper in quaque re facere vidistis) statim non numero dierum, sed vni virium robori in febribus eius generis attentum esse, quippe quod si seruatum est, non solum sexto, septimoue, sed etiam sequentibus diebus sanguis mittendus est.] Idem habet, & fere ad verbum Oribasius, libro septimo suorum collectaneorum. Hoc ipso testimonio muniti quidam recentiores, sane viri doctissimi, & de re medica optime meriti, in putridis febribus, si grauiores fieri appareant, aut citra causam aliquampiam recrudescere, in augmento, & in statu detractionem sanguinis moliuntur, vt libro quinto de iteratione agentes, dicebamus, atque infra etiam diligentius proponemus. Dissentire tamen à se ipso videtur Galenus, quando in libro secundo Aphorismorum, commentario vigesimonono, eam sententiam Hippocratis enarrans, quæ dicit: Inchoantibus morbis, si quid videtur mouendum, moue, cum vero consistunt, melius est quietem habere;] scribit sententiam Hippocratis intelligendam de venę sectione potissimum, nonnunquam vero de ipsa purgatione: quorum (inquit) neutrum morbo consistente adhibendũ est. Si ergo venæ sectio vigentibus morbis non est adhibenda, dabitur certũ quoddam tempus, in quo non conueniat, aut conueniat. Galeno præterea contradicit Cornelius Celsus, quem ob grauitatem sententiarum, sermonisque puritatem, alterum Hippocratem nuncupare placuit. Is agens de termino phlebotomiæ, statuit diem quartum. Referre placet hoc loco illius verba, quia huic tractationi conferre non mediocriter videntur: sic habent capite de sanguinis detractione. At si morbi ratio patietur, tum demum nulla cruditatis suspicione remanente id fiet; ideoque ei rei videtur aptissimus aduersæ valetudinis dies secundus, aut tertius. Sed, vt aliquando etiam primo die sanguinem mittere oportet, sic nunquam vtile post quartum diem est, cum iam spatio ipsa materia, & exhausta est, & corpus corrumpit; vt detractio imbecillum id facere possit non possit integrum.] Hæc Celsi verba maxime sunt adnotanda: quia neminem inuenire mihi licuit ex omnibus authoribus, qui adhuc extant, tum Græcis, tum latinis, tum Arabibus, qui vltra diem quartum prorogati non posse hoc remedium scripserit, licet me non fugiat antiquam extitisse opinionem, cuius meminerunt Galenus libro de phlebotomia, & Auicenna in capite vigesimo, quartæ sectionis, primi libri, venæ sectionem nunquam esse prorogandam vltra diem quartum aut quintum. Porro, nõ minores difficultates sese offerunt circa contextus Auicennæ, qui adeo confuse de hac videtur materia scripsisse, vt omnibus esse admirationi merito debeat, qui summum illius ingenium, & exquisitissimam in omnibus disciplinis doctrinam perpetuo solent admirari. Afferam aliquot locos in medium præcipuos, ex quibus facile admodũ elucescit ingens huius argumenti difficultas. Pri-

V

inum vero illud est maxime controuersum, quod dicat, non esse mittendum sanguinem, nisi concoctionis notæ apparuerint, morbusq; principium præterierit, ac iam versus vigorem accesserit, aut etiam declinationem habere cœperit. Nam, si hæc admittatur medendi ratio, multa insequentur absurdissima: quorum vnum est, nunquam licere venam incidere in principio morborum, in quo signa concoctionis non adsunt, cur igitur inchoante pleuritide, peripneumonia, phrenitide, aliisq; inflammationibus ex cõmuni omnium Medicorum decreto, ratione alioquin stabilita, sanguinem mittimus? Cur in principio febrium omnium id genus vacuationem postulantium? Atque, si sic res habet, cur concoctionem expectare conueniet, vbi sanguinis multitudo, aut motus facit negotium? Periculum non mediocre minatur, ne multitudo, dum procrastinamus, ægrotum suffocet, aut fluor vires omnes dissoluat. Hæc vero nonne sunt contraria iis, quæ ex Galeno parum antea dicebamus? Sic enim non licet euacuare, nisi postquam fuerit putrefactus humor concoctione maturatus, euictusque ab ipsa natura, iam numerus dierum obseruari debebit, iam in statu duntaxat, & in augmento exercenda erit venæ sectio, quinimmo etiam in ipsa declinatione conueniet. Addo passim videri nonnullis, hunc autorem, alioquin grauem, contraria suis principiis pronunciasse, quando scilicet inchoantibus morbis, præsertim vero rheumaticis, sanguinis missionem fieri debere significauit. Hic ego locos quam plures afferrem in mediũ, nisi idipsum ob maximam rei euidentiam superuacaneum esse arbitrarer. Neq; hic pariter varias explanatorum huius authoris opiniones recenseo, qui modo huc, modo illuc agitati, lectoribus ingentem confusionem exhibent. Diximus quæ in proposito argumento difficultates appareant præcipuæ, quarum dissolutio afferenda est nobis vt scilicet nihil temere, nihil repugnans ab ipso Galeno, & Auicenna, atq; ab omnibus fere antiquis scriptoribus traditum fuisse ostendamus.

CAP. III.

Venæ sectionem pro reuulsione factam semper conuenire in inflammationum fluxionumque principiis, atque dubitationum quarundam propositio.

QVIA sanguis mittitur tum in morbis rheumaticis, tum in iis, qui rheumatici non sunt, principium nostræ disputationis sit, docere accommodatum huiusce remedii tempus primum in ipsis inflammationibus, deinde vero in morbis citra inflammationem, fluxionemque consistentibus. In inflammationibus igitur, vt prædiximus, conuenit phlebotomia ratione reuulsionis, deriuationis, & euacuationis. Agamus sigillatim de singulis. Quando proponitur venæ sectio, vt fluentium humorum inhibeamus impetum, fieri ea quidem debet in principio fluxionis inflammationisque. Quicunque enim vehementer fluere extra corpus incipiunt humores, vt ex vtero, ex mariscis, ex naribus, aliisue partibus, protinus in contrarium reuellendi sunt, anteaquam vires dissoluantur. Qui vero fluere incipiunt inflammationem facturi, statim sunt reuellendi, ne scilicet inflammatio generetur, augeaturq;. Hoc vero in principio phlegmonis cõtingit, in quo humores maxime fluunt: idcirco in aliis temporibus, in quibus iam ipsa destitit fluxio, reuellendi nulla sese offert occasio. Atque hoc dicere volebat Galenus libro de ratione curandi per venæ sectionem, capite decimosexto, cum ait: Incipientes phlegmones reuulsione vacuare oportet, quæ vero inueteratæ iam sunt ex ipsismet particulis, aut saltem ex vicinis, &c.] Quod etiam decimotertio Methodi medendi, libro secundo ad Glauconem, & passim alibi confirmauit. Sed hic nonnulla dubitationem faciunt, quorum primum est, si in inflammationum principio conuenit reuulsio, haud recte conclusum à nobis videri posset, in fluxionis principio exercendam esse phlebotomiam. Quandoquidem cum inflammatio in principio est, humores iam confluxerunt, cum in augmento amplius non confluant, si Galeno credimus mul-

tis in

tis in locis id affirmanti; præsertim vero libro de totius morbi temporibus, cap. tertio, in quo hæc habet verba: Fingamus igitur primum inflammationis principium inquit, quis iam negauerit generationem eius toto illo tempore esse, quo pars sanguinolenta substantia repletur? Siue enim propter concidentiam eiusmodi contingit; siue propter impactionem, obstructionemque omnium vasorum, siue ob circumstantiam quandam molium quæ intus occupant, siue, vt nos docuimus in libro de inæquali intemperie, item in commentario de tumoribus præter naturam, abundantia quæpiam sanguinis in inflammatione oborta in particula constituitur: hoc erit primum tempus, quo pars affectui generationis subiecta repletur. Cum autem influxus cessauerit, & quod in particula inflammatione obsessa continetur, putrefieri cœperit, calor quidam ob putredinem nascitur, & fusio magis propter calorem, vnde etiam spiritus generatur, atque ob hæc ambo particula magis, quam antea distenditur, etiam si nihil influit, secundum hoc tempus est inflammationis augmenti.] Hæc ille. Notanda hæc verba: Cum autem influxus cessauerit, & quod in particula inflammatione obsessa continetur, putrefieri cœperit.] & postea. Etiam si nihil influit secundum hoc tempus est. & c.] Ex quibus admodum aperte colligitur in principio inflammationis humores confluxisse penitus, nullamque partem de cætero in augmento confluxuram. Difficilis hic Galeni locus de industria propositus fuit à nobis, quia simul dubitationis occasionem continet, atque etiam explicationis, vt posthac declarabimus, modum. Colligo ex verborum Galeni serie, hanc ratiocinationem contra nostra principia. Reuulsio venæ sectione facta conuenit in principio inflammationis: Atqui hoc ipso tempore materia in partem affectam influxit, & iam toto in phlegmone congesta est: conueniet igitur ipsa reuulsio, quando materia amplius non fluit. Aliud vero dubitationem faciens est, quod quemadmodum in omnibus temporibus turgere potest materia, sic etiam potest fluere ad aliquam determinatam particulam, cui impedimento sit. Fluat igitur hæc in augmento, fluat in statu, reuulsio conueniet in vtroq; tempore, non autem in solo principio vniuersali, vt nos docuimus. Ad hæc vero in octaua die Hippocrates sanguinem curauit mittendum Anaxioni pleuritico ob reuulsionem: at in eo die non potuit inflammatio esse in principio, cum pleuritis acutus morbus existat.

Cap. IIII.

Aliud existere principium inflammationis, aliud fluxionis, & de consideratione latitudinis principii, in qua varia conueniunt remedia.

Hæc quamuis opinionem nostram vrgere videantur, nihilominus ostendemus nihil concludere. Quapropter sciendum est, aliud esse principium inflammationis, aliud vero fluxionis, quia si nomine inflammationis tumorem præter naturam intelligimus, temporaque morborum metiri placuerit, a signis concoctionis, & cruditatis, vt Galenum libro de totius morbi temporibus fecisse constat, præsertim citato loco, nullam dubitationem habet, quin principium sit, quando tota confluxit materia, nullamque receperit adhuc à calore naturali mutationē: in hunc enim modum signa cruditatis definiuntur, & hoc potissimum de ratione vniuersalis videtur principii, eritq; augmentum cum in angusto loco materia contenta incipiet mutari ad puris substantiam: quæ mutatio concoctio quædam est, maturatio Latinis nuncupata. Cum vero iam fuerit perfecte mutata in pus sanguinea materia, aut saltem proxime sit transmutanda, tunc fiunt dolores, pulsationes, & febres, eritque morbus in statu constitutus. Perfecta transmutatione facta, erit vniuersalis declinatio. Verum si contemplemur solam fluxionem, quæ symptoma est, habebit hæc ipsa tempora longe diuersa à supradictis. Nam in vno principio quatuor continebuntur tempora. Quia si vniuersale tumoris principium est, quando tota collecta mate-

ria fuerit in loco phlegmonosa, dum colligitur, varia emergunt fluxionis tempora, cum enim primum incipit, habemus illius principium: cum partim influxa est, partim, sed multo magis influxura, incrementum est: quando tantum eius influxit, quantum influxurum est, vigor dicetur, quum vero nihil prorsus influit, declinatio. Hæc si vera sunt, priorem difficultatem explanant: quandoquidem in principio inflammationis vtendum esse reuulsione asseuero, sed non in toto principio, quod latitudinem habens, vt à Galeno explanatum fuit, pro varietate latitudinis varia postulat remedia. Igitur hanc propositionem semper verissimam esse profiteor. Reuulsio conuenit in principio inflammationis, hanc vero non esse continuo verum dico. In omni parte principii conuenit reuulsio. Cæterum hæc nulla adhibita distinctione perpetuam habet veritatem. Fluentibus humoribus debetur reuulsio. Qui hæc non distinguunt, turpi admodum errore, & fortassis non sine humanæ vitæ periculo detinentur. Quamobrem reuulsio conuenit in aliqua parte vniuersalis principii inflammationis, non conuenit in omni. Idcirco non recte concluditur, in principio vniuersali tota materia confluxa est, reuulsio igitur adhibenda est aliquando materia confluxa, non autem confluente: quia in principio secundum suam totam latitudinem materia confluxa est, at non secundum partes latitudinis omnes, quoniam in sola vltima parte principii materia confluxa est, atque in ipsum phlegmonem fere impacta: at in prima illius mediaque parte adhuc confluit: in illa quidem vehementissime, in hac autem minori impetu. Porro, addidimus materiam in omni vniuersali tempore fluere posse & moueri; admittimus pariter omni tempore hac de causa conuenire vsum reuellentis præsidii. Quia si quispiam voluerit accurate considerare quæ hic diximus, nullam inueniet difficultatem. Semper venæ sectio reuulsiua fiet humoribus fluentibus, & fluxuris: semperque in morbi principio ratione habita ad ipsam fluxionem, neque enim contemplari oportet, quod tempus existat ratione concoctionis, & cruditatis humorum, vt fiat recte ipsa fluxio, sed quod sit tempus motus, aut fluxionis humorum, sine qua indicatio non fit partibus læsis de humoribus reuellendis, hæc autem audienda sunt nisi virtus, aut quippiam aliud venæ sectionem adhibeat, quod semper, vel me tacente, est intelligendum. Anaxioni sanguinem misit Hippocrates in octaua die, quia fortassis antea vocatus non fuit, vt Galenus in commentario eius historiæ commemorat, at illa venæ sectio non fuit instituta ratione simplicis reuulsionis, sed deriuationis causa. Rursus, illud etiam statuendum est, tunc etiam in vniuersali principio constitisse morbum eo potissimum argumento, quod acutus simpliciter non fuerit, sed per degenerationem, cumque alia tempora fuerint diuturna, mirum non est, si hoc ipsum durauerit spatio dierum octo, aut decem. Satis arbitror me demonstrasse venæ sectionem pro reuulsione fieri debere in vniuersalis principii priore, aut secunda parte, continuoq; humoribus ipsum ad effectum locum confluentibus.

Cap. V.

Sanguinis missionem factam ratione vacuationis, & deriuationis, aliquando conuenire in principio, aliquando in aliis temporibus.

NVNC vero doceamus, postquam de reuulsione diximus, quo tempore in phlegmone tum deriuationis, tum vacuationis causa, venam incidere debeamus. Sunt, qui dicunt consistente morbo duntaxat conuenire quia, si reuulsio fit in principio, deriuatio fieri non potest, nisi morbis iam inueteratis, vt Galenus dicebat libro secundo ad Glauconem: diciturq; inueteratus, qui aut in vigore, aut in declinatione consistit. Quæ opinio, nisi adhibeatur distinctio, consistere non potest; qualem vero adhibere conueniat, iam demonstremus, à deriuatione sumpto in hunc modum principio. Cum deriuare volumus, venas proximas eligere debemus affectæ particulæ, quemadmodũ supra frequen-

ter di-

ter diximus, vt ex illis sanguis in phlegmone contentus minori effluat difficultate. Porro id fieri non posset, si impactus ille existeret, tenaciterque inhæresceret in loco affecto; aut etiam si diu venas fuisset egressus, multo maiorem difficultatem haberet exeundi sanguis ille, qui in abscessu continetur, iamq́; incipiat concoqui, & in purulentam substantiam transmutari, propterea huius ipsius causa minime instituitur venæ sectio deriuatiua, verum adiuuatur natura, quoad eius fieri potest, remediis suppuratoriis, atque concoquentibus. Si quispiam causam ex me scire desideret, ob quam inutilem tunc venæ sectionem esse existimem, huic respondebo, me duplicem causam cognoscere quarum vna ex naturæ actione, alia vero ex loci patientis conditione sumitur. Naturæ actiones ita sunt institutæ, vt, dum illa concoquit humorem, eum auidissime retineat, idcirco retentio, & concoctio semper sunt simul, hæc si vera sunt quomodo imaginabimur facta venæ sectione sanguinem auide à natura retentum foras euocari posse? Deinde si diu venas egressus fuerit, iam crassefactus, atq; ad motum ineptior, qua ratione poterit ex abscessu moueri, forasq́; deductus venas denuo ingredi euacuaturus ex facto emissario? Quamobrem augmentum, & status, quod attinet ad ipsorum humorum concoctionem, idonea tempora non videntur mihi pro eiuscemodi euacuatione feliciter promouenda, sed omnino in principio faciundam deriuationem contendo, verum non in omni ipsius parte, sed tunc potissimum, quandò adhibita prius reuulsione fluentibus humoribus fuerit à nobis prouisum. Hoc certe accommodatum tempus est deriuandi, in quo omnem operam nostram, omneq́; studium ad humorum confluxorum vacuationem dirigere debemus, antea quam aut tenaciter inhærescant partibus, aut transmutari in puris naturam incipiant, tunc enim etiam non liquidi, fluxibilesque, & à sua natura nondum transmutati, aut certe parum alterati, cum magna facilitate remedio cedent, sicque sanitatem introducemus mitigatis doloribus & sanato tumore præter naturam ex contenti sanguinis vacuatione. Dixi deriuationem fieri debere in principio, quando materia cruda est, tamen si fluxionis conditionem respiciamus, longe à principio ipsius abesse oportet, quia, vt libro superiori demonstratum est à nobis, deriuationi tunc locus est, cum humores maiori ex parte confluxerunt, idcirco fluxionis habito respectu, aut in vltima augmenti parte, aut saltem in vigore opus est ægrotum esse constitutum, quæ tempora sub vno principio vniuersali ratione cruditatis continentur. Eadem videtur medendi methodus obseruanda, si ex loco affecto vacuationem instituerimus, de qua Galenus libro de ratione curandi per venæ sectionem sic inquit: Porro, vt summatim dicam, incipientes phlegmonas reuulsu vacuare oportet, quæ vero inueteratæ iam sunt, ex ipsis, si fieri potest, affectis partibus, quod si nequeat, saltem ex vicinis. Etenim in incipientibus, auertere, quod influit, expedit: in inueteratis autem ipsum tantum, quod affectæ parti infixum est, euacuare.] idem etiam libro de ratione curandi ad Glauconem secundo apertissime significauit. Huic rationi experientia quoque subscribit: quandoquidem, quæ in gutture & arteria graui torquentur inflammatione, in principio quidem secta in cubito vena, post principium autem sub ipsa lingua, magnifice prodest, incisis videlicet venis, quæ sub ea sint ambabus, sic iuduratæ phlegmonarum in oculis reliquiæ, secta, quæ ad magnum decurrit angulum, vena mirifice iuuantur, sicut capitis grauitates, & inueteratos in eo ex plenitudine dolores leuare manifeste solet tusa in fronte vena: at incipientes, ac etiam vigentes per cucurbitam in ceruice procurata detractio interim quidam sola interim cum scarificatione. Cæterum præuacuatum esse vniuersum corpus oportet. Diximus itaque, sanguinem ex phlegmonosa particula deriuandum, & euacuandum in principii vniuersalis aut in vltima parte, aut in aliis non admodum distantibus, reuellendum autem in prioribus; neque licere id facere, quando iam suppuratur materia. Sic loquor indicatione sumpta à materia, quæ transmutatur in puris substantiam, & concoquitur: quia indicatione sumpta à materia contenta in venis proximis, adhuc fluxibili

existente, nihil impedire potest, quin aliis etiam temporibus tum per vicinas, tum per easdem particulas fiat deriuatio, atque vacuatio, præsertim vt suppurationem impediamus. Galenus quidem huius doctrinæ author videtur mihi extitisse libro de ratione curandi ad Glauconem capite de abscessu, quando dicit: Et cum suppurari incipientem inflammationem curaturus, suppurationem prohibere posse speraueris, tunc plurimum panem combullire permittas adeo &c.] & parum postea. Si vero per summa cutis in parte inflammata tensio valida fuerit, multis scarificationibus incidere oportet in superficie, ac post modum ex farina hordeacea elixata, vt diximus, cataplasma imponere. Verum nunquam ad eiuscemodi scarificationes accedere oportet, nisi prius euacuatũ fuerit corpus, vt docuimus in commentariis ad secundum librum Galeni de ratione curandi ad Glauconem: atq; etiam dicemus cum de cucurbitulis, & de scarificatione in vltima parte huius methodi disseremus. Ex his igitur constare arbitror, quod si deriuare consilium fuerit, id faciundum, quando humores confluxi sunt, atque nondum incipiunt transmutari in puris naturam, aut si inceperint, suppurationis impedire progressum voluerit, & quod factum illius est per scarificationem remouere. Hæcq; de proposito argumento sufficiant.

Cap. VI.

In putridis febribus, in quibus venæ sectio conuenit eam duntaxat in principio fieri debere.

QVIA diximus de morbis rheumaticis, nunc de febribus putridis pertractemus, doceamusque, tempus in illis pro exercenda phlebotomia accommodatum: quæ res licet maximas habere difficultates videatur, admodum tamen dilucida (nisi fallor) fiet in præsenti discursu. Hoc potissimum declarandum suscipio, venæ sectionem in putridarum febrium vniuersali duntaxat principio conuenire, quid vero de aliis morbis minime defluxoriis sentiendum sit, harum exemplo facile patebit, atque si aliqua adsit differentia poterit vnusquisque in viribus cognoscendis exercitatus eam citra difficultatem cognoscere. Sed quod futurum erit instrumentum pro hac re inuenienda necessarium? Ratio (inquam) ipsa ex indicationum natura proficiscens, si enim demonstratum à nobis fuerit, venæ sectionem indicatum remedium existere primæ omnium indicationis, quæ pro illarum curatione executioni demandari debet, & quæ etiam in ipsa inuentione resoluendo fuit vltima; iam quidem nihil in proposita inueniri poterit materia, quod aliquam difficultatem efficiat. Age igitur ad rei explanationem aggrediamur. Supponere in primis oportet ea theoremata, quæ in tractatione de febribus à nobis demonstrata sunt. Quorum vnum est, vltimam omnium indicationum pro putridarum curatione inuentarum esse humorum affluxum prohibere: quandoquidem ab illis obstructio fit, à qua postea impedita transpiratione, procreataque putredine, gignitur febris. Aliud theorema est, obstructionem fieri à tribus causis, nempe aut à multitudine, aut à crassitie, aut à visciditate humorum, aut etiam ab omnibus istis inuicem complicatis: aut pluribus; Alterum modo supponamus, multitudinem solam, aut cum aliis causis complicatam, vel fecisse obstructionem, vel proxime effecturam, nisi prudentis Medici opera caueatur, tunc impedire huius debemus πληθώρας affluxum, & præsentem vacuare ita vt de cætero, neq; faciat obstructionem neque augeat impeditam transpirationem, putredinemq;. Hæc indicatio est vltima; hoc vltimum existit indicatum remedium, vacuatio inquam multitudinis. Materia vero remedii multiplex est; quoniam quæcunq; vacuant, possunt hanc indicationem explere, vt inedia, frictiones, balneum, digerentia medicamenta, purgatio, phlebotomia: horum vel quædam conueniunt, vel omnia: vbi magna febris est, multitudo ingens, ætas consistens, anni tempus vernum, quamuis leuiora præsidia opem ferre possint, atque debeant in vsum accommodari, à magnis tamen incipiendum, & vniuersalioribus est, vt à venæ sectione:

ctione: præsertim si concursus causarum adsit obstructionem facientium, tunc enim (dicebat Galenus) libro octauo Methodi, capite quatto, maiori indigemus remedio, vt ipsa corpora transpirent: maius vero aliud non est in proposita materia venæ sectione, idcirco, illam in putridis febribus nunquam prætermittere debemus, cum aliquando expediat aliis abstinere vacuantibus præsidiis. Necessitatem vero vacuationis huius satis euidenter declarauit Galenus, tum vndecimo libro Methodi medendi, tum octauo: Non inconueniens duxi, hic transcribere illius verba, vt iuniores Medici, antiqui huius magistri, viri certe (vt dicere consueui) admirabilis authoritate, magisque rationibus muniti, cognoscant, quid agendum sit. Hæc in vndecimo Methodi habet. Ergo quod vltimum in ipsa resolutiua methodo est inuentum, id primum omnium in curatione est peragendum. Ostensum enim in prioribus libris est (nempe octauo methodi, capite quarto, vt ego sentio, cum alius locus non sit illo dilucidior) si iis auxiliis, quæ obstructiones adimant vti non euacuata prius abundantia velimus, fore vt non modo nihil proficiamus, sed etiam affectum maiorem reddamus, pugnantibus scilicet inter se indicationibus. At si vacuata prius multitudine ad curandam obstructionem accedamus, medicamentis iis, quæ obstructiones liberant, erit opus.] Hæc ille vndecimo libro. Conferamus modo, quæ scripsit in octauo, eius verba sic habent: Præstat enim (inquit) vitiosi succi maiori parte emissa ad detergendas obstructiones accedere cum alioquin metus sit, si obstructionibus liberandis prius, quam vacuaueris, studeas, ne ipsas magis impingas. At soluunt quidem obstructiones, quæ detersoriam facultatem obtinent, seu foris cuti sint admota, siue intro in corpus accepta. Periculum vero est etiam, neque foras trahunt, vna cum iis, quæ obstruunt, etiam aliud quidpiam attrahant. Et quæ ab interno sursum ferunturr, aliquid secum ex iis, quæ in vasis continentur, rapiant. Quod si fuerit tenax, aut crassum, obstructionem plane geminabit: sin aliter multitudine certe sua non parum nocebit. Cernimus enim aliquando etiam quod multum est, cum simul totum confluit obstruendo, hærere insigique non minus, quam ea, quæ glutinosa sunt, & crassa.] Hæc Galenus. Quorum dilucidationem in libris de febribus habuisti. Statuamus itaq; phlebotomiam esse necessariam, nisi quid impedimento sit, præsertim virtus imbecillior. Vix enim imaginari possumus virtutem inueniri simpliciter imbecillam cum sanguinis boni abundantia, at potest imbecillior existere, quam ferat simultaneam vacuationem totius redundantiæ. Valida igitur existente, vacuemus tantum sanguinis quantum postulauerit morbus: sin minus repetitione vtamur, aut eodem, aut postero die bis, tertio, & quarto, donec tota sanguinis copia supra mediocritatem fere fuerit vacuata. Si vltimam illam indicationem in opere ipso primo loco exequemur, sicque exoluetur illa, & cessabit plenitudinem vacuandi indicatio. Hinc alii postea erunt exequendi scopi. Nam vbi vacuauerimus (inquit Galenus) haud multo post, aut nutrimentum aliquod, aut pharmacum ex iis, quæ detergeant, exhibebis. Deinde vero postquam detersione, incisione, euentatione, & concoctione tum vias præparasti, tum semimalos humores conseruasti, ne putrescerent, accedendum erit ad putridorum vacuationem per aluum, per vrinas, per sudorem, & vomitum (si natura ad ventriculum appellere videatur, alioquin abstinendum, vt idem ait vndecimo Methodi, capite nono) iisq; tandem expletis amplius nil videtur relinqui, quam vt febrilem intemperiem corrigamus, si oportuerit, quæ prima fuit omnium in inuentione indicatio, quamuis raro executioni demandetur: propterea Galenus agens de synocho putrida, in vndecimo Methodi, capite decimoquarto, inquit: Quippe si vires eius, qui ex putredine humorum (vt positum est) febricitat, valentes sint, mittendus statim sanguis est, si cruditas ventris non sit, statim morbo incipiente.] Hæc si vera sunt, quæ peto, & postulo, vt supponantur: quis ambigit venæ sectionem conuenire in putridarum febrium principio? Hæc ratio fidem facit manifestissimam, quam loco demonstrationis habeo. Illud remedium in putridarum febrium prin-

cipio debet fieri, quod vltimo loco methodo resolutiua inuentum est, arqui vacuatio venæ sectione facta vltimo loco inuenta est; itaque primo loco est executioni demandanda.

CAP. VII.

Sanguinis missionem duntaxat fieri ratione multitudinis vacuandæ in putridis febribus.

CONSEQVITVR ex dictis, venæ sectionem non adhiberi in putridis febribus, nisi ratione multitudinis vacuandæ, non enim conuenit ratione febris, quia illius indicatum est, alterario facta refrigerantibus medicamentis: non propter ipsam adhiberi debet putredinem: quia remedium illius est vacuatio per aluum, per vrinam, per sudorem, per vomitum; Neque conuenit propter semimalos & semiputridos humores, quandoquidem remedium ab illis indicatum est euentratio & concoctio. Rursus, neq; propter obstructionem, quatenus obstructio est: quod enim ab hac indicatur, non est vacuatio, sed apertio. An igitur ob viscidos humores, aut crassos venæ sectionem necessariam in hisce febribus fore arbitrabimur? Neque hoc potest affirmari, quoniam visciditatis remedium detersio, crassitiei vero incisio est: sola relinquitur à sufficienti enumeratione partium multitudo: cui per se opponitur vacuatio, tanquam proprium indicatum illius. Iuuat horum meminisse hoc loco, quæ alioquin maxime propria sunt tractationis de febribus, quia non mediocrem lucem sunt allatura iis, quæ postea subsequuntur. Supponenda tamen sunt, quoniam tum quarto libro huius tractationis, tum in libris de febribus abunde explanauimus. Cæterum hic non docemus, vtrum conueniat venæ sectio in putridis febribus ratione reuulsionis: primum, quia, si hanc opinionem admiserimus, vtique nostra opinio confirmabitur, qua sustinemus, in solo principio fluxionis generosum hoc præsidium conuenire: deinde, quia hanc opinionem multo diligentrer examinauimus in libro vigesimosecundo Epistolarum medicinalium, Epistola tertia. Aggrediamur igitur ad explanationem eorum, quæ docenda supersunt.

CAP. VIII.

Quid agendum, si ob Medici incuriam, aut ægroti timiditatem, aut alia de causa prætermissa in principio fuerit venæ sectio, Galeniq; sententia contra recentiores Medicos explanata.

SESE offert hoc loco extricanda difficultas maxime controuersa, quid agendum sit, quando propter Medici incuriam, aut ægroti timiditatem, aliam ve causam in principio harum febrium prætermissa fuerit venæ sectio. Antiquiores illi, qui nunquam volebant phlebotomiam vltra quartam quintam ve diem prorogari, facile satisfacerent quæstioni, dicentes, abstinendum esse à remedio, cum tempus idoneum pro illo exercendo præterierit. De quorum opinionibus Galenus hisce verbis locutus est: Igitur vniuersim hoc sciendum, in sanguinis missione dierum numero primum haud esse attendendum, sicut quidam scripsere. Ac nonnulli admodum ridicule, post tertiæ diei paroxysmum, quando videlicet, vt aiunt, dignotio quædam habetur, qualis sit in forma & moribus, atque adeo tota natura sua morbus. Alii extremum terminum mittendi sanguinis definiunt diem quartum, intra quem sanguinis missionem concedunt, in paroxysmorum interuallis adhibendum electo, quo libeat, dic.] At certe nobis ita licebit respondere, vtpote qui sciamus, hanc opinionem fuisse à Galeno non semel reprobatam. Dicimus igitur, adhibendam esse eiuscemodi distinctionem, si à principio prætermissæ venæ sectionis scopi adhuc sunt præsentes, idem præsens esse debebit indicatum: quapropter quodcunq; fuerit tempus, ad sanguinis missionem est accedendum. Si vero scopi non adfuerint iidem, neq; idem esse poterit indicatum remedium, propterea nunquam accedere ad illius vsum oportebit. Sic ex Galeno distinguendum, ac ex ipsius rei natura

tura

tura, ea manifeſtum faciunt, quæ ſupra ex eo authore protulimus verba. Si fuerit igitur vigeſimus à morbi principio dies, adhuc plenitudo & virium robur ſanguinem tuto mittere oportebit. Sunt autem hæc diligenter conſideranda: quia nonnulli ætatis noſtræ Medici ex hoc loco putant, Galenum præcepiſſe, non eſſe obſeruandum numerum dierum, ſed poſſe indiſcriminatim ſanguinem mitti. Egoquidem omnino contrarium ſentio, Galenum ſcilicet non fuiſſe abſolute locutum, ſed cum conditione, qui loquendi modus nihil ponit ineſſe. Pro cuius rei explanatione ſciendum eſt, ſemper maturandam & accelerandam vacuationem, quando morbus ea indiguerit, & vires minime repugnauerint. Verum, quoniam quintum ſæpe diem aut ſextum ab initio exſpectant, priuſquam Medicos ad curandum accerſant, expediet nihilo ſecius ſanguinem extrahere, etiamſi huius auxilii primum tempus ſit omiſſum. Et idcirco addit, quocunque die mittendi ſanguinis ſcopos in laborante inueneris, in eo auxilium illud adhibeto, etiamſi vel vigeſimus is ab initio extiterit. Quod etiam Oribaſium confirmaſſe, libro ſeptimo ſuorum collectaneorum certiſſimum eſt, cum Galeni ſententiam ad verbum tranſcribat. Nunc, quæſo, contemplemur, an poſſint vigere ſcopi ſanguinis detractionem vacuationis ratione indicantes, vigeſimo die poſt morbi principium: hoc illud præcipuum eſt, & ſane magna dignũ conſideratione in hac materia iudicari debet, quod vbi fuerit pro dignitate explanatum, nihil aderit poſtea controuerſum. Recordor, me ſupra ſcripſiſſe, quod nunc repeto, ad maximam vtilitatem libentiſſime, aut nunquam vigere illos, aut admodum raro. Cur ſic ſentiam, exponere oportet.

Cap. IX.

In acutis morbis die decimaquarta vigere non poſſe indicationem de ſanguinem mittendo, multo minus die vigeſima, aliiſq; deinceps diebus.

ID igitur explanaturus, de morbis acutis inſtituere ſermonem volo, in quibus Hippocratis, aut ſaltem vetuſtiſſimi authoris decreto ſanguinem mittere oportet, ſi vehementes videantur. In iis quidem decimaquarta die nulla prorſus adeſſe poteſt indicatio de hoc, vacuationis gratia, remedio exequendo: primum, quia amplius vehemens morbus dicendus non eſt: deinde, quia materia deeſt euacuanda: atque poſtremo, quia vires eiuſcemodi vacuationem ferre non poſſunt. Morbus enim acutus, vbi decimamquartam diem prætererit, aut ſaltem quatuordecim vehementiæ ſuæ, vt cum Galeno loquar, dies fuerit egreſſus, amittit propriam naturam, qua amplius acutus aut vehemens dici minime debet. Quoniam itaque tunc magnitudinem non habet huic vacuationi proportionatam, deeſt etiam ſcopus ille præcipuus, ſuggerens indicationem de ſanguine mittendo. Præterea, deeſt etiam accommodata materia ſanguinis, inquam, multitudo, ſine qua aditus nunquam datur ad eiuſcemodi præſidium: ſiquidem quis aliquando imaginabitur, acuto morbo infeſtante, plenitudinem adhuc non fuiſſe, aut omnino, aut maiori ex parte exhauſtam? Præſertim, poſt inediæ vſum, aut victus tenuis à morbi principio inſtituti, ac vſque ad ſtatum perdurantis, maiorique quotidie augeſcente alimentorum detractione? probabile, imo neceſſarium videtur mihi, multitudinem fuiſſe inſenſibili quadam ratione vacuatam. Inter auxilia pro vacuatione illius à Galeno propoſita, & ab omnibus Medicis, vnum eſt inedia, victuſque ratio tenuis, quæ in hoc differunt, quia inedia breuiori tempore totum corpus abſumit; eſtque etiam admodum periculoſa in iis morbis, in quibus non conuenit, vt cum venerando ſene loquar, primo Aphoriſmorum quarto: non conuenit autem in acutis morbis per decidentiam, qui vltra decimamquartam diem, aut ſaltem vigeſimam extenduntur. Tenuis autem victus multo tutius plenitudinem exhaurire poteſt. Hanc eandem abſumit febrilis calor, atque etiam remedia quamplura cacochymiam expurgantia, quibus cum, ſi con-

currat ambientis caliditas siccitati iuncta, regionis natura, propriaq; anni constitutio, temperamentum, corporis habitus, & ætas, aliaque in superioribus explanata, erimus omnino certi quantitatem omnem excedentem sanguinis fuisse ita quidem exhaustam, vt de cætero indicatio à plenitudine sumpta, nullum habere locum valeat. Posttremo, deest etiam illud, quod phlebotomiam contraindicat. Est autem hoc virtus valida, aut absoluto sermone, aut secundum quid, vt lib. 3. declarauimus: quis enim ambiguus esse potest, vires vsq; ad eum terminum ita validas minime conseruari, vt ferre valeant hoc generosum remedium? Videntur enim mihi tunc imbecillæ simpliciter: quoniam certa sese offert inprimis imbecillitas in genere spirituoso ob magnam dissolutionem, quę quotidie contingit: mox, neq; validæ dici possunt solidæ partes conuenienti alimento destitutæ, cuius rei signum hoc sit, quod victus tenuis vires diminuit, tenuior magis, tenuissimus maxime: cumq; hic postremus conueniat in statu acutorum morb. quorũ terminus est dies decimusquartus, qui poterit fieri, quemquam arbitrari posse, cum eiuscemodi victu die vigesima vires validas existere? possëq; illas admittere vacuationem tanti momenti? sed quid vigesimum diem nuncupo, cur non decimumseptimum, aut decimumquartum? at quis tam exigui iudicii futurus est Medicus, qui post vsum victus extreme tenuissimi, aut etiam simpliciter tenuissimi iudicare velit, adeo robustas existere vires, vt vnam venæ sectionem admittant? Putauerim igitur, neq; morbum, neq; vires ferre posse hoc generosum remedium: Galeni vero sententiam non esse intelligendam absoluto sermone, sed cum conditione, si videlicet aliquando contigerit. Dicet hic fortassis quispiam, vigesimo die post morbi principium vix constare virtutem posse, morbumq; haud amplius venæ sectionem indicare, at aliis diebus infra vigesimum posse: propterea Hippocratem sanguinem misisse octaua die. Non negauerim in quibusdam corporibus id contingere posse, sed vltra decimamquartam diem nunquam contingere profiteor: si præsertim in acuto morbo curando eam victus rationem obseruauerit ægrotus, quam postulabit morbi conditio, idcirco vsque ad octauam diem vires fortassis poterunt consistere, cum proposita fuerit vacuatio sanguinis in phlegmone contenti, quæ fit in fine fluxionis, & in fine vniuersalis principii, at in subsequentibus diebus maxime suspecta est mihi. Atque si Galeni verba considerabimus diligenter, non videtur ille mihi admittere hoc remedium post quintum aut sextum, cum hosce duntaxat specificet dies. Dixi, quid sentiam in re difficili, & in artis operibus maxime necessaria, in cuius explicatione, si metam sum assecutus, (vt arbitror) gratiæ immortales Deo optimo, bonorum omnium authori habendæ sunt: sin minus, rogatos velim studiosos Medicos, quibus aliqua est humano generi subueniendi cura, vt me paratum semper palinodiam recantare candide admoneant.

CAP. X.

De repetenda venæ sectione in augmento, vel in statu putridarum febrium aliorum opinio.

SVCCEDIT huic alia contemplatio haud minus vtilis, quo scilicet tempore in putridis febribus repetenda sit venæ sectio. Differt hæc à superiori, quod illa quærebat, an progrediente morbo sanguis mittendus sit: hæc autem supponit, venæ sectionem fuisse executioni primis diebus demandatam, ac subinde quærit opportunum repetitionis tempus. Quæstioni occasionem dederunt Medici quidam nostri temporis, qui nullo habito delectu temporum iterationem exercent, quando adaugeri, exasperarique morbum vident, siue hoc ipsum contingat ex propria natura morbi, siue ægroti, siue assistentium negligentia. Inter quos prudentiores nonnulli haud ita pronuntiant absolute, sed dicunt in augmento, & in statu repetitionem exercendam, quando morbus recrudescit, maiorque & periculosior euadit sine aliqua causa manifesta, aut etiam

iam

iam eadem concurrente; tunc enim cum appareant vrinæ crassæ, & perturbatę in vigore, venæ sectio adhibita illas reddit multo puriores, & ægrotum ab imminenti præseruant periculo. Quinimo addunt experientia confirmatum esse nullum magis proficuum excogitari posse remedium. Volo hic in medium afferre verba præcipui cuiusdam scriptoris, & nostra ætate celeberrimi, qui in suis commentariis ad Galeni librum artis medicæ hæc habet verba: Porro materia, quæ nimia copia exuperat, aut penitus impedit, aut certe tardat concoctionem: propterea incipientibus, crescentibus, & vigentibus etiam morbis, si multitudo humorum subest, prodest sanguinis missio, & mirum est quantum illa iuuet, vbi symptomata sunt, & bonam crisin non expectamus, eo quod omnia adhuc sunt confusa in vrinis, aut crassa, aut vehementer ignea. Nam etsi per initia morbi detractus fuerit sanguis, tamen noua sanguinis missio pertimescenda non est. Quod si lingua sit arida, dura, nigra, vrina admodum flaua, magnus in corpore æstus, non ex sanguinis massa, sed ex bile abundante, ego sane nunquam vetitus sum, vel etiam vigente morbo solam cassiam exhibere, & multos fere desperatos hoc modo liberaui. Vt ergo sanguinis missio in omnibus grauioribus febribus est necessaria ab initio, quæ etiam in ipso statu repetenda est, ita vigente malo; sic purgatio incipiente febre ex humore calidiore, post sanguinis missionem, eodem vel sequenti die non omittenda per leuiora medicamenta, vt etiam vigente morbo per ea, quæ sunt omnium leuissima, vbi dubitamus de bona crisi futura, & naturam videmus plurimum in concoctione laborate, bono animo reiteranda.] Hæc illi; Quæ non sunt conniuentibus oculis prætereunda, sed in gratiam iuuentutis instituenda, atque humani generis vtilitatem sedulo & accurate examinanda.

Cap. XI.

Repetitionem in putridis febribus, neq; in augmento, neq; etiam in statu conuenire, contra recentiores Medicos.

Ego igitur, si vera sunt, quæ supra posuimus principia, hanc opinionem non esse veram demonstrabo. Propterea disputo contra illos in hunc modum: Illud remedium pro curatione putridarum febrium in augmento & statu fieri non debet, quod à nullo indicatur; atqui repetitio venæ sectionis remedium est, quod à nullo in putridis febribus existentibus in augmento, & in statu indicatur. Ergo in putridis febribus exerceri non debet dum adaugentur, atque vigent. Propositio adeo est vera vt nulla indigeat explicatione, quandoquidem, omne remedium indicatum est: quod vero indicatum est, illud quidem ab aliqua natura indicante proficiscitur; quamobrem, vbi non adest indicans natura, ibi indicatum remedium esse non potest. Minorem vero facile probamus, sumentes quædam, quorum primum est, repetitionem fieri, tum gratia reuulsionis, tum euacuationis, nos vero hic de phlebotomia, quatenus est præsidium vacuatiuum, agimus. Reuulsio enim ipsa, vbi adest affecta particula, auersionem indicans sanguinis agitati, & vehementer moti, quocunq; tempore potest admodum commode exerceri; De hoc, vt dixi, non est instituta quæstio. Aliud vero ponimus, in putridarum febrium principio fuisse vacuatam multitudinem, aut semel, aut vicibus repetitis. Tunc dicimus nullam omnino indicationem adesse repetitionis phlebotomiæ, cum neque adsit reuulsionis, neq; vacuationis necessitas. Prima enim omnium indicationum, quæ executioni demandari debet, est, vt diximus ex Galeno, multitudinis vacuatio. Huic rationi fortassis respondebunt illi, posse febrem putridam in fine augmenti, aut in statu recrudescere: huius ipsius causæ fore necessariam repetitionem. Hocq; videntur illi dicere cum statuant esse in statu vrinas perturbatas, & non adesse aliqua signa crisis futuræ. Sed hoc ipsum nulla potest ratione consistere, quia cruditas, si quæ noua in febribus putridis sit, contingit vel ex mala victus ratione, vel ex nouæ alicuius putredinis generatione, quodcunq; contingat venæ sectio-

nem non postulat, cum hanc sola indicet copia, siue plenitudo sanguinis, aut pars affecta fluxionem recipiens, quæ reuulsionem indicat. Inauditum est, atque etiam perperam, nisi fallor, dictum, phlebotomiam, cruditatis causa fuisse institutam, postulat cruditas concoctionem, hanc facit quies, & libera transpiratio. Concoctio enim est, quæ facit cessare putredinem manente substantia, vt Galenus asserebat in arte medica: haud enim quod pertinet ad disputationem præsentem, aliud est cruditas quam putredo. Quis igitur, vbi putrefacti sunt humores, ad venæ sectionem accederet? Quis putrefactionis remedium esse diceret phlebotomiam? veterum magistrorum placita hæc sunt, putredinem duobus modis considerari posse: vno, quatenus in termino est: alio, quatenus est in via ad terminum: ille nequit ad priorem bonitatem reuerti quocunque adhibito generoso præsidio: quoniam à priuatione ad habitum regressus dari non potest, hæc vero potest priorem speciei perfectionem retinere, vt de vino acescente à Galeno dictum fuit in lib. 2. Aphoris. comment. 17. propterea illi conuenit vacuatio per vrinas, per sudorem, per aluum, per vomitum. Huic vero conuenit transpirationis impeditæ euentatio, refrigeratio, meatuum apertio, concoctio, vt Galenus testatur in arte medica, & in lib. 11. Meth. cap. 8. & in cap. 13. Hæ sunt indicationes à cruditate putridarum febrium sumptæ, non vacuatio per phlebotomiam, quæ sanare non potest putredinem, & quæ solius plenitudinis vacuandæ causa est à Medico instituta. Pro maiori autem dilucidatione rationis huius animaduertere oportet, quod etiam supra commonui, obstructionem putridam febrem concitantem non semper fieri à multitudine, aut simplici, aut cum aliis causis complicata, cum aliquando etiam fiat citra multitudinem. Est hoc etiam atque etiam obseruandum: quia Medici recentiores, vnanimi consensu fere omnes, principium curationis in putridis febribus esse dicunt vacuationem plenitudinis. In qua re, quod illorum pace sit dictum, aberrant: nam si plenitudo illa vasa respiciens adfuerit obstructionem faciens, & adaugens, vacuatio exquisite dicta est adhibenda, quæ per venæ sectionem fit, vt Galenus ait primo Aphoris. comment. 3. & passim alibi. Si vero hæc non adfuerit, sed pro plenitudine cacochymia obstructionem concitauerit, ab illius vacuatione exordiendum. Hanc declarauimus materiam diligenter in libris de febribus; nunc duntaxat rem sic habere docere volo, Galeni decretis extra omnem difficultatem verissimis. Quod vero recludet (inquit vndecimo Methodi, cap. 4.) hic quoque ad contrarietatis indicationem attendens inuenies. Vbi namque abundantia humotum est, hos vacuabis, vbi crassi sunt & glutinosi, tenues eos & fluxibiles efficies. Si plures causæ aliquando coibunt, omnibus per contraria occurres; si quidem fieri potest, vt & coarctatum corpus sit, & exigui meatus densati, & multi simul ac lenti humores subsint. In eiuscemodi autem causarum complexu, si recte, quæ prius comprehensa sunt, meminerimus, cœpisse à sanguinis missione conueniet; ac abundantia vacuata, tum ad attenuandos humores venire; ab hoc ad remittenda, quæ sunt constricta, & rarefacienda, quæ sunt densata; atque hæc quidem a morbi affectu indicatiue sunt sumenda.] Hæc ibi. Ex quibus tum illud colligendum est, plenitudinem quoad vasa, non semper obstructionem facere; tum etiam quod in putridarum curatione à venæ sectione auspicari non semper conueniet; vt hinc manifestum sit, aberrasse, qui hanc repetitionem in omnibus putridis admittant, cum quædam sint, in quibus generosum hoc auxilium minime conuenit, vt alibi docuimus, quemadmodum omnes illæ sunt, quarum obstructio à plenitudine non fit, aut saltem suspicio est, ne fiat. Concludo igitur, transacto principio, nunquam vigere indicationem de iteratione venæ.

Opinio-

Cap. XII.

Opinionis iam dictæ confirmatio ex Galeno, & Hippocrate.

HANC meam opinionem confirmo Galeni, & Hippocratis authoritate secundo Aphorismorum, vigesimonono, cum ait: Inchoantibus morbis si quid videtur mouendum, moue, cum vero consistunt, melius est quietem habere. Galenus in commentario sic ait: Aliorum autem morborum, in quibus salutis ægri sit spes aliqua, per initia danda est opera, vt maiora adhibeantur remedia: nam de iis morbis dicebat Hippocrates, si quid videtur mouendum, moue. Præcipua autem in his remedia sunt, maxime quidem phlebotomia, nonnunquam vero & purgatio, quorum neutrum in vigore venit vsurpandum: nam, vt in libro criseos ostendimus, tum temporis maxime fiunt morborum coctiones, quæ quo citius fiant melius est per initia vacuare, vt minorem reddi tam eo modo materiam, facilius concoquat natura; in statu autem, quo tempore maxime in coctionem morbi incumbit, vacuare fuerit superuacaneum, cum aliis de causis, tum quia animalis omnino virtus fatigata laborat, licet duæ aliæ vitalis, & naturalis fortes eo maxime tempore permaneant.] Hoc Galenus ex quibus hanc deduco rationem. Tunc venæ sectio iteranda, aut exercenda non est, quum natura incumbit coctioni, & crisi. Atqui in statu morbi, & in fine augmenti natura incumbit concoctioni, & crisi: itaque in statu & incremento iteranda, aut exercenda non est venæ sectio. Propositio est ratio, in qua Aphorismi sententia innititur, vt Galenus docet in commentario. Nec est, quod eam suspectam habere debeas, quod indicationibus præsentibus in quocunq; morbi tempore phlebotomiam exercemus: quoniam tunc non fuit in principio euacuata plethorica dispositio, quæ aut aggrauans plurimum vires, aut nimium distendens, aut vtrumque faciens, naturam concoquentem, crisimque molientem, prorsus impedire à concoctione humorum, vel certe plurimum retardare posset; propterea venæ sectio tunc primum adhibita, non mediocriter iuuat naturam. Ac licet non sit ordinaria, & regularis curandi ratio, exigens (vt prædixi) in principio multitudinis vacuationem, est tamen necessaria, & coacta instituta propter melius: ex qua negari non potest aliquid consecuturam incommodi naturam; nihilominus multo maior est commoditas ex vacuatione plethoræ in tempore importuno, quam ex omissione vtilitas. Prætermitto, quod rarum est, vires ipsas tunc validas esse, adeo, vt venæ sectionem ferant, cum ex morbi progressu fuerint non mediocriter labefactatæ, vt supra diximus: Igitur quando natura incumbit concoctioni, & crisi, non est adhibita venæ sectione impedienda, aut purgante pharmaco, quorum neutrum morbo consistente adhibere conuenit. Minor propositio notissima est, tum ex ipsa experientia, tum ex Galeni libris de crisibus, & primo Aphoris. 21. Satisfaciamus modo rationibus eorum qui contrarium contendunt.

Cap. XIII.

Responsio ad rationes eorum, qui contrarium contendunt.

CONTENDVNT primum hanc medendi rationem ab experientia fuisse confirmatam, quoniam iteratione adhibita in augmento, & in statu, sanguis educi solet multo magis putridus, quam in principio: idque accidit semper felici successu, cum qui periclitari videbantur ægroti ob ingentem putredinem, aperta secundo aut tertio vena, illico liberi euadant. Hic ego eam, quam illi profitentur experientiam non cognosco, quinimmo, potius contrarium me obseruasse possum citra dubitationem testari; nam quamplures vidi misere obiisse ex intempestiue misso sanguine, aut eodem die horis admodum paucis intercedentibus, aut parum postea. Deinde qui fieri potest hanc iterationem tantum prodesse? Si nulla subest multitudo, aut quo ad vasa, aut quo ad vires, sine qua venæ sectio vt euacuatiuum præsidium exerceri non potest? cum

id vacuetur, quod vacuari non debet, vt sanguis; quomodo vites hanc ipsam vacuandi rationem ferre possunt? Deinde maxime desidero, vt explicent mihi, vnde nam cognouerint sanguinem putridum venæ sectione vacuandum? ego enim, tantum abest, vt id credam quod potius, quo magis obseruo sanguinem sinceriorem melioremq́; , eo audacius & liberalius euacuandum duco: Quo vero magis putridum & coinquinatum, eo minus vacuandum censeo. Cur enim Galenus præcepit vbi sanguis bonus in venis fuerit paucus, humores autem mali multi, esse protinus abstinendum à venæ sectione? an Galeni hoc decretum nouatores non admittunt? Sed qualis erit, viri boni, in venis sanguis putridus? bonus ne sanguis erit ne multus? Quæ præterea curandi indicationes in putredine vigent, eas prorsus subuertunt: indicatio duplex ad putredinem; vna vacuatio eius, quod putrefactum est: alia impedire, ne semiputridum putrefiat. Illud fit purgatione per aluum, per vrinam, per sudores, per vomitum, neque aliam in Galeni doctrina vacuandi humorem putridum rationem inuenies. Nullibi quidem Galenus venæ sectionis meminit huius indicationis ergo; præsertim vero, vbi ex proposito hoc argumentum pertractat. At semiputridum corrigitur refrigeratione, euentatione, concoctione. Venæ sectio hic locum non habet aliquem; tunc vero duntaxat est vsurpanda, cum ipsam curare volumus obstructionis causam, vt multitudinem; atque ita præseruare studemus, ne putredo fiat; idcirco bonum esse sanguinem conuenit ratione substantiæ, cum mittitur, non putridum, non coinquinatum, vt illi tradunt. Amplius, si putridus sanguis venæ sectione iterata vacuandus est, cur Galenus plethorico existente corpore (quale semper est in vtraque synocho) in curatione sanguineæ febris hanc iterationem prætermisit? cur demum dixit, putredinem curari non posse venæ sectione, ceu quæ alia remedia desideret? Quid accidet vbi nulla subsit plenitudo? Quod postremum erit munus purgantis pharmaci, si putredinem emendat venæ sectio? Est enim purgare sanguinem purum reddere, id vero fit, quando ex venis attrahit, quod sanguinis puritatem coinquinabat.

CAP. XIIII.

In euacuandis humoribus non solum obseruandum esse citam vacuationem, sed magis an tuta futura sit euacuatio.

SED fortassis obiiciunt aperta vena citius, & facilius omnem cacochymiam aut maiorem partem vacuari, tardius, & difficilius exhibito pharmaco purgante: propterea primum incidendam esse venam, mox autem quod reliquum est purganti pharmaco educendum esse. Scio hoc illorum refugium existere. Verum, quem sit exitum habiturum, nunc doceo. Citius omnis venarum impuritas venæ sectione corrigitur, quam pharmaco purgante. at neque tutius, neque iocundius: est enim officium Medici, tuto, cito, & iocunde sanare, vt Galenus ait libro duodecimo Methodi, capite primo: desunt ex hisce tribus in hac ratione curandi duo; quorum causa non est venæ iteratio exercenda. Primum, quod tuta non sit medendi ratio, satis aperte demonstrat, quod cum vires nihil sint aliud, quam calor naturalis, vt in discursu de viribus manifestum fecimus: calor vero naturalis perseuerantiam habeat à sanguine, conseruationemque, vt supra ex Galeno demonstratum fuit à nobis: vbi sanguis bonus exiguus extiterit, ibi languescere vires est necessarium: tum etiam, qui exiguus est in venis is debet in illis conseruari: quod si vacuetur duplici nomine oblædit vacuatio: tum quia portio sanguinis educitur, quæ non debebat; tum quia vires redduntur imbecilliores, putrescensque materia continuo adaugetur. Ob hanc sane causam præcipit Galenus libris de sanitate tuenda, non esse sanguinem mittendum, vbi bonus sanguis fuerit exiguus. Deinde non est iocunda eiusmodi vacuatio, illam enim iocundam esse dicimus, quæ ab ægroto facile fertur, quæ vires conseruat, cum difficultate fertur, quæ easdem reddit imbecilliores. Iocunda igitur vacuatio esse nō potest, quæ vires reddit imbecillas, qua-

las qualem hanc existere iam demonstrauimus. Quamobrem ipso in casu magis eligendum est, vt longiori incedamus via, quæ tutior existat quam breuiori magisq; periculosa; atq; hac incedentes via, per epicrasin vacuabimus bis, & tertio purgantia pharmaca repetentes, humorem & caloris interim acrimoniam contemperantes, naturæ robur non mediocre addemus, expurgantes quod malum est, & bonum naturæ beneficio retinentes. Ex hac epicrasi & contemperamento nascetur, quod natura per sudorem, per insensibilem transpirationem, per vrinas, quæ reliqua sunt, facile postea expurgabit. Hactenus demonstrauimus potissimum huius hæresis fundamentum parum firmum esse, vt ex hoc facile coniectare possit vnusquisque, quid de reliquis futurum sit.

CAP. XV.

Morbo recrudescente periculumque minitante in augmento, vel in statu, haud necessario conuenire venæ sectionem.

CÆTERVM habebunt etiam aduersarii, quod nobis obiiciant, nempe supponere nos morbum salubrem, & certam crisin, cuius causa ægrotus conualescat; at illi contra ambiguum affectum, periculosum, & fere deploratum, cui nisi sectione venæ statim subueniatur, nullam omnino postea futuram spem sanitatis. Hoc ego recognosco præcipuum existere quorundam subterfugium. Recordorq; cum de hac re aliquando sermo incidisset cum Medico factionis huius, & proxime ægrotum moriturum præ manibus haberemus habitis vltro citroque, vt in eiuscemodi congressibus fieri solet, sermonibus, illo proponente phlebotomiam, me reluctatũ esse, at eum altissima voce proclamasse, iactam esse aleam, nisi vnica venæ sectione succurreretur. Tum certe admiratus hominis stupiditatem, risi, meq; ridentem vidit Illustris admodum Octauius Sanctacrucius, Episcopus Ceruiensis, & omnes qui secum aderant. Responsionemque dare dedignatus, statim discessi. Ille vero putans se plurimum famæ tum ex meo silentio, tum ex discessu acquisiuisse, accersito Chirurgo temerario iudicio præditus venam incidere ausus in cubito, mortem accelerauit adeo, vt post infelicis remedii vsum hora tertia vitam cum morte misere commutauerit. Atque nisi obstitissem, & iram affinium Illustris defuncti, meis exhortationibus temperassem, haud impunis euasisset Medicus ab eiuscemodi errore. Verum prætermittamus hosce Empiricos, agamus cum doctissimis viris, qui nunquam, aut admodum raro aberrare profitentur. Opus est igitur, vt rem ipsam ordine prosequamur: Affectus cuius proposita curatio est, aut salubris est, aut omnino lethalis, aut medio quodam ordine constitutus. Quid agendum in salubri affectu, iam constat, nihil scilicet concoctionis tempore mouendum, sed naturæ iudicium expectandum. Si fuerit morbus omnino lethalis, hic etiam constare arbitror, quid agendum, nempe solis prognosticis ægrotum fore committendum, aut si aliquid tentandum sit, leue id, & nullius momenti pro virtutis conditione eligendum. Meminisse oportet hoc loco, quæ diximus libro nostro, cui titulus est, quod deplorati non sunt suis prognosticis relinquendi. Librum habes excusum in primo Epistolarum medicinalium tomo. De his igitur non est aliqua disputatio cum illis instituta. Neutrum modo supponamus morbum: tunc dico adhibendam esse distinctionem: aut enim talis à principio fuit, aut cum ab initio salubris existeret, postea periculosus factus est; in priori non conuenit repetitio sectionis venæ: quandoquidem supponimus ægrotum fuisse à principio morbi ab omni sanguinis multitudine satis superque vacuatum, aut semel, aut partitis vicibus, prout fuerint vires validæ, vel imbecillæ, & qui hoc ipsum tunc non fecit, hic profecto in artis operibus non mediocriter aberrauit. Tandem ponamus in hunc errorem incidisse Medicum, asseuero etiam, neque in statu conuenire venæ sectionem ob aliquam portionem multitudinis non exacte vacuatam: quia semper aliquid sanguinis reseruare oportebit ad curationis institutæ perfectionem, ne coga-

mur nutrire admodum intempestiue, vt Galenus dicebat lib. 11. Methodi, capite 14. Nam exonerata eo, quo veluti sarcina premebatur natura, multo potentior redditur supra residuum, ita vt facile concoquat, quod concoqui est habile, & expellat, quod poterit expelli. Multo certe minus conueniet in posteriori casu. Contemplari enim oportet causam, ob quam factus fuerit nouus insultus morbi, & ex salubri fere deploratus euaserit: tunc contrariis remediis vtendum erit. Est autem impossibile, causis omnibus contrariam phlebotomiam. Illud certe dici non posse, video ex plenitudine contigisse: quoniam illam in principio vacuatam supponimus. Si ab errore aut ægroti, aut Medici, aut assidentium, eiuscemodi aduenerit transmutatio, neque perspicere possum, qua ratione phlebotomia corrigere possit illum. At si forte dixerint, naturam haud bene superasse materiam morbificam, sed cum eam ad excretionis loca expellere debuisset, ad nobilem aliquam partem transmisetit, vt in acutis morbis contingit, in quibus non sunt certæ pronunciationes, & iudicia salutis aut mortis, dicerem ego, id frequenter contingere, sed huic translationi humorum tanquam determinatum contrarium non opponitur venæ sectio. Quod de vrinis crassis & perturbatis afferunt in medium, neq; mihi videtur magis persuadere, quam superiora; possunt enim crassæ vrinæ emingi in statu, natura per vrinarios meatus expellente materiam putridam morbum concitantem, vt frequenter aduenire obseruauimus: quam rem nescientes distinguere Medici quidam, putant ægrotum omnino moriturum, qui postea breui, nec sine artis infamia conualescit. Quid hic commemorabo affectum renum aut vesicæ? redduntur aliquando crassæ tenuissimæ; nonnunquam nigræ, nonnunquam sanguineæ; propterea & in cognitione morbi, & in prognostico possent Medicum decipere, etiam iudiciosum, qui naturæ propriæ ægroti non habuerit notitiam. Sed demus perturbatas fieri vrinas ob nouæ putredinis incrementum, neque huius ipsius causa venæ sectio conueniet, quia putredo non potest eo remedio curari, aliud desiderans, vt Galenus ait libro vndecimo Methodi, capite decimoquarto. Hæc & alia eius generis in superioribus comprehensa dici possunt contra eorum opinionem, qui in statu morbi venæ sectionem esse repetendam, consuluerunt.

CAP. XVI.

Quid Ioannes Fernelius contra Auicennæ sententiam scripserit de mittendo sanguine ante morbi coctionem.

SED contra nostram opinionem quædam aperte scripsisse videtur Auicenna, dum in quarta sectione primi libri hoc modo scribit: Et debes scire, quod dum istæ ægritudines timentur, & nondum in eas ceciderit, plus secure in eis conceditur minutio: & cum in eis ceciderit, in earum principio penitus phlebotomia dimittatur: quia humores subtiliat, & eos per corpus fluere facit, & eos sano corpori admiscet: & est etiam, cum nihil euacuatur ex eo, quo oporter, & facit, quod necessaria sint medicamenta alleuiantia. Cumque maturatio apparuerit, & ægritudo principium aut statum prætererit, tunc si oportuerit, vt minutio fiat, si non fuerit, quod prohibeat, fiat phlebotomia.] Hæc Auicenna. Quæ sane verba maxime difficilia sunt, atq; controuersiarum plena. Inprimis enim admodum euidenter nostram opinionem redarguere videntur, qua præcepimus in morborum duntaxat principiis conuenire venæ sectionem, at Auicenna omnino contrarium præcipit, cum dicit: Et cum in eis ceciderit, in earum principio penitus phlebotomia dimittatur.] Deinde vero maxime controuersum est, quod parum postea addidit, vtilem scilicet esse tunc duntaxat, quando materia fuerit concocta, morbusque ipsum principium & statum prætererit. Idcirco recentiores Medici vnanimi consensu hanc illius opinionem reprobare conati sunt, inter quos nullus extitit, qui doctiori, elegantiorióq; stylo reprobauerit Ioanne Fernelio. Cuius summatim opinionem hic re-

hic referre constitui. Primum igitur redarguit in eo Auicennam, quod dixerit venæ sectionem factam in morborum principiis attenuare sanguinem, hoc enim absurdissimum esse constat ex iis, quæ supra dixerat, & longiori demonstratione comprobauerat. Etenim, aperta vena, eandem omnino in venis proportionem remanere sanguinis, quæ ante venæ sectionem fuerit, manifestissimum est. Qua igitur ratione dicemus à venæ sectione sanguinem attenuari posse? Rursus vero si quædam mutatio fieri debeat, deberet phlebotomia multo magis incrassare, quam attenuare sanguinem. Quandoquidem calidus, tenuisq; sanguis multo expeditius, atque citius, vbi aperta fuerit vena, profluit, crassiori sanguine emanante pigrius, & ægrius. Si hæc vera sunt, multo verisimilius est, phlebotomiam sanguinem, & humores incrassare. Præterea, impossibile videtur, phlebotomiam humores exagitare in venis posse. Quia si multitudinem tollit, quæ omnium morborum, & perturbationum causa est, debet eadem omnia mitiora, & tranquilliora reddere. At si peccans materia sanguinis permiscetur in venis, cur hæc secta vena non pariter foras cum sanguine exilit? Quod si verum est, quæ causa erit exagitationis humorum, eo vacuato qui perturbationem efficiebat? Amplius natura concoctione impuros, noxiosque humores à purioribus secernit; hos vt conseruet, illos, vt tandem foras expellat, aut per se sola, aut medicamentorum adiuta beneficio. Atqui venæ sectio nullo delectu omnes, qui in venis sunt, promiscue & indiscriminatim prolectat. Quorsum igitur vt hæc fiant, humorum concoctionem, atque segregationem præstolemur? vt in phlegmone pus iam factum non amplius venæ sectione, sed alia ratione per vias breuiores deriuamus: ita in febribus, quarum materia in venis coercetur, concoctus, ac iam secretus humor medicamento deriuandus exturbandusque est. Qua in rerum temporis naturam habebimus adminiculantem, manusque porrigentem, quæ secretos humores foras extrudere contendit. At si quis hoc tempore venam ausit incidere, non eos solum sed pariter vtiles educet, quodq; deterius est, eos qui vi naturæ secreti fuerant, puro sanguini permiscebit, hunc coinquinabit, omnia confundet, naturæq; molitionem optimam interpellabit. Quum igitur concoctionis manifesta signa comparebunt non amplius venæ sectione, sed aut purgatione, aut aliis deriuantibus præsidiis, reliqua curatio transigenda est. Vrget præterea Auicennam, quod in morbis acutis eadem die medicari oportet, tardare autem malum. Cur igitur in his ipsis concoctionē expectabimus, quæ fortassis futura non est, vt Galenus ait libro primo de ratione curandi ad Glauconem, capite decimoquinto. Si enim morbus periculosus sit, quorsum volumus expectare coctionem? Siccine morbum sinemus suo impetu proteruire, atque ægrotum tam immaniter tractari citra vllam artis opem? Rursus vero, si statuamus salutarem esse morbum, cur transacto statu, generosum hoc exercere præsidium voluerimus? Si iam sanitati restitutus est ægrotus, quid in eo erit eiuscemodi remedium indicans? Amplius, synocha febris, vt puta à sanguinis nimio feruore, abundantiaque concitata, quam postulabit coctionem antea quam venam incidimus? Cur in hac febre ille quidem vult parce mittendum esse sanguinem a principio, quum liceat Galeni testimonio vacuare vsque ad animi deliquium? Hæc ille contra Auicennæ sententiam scripsit.

Cap. XVII.

Quid pro Auicennæ defensione dici possit.

CÆTERVM me non fugit Fernelii rationes maxime conuincere, certe, vt in superioribus demonstratum à nobis fuit, in augmento, & in statu locus non est huic remedio, multoque minus transacto statu ipsa, inquam, declinatione, quando omnia iam in tuto sunt. Verum quia, vt Galenus ait libro de rigore, veterum sententiæ amice interpretandæ sunt, propterea cum nequeam imaginari magnum Auicennam, Galeni imitatorem summum, in peruersam hanc incidisse opinionem, experiri volo, an possim illum ita interpre-

tari, vt tam rationi, & experimento, & Galeno dissentanea dixisse minime videatur. Hæc autem potissima dilucidationis huius capita videntur: primum, vt doceam, an in quibusdam morbis venæ sectio sanguinem tenuiorem facere possit: secundum, an aliquando phlebotomia conueniat post principium: tertium, vt Auicennæ contextum interpretemur. In primis itaque nullam habere videtur mihi difficultatem ex intempestiuo misso sanguine id incommodi posse contingere. Supponamus magnam copiam humoris biliosi contineri in ventriculo, circa iecur, & pancreas, venas turgidas esse, & sanguine non mediocriter repletas: hic duæ sese offerunt indicationes, vna multitudinis vacuationem indicans: alia cacochymiæ purgationem: vtraque executioni est demandanda, sed non eodem tempore: periculosa enim est vacuatio multitudinis secta vena non expurgata cacochymia; quia humores illi acerrimi, ac tenuissimi in venis attracti multo grauiorem affectum facerent: acriorem, tenuioremque sanguinem redderent, vt libro quarto docuimus. Non igitur abs re dictum ab Auicenna fuit, phlebotomiam tenuiorem facere sanguinem, quæ res accidit in casu duntaxat proposito. Atque idcirco in principio morborum abstinendum ab hoc remedio tantisper, donec mali humores fuerint expurgati, vt dicemus posthac diligentius. Porro principii nomine intelligimus tempus illud, magnam habens latitudinem, cuius potissimum partes tres existunt, vt Galenus, tum libro de crisibus, tum de temporibus morborum docuit, principium, incrementum, & vigor. Quamobrem vniuersale principium cum sit maxime accommodatum ad hoc remedium, non habet in omnibus partibus eandem opportunitatem; quoniam aliquando conuenit in eiusdem priori parte, aliquando in secunda, aliquando in tertia, vt demonstratum est alibi à nobis. Pone crudos humores contineri in ventriculo simul cum multitudine, vt Galenus primo ad Glauconem dicit, quando plenitudinem supponit ex recentibus cruditatibus genitam, conuenit phlebotomia ob multitudinis affectum: eam remoratur cruditas in primis vasis contenta, quis multitudini soli intentus audebit venam incidere, antea quam concocta sit cruditas? Maximum certe hic damnum inferret. Propterea recordor Galenum dixisse, non esse mittendum sanguinem, vbi malorum humorum copia in ventriculo continebitur: bonum (inquit) sanguinem in venis contentum vacuabit phlebotomia, malum vero in primis regionibus contentum, intus rapiet. Huius cruditatis expectanda concoctio est antea quam sanguinem vacuemus; non autem humorum, qui in venis putrefacti continentur. Concoctio vero illa fit admodum opportune in prima, aut in secunda parte principii vniuersalis. Atque idcirco non sunt hæc diuersa, vt quispiam putat. Venæ sectio conuenit, vbi humores crudi, id est, putrefacti sunt in venis. Rursus, venæ sectio non conuenit, vbi cruditas adest in ventriculo alimentorum, vel humorum. De his quidem locutus fuit Auicenna, quando in principio abstinendum esse præcipità venæ sectione, atque concoctionem expectandam, non autem de illis, qui in primis venis continebantur. Neque arbitrari oportet, Auicennam venæ sectionem in synocha febre citra putredinem in principio parcam præcepisse, id enim ex illius contextu falsum esse apparet, in quo de putridis synochis mentionem facit. Merito autem in his parcitam vacuationem proponit, quando crudorum humorum copia simul adsit. Existente enim febre magna celereque postulante auxilium, licet cruditas adesset aliqua, voluit à principio statim sanguinem mittere, sed exiguum; quia verebatur ne illo remedio crudi humores traherentur in venas multo copiosius: postea vacuabat, quando cruditatem omnem fuisse remotam cognoscebat. In qua re videtur Galenum imitatus in libro Methodi vndecimo, capite decimoquarto, in quo sic scribit: Quippe si vires eius, qui ex humorum putredine (vt positum est) febricitat, valentes sint, mittendus statim sanguis est, si cruditas ventris non sit statim morbo incipiente.] Hæc Galenus: qui certe docet, non esse mittendum sanguinem in synocha febre statim incipiente morbo, si ventris adfuerit

fuerit cruditas, ideo non vult exspectari debere concoctionem sanguinis putrefacti, vt imponit illi Fernelius, sed humoris crudi in ventriculo contenti. Aggredior modo explanationem vltimi capitis. Textus ille admodum difficilis est, quia videtur variis contradictionibus implicitus: atque multo maior apparet inesse difficultas, quod vix in hanc vsque diem constet, quam pro germana debeamus admittere lectionem, ita variæ sunt. Experiamur itaque, an ex omnibus aliquid colligere valeamus, quod nostro proposito conueniat. Itaque, si admittamus antiquam lectionem, qua parte dicit: Humores subtiliat, & eos per corpus fluere facit.] nihil inesse videtur mihi, quod faciat difficultatem, si vera sunt a nobis exposita. At si hanc non admittamus, insequamurque aliorum interpretationes, hic locum arguendi inuenire non potest Fernelius. Contextus à Gratiolo donatus latinitate in hunc modum habet: In aliquibus enim, vbi iam inuaserit, venæ sectio prorsus in principio omittenda est, vt quæ humores commoueat, & in omne corpus diffundat, sanguinique puro permisceat.] Hic author dicit expungenda esse ea verba. Quia humores subtiliat.] Quandoquidem in interpretatione Ramusii non inueniantur, qui tamen creditur admodum fidum habuisse codicem, vtpote qui Damasci artem medicam exercens, Anno 1484. & Arabicæ linguæ peritissimus primum Auicennæ librum latinitate donauit. Porro expungenda esse illa verba, Gratiolus vir doctissimus (cui certe plurimum omnes Medici debent) contendit, quod idem author eandem sententiam proposuerit: nam sectione vigesimasecunda libri tertii, tractatu secundo, cap. 7. secundum antiquam versionem, hæc nobis scripta reliquit: Phlebotomia commouet humores, & facit eos currere in corpus, & non extrahit illud, quod necesse est, vt extrahatur.] Item sectione prima libri quarti, tractatu primo, capite trigesimotertio. Phlebotomia, inquit, facit currere humores, & permiscet eos.] Ex quibus facile colligere vnusquisque poterit, præsertim Ramusii excellentissimi Medici authoritate confisus, ea verba, & humores subtiliat,] expungenda. Cæterum, quod attinet ad secundam partem contextus, multo difficilior explanatio reddetur, præsertim, si antiquam Gerhardi versionem voluerimus admittere, aut etiam eam, quam postremo Mantinus Hebræus promulgauit: vix enim diuinari potest, quid sibi voluerit, præcipiens mittendum esse sanguinem post statum. At si voluerimus insequi contextum ab Alpago doctissimo viro emendatum, cognoscemus vtique tum Gerhardum, & Mantinum fuisse deceptos, tum etiam sensum maxime dilucidum habebimus loci huius. Nam ille ex suo codice Arabico hac ratione correxit. Cumque maturatio apparuerit, & ægritudo principium versus statum accedens, præterierit.] Hancque lectionem admittit Gratiolus. Sensus autem hic est. Quando crudi humores in ventriculo consistentes fuerint maturati, morbusque iam præterierit primam partem principii vniuersalis, accedens versus secundam, atque tertiam partem, tunc præsentibus de mittendo sanguine indicationibus, vena incidenda est. Quæ explanandi ratio verissima est. Atque hæc de proposito argumento volui dixisse.

CAP. XVIII.

An sanguinis detractio fieri debeat in die motus ægritudinis.

NON solum vniuersalium temporum habenda ratio in omni vacuandi ratione, sed etiam particularium, idcirco, postquam hactenus de vniuersalibus disputatum est à nobis, relinquitur modo, vt de particularibus tractationem instituamus. Primum vero dignum inquisitione videtur, an in die exacerbationis vacuare debeamus. Hanc rem explanans Auicenna, sic inquit: Sanguinis quoque detractio, quemadmodum nec alui deiectio, non est adhibenda in die motus morbi, cum ea die requies potius, & somnus conciliari debeant, & morbus ipse maiorem impetum faciat.] Quibus verbis docet abstinendum a phlebotomia in die accessionis, quemadmodum etiam à pharma-

cia. Sed quod attinet ad purgationem, nihil in hac Methodo dicendum, in qua absoluete conamur artem vacuandi per venæ sectionem. Quod igitur proprium est tractationis huius, id exequamur. Præceptum hoc, nisi distinctionem adhibeamus, non est vniuersaliter verum. Quandoquidem, si quispiam quotidianam, aut tertianam duplicem patiatur, adsintq́; scopi venæ sectionem indicantes, quodnam erit accommodatum ad eiuscemodi vacuationem tempus? opus est enim eam fieri in die exacerbationis. Adde Hippocratem præcepisse in quartana febre dandum esse medicamentum purgans ea die, qua prehenderit accessio, quod etiam Auicenna docuit in capite de curatione quartanæ, atque recentiores Medici faciundum suadent. Quemadmodum igitur in ipsa accessione purgandum est, sic in eadem sanguinis missione vtendum. Amplius, eo die fieri debet vacuatio, in qua maior quantitas euacuari potest materiei morbum proxime concitantis: etenim hæc est, quæ facit morbum, huicq́ue causæ perinde vt morbo debetur curatio, vt diximus in libris de Methodo medendi. Atqui morbi essentia, siue coniuncta causa in die accessionis multo facilius educitur, quam in ipso interuallo. Est enim tunc humor magis attenuatus, magisq́ue mobilis, ita vt sine labore foras expelli poterit. Adde his, artē imitari debere naturam, sed natura in die exacerbationis iudicat morbum vel per fluorem sanguinis ex naribus, vel per vomitum, vel per inferiorem ventrem: cur igitur non licebit etiam nobis illius imitatione eodem tempore sanguinem mittere? Quin etiam quotidie obseruamus in principio accessionis, naturam salubriter tentare vomitum: nobis etiam aliquando illam conuenier imitari. Quamobrem, cum hæc, atque alia huius generis multa suspectum reddant eiuscemodi præceptum, doceamus, quæ sint distinctiones tenendæ, vt omnia sint aperta, atq; dilucida. In primis itaq; statuamus, febrium quasdam esse vere intermittentes, quasdam continuas: continuarumq́; duplicem ordinem existere; quoniam harum nonnullæ sunt proportionales tertio quoque die, aut quarto, aut singulo inuadentes: quædam conclusæ, quæ propriæ nuncupantur continentes: in his omnibus inuenienda est opportunitas vacuandi. In iis quæ intermittunt, interuallum est ad hoc opus accommodatissimum: aut si adeo fuerit exiguum interualli tempus, vt in eo vacuationem promouere non liceat, remedium fiat, cum primum affectus incipit declinare, maxime vero si declinatio, vt in tertianis contingit, cum sudore sit terminanda. Periculum est inchoante accessione sanguinem mittere, primum, quia motus fierent contrarii, vnus à natura, alius ab arte. Naruta vomitum prouocando, aut etiam aliquando ciendo aluum, ex circumferentia ad centrum ducit humores. Ars vero, eosdem contrario motu retraheret à centro ad superficem, fieretq́ue certe vacuatio maxime laboriosa, ac etiam inutilis, & periculi plena. Donemus enim, sanguinis missionem impedire motus naturæ, quod maxime consequens est, quanta hinc quæso aduenient incommoda? Putris illa materia, quam vacuare festinat natura per superiorem, ac inferiorem ventrem, trahetur in venas fietq́ue ex intermittenti febris continua. Veretur Galenus, vt in superioribus scripsimus, venæ sectionem, quando crudi humores non agitati in ventriculo conquiescunt: nos vero non habebimus suspectum remedium, vbi adfuerint humores tenues, calidi, atque agitati. ob hanc igitur causam in hisce febribus, aut in interuallo, aut cum declinare incipiunt vena incidenda est, vt Galenus hisce verbis admonet. Verum si quis memoria teneat, quæ toto supra libro sunt dicta, nihil tale committet sanguinem mittens, qualibet diei noctisq́ue hora, modo respiciat in febribus quidem particularium paroxysmorum declinationem, vt parum supra dixerat: sed enim quod in ipso rursus die, in quo sanguinem mittimus, obseruanda sit febris declinatio, clarere satis arbitror. Eadem medendi ratio est in continuis proportionalibus: At vero in synochis, in quibus æqualiter sese habet febrilis calor, expedit sanguinem mittere hora matutina, haud protinus à somno, excitis, verum circiter horam vnam iam antea vigilantibus. Illud præterea scire oportet, venæ sectionem

habere

habere duo tempora, alterum liberum coactum, alterum liberum in arbitrio, & potestate est, de quo loquemur infra: coactum vero tempus est, dum vrget necessitas, ita vt differri nequeat neglectis omnibus, quæ eam prohibeant. Propterea necessaria phlebotomia nullam habet determinatam horam, sed potest die, nocteque exerceri, in die accessionis, vt etiam in accessione media. Pone enim buin singulo quoque die moueri, tunc vacuatio in ipsa accessionis die ex necessitate fiet. In qua re obseruandum est, vt eligamus horam magis proportionatam, vel antea quam inuadat accessio; vel in declinatione, aut prope declinationem accessionis. Rursus vero si sæua aliqua superueniant symptomata aut periculum minetur, ne superueniant, vt suffocatio, phrenitis, apoplexia an dolor aliquispiam vehementissimus, aut aliud id genus malum, tunc sane in accessione vacuabimus: propterea recordor alicubi scripsisse Auicennam, & non moueas in die paroxysmi, nisi propter necessitatē.] Quid prohibebit quin malo id genus aliquo imminente sanguinem mittamus in accessionis etiam principio? Res perinde habere videtur mihi, atque in cibatione, quæ fit in accessionibus, in quibus iuxta nostri senis præcepta, abstinere ab alimentis oportet, cum aliquid dare nocuum sit, tamen vt malum aliquodpiam maius euitemus cogimur, velimus nolimus, in accessione nonnunquam ægrotos alere. Postremo vacuandi necessitas in accessionibus aliquando pendet ex materiæ peccantis qualitate, vt quando fuerit grossa, & viscida, neque multum calida: tunc quia in die paroxysmi attenuatur, aptiorque fit ad expulsionem, propterea id aliquando facere tentamus, vt in quartana Hippocrates, & Auicenna præceperant. Verum hæc ad propositam, quamque nunc tractamus, de venæ sectione materiam recte accommodari non possunt; neque enim vnam duntaxat sanguinis partem vacuare in animo est, sed sanguinem totum cum suis partibus confusum. Neque quod attinet ad tempus, debemus imitari naturam, quæ inclinante accessione excrementa vacuat quidem per vomitum, declinante vero accessione per sudorem. Etenim nunquam licet, nisi coacte sanguinem eo ipso tempore vacuare: in hoc imitabimur, quod vt natura vacuat humorem peccantem, sic nos ipsi illius imitatione humorem eum educemus, à quo concitatur morbus. Cæterum in ipsis febribus, quando sanguinis missio fit, non quærimus vacuare proximam causam, & contentiuam putridæ febris, verum antecedentem. Quia sanguinis vacuatio non fit propter putredinem, sed propter multitudinem, estque semper remedium præseruatiuum, si vera sunt, quæ in superioribus libris demonstrauimus. quia igitur satis abunde videor docuisse, quando liceat in principio accessionis, quando in declinatione sanguinem mittere: nunc reliquum est, vt ad aliorum explanationem accedamus.

Cap. XIX.

Qua hora sanguinem mittere expediat.

QVÆDAM hic de hora dicere oportet. Vbi sanguis mittitur ratione præseruationis; tunc accommodatam eligemus horam, quæ scilicet nobis multo magis videbitur expedire. Ea vero est de qua Galenus hisce verbis locutus est, libro de ratione curandi per venæ sectionem, cap. 21. Cum autem nihil eiusmodi aut vrgeat, aut prohibeat, præstat mane venam incidere, haud protinus ex somno excitis, verum citciter horam iam antea vigilantibus.] Ex quibus satis apertum fit secundum Galeni sententiam, horam matutinam magis conuenientem esse, quam pomeridianam. Etenim dicunt antiquiores Medici quibus etiam adstipulantur philosophi, à solis exortu sanguinem suscitari, vigere, dominari, ipsoque diei lumine tenuiorem fieri, ac ad fluxionem ipsam præparatiorem, præsertim vero hora secunda, aut tertia. Tunc vbi externum cibum integre concoxerit: & sint alui ac vesicæ excrementa vacuata, satis accommodatam ad hoc munus obeundum occasionem nacti erimus: maxime quidem, si magnarum venarum quædam sit exhaurienda. Exiles enim ve-

næ nullam postulant eiuscemodi cautionem, cum indifferenter quocunq; tempore possint pertundi. Sunt qui addant Astrologicam obseruationem, eamq; plurimi faciunt. Horum quidam specialiter incumbunt quadris Lunæ, quæ dominatur humiditatibus humani corporis, estq; inferior aliis Planetis, & nobis maxime proxima: iubentq; phlebotomiam exercendam in prima eius quadra, calida, & humida existenti, sanguiniq; conformi. Alii in medio tertiæ venam esse incidendam consuluerunt; quia tunc humores inquiunt, neq; nimis coarctati sunt, neq; nimis efferuescunt. Nonnullos etiam vidi in Piceno Medicos illud metricum obseruantes:

Luna vetus veteres, iuuenes noua luna requirit.

Alii dies quosdam infaustos & infelices obseruant, tum pro purgatione, tum etiam pro venæ sectione, & in singulo mense duos dies habent maxime, vt illi dicunt, infelices ab Ægyptiis primum obseruatos. Sed ego nihil conferre eiuscemodi obseruationes, non raro sum expertus: & merito quidem; primum, quia cœlum vniuersalis est causa, quæ non agit, nisi causæ particulares bene dispositæ fuerint: tum etiam deinde, quia Astrologiæ iudicia plurimum incerta sunt, varia, ambigua, suosq; opifices illudentia ob diuersitatem proximarum causarum. Idcirco in ægroto homine temere eam admittimus, cum plurimum vrgeat occasio; at in sanis, in quibus conuenit ratione præseruationis, si quis cœlestes illos aspectus voluerit animaduertere, non aberrabit: vt etiam qui contempserit, (mea tamen sententia) nota dignus non est. Meminisse autem semper oportet, duplicem considerari posse horam in hoc exercendo munere: vnam electam nuncupant Medici: aliam vero coactam. Electa est, quam vnusquisq; arbitratu suo magis accommodatam eligere potest. Coacta vero est, in qua necessarium est, adeo exercere auxilium; vt si retardaueris, morbus augebitur, aut etiam de salute ægroti fuerit conclamatum. Hanc necessitatem acutissimi morbi secum ducunt, in quibus expedit, vt nam incidere aliquando media nocte, vt Galenum fecisse in seruo quodam synocho laborante, manifestum est ex iis, quæ nono Methodi medendi scripsit, & passim alibi.

Cap. XX.

De anni temporibus, in quibus magis tuta sit venæ sectio.

CÆTERVM inter anni tempora nullum est magis accommodatum ad phlebotomiam, quam ver: hoc enim temperatum cum sit, maximam sanguinis optimi copiam gignit, quæ nisi vacuetur in corporibus obnoxiis morbis ex plenitudine, graue periculum minatur. Proxime huic succedit autumnus, de quo Hippocrates dicebat, sexto Aphoris. his verbis: Quibuscunq; venæ sectio, vel purgatio cum medicamento conuenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet.] atq; idem septimo Aphoris. 53. & 58. repetit, & Galenus in comment. addit: Purgo igitur ipsum non vere tantum, sed etiam autumno.] quæ sententia, licet pro præseruatione locum habere videatur, in curatione etiam debet obseruari: quandoquidem multo tutius in vere, deinde in autumno vena secta vacuamus, quam in aliis temporibus. Optimus igitur sanguis vacuatur vere, crassior autumno. Intermediis temporibus suspecta vacuatio est, diuersis tamen de causis, vt lib. 3. docuimus: non tamen ita suspectam dixeris, quin vrgente necessitate, tum hyeme, tum æstate fieri nequeat, sed tunc minorem quantitatem sanguinis vacuabimus. Obseruari debet modus sectionis in autumno, & aliis temporibus. Nam æstate angustam, autumno, & hyeme latiorem venæ sectionem fieri expedit; sic indicante vacuandi sanguinis, aut tenuiori calidiori; aut crassiori, magisque frigida.

Cap. XXI.

De quibus agendum superſit, quoue ordine, & in quibus conſiſtat præparatio corporum ad ipſam phlebotomiam neceſſaria.

QVONIAM de occaſione, ac tempore venam incidendi ſatis videmur ſuperiori libro dixiſſe: hic de corporum præparatione ad phlebotomiam neceſſaria pertractare inſtituimus. Deinde vero agemus de quorundam remediorum ordine. Atq; primum quia reuulſio, & deriuatio aliquando per venæ ſectionem fiunt, acciditq; non infrequenter ægrotum indigere vtroq; remediorum genere, diſſeremus, vtrum horum debeat præcedere, deriuatióne, an reuulſio, quia Matthæus Curtius contra communem omnium Medicorum conſenſum deriuationem ſemper præponendam reuulſioni aſſeuerauit. Huic etiam alia ſuccedet, neque minus digna contemplatio, an phlebotomia purgationem, an contra purgatio phlebotomiam antecedere debeat: quæ pariter controuerſiarum plena eſt diſputatio, diſſentientibus inuicem non modo recentioribus, ſed etiam antiquioribus medicis. Tria igitur explicabimus: primum, quæ debeatur corporibus ante venæ ſectionem præparatio; ſecundum, quem habeant inter ſe ordinem reuulſio, & deriuatio; tertium, de phlebotomiæ, & purgationis ordine. Age itaq;, docere aggrediamur, quæ ad ipſam præparationem attinent. In primis autem ſciendum eſt, præparationem, quam hic inquirimus, aliā non eſſe, quam primam corporis regionem ab omnibus excrementis, qualia tum generari, tum ſæpe confluere ſolent, puram reddere, atque expurgatam. Quatuor autem ſolent ea in parte vitiorum genera conſiſtere, quorum emendatio, præparatio eſt ad phlebotomiam: horum quædam remorantur venæ ſectionem: quædam vero etiam aliquando impediunt. Vitia ſunt hæc. Vnum aluus adſtricta, aliud, alimentorum iampridem aſſumptorum cruditas, tertium, malorum humorum abundantia in ventriculo, in meſenterio, circa lienem, iecur & inteſtina conſiſtens; præſertim bilis vtriuſque, & pituitæ. Poſtremum eſt oſtium ventriculi exquiſito ſenſu præditum, aut amaræ bilis fluxioni obnoxium, aut alia ratione imbecillum. De iis itaq; dicamus à primo ſumpto in hunc modum principio.

Cap. XXII.

Quomodo aluus adſtricta ante venæ ſectionem ſit emollienda, atq; de vſu enematum ante venæ ſectionem quorundam Medicorum opinio reprobata.

CORPVS, cuius per venæ ſectionem propoſita curatio, aut præſeruatio eſt, aut ſanum eſt, aut ægrotat: ſi ſanum, & aluum habeat maxime adſtrictam, antea quam ad phlebotomiam accedamus, eſt illi diligenter aluus emollienda: neque ad remedium accedendum eſt, niſi prius inteſtina fuerint à fæcibus expurgata. Nam ſi contrarium fecerimus, non exiguum periculum imminet, venas ſanguinis vacuatione exinanitas attrahere ex inteſtinis aliquid eiuſcemodi impuritatis, quo tota ſanguinis maſſa non mediocre detrimentum ſuſcipiat. Regula hæc eſt communis in vtroque corporis ſtatu. Differt autem quod in ſanis ſatis accommodatam ad id perficiundum habemus occaſionem, cum adhuc præſens affectus non adſit, qui accelerare cogat. Verum in ægrotis maximum aliquando ſeſe offert in mora periculum, emollientibus itaq; clyſteribus vtendum, atq; toties repetendi, quoties neceſſarium fore iudicabis. Quibus, ſi ob magnam fæcum duritiem nihil profeciſſe noueris, tum decoctiones emollientes, lenientesque potandæ ex iuſculis carnium, paſſularum, prunorum damaſcenorum, addito zuccaro. Proderit decoctum Mercurialis, acanthi, betarum albarum, althææ, maluarum, violarum, ex oleo communi, aut ex butyro recenti paratum. Dedimus aliquando oleum amygdalarum dulcium, vbi præduræ fæces dolorem concitabant, atq; ſatis bene ſucceſſiſſe cognouimus. Eſt in

hunc vſum excogitata aloes, tanquam ſtercorarium quoddam præſidium, quo propterea ſimul cum cibis vtebatur antiquitas; huius non lotæ drachma vna, & ſemis ſtercora deducet tutiſſime, niſi tamen hæmorrhoidarum affectus ab aloe abſtinendum ſuaſerit. Electuatium ex mixariis, & quod lenitiuum ſi plabariis vocatur ad drachmas ſex, aut ad vnciam hora vna, aut ſemis ante cibum, aluum certiſſime mollem faciet. In ſumma eam adhibeto rationem curandi, quam in tractatione de doloris colici curatione deſcripſimus. Age vero iam ægrotet quiſpiam phlebotomiam poſtulans, aluumque adſtrictam habens; hanc quanto citius fieri poterit emollies. At ſi grauis exiſtat morbus, & periculorum plenus, quid agendum? an venæ ſectionem tardabimus in eum vſque diem, in quo emollita ſit aluus? ſunt qui ita faciundum eſſe admoneant; ac ita religioſe hoc præceptum obſeruent, vt numquam in acutiſſimis etiam morbis phlebotomiam exercere velint niſi emollientes præceſſerint clyſteres: alii etiam neque hiſce ſolis contenti ſunt, ſed caſſiæ fiſtularis bolos exhibent, putantes ſic optime ſanitati ægrotorum conſultum. Ego vero quemadmodum profiteor vtrumque aliquando, vbi morbus dederit inducias, agendum; ſic arbitror eam ſemper medendi rationem exercere magnum ægrotis afferre damnum. Quoniam, vbi acutiſſimus exiſtat morbus, vt aliquando eſt pleuritis, angina vero ſemper omnis quidem, vel leuis morula maximum inferre damnum poteſt. Iubebat enim Hippocrates eadem die medicandum, nam tardare (ait) in talibus malum eſt; Cur igitur cunctari volumus, cur in eo exequendo tempus conterimus, cuius pro morbo propulſando magna, & fortaſſis multa commoditas eſt? Si ſeptima, aut quinta die ſoluendus morbus eſt, & aliquando ante duos, aut tres dies, cur pro fæcibus emolliendis tempus conteremus morbo interim ſui iuris relicto? ſatius erit generoſum prius adhibere præſidium, quo febris extinguatur, aut ſaltem mitificetur, quam emollire fæces, quæ res poſt venæ ſectionem fieri poſſet magna commoditate. Placet confirmare, quæ diximus authoritatibus nonnullis Hippocratis, & Galeni, vt certior adhibeatur fides. ille igitur quarto de ratione victus in morbis acutis, textu vigeſimo in hunc modum ſcribit: Porro ſi angina fuerit, & ſi aliud quodpiam ex pleuriticis malum elegmate expurgato: at ſi imbecilliores appareant, donec in tuto æger fuerit, & fame indigeat.] Galenus in commentario explanans dictum Hippocratis, inquit: Si vero imbecilliores tibi eſſe videbuntur, vel propter ſanguinis ablati copiam, vel ob aliam quamuis rationem, purgationis vice clyſterem tertio quoque infundas die. Nempe relaxato per ſanguinis miſſionem corpore, quod ex morbificis humoribus qualitate morbificum ſuperfluit, per clyſteres id vacuari iubet.] Rurſus in contextu vigeſimo primo ait: Nam venæ ſectio in his præferenda venit. Deinde clyſmis eſt opus; ſi vehemens & magnus fuerit morbus. Si vero non, & poſtea medicamento fuerit opus, ſane id poſt ſanguinis miſſionem ſecure, & mediocriter porrigendum.] Amplius, dein in contextu ſeptuageſimoquarto, inquit: Sanguinemq; auferes p[illegible] co[illegible] p[illegible]ris habitu, anni tempore, ætate, & colore, ampliusque non veritus ſi dolor acutus fuerit, ad animi vſque deliquium detrahes.] & poſtea in tex. ſeptuageſimoquinto addit: clyſterem poſtea exhibebis.] Galenusque in commentario: A ſanguinis (ait) miſſione clyſterem exhibere iubet, ſed melius erat adiecisse, ſi non ſponte probe deiecerit aluus.] idem author libro de ratione curandi ad Glauconem primo capite de curatione quartanæ febris affirmat, dum inquit: Venam vero ſecare oportet, vel interiorem, vel mediam ſiniſtri cubiti, & victum deinceps inſtituere minime flatuoſum, & optimum; ventrem, quantũ poſſibile eſt mollem facientes iis, quæ vſitata ſunt. Quod ſi hæc nihil proficiant clyſteribus vtendum eſt à principio quidem mollibus, poſt modum vero acrioribus.] extant alii etiam loci, quos pro huius opinionis confirmatione afferre poſſem, ſed eos ſtudio breuitatis prætermitto. Ex quibus arbitror me clariſſime demonſtraſſe, abſurdum non eſſe prius aliquando venam incidere, poſtea vero clyſterem iniicere. Neque eſt, quod quiſpiam phlebotomiam vereatur, ex inteſtinis

teſtinis

testinis impuritatem attrahere: primum quia haud omnis vacuatio habet vim attrahendi ex primis venis, sed magna duntaxat. Deinde ponamus id contingere, semper oportet conferre, vtrum magis expediat, an tardare curationem, donec omnis sit ex intestinis vacuata humorum, & fæcum copia: an contra medicantes eadem die sinere aliquid attrahi ex primis venis, quod postea nullo negotio corrigi posset re interim salua, & in tuto constituta. Atque ita quidem aliquando agendum videtur mihi, cum scilicet morbi cuiuspiam acutissimi proposita curatio est. Quamobrem phlebotomia nonnunquam clystericorum vsum præcedat.

Cap. XXIII.

De ventriculi cruditate ex cibis nondum concoctis emendanda.

SVNT, qui putant nullam circa ventriculum adhibendam esse diligentiam. Sed siue alimenta cruda fuerint, siue concocta, atque, siue imbecillus fuerit, siue aliam malam dispositionem habuerit, protinus mittendum fore sanguinem. Ego vero cruditatem alimentorum non impedire phlebotomiam, sed solum retardare: ventriculi vero quosdam affectus impedire etiam aliquando, hoc loco ex Galeni placitis sum ostensurus. Quod igitur attinet ad primum, extat illius apertissima sententia libro de ratione curandi per venæ sectionem, capite vigesimo, quæ sic habet: Ergo quod maturandum sit, in quibus vacuatio ex vsu est, nisi prius concoqui aut cibos, aut in primis venis contentos semicoctos humores oporteat, rectissime præcipiunt, habenda fides est.] Rursus in vndecimo Methodi medendi, capite decimoquarto dicebat: Quippe si vires eius, qui ex putredine humorum, vt positum est, febricitat, valentes sint, mittendus statim sanguis est, si cruditas ventris non sit statim morbo incipiente.] & multo apertius nono eiusdem tractationis libro, cum inquit: Attendenda vero cum venæ secandæ indicationibus sunt, tum quæ eam præcedunt, tum vero quæ omnino excipient: nam si præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre venæ sectionem debes: quantum satisfacere, tum ad eorum coctionem, tum vt excrementa descendant, videbitur.] Hæc Galenus. Ex quibus satis superque patet cruditatem alimentorum venæ sectionem retardare. Quinetiam aliud addo, Galenum aliquando remoratum fuisse vacuationem, vbi alimenta cum difficultate concoctionem recepissent, etiam si morbus magnus esset, qualis est synochus vtraque. Placet hic referre, quæ de hoc argumento scribit libro nono Methodi medendi: quia certe locus ille dignus memoria videtur mihi. Dictio illius habet in hunc modum: Ergo qui palæstræ peritus iuuenis erat, vbi febricitare hora prima noctis cœpisset, postridie eum mane circiter horam diei tertiam vidimus. Cum autem inuenissent febrem admodum calidam, sed pulsus æquales maximos & celeres, & frequentes, & vehementes, tum caloris qualitatem, quæ tactû minime morderet: iam vero, & vrinas tum crassitudine, tum colore a naturali statu non multum alienas. Audiens præterea hominem circiter triginta dies exercitationis consuetudinem intermisisse, pridie tamen exercitasse se vehementius, cæterum non multum, sumpsisse autem solitos cibos, atque eos concoxisse, quamuis tarde, & ægre, vtpote cum febris vesperi occupasset, tum interim rubicundus, plenusque homo appareret, atque etiam plenitudinis sensum se percipere diceret, faciente interim quodam eorum, qui aderant de vena secanda mentionem, visum nobis est eius auxilii considerationem in aliud tempus remittere: simul vt certius sciremus, cuius generis febris esset, simul necessario propter eam, quæ præcesserat concoctionis, tarditatē.] Hæc ille. Quæ multis de causis afferre in medium placuit, primum, vt ostenderem cruditatē alimentorum in quocunque morbo retardare phlebotomiam, deinde Galenum tarditatem concoctionis iam præteritæ considerasse tanquam causam retardantē venæ sectionem; quia in eo iuuene, quem sibi curandū proponit, con-

coctos fuisse cibos ait, licet tarde, & ægre. Idq; ratio persuadere videtur: nam hora tertia diei inuisit hominem Galenus, cum febricitare hora noctis prima cœpisset, in qua re intercedere videtur spacium horarum sexdecim, aut etiam fortassis plurium cibi assumptione ad horam visitationis. In quo interuallo impossibile est, quin concoctio facta fuerit. At si hæc vera sunt, maxima consideratione dignum est, cur Galenus venæ sectionem retardauerit. Duas ille causas affert, quarum vtraq; valde suspecta mihi est: vna fuit tarditas concoctionis prætéritæ, hancque causam necessariam esse dicit, alia vero est, vt certius sciret, cuius generis febris esset. Prior certe causa non videtur mihi necessaria: quandoquidem vbi cibi iam sunt concocti, venæ sectio tuto admitti potest. Quid tarditas illa præcedens in hac re potuit indicare? Quod periculum imminere potest ægroto ex eo, quod amplius non adest? ego tantum abest, vt hanc necessariam esse causam arbitrer, vt omnino fatear me in ea nullam inuenire probabilitatem: Neq; etiam secunda alicuius momenti videtur mihi: primum quia in re manifestissima ambigere appareat. Quis enim ex ea signotum syndrome statim non cognoscet hanc febrem synocham fuisse? quæ nam febris pulsus habet æquales, maximos, & celeres, & frequentes, & vehementes? nullam inuenies ex omnibus febribus hosce pulsus habere, intermissa exercitatio, plenitudinis sensus, quadratus corporis habitus, rubicunda facies nonne certissimam præbent notitiam febris huius? hanc tamen eodem die minime exacte cognouit Galenus, & fortassis etiam neque postero die in quo dixit se suspicatum esse febrem synocham esse? Amplius donemus hoc illi, adhuc non videtur causa sufficiens, cur venæ sectionem distulerit. Nam certe genus morbi cognouit, febrem scilicet magnam esse in corpore plethorico, quæ duo indicationem præbere de sanguine mittendo declaratū a nobis fuit in superioribus libris. Quamobrem id Galeni factum non recipio. Cæterum aluo existente adstricta licet aliquando vti phlebotomia, vrgente, vt diximus, necessitate: at alimentis crudis non ita licet: atque in hoc certe differentia est inter primum, secundumque affectum. Hæc vero differentia ex loci situ pendet; cum non adsit æqualis vbique cum ipsis venis consensus: fæces enim continentur in crassioribus intestinis, ibique diu permanent, tum ob ipsorum capacitatem ampliorem, tum ob inferiorem situm, ac tertio propter ignobilitatem partium: in gracilioribus quidem intestinis fæces non permanent, sed veluti in via, & in transitu consistunt. Tunc si mittendus est sanguis, dubio procul ex iis sedibus nihil attrahi potest in venas ob exiguam communicationem, aut fortassis nullam, & si qua adest adeo longinqua est, vt attrahi aliquid non putauerim, nisi in vacuatione vsque ad animi deliquium instituta. Longe secus habet in cruditate ventriculi, & in omni tenuiorum intestinorum affectu; nam apertissima est communicatio cum iecinore, adeo vt venis exinanitis ratione vacui ab eo viscere fiat attractio, hocque postremo attrahit à tenuioribus intestinis, & à mesenterio, & hoc à ventriculo. Estque hic naturalis ordo attractionis factæ à singulis partibus, idcirco si in ventriculo crudi humores, aut alia ratione mali cōtinerentur, possent facile attrahi in maiores venas. Hoc igitur interest discriminis inter vnum, aliumque affectum. Porro cognoscemus alimenta nondum fuisse concocta ex tempore quo accepta sunt, ex ventriculi pondere, atque ex assumptorum qualitate. Sed quia de proposito argumento satis videor dixisse, expedit, vt ad aliorum dilucidationem accedamus.

Cap. XXIIII.

De nimia sensibilitate oris ventriculi, & imbecillitate ante venæ sectionem corrigenda.

Verum enim vero multo maior adhibenda est circa ventriculum diligentia, vbi imbecillus fuerit, aut nimio, exquisitoq; sensu præditus, aut amaræ bilis fluxione tentatus. Quoniam non paucos sæpe vidimus in summum vitæ peri-

periculum peruenisse, alios autem interiisse, cum eos vacuare ventris ore nondum confirmato Medici quidam corrupto prædito iudicio tentassent, quod etiam animaduertit Galenus contigisse, lib. 1. de ratione curandi ad Glauconem, cap. 14. Tres igitur sunt circa ventriculum considerandæ dispositiones: vna est eximia sensibilitas illius ostii: alia, quando amaræ bilis fluxione ex iecinore, aut venis infestatur: tertia, quando nimiam contraxit imbecillitatem. In his enim fere abstinendum est à venæ sectione, etiamsi adsint indicationes, id remedium postulantes, nisi prius accommodata præcesserit præparatio. Cæterum, ostium ventriculi exquisito sensu præditum esse cognoscemus, quod ex acrium & mordacium assumptione haud mediocriter ægrotus lædatur: vt acero, pipere, sinapi, atq; aliis id genus: nam protinus ex illorum vsu, aut dolorem patiuntur, aut in syncopen incidunt, aut etiam conuulsione afficiuntur, vel in epilepsiam ægroti incidunt. Qui vero ipsum ventriculum habent imbecillum, deprehenduntur iis signis: primum, quia languidam habent appetentiam: deinde, quia doloribus stomachi succumbunt. Similiter, si cui amaræ bilis confluxio ventriculi ostio fecerit negotium, aut in eo abundauerit, ex assidua nausea, ex frequentiori bilis vomitu, atq; oris amaritudine prompte dignoscuntur. Doceamus igitur, quæ adhiberi debeant præparationes, vt tuto valeamus vti generoso hoc præsidio: si quis ergo acute sentiat, primum duas aut tres purissimi panis bucellas succo aliquo acido odorato perfusas, maceratasq; capiat parum antea, quam vena incidatur, vtputa succi citri, aut limonis, aut mali punici, aut exiacanthæ, aut omphacii, præstantissimum etiam esse acetum cognoui: ii enim succi ostium ventriculi corroborant atque muniunt, humoris acrimoniam obtundunt, eorundemq; influxum arcent. Idem efficiunt syrupi ex eisdem succis præparati, præsertim oxyzachara, & syrupus ex omphacio. Qui prætereà sunt etiam gustatu gratissimi, appetentiamq; non mediocriter concitant. Verum si eiusmodi imbecillitas à frigida intemperie duxerit originem, easdem exhibeto ante phlebotomiam panis bucellas calido liquore, & odorato intinctas: veluti aqua cum zacharo, & aromatibus patata, vel syrupo de mentha, vel de corticibus citri, vel citoniorum condito aromatice, aut etiam vino aliquo austero nigro, aut medicato ex aromatibus constante. Verum qui ex facili bilis influxu molestantur, prius aqua calida liberaliter epota ex syrupo aceroso vomitum sibi procurabit. Deinceps panis momentum degustabit succo aliquo macerato ex iis, quos ad sensibilitatem oris ventriculi descripsimus, atque cum paululum quieuerit, mox vena incidatur obseruatis regulis, quas libro sequenti docebimus. Postremo vires optimo instaurentur vnicuique causæ contrario alimento.

Cap. XXV.

De malorum humorum, qui in prima corporum regione continentur, ante phlebotomiam expurgatione.

CÆTERVM si præceps sese offerat vacuandi occasio, humores vero mali in ventriculi capacitate contineantur, tunc exhibito hydrælæo tepescente, aut aqua tepida pondo selibræ, maxime autem si sursum sponte videatur illorum impetus, educere multo magis vomitu præstat, quam purgante pharmaco. Quod præceptum etiam, vbi alimenta nondum concocta sunt, obseruandum esse censeo, si concoctio exspectari non possit ob imminens aliquod periculum. Alioquin iamdiu est, vt prædiximus, venæ sectio retardanda, quam diu fuerint cruda alimenta perfecte concocta. Igitur, vbi humores praui in ventriculo contineantur, cum eos ibi sinere tutum non sit, aut vomitu, aut medicamento purgante, si natura ægroti repugnet vacuationi per superiorem sedem, vel etiamsi humores tenacissime inhæreant tunicis ventriculi, vel circum hepar, lienem, mesenteriumque consistant, a quibus sedibus vacuatio tentari vix potest per superiores partes, quam ocyssime purgandum duximus: tum quia possent attra-

hi ad venas, totumq; sanguinem coinquinare, tum quia etiam sponte agitari possent, & per totum corpus moueri, hincque mala contingere quam plura, vt cardialgia, distentio ventriculi, animi exolutio, lipothymia, syncope, nausea, præsertim si bilis fuerit putrida, aut nimium acris: quod si attraherentur in venas, ardentem fortassis concitarent febrem, grauioremq; in summa morbum efficerent. Cassiæ atramentum ad drach. x. ex veteri consuetudine propinari solet cum glycyrrhizæ aut anisorum puluere: Sed non videtur mihi sufficere, nisi pro emollitione & lenitione alui, quoniam humores iis in partibus tenacirer inhærentes, cassia expurgari non possunt. Hyera Themisonis Galeno adscripta multo efficacior est, nisi febris obstiterit. Propterea reubarbarum, agaricum, sena, aut pro humoris qualitate aliud magis accommodatum eligatur, obseruata semper regula: Nempe, si expurgandi sint humores, & detergendi ex ventriculo, id faciamus aloe aut picra. Si ex liene sena, si ex iecinore reubarbaro, si ex mesenterio agarico: quanquam & vnumquodq; in alias etiam partes, & in alios etiam humores suas exerceat vires.

CAP. XXVI.

Nonnulla purgationum exempla proponuntur.

NONNVLLA hic purgationum exempla in gratiam tyronum scribam: idcirco primum, si vnus humor sit expurgandus, quomodo id fieri debeat, docebimus: mox vero de multorum excrementorum inanitione sermonem faciemus. Rec. igitur diaprunon simplicis vnc. vnam, reubarbari electi contriti scrup. quatuor, fiant boli cum zucchero. Vel decernatur potio eiuscemodi. Rec. reubarb. electi drachmam vnam & semis, electuarii lenitiui vnc. semis, syrupi violati soluriui vnc. vnam, aquæ decoctionis hordei, vnc. duas & semis, diluantur in potionem. Vbi vero non adsit febris, in hunc modum præscribito: Rec. specierum hyeræ Themisonis drach. vnam & semis, aut duas, reubarbari electi contriti drach. vnam, aut scrupulos quatuor, diluantur tribus vnciis mulsæ, & propinentur: siq; vires non fuerint imbecillæ, addito drach. vnam diaphænici, vt languidiuscula vis medicamenti proritetur, ocyusque prolabatur in aluum. Meminerint iuuenes regulæ, quod scilicet reubarbarum, quia siccam & adstringentem habet substantiam, semper debet lenien re aliquopiam temperari (nisi cum aluus nimis fluuida existat.) Si vero magis præstare macerationem illius duxeris, præscribendum erit pharmacum in hunc, aut consimilem modum: Rec. aquæ stillaticiæ, endiuiæ, & cpaticæ (lyc[illegible] enen Græci vocant) vnc. tres, vini albi odoriferi vnc. vnam, macerato ex arti præscripto reubarbari electi drach. duas, gariophylorum scrup. vnum, & [illegible] pressione, dissolue syrupi violati ex nouem infusionibus vnciam vnam, aut syrupi capillorum Veneris vnc. duas. (est enim hic syrupus polycrestus, id est, ad varios vsus comparatus) euaderque validius medicamentum, si addiderimus drach. sex, syrupi adiantini. Nullam fere existere putauerim ætatem, nullumq; statum virium, in quibus leuia hæc præsidia conuenire non posse putem: quæ etiam tuto decerni possunt mulieri vtero gerenti, quemadmodum non raro sum expertus. Porto si complures fuerint ex eisdem sedibus humores vacuandi, hoc quod sequitur, aut etiam simili vtendum præcipimus. Rec. endiuiæ, lupulorum, betonicæ, an. manip. vnum, florum cordialium omnium, an. pugil. semis. Foliorum senæ mundatorum vnc. semis. Decoquantur ad vnc. iij. aut quatuor in iure colato, macera reubarb. electi contriti drach. vnam, & semis, agarici trociscati, drach. vnam, cinamomi drach. semis. In express[illegible] dilue syrupi de cicorea simplici vnciam vnam. At multo erit præstantius, si dederimus syrupum rosatum soluriuum, quo, ex instituto clarissimi doctissimique viri Iohannis Argenterii Medici vtuntur Taurinenses, datur ab vnciis tribus, vsque ad quatuor. Nam omnia excrementorum genera in viis ductum, & in prima regione consistentia citra incommodum vacuat: quoniam [illegible]

eius præparatione ingreditur sena, agaricum, & reubarbarum: adeo vt putauerim, hunc syrupum merito diacatholicon quoddam liquidum nuncupari posse, ad alterius scilicet crassioris differentiam, quo etiam tutissime in eosdem effectus vti possumus. Contingit autem sæpe in eisdem sedibus adeo multos contineri humores, vt impossibile sit, vnam purgationem satisfacere: idcirco repetitionem adhibentes, aut sequenti die, aut etiam duobus continuis, vel enematis validioribus supplere conabimur, quod in priori purgatione deerat. Est autem maxime accommodatus pro hac indicatione exequenda syrupus, hac ratione præparatus. Rec. radicum graminis, agrimonii, apii maceratarum horis sex in aceto, an. vnc. semis. endiuiæ, cicoreæ, lupulorum, boraginis, cuscutæ, cetrach, origani, capill. Veneris, agrimonii an. manip. semis, quatuor seminum frigidorum maiorum, an. drach. duas, fœniculi, anisorum, an. scrup. duos, coquantur in libris tribus cum dimidia aquæ fontanæ, donec remaneat libra vna: in qua postea macerabis foliorum senæ electorum vnc. tres, agarici trocis. vnc. duas. florum cordialium, epithymi, an. pug. vnum, chariophyllorum, cinamomi, an. scrup. iiij. feruefiant, & exprimantur. Atq; deinde dissolue syrupi de pomis, de cichorea Gulielmi (vel de eupatorio Mesue) & de hyssopo an. vnc. duas, zucchari fini quantum satis videbitur ad syrupum conficiendum. Huius dosis erit vnc. ij. & s. vel quod summum erit iij. cum decoctione hordei, aut mulsæ, aut alio linienti decocto: subinde repetatur in tres doses, aut singulis aut alternis diebus. Hæc de horum humorum ante venæ sectionem expurgatione dicta in iuniorum gratiam sufficiant.

CAP. XXVII.

Quibus rationibus Matthæus Curtius putauerit deriuationem reuulsioni fore proponendam.

POSTQVAM hactenus de corporum præparatione ad purgationem diximus, reliquum est, vt de remediorum ordine disseramus principio sumpto a reuulsione atq; deriuatione, quatenus fiunt venæ sectione. Proponamus itaque primum opinionem Curtii, ac diligenter doceamus causas, propter quas doctissimus ille Medicus putauerit, deriuationem ipsi reuulsioni proponendam: mox autem, quia opinio maxime erronea est, & in artis operibus non sine maximo ægrotorum periculo admittenda, propterea reprobabimus, declarabimusq; apertissime veritatem illi prorsus incognitam, & omnibus illius dubitationibus satisfaciemus. Scribit igitur prius deriuandum, postea reuellendum, quando in inflammationum principiis fuerit impedire fluxionem propositum, doloremq; inflammationis comitem mitigare; nam hanc opinionem ex Hippocratis contextu desumpsisse profitetur in lib. 6. de morbis vulgaribus, cuius loci in superioribus libris mentionem fecimus. Præcipiebat enim ille, doloris causa proximum ventrem esse incidendum. Interpretatur Curtius, proximum ventrem,] id est, viciniorem locum, ita vt si vena sit incidenda pro doloris mitigatione, proximam secare venam debeamus: si purgandum eadem de causa tentanda est purgatio per viam proximiorem: vt si, exempli gratia, intestina crassiora multa bile, aut vitrea pituita plena colicum dolorem concitauerint, proximum ventrem eligemus purgando, vt iniicientes clysteres aut anodynos, aut acres, aut etiam vrentes purgantibus medicamentis. Perinde etiam res ipsa habet in pleuritide. Nam ascendente dolore, iuguloque molestiam inferente, præcepit, incidendam esse venam in cubito lateris affecti ad coloris vsq; mutationem. At vero descendente vtendum peplio ad expurgandam materiam per viciniores particulas, vt ex Galeni commentatione decima libri secundi, & 74. libri quarti de ratione victus in morbis acutis colligitur: ex quibus certissimum videtur proximas venas eligendas; at hoc fit duntaxat in deriuatione, non in ipsa reuulsione. Suam hanc hæresin non solum hisce locis Hippocratis & Galeni confirmauit, sed etiam ex aliis eorundem autorum, ac præterea Auicennæ Hip-

pocrates primum de vtroq; agens remedio proponit in serie orationis deriuationem reuulsioni, verba sunt hæc sexto Epidemiorum, sectione secunda: Deriuare cedentem, reuellere statim resistentem credere.] Galenus vero hunc enarrans context. inquit: Adde deriuationē consequens erat subinferre. Reuellere, & postea docere, quomodo quis optime facere possit reuulsionem. Hippocrates vero prætermisit dicere reuellere, & statim peruenit ad illud, quod est cognitu vtilissimum, beneuolentibus retrahere humores, male irruentes ad aliquod membrum. Non enim oportet semper insistere in remediis reuulsiuis, sed interponere aliquod tempus vacuum, eorum quæ retrahant, vt humorem iam firmatum, qui ad patientem particulam iam deuenit, secerni prætermittamus. Nam in ipsa permanens particula dupliciter molestiam infert, partim quidem, sui multitudine extendens, partim vero sui qualitate tristitias inferens. Si autem permittes humores, qui ad particulam peruenerunt, secerni, liberabis ipsam particulam à dolore, & faciem eam facies reuulsiuis auxiliis, & non amplius super ipsam propter dolorem particulæ humores irritantem ad fluxum, quem à principio non recte fecerunt.] Ex hac Galeni verborum serie colligit, prius ex particula phlegmonosa vacuandum esse sanguinem, vt dolor non faciat particulæ negotium, quam reuellendum. Porro hoc fieri non potest, nisi quispiam prius vtatur deriuatione. Postremo idem comprobat authoritate Auicennæ, qui in quarta sectione primi libri non semel inquit: Cum ad longinquum trahere volueris, dolorem prius seda.] at vero sedatur dolor illius sententia, incidendo proximum ventrem, quod ad solam pertinet deriuationem. Hæc in summa Matthæus Curtius opinatus est.

CAP. XXVIII.

Reuulsionem non solum factam venæ sectione, sed etiam aliis remediis proponendam esse deriuationi, quando vtroq; indigeamus remedio contra Matthæi Curtii opinionem.

SED quam aberrauerit à via Curtius, nunc demonstremus. Ostensum quidem fuimus reuulsionem præponendam esse deriuationi, non solum quando venæ sectione vtrumque exercemus remedium, sed etiam quando aliis remediis fieri contingat. Verum, docere antea volo, quæstionis huius, qua inquiritur, vtrum deriuatio debeat præcedere reuulsionem, sensum duplicem existere: vnus est, vtrum deriuatione aliquando vtendum non præcedente reuulsione, vtputa quando sola indigemus deriuatione. Alius vero sensus est, quando vtraque indigeamus, vtrum deriuandum sit prius, postea reuellendum. Priore quidem sensus citra controuersiam omnem verissimus est; secundus autem falsissimus. Ostendamus vtrumque. Ponamus morbum aliquem ab exigua fluxione originem deducere, corpus non esse plethoricū: aut etiam materiam ipsam pro maiori parte iam in affectā particulam confluxisse: tunc certe reuellenti non indigebimus auxilio, sed sola vsi deriuatione hominē sanabimus. Atque, vt de materia notissima sermo sit institutus, nolo à pleuritide discedere, de qua ille pariter tractat. Si exigua fuerit, benignaq; inflammatio, fluxio haud vehementer irruat, quis dubitabit ægrotum non indigere auxilio reuellenti? Addo neque etiam indigere vacuatione per venæ sectionem instituta. Idcirco solis fomentis aggrediemur curationem Hippocratis consuetudine, libro secundo de ratione victus in morbis acutis. Maxime periculosum esset adhibere fomenta statim incipiente pleuritide, corporeq; existente plethorico[illegible] quoniam magna fieret attractio ad locum affectum, morbusq; periculosior. Vsus fomentorum tunc accommodatus est, quando multitudo vacuata est fluxioq; amplius impetum non facit: tunc enim discutienda est materia insensibili quodam modo, in phlegmone contenta: quæ res si non succedat, opus est, vt ad deriuationem venæ sectione factam accedamus. quemadmodum [illegible] curatione pleuritidis. Quæ deriuatio fit ex phlebotomia eiusdem [illegible] supradictorum confirmationem, Hippocratis & Galeni sente[illegible] quaedam irrefraga-

irrefragabilem, vt sic loquar: qua vterque author asseuerat in pleuritide non semper conuenire venæ sectionem. Hippocratis sententia est libro sexto Epidemiorum, & libro de humoribus sectione tertia, textu trigesimotertio, vbi ait: Impedimentum iis, qui cruenta expuunt, tempus anni, pleuritis, tussis.] id est, tempus anni, pleuritis, ac tussis aliquando impediunt venæ sectionem: Galenus in commentario explanationem confirmat his verbis: Sententia horum verborum esse hæc videtur, adhibendam esse mentem iis, qui sanguinem expuunt: vtrum sanguis mittendus sit secta vena, an secus. Nam habita cruenti sputi ratione vena esset omnino incidenda; sed sectionem prohibet anni tempus, aut pleuritis, aut bilis.] Paucisque interpositis ait: Quod vero ad pleuritidem pertinet, esse controuersum videtur: propterea quod si morbum attendas, venæ sectionem postulat, ipsa tamen non semper id exigit, nisi alia quoque adsint, quæcunque sanguinis detractionem indicant, de quibus iam sæpe in nostris libris disseruimus. Interdum enim pleuritis placida est, & mitis: neque necesse est sanguinem mittere: etiam si homo sanguinem expuat, sed aliis remediis ad pleuritidem accommodatis curare morbum prodest.] Hæc Galenus. Ex quibus satis superque constat, pleuritidem non semper venæ sectionem postulare, vt quando fuerit exigua, & benigna. Igitur quemadmodum non semper phebotomiam exigit; sic neque semper vbi illam exigat, oportebit sanguinem mittere ipsius reuulsionis ratione; sed aliquando secta proximiori vena sufficiet deriuare. Verum, quia hæc res videtur mihi carere omni difficultate, accedo ad explanandam falsitatem alterius partis: si prius dixero, ingeniosum Curtium non potuisse eum habere sensum: supponit enim vtriusque præsidii indigentiam, vultque deriuationem in opere ipsam retractionem in contrarium præcedere; quemadmodum arbitror notissimum esse omnibus illius verba considerantibus. Huius igitur opinionis falsitatem ostensurus in hunc modum ratiocinor, & disputo contra Curtium. Id remedium quod statim in prima morbi generatione fieri debet, necessario ipso in opere præcedit illud, quod post primam morbi generationem fieri debet: atqui reuulsio fieri debet statim in prima morbi generatione, deriuatio autem post primam eius generationem, morbo iam inueterato: reuulsio igitur deriuationem ipsam debet præcedere. Veritatem maioris rationis tanquam verissimam suppono. Idcirco declaro minorem quo ad vtranque partem verbis Galeni, quæ de reuulsione sic habent libro sexto Epidemiorum, sectione secunda. Dissimile (ait) intelligamus appellari succos, qui locis incongrui, vel inepti sunt, vt illi sermo hac parte sit de prima affectus generatione, qui iubeat statim ad contraria reuellere;] ecce ergo reuulsionem esse remedium, quod statim à prima morbi generatione est administrandum. Nunc veritatem secundæ partis demonstro ex eodem Galeno, libro quarto Methodi medendi, capite sexto: vbi agens de vlcere defluxorio scribit hæc verba: Quare si fluxio adhuc etiam num vehementer feratur, per contraria reuellemus, cum vero desierit iam, atque in ipsa particula steterit, præstabit deriuare.] Rursus libro secundo ad Glauconem, capite secundo, quemadmodum etiam alibi admodum frequenter scripsit. Vtrumque remedii genus fieri per venas communes, reuulsionem scilicet, atque deriuationem: illam quidem humoribus deberi confluentibus, hanc vero confluxis in affectam particulam, & morbis inueteratis. Amplius de natura reuulsionis est, vt humores trahantur, quo ad eius fieri potest, longissime ab affecta particula, deriuationis vero natura est, vt deducantur per partes propinquas. Hoc stante sic argumentari possumus. In principio inflammationis, quo tempore maxime humores confluunt, longissime à particula fluxione tentata reuellendum, ergo non sunt vacuandi humores per partes vicinas. Videor hic ego mihi diuinare, quid sint dicturi: Nempe venas eligendas esse vicinas parti affectæ, at non eas, quæ sitæ sint in eadem affecta particula: quando enim sub lingua venas incidimus pro anginæ curatione, tunc non secamus vicinas venas, sed in eadem particula contentas: sic quando incidimus venam

frontis dolente posteriori capitis parte. Addent fortassis oportere venas magnas incidere, non paruas. Deinde etiam in longinquis partibus fieri debere reuulsionem cum sana corpora sunt, at in vicinis, quando ægrotant. Verum hæc contra Galenum, & vsum artis apertissime dicuntur. Primum, quia venæ sectio facta in angina sub lingua, & in fronte dolente posteriori capitis parte, ac in hæmorrhoidibus in affectu nephritico, aliæque eiusmodi a Galeno inciduntur ratione deriuationis, quod etiam omnes admittunt Medici vnanimi consensu; neque dici potest, eas sectiones proprie factas fuisse in eadem parte; quia locus sub lingua existens non est idem cum faucibus affectis; neque hæmorrhoides idem cum renibus, neque frons cum posteriori capitis parte. His addito, deriuationem esse ex numero earum euacuationum, quæ fiunt in affecta particula, quemadmodum Galenus ait libro de humoribus, sectione prima, commentario decimotertio hisce verbis: Deriuatio est eiusdem generis cum euacuatione, quæ fit per eam partem, quæ fluxionem excipit] & propterea addit parum postea. Fit autem deriuatio ad vicina loca, reuulsio ad contraria; vt si quid per palatum vacuetur, ad nares deriuamus: Sursum vero reuellimus.] Libro vero de ratione curandi per venæ sectionem, capite decimosexto ait: Incipientes phlegmonas reuulsu vacuare oportet; vbi vero amplius influxerint humores, vacuandũ, aut ex eadem affecta particula, aut ex vicina.] Ex omnibus hisce locis, aliisque etiam quamplurimis, quos gratia breuitatis omitto, colligere est, Galenum distinxisse particulas vicinas à particulis phlegmone obsessis. Præterea, natura deriuationis non postulat, magnas incidi venas, sed vicinas duntaxat: quæ aliquando magnæ sunt, vt in pleuritide cõtingit, aliquando paruæ, prout contigerit; idcirco non est essentiale magnas venas incidi pro deriuatione perficienda. Somnium etiam est, quod dicant, in sanis corporibus obseruandum decretum de reuulsione ad partes distantes: est enim libro septimo, & alibi declaratum à nobis, easdem venas ratione præseruationis, & ratione curationis incidi: sed hoc subterfugium esse Galeni locus ostendit libro quarto Methodi, capite sexto, in quo docet rationem curandi vlcus, cui fluxio coniuncta sit. Quod si dicerent, Galenum ibi non agere de vacuatione facta per venæ sectionem, sed per pharmacum expurgans; dicerem neq; hoc aliquid valere, quia idem author hæc habet verba: Quod si id quidem didicimus ab eo in vniuersum, quod dum fluxiones initium habeant, reuellere expediat, cum vero resederint in affecta particula, euacuatio vel ab affecto loco, vel quam proxime vicino mollienda est, in promptu nobis est, vt in præsentiarum de sanguine etiam mittendo ratiocinemur: inter initia hoc à remotis fit agendum, demum ab ipsa vlcerata particula.] Possem pro confirmatione huius rei alios quamplures in medium afferre locos, verum quia hi sufficiunt in re (meo iudicio) satis manifesta, ab vlteriori explicatione supersedendum censeo. Statuimus itaque phlebotomiam factam gratia reuulsionis semper præcedere debere eam, quæ fit deriuationis causa: quando vtraque indigeamus. Supponamus quinetiam hoc in vniuersum habere veritatem in omnibus remediis reuulsoriis, atque deriuatiuis, vt affectus renum, intestinorumque, & cerebri manifestum faciunt. Reuellimus nephriticos affectus vomitu primum concitato, deriuamus per aluum. Intestinorum morbos reuellimus vacuatione facta per superiores partes: ac etiam frictionibus manuum & deligaturis, & calefactionibus, deriuamus autem per vesicam. Cerebri affectus auertantur purgatione per aluum facta: deriuantur per palatum, & nares: idem de reliquis sentiendum est.

Cap. XXIX.

Quomodo Matthæi Curtii rationibus satisfaciendum sit.

RELINQVITVR modo, vt authoritates, quibus firmissime inhærere videtur Curtius, explanemus: ostendamusq; potius oppositum, quam propositum ex illis deduci. Primum omnium, qua ratione præceperit Hippocrates,

dolo-

doloris causa proximum incidendum esse ventrem, libro septimo declaratum à nobis fuit contra Medicos recentiores. Quod vero attinet ad [illegible] locum, videtur mihi colligere ex ordine verborum, quæ posita sunt in [illegible], remediorum in executione ordinem deduci. Id enim in potestate constitutum est authoris, cum possit vnusquisque aut præponere, aut postponere, prout illi magis placuerit. Rem sic habere ostendit locus Galeni in explanatione Hippocratis, libro sexto de morbis vulgaribus, sectione secunda, cum inquit: Quæ dissimilia sunt, si sursum delata repant, deorsum soluere, & contraria etiam hæc, vt capitis purgatio, venæ incisio, quando non temere detrahitur.] Galenus in fine illius noni commentarii inquit: Verisimile autem fuerit, & contraria ab ipso in huiusmodi sensum dicta esse. Superius elatos humores & creatos affectus ad inferiora statim ab initio retrahere conuenit; & contraria his deinceps facere, quod est à loco vacuare, vt in capite posteriora capitis dolentem recta frontis vena incisa iuuat, quæ locale remedium est.] Vides hic ab initio reuellendum esse, Galenum præcepisse, cum dicit superius elatos humores, & creatos affectus ad inferiora statim ab initio retrahere conuenit. Postea vero accedendum ad ipsam deriuationem, cum dicit. Et contraria his deinceps facere.] Declarans vero quomodo deriuatio sit contraria his, ait quod est à loco vacuare.] Verum prætermissa hac ignobili argumentandi ratione, perlustremus (quæso) diligenter sensum verborum Hippocratis. Inquit enim: Deriuare, cedentem reuellere statim. Renitenti cedere.] Curationum modos ad succos pertinentes hic docere incipit, de quibus hoc libro alibi accuratius pertractauit. Modi sunt duo, deriuatio, & reuulsio. Deriuationem sane nuncupare consueuit Hippocrates, vt Galenus ait in eo commentario, quando succus aliquis vacuatione indiget, neque per conuenientem regionem fieri inceperit, neque tamen valde procul à conuenienti, neque ad remotissimum locum, vt si per lotii vias exire tentauerit vitiata vesica, aut renibus, tunc enim per aluum deriuare satius erit. Quemadmodum enim si per aluum fieri, inclinauerit vitiatis intestinis. Contra enim in istis succum euacuandum ad vrinarios meatus dirigatur. In mulieribus vero nonnunquam ad vterum, aut econtrario interdum vteri profluuium ad vrinæ vias, ac aluum deriuabimus. At si in aliqua id genus vacuatione vomitum prouocabimus, reuulsionem hanc nominat Hippocrates, vt si vomitum etiam retraxerimus ad vterum, aut vesicam, aut sedem incitantes. De hac reuulsione locutus est, cum dixit: Cedentem retrahere statim.] Merito quidem in eiuscemodi dictione dixit: Retrahere statim.] vt significaret diuersis temporibus vtendum esse reuulsione, atq; deriuatione. Hæc enim nunquam vtilis est, nisi cum humores, aut omnino, aut maiori ex parte confluxerunt; Propterea Galenus alicubi dixit inueteratis affectibus vtilem esse deriuationem. At illam statim morbo defluxorio incipiente adhibemus, ideo dicit: Retrahere statim.] at quando dixit: Deriuare,] non addidit illud statim,] quia sciebat in principio minime conuenire. Ausim præterea affirmare, Curtium non fuisse assecutum sensum verborum Galeni in commentario octauo eiusdem libri de morbis vulgaribus. Quoniam Galeni intentio fuit ducere, non semper in remediis reuulsoriis insistendum, quando fluxionem intercipere in animo fuerit. Sed aliquod interuallum intermittendum ratione virtutis, faciliorisque vacuationis faciendæ gratia. Qui enim omni tempore, nullaque interposita mora reuulsoriis inhærei auxiliis, hic duo mala facere videtur mihi: vnum est, virtutem maxime reddere imbecillam ex continuis vacuationibus: aliud, quod sinat materiam in phlegmone contentam in ea impingi admodum vehementer; atque vbi impacta fuerit, multo deterior euadet postea curatio. Quid vero adhibet aliquod interuallum inter vnam, aliamq; reuulsionem, hic quidem instaurata virtute facit delatos succos ex phlegmone excerni in viciniorem aliquempiam locum, sicq; liberat partem à dolore, fluxionemque mitiorem reddit, atque ita postea tuto licebit nobis noua vti reuulsione. Vide [illegible] eum locum nihil prorsus facere Curtio. Cæterum

quod attinet ad Auicennam, non possum non admittere illius sententiam, quam superioribus libris fuimus interpretati. Et certe mitigandum esse dolorem, cum ad longinquũ trahere volueris, si quispiam admiserit: Quid propterea habebit ingeniosus Curtius, quo persuadere possit deriuationem in opere præponendam reuulsioni? Cur enim dolor antea mitigari non poterit præsidiis vere anodinis, quæ paregorica nuncupantur? Neq; enim deriuatio sola dolores mitigat. Pluribus hic agerem, nisi manifestam fecissem sententiæ huius veritatẽ. Quamobrem cum de hoc argumento satis videar dixisse, nunc reliquum est, vt de aliorum præsidiorum ordine disseramus.

Cap. XXX.

Quid indicet vtrumq; præsidium, venæ sectionem, & purgationem simul.

SI aliquando venæ sectione & purgatione indigebimus, erit perpendendum, quem in horum vsu obseruare debeamus ordinem. Primum vero supponere oportet, quid horum vtrumq; indicet: quoniam, vbi indicationes erunt de vtroq; præsidio exercendo præsentes, ibi etiam sese offeret vtriusq; necessitas. Quid itaque venæ sectionem indicet, vt vacuatiuum, quid vt deriuatiuum, reuulsiuumque præsidium demonstratum à nobis fuit lib. 2. Quid vero indicet purgationem, docuimus lib. 1. de ratione purgandi: atque nunc, quantum pertinet ad hanc tractationem, breui epilogo complectemur. Purgatio, quemadmodum etiam venæ sectio duplici de causa instituitur: tum vt reuellamus: tum etiam vt euacuemus. Reuulsionem indicat vehemens magnaq; fluxio humorum, qui à sanguinis natura distincti sunt; in hunc modum vomitum prouocantes ab intestinis reuellimus; aluumq; mouentes à capite auertimus; fluxionem à capite ad pulmones acri medicamento ex thapsia, fimoq; columbino capiti imposita reuellimus, Galeni præcepto quinto Methodi medendi. Vlcera fluxione malorum humorum tentata, purganti pharmaco in contrariam partem retractione facta, sanare solet Galenus quarto Methodi medendi, cap. 6. At si proposita non sit exacta reuulsio, sed deriuatiua, hanc ipsam indicabit affecta pars leuiori fluxione tentata: quatenus per vicinas partes auertere humores volumus: vesica laborante fit deriuatio per vterum & per aluum: cerebro laborante per palatum & nares. Cæterum purgationem pro vacuatione institutam indicat cacochymia, non quidem simplex: quia, vt multitudo simpliciter & absolute sumpta non indicat phlebotomiam, vt Galenus contra Menodotum disputans dicebat, quarto Methodi medendi, cap. 6. & passim alibi: sic purgatio non indicatur à malo succo, simpliciter & absolute sumpto. Verum opus est, corrigi non posse leuioribus remediis: tunc enim ad purgationem accedendum: igitur indicationem hanc præbet magna cacochymia, quam neq; media, neq; frictio, neq; balneum, neq; aliud id genus leue præsidium potest corrigere, aut etiam quæ in præsentiarum parua sit, sed certissima præbeat indicia futuræ magnitudinis; quoniam non solum, quod præsens est, sed etiam quod futurum est, diligens Medicus debet contemplari. Illud vero, vel me tacente, constat esse verissimum, purgationem vnicuiq; malo succo accommodandam idcirco considerari debet, quinam humores coaceruentur: nam in quibusdam bilis flaua, in aliis atra, in aliis pituita, vel serosum excrementum facit negotium. Vtendum igitur phlebotomia & purgatione simul, quando multitudo simul cum cacochymia connectitur, motusq; sanguinis simul cum malorum humorum motu, aut affatim facto, aut paulatim genito. Hæ summæ sunt indicationes in hac materia considerandæ. Hunc ordinem expendamus.

CAP. XXXI.

Cacochymiam primarum venarum ante purgandam esse, quam ad ipsam phlebotomiam accedamus.

CONSIDERANDVS etiam atque etiam situs est, in quo cacochymia continetur. Quædam enim in venis continetur, quædam extra venas. Rursus huius ipsius differentiæ duæ: nam alia residet in prima regione corporis: alia vero in habitu corporis, aut in alia determinata particula. Pro varietate locorum varius ordo est decernendus; si enim in prima regione continentur, siue in ea solum adsit, siue etiam simul in venis, regula hæc obseruanda est vniuersalis, nempe, vt prius illam expurgemus, quam ex venis quicquam moueamus; qui enim secus operari voluerit, hic omnia confundit non sine magno ægrotorum incommodo. Humorum quidem vitia in varias corporis regiones contenta, sic debent ordinate curari: Ventriculi, mesenterii, intestinorum, lienis, iecinorisque omnem impuritatem statim expurgare debemus: mox exinanire venas maiores operæpretium est: tertio corporis habitum. Non autem econtra, qui enim primum molem corporis vitiosis humoribus refertam euacuare conatur, antea quam ex venis aut multitudinem, aut cacochymiam ducat, & has ipsas euacuabit, antea quam primam regionem expurget, hic inquam omnia confundet, coinquinabitque maxime corpus, non expurgabit. Quamobrem statuatur hæc tanquam vniuersalis, & nunquam violanda lex. Eadem etiam ratio teneri debet, si non solum in primis venis, sed etiam in maioribus contineatur succus malus: hunc enim nunquam tuto vacuabimus: illis antea minime repurgatis. Ex quibus etiam patet, quod si eadem necessitas adfuerit phlebotomiæ, & vomitus, oportere prius vti vomitu. Cuius rei alia afferenda ratio non est ab ea, quam supra diximus, ex locorum varietate desumpta. Atque ex iis, quæ supra de corporum præparatione declarata sunt. Supposita igitur huius rei veritate est dubitatio, quid agendum, si postquam primæ venæ fuerint expurgatæ, in maioribus venis duplex adfuerit affectus, nempe cacochymia & plenitudo: vtra prius debeat vacuari, an scilicet prius illa sit purganda, an contra hæc prius secta vena vacuanda. De qua re nunc dicere aggredior.

CAP. XXXII.

De euacuanda cacochymia venarum plenitudini coniuncta, ex Auicenna sententia, & quæ dubitationes sese offerunt contra eius opinionem.

AVICENNA huic quæstioni respondet his verbis: Vbi autem venæ sectione & alui ductione opus fuerit, veluti veratro, & aliis valentibus medicamentis, tunc venæ sectione inchoandum est. Hoc enim est Galeni præceptum commentario in librum Hippocratis de morbis populariter grassantibus, veritati sane valde consonum. Itidem, si cum sanguine pituitosi humores mixti sint. Vbi tamen viscidi & crassi fuerint, forsan venæ sectio eorum crassitiem & lentorem augebit: quare eo casu ab alui ductione incipiendum erit. Et vt summatim proferam, si humores æquales inter se fuerint, propone sanguinis missionem, deinde aluum deiicias. Si vero inæquales, prius humorem exuberantem educas, donec ad æquitatem deducant: deinde sanguinem mittas.] Hæc ille. Cuius opinio in hisce propositionibus consistit: Prima, si purgandum valentioribus medicamentis, & sanguis mittendus est, à phlebotomia curationem exordiri oportet secundum Galeni sententiam. Secunda, idem faciendum, si pituitosi humores cum sanguine fuerint permisti; at si viscidi & crassi præponendam purgationem. Postrema, si æquales fuerint affectus, à venæ sectione exordiri; si inæquales, à purgatione oportet. Verum, quia hæc opinio nonnullis Medicis haud mediocriter displicet, afferamus hoc loco illorum rationes in medium, vt tandem valeamus in arduo negotio veritatem inue-

niæ. In primis obiiciunt contra Auicennam hoc modo: Quem ordinem habet remedium vniuersale ad particulare, eum habet purgatio ad venæ sectionem: atqui vniuersalia remedia continuo præcedunt particularia; phlebotomia igitur perpetuo erit præponenda purgationi. Assumptio verissima est; quandoquidem phlebotomia est vniuersalis vacuatio, vt eam etiam definit Auicenna; purgatio vero haud recensetur vacuatio, ex qua omnes humores ducantur. Secundo argumentantur: In omni curatione regulari ab ea exordiundum est vacuatione, quæ tutior, & facilior existit; atqui venæ sectio multo tutior, atque facilior est purgatione: illa igitur erit semper in opere præponenda. Maior est vera ex communi omnium fere Medicorum sententia; minorem vero declarauit ex proposito Galenus libro de phlebotomia aduersus Erasistrateos Romæ degentes, & libro secundo de ratione victus in morbis acutis: nosque pluribus eam comprobauimus propositionem libro primo huius tractationis. Tertia illorum ratio sic habet. Inter euacuationes ea debet proponi, quæ plures vtilitates impartitur; eiuscemodi autem est phlebotomia in relatione ad purgationem; ergo phlebotomia erit præponenda. Assumptum nemo quidem inficiabitur; quia illi remedio magis incumbendum, ex quo maior vtilitas speratur. Minor vero probatur; quia phlebotomia conuenit tam vbi adest multitudo, quam vbi non adest Galeni testimonio libro quarto Methodi, capite sexto. At pharmacia conuenit duntaxat in malo succo. Præterea in hoc reprehendunt, quod dixerit hanc Hippocratis sententiam esse, cum nunquam illi reperierint hoc fuisse ab Hippocrate dictum, addideruntque etiam nonnulli, neque Galenum aliquando pronunciasse, phlebotomiam præmittendam purgationi. Hæc potissima sunt, quæ contra Auicennæ sententiam obiici solent. Quorum explicationem afferamus.

Cap. XXXIII.

Quid in hac controuersia dicendum sit ex authoris sententia, qua omnes dubitationes contra Auicennam dilucidantur.

EXPLICATIONEM magnæ huius difficultatis scripturus, operæpretium me iudicaui facturum, si rem per capita dilucidauerim, sic enim multo facilior euadet explanatio. Morborum igitur nonnulli validissima postulant medicamenta expurgantia, vt helleborum vtrumque, colloquintidam, peplium, atque alia id genus quamplurima: quidam vero contra mitioribus gaudent præsidiis. Itaque proponamus nos aliquando indigere phlebotomia, ac simul valida purgatione. Tunc semper phlebotomia erit valido medicamento proponenda. Cuius rei alia in medium afferri ratio non potest, nisi quod semper a leuioribus remediis exordiri conuenit (nisi aliquid sit, quod ordinariam curandi rationem impediat) atque sensim ad validiora fieri progressus debet. Purgatio siquidem facta valido pharmaco multo validior est, & vehementior, quam sit euacuatio facta per venæ sectionem. De qua re Galeni authoritate multa superioribus libris diximus. Auicennam vero sic interpretandum esse eius verba manifestissimum faciunt, quæ sic habent: Veluti veratro, & aliis validioribus medicamentis.] Atque licet in antiquo contextu dixerit hanc extitisse sententiam Hippocratis, tamen in codice nouo aliter à Gratiolo scriptum inuenimus, cum dicat: Hoc vnum esse ex præceptis Galeni in commentariis libri de morbis vulgaribus. Affero nunc locum ex libro sexto Epidemiorum, sectione prima, commentario autem quinto, in quo exponit hæc Hippocratis verba: Iuuenes veratro purgare, poplitem incidere.] Veratro quidem expurgare (inquit Galenus) si valde antiquus affectus sit, & ceu vectibus (vt ita dixerim) extrudendus. Ad huiusmodi enim morbos veratro vtimur: venam autem cædere, vbi sanguis multus, aut crassus in venis abundet. Quod si vtrisque auxiliis idem homo opus habuerit, à venæ sectione incipiendum esse notissimum est.] Hæc ille, qui nostram opinionem apertissime confirmat. Idem etiam habetur

in libro de renum affectuum dignotione, & medicatione, qui liber licet non sit Galeni, Græci tamen authoris est, atque (vt ego sentio) minime contemnendi. Quæ hic dico satis manifestum faciunt aberrasse non mediocriter illos, qui dixerunt hoc præceptum apud Galenum minime inueniri. Certe quod attinet ad Hippocratem, nihil habeo quod afferam pro confirmatione huius decreti: nisi dixerimus in iis verbis, libro quarto acutorum. Nam venæ sectio in his præferenda venit, &c.] id explicare voluisse, quod satis rationi consonum est: quia venæ sectionem ante purgationem admittit in morbis, in quibus indigemus vtroque remedio. At vero si leuioribus præsidiis expurgantibus indigeat ægrotus, hæc præponenda sunt venæ sectioni ob eandem causam: nam phlebotomia illius remedii respectu maius quoddam est remedium. Neque hic aliquid vrget obiectio recentioris illius Medici doctissimi, qua demonstrare conatur phlebotomiam præmittendam huic purgationum generi: quando grauis aliquispiam morbus sese offerat, maximumque in mora periculum sit. Quandoquidem aliud est curatio ordinaria, aliud coacta, vt sæpe diximus, sermonem habemus de priori, non de posteriori curandi ratione; quemadmodum etiam demonstrauimus vbi de vsu clysteriorum tractabamus, atque in prioribus libri Methodi medendi. Præterea consideranda est plenitudinis & cacochymiæ quantitas conferendo hosce affectus ad inuicem: nam aliquando multo maior est cacochymia: aliquando contra maior est plenitudo: nonnunquam sunt ambo æquales affectus. Magis abundante sanguine, quam aliis humoribus à phlebotomia, vt plurimum exordiendum est. Quemadmodum etiam si æquales fuerint: at si exigua fuerit plenitudo, magna vero cacochymia, tunc vtique rationi consonum est ab ipsa purgatione exordiri, quæ fortassis excusabit etiam à phlebotomia. Nam malo succo vacuato per insensibilem transpirationem facile poterit plenitudo dissolui: præsertim si fuerit sanguinis tenuioris, in regione calida, & sicca: De eiusce modi complicatione locutum fuisse Galenum arbitror, quando dicebat, haud protinus præsente plenitudine accedendum ad venæ sectionem, sed satisfacere quibusdam balneum, aliis frictionem, nonnullis medicamentum digerens, aliis vero purgationem. Agebat enim ibi de plenitudine nota, vt in epistolis medicinalibus scripsi ad Iulium Pichinum. Hoc etiam animo concipiebat Auicenna, quando dicebat in quarta sectione: Et (vt summatim proferam) si humores æquales inter se fuerint præpone sanguinis missionem; deinde aluum deiicias. Si vero inæquales, prius humorem exuberantem educas, donec ad æquitatem deducant, deinde sanguinem mittas.] Hæc ille. Quoniam vero hæc verba difficilia sunt, & à variis explanatoribus vario modo explicari solent, hic ego afferre conabor in medium quam meliorem esse putem explanationem loci huius. Quamobrem, si mali succi vitium, & plenitudo fuerint æqualia, præponenda venæ sectio: si vero inæqualitas adfuerit, ita vt cacochymia longe superet multitudinem sanguinis, prius humor euincens, & à sanguinis natura distans expurgandus, donec remoto humore faciente inæqualitatem, adsit sola sanguinis abundantia, quæ est augmentum humorum veteri seruata proportione, tuncque postea ad venæ sectionem erit accedendum, si oportuerit. Propterea vbi in venis adfuerint humores admodum crassi, quale est melancholicum excrementum, simul cum aliqua sanguinis abundantia, post præparationem illius humoris factam incidentibus medicamentis detergentibusque, expurgatio tuto admodum decernetur, postea vero ad venæ sectionem accedere oportebit, qui ordo incedendi maximam afferre solet vtilitatem, estque in communi vsu omnium practicantium. Hæc videtur satis dilucida explanatio loci huius, quicquid dicant alii. Sed quid sibi voluit, quando dicebat? Itidem si cum sanguine pituitosi humores mixti sint?] quasi quod pituita cacochymiam non faciat. Respondeo humorum pituitosorum nomine intelligendum esse sanguinem pituitosum: nam inter omnes humores pituita dulcis a sanguinis natura parum distat: hac in venis cum sanguine permista non est a venæ sectione abstinendum. Verum hic

meminisse oportet, in abundantia crudi huiusce humoris partitis vicibus mittendum esse sanguinem, ac in ipso interuallo incidentibus, & detergentibus vtendum, vt Galenus faciundum monuit de ratione curandi per venæ sectionem, & nos libro quarto explanauimus. Deinde etiam intelligere possumus humorum pituitosorum nomine, crudiorem illam alimenti partem, quæ sanguificationem in iecinore subterfugit, hunc humorem crudum diximus alio in opere nuncupari à Galeno sedimentum. Quoties igitur cumq; hic abundauerit simul cum sanguine, vbi sese offerat occasio vtendi phlebotomia, statim secanda est vena; mox vero si non fuerit sufficiens, postea expurgabimus. Cæterum, si humores fuerint viscidi, ex eorum scilicet numero, qui a sanguine plurimum distant, quemadmodum est pituita vitrea, fuerintq; crassi, vt melancholia excrementitia, aut etiam atra bilis, opportunũ est aggredi curationem à purgatione illorum humorum præcedente eorundem optima præparatione.

Cap. XXXIIII.

Quomodo rationibus contra Auicennam sit satisfaciundum.

EXPOSITA veritate huius quæstionis, accedamus ad dissoluendas rationes contra sententiam Auicennæ propositas. Ad primum igitur, quando dicebatur; quem ordinem habet remedium locale ad remedium vniuersale: eum habet purgatio ad venæ sectionem, dicimus non esse eandem proportionem: quia locale remedium nunquam est vniuersale; at purgatio vniuersale remedium est. Venæ sectio vniuersale nuncupari solet remedium, quod eo omnes humores in venis consistentes vacuentur; at purgatio licet determinatum humorem vacuet, eum tamen vacuare potest ab omnibus partibus. Meminisse autem oportet hoc loco eorum, quæ nos diximus libro de ratione purgandi: Purgationem duplicem esse, vniuersalem, & particularem. Vniuersalis est, non quæ omnes humores, sed quę ex vniuerso corpore, aut certe maxima ex parte superuacanea deducit. Licet prius vnam quam aliam partem euacuent medicamenta: vt alui deiectio primum quidem ac maxime intestina, mox ventriculum, tandem viscera, primasque venas; deinde venas maiores, postremo minores, habitumque corporis. Sic vomitio primum quidem ac maxime ventriculum, deinde si persistit, viscera, venasque maiores, postremo corporis habitum. Particularis vero nuncupatur purgatio, quæ partem duntaxat vnam propriis vitiis detergit. In omni deinde artificiali, ordinariaque curandi ratione, à facilioribus exordiri oportet; at venæ sectio facilius est remedium validissima purgatione facta colloquintida, & helleboro. At remedium euadet difficilius in relatione ad expurgantia leuiora. Idcirco Galeni illa sententia, quam passim vsurpat conferendo phlebotomiam venæ sectioni, non est vniuersaliter vera de quacunque expurgatione, sed locum habet solum in relatione ad pharmaciam validam, de qua supra locuti fuimus. Postremo non est verum, plures vtilitates præstari à venæ sectione, quam a purgatione: nam vtrumque remedium suas habet vires egregias circa determinatam morbi speciem: quin etiam videntur duo hæc præsidia inter se comparari non posse, ob eas rationes, quas docuimus libro tertio huius Methodi: cum dicunt, phlebotomiam deberi humoribus tum quantitate, tum qualitate peccantibus, dico id non esse verum: cum nunquam liceat accedere ad hoc remedium sine multitudinis affectu, aut sanguinis motu: at sanguis citra cacochymiam mouetur. His igitur in hunc modum, quoad eius fieri potuit, diligenter explanatis, videmur omnia docuisse, quæ ad tempora tum vniuersalia, tum particularia pro remedio hoc exercendo, desiderari possent. Docuimus qualem præparationem ipsa corpora postulent; quem ordinem in variis remediis exercendis obseruare debemus. Hinc igitur superest, vt ad aliorum explanationem nostra conuertatur oratio, quæ pro tractationis institutæ absolutione necessaria sunt.

HORATII AVGENII A MONTE SANCTO, DE RATIONE CVRANDI PER MISSIONEM SANGVINIS;

LIBER NONVS.

Cap. I.

Venarum nomine intelligendas etiam esse arterias ex veterum consuetudine, quid inuicem distent vena & arteria.

IAM vero opportunum est docere, quæ venæ in quouis affectu secandæ sint. Verum prius statuere oportet, venarum nomine duo vasorum genera nos intelligere: tum quæ proprie nuncupantur venæ: tum etiam ipsas arterias, idque ex Hippocratis & Platonis, aliorumq; veterum consuetudine. Hippocrates quidem secundo vulgarium morborum libro, sectione quinra, sic de arteria locutus est: Cui vena, quæ est in cubito, pulsauerit, furiosus ille & iracundus euadit: cui sensim mota fuerit, lentus.] Plato veró Galeno referenre siç inquit: Cor vero simul, & venarum fontem, & eius sanguinis, qui per omnia membra vehementer circumfunditur. Differunt autem inuicem, quod venæ non pulsant: quemadmodum arteriæ, atq; licet Hippocrates videatur dixisse, non semper pulsare arterias, eius tamen sententia, de adeo vehementi agitatione & pulsatione accipienda est, vt priusquam tactu prehensauerimus, oculis subiiciatur ille motus: quod ex verbis illius constat: nam pulsui quietam motionem, & lentum furioso, & iracundo, quasi ira vacuum opposuerit, vt optime Galenus interpretatur. Arterias igitur rectius quispiam pulsatiles nuncupauerit venas. At generis nomen habent venæ, & proprie non pulsant. Differunt præterea, quod illæ continent sanguinem spirituosum, feruentissimum: hæ vero sanguinem crassiorem: omnes videlicet humores sanguinis substantiam constituentes, adhæc vero serum, tanquam vehiculum illius: ac etiam humorem illum crudum, qui sanguificationem in iecinore subterfugit, magna naturę prouidentia sanguini perpetuo mixtum, à nobisq; sedimentum alio in opere vocatum, ambitu suo coercenr, complectunturq;. Postremo venarum vnica est tunica, & ea quidem tenuis: arteriarum vero neq; simplex, neq; tenuis, sed duæ ipsis insunt tunicæ: quarum interna quidem crassa est admodum densa ac dura, atq; in fibras transuersas diuidua, exterior vero tenuis, rara, mollis, qualis etiam est venarum tunica. Vtrumque vasorum genus inciditur, at certe haud pari securitate: quandoquidem arteriæ ob imminens ex profluuio sanguinis discrimen, atque ob difficilem vasorum consolidationem, raro secari debent: cum vero necessaria fuerit earum sectio, cum magna præmeditatione est ad eam accedendum. Quæ igitur regulæ sint obseruandæ, quis secandi modus, quibus affectibus opem ferant, hoc libro docere instituimus, principio sumpto à sectione venarum. Mox vero de arteriarum sectione tractabimus.

CAP. II.

De venis, quæ in cubito & manu secantur; quæ securius incidatur, & quis in sectione locus debeat obseruari.

PORRO in hac tractatione primum agemus de sectione venarum cubiti, & manus: mox vero de venis, quæ secantur in cruribus pedibusq́; : ac etiam in aliis partibus, in quibus ex probatissimorum authorum consensu pro eutandis, præseruandisque morbis incidi consueuerunt. Quæ igitur in brachio, & in manu aperiuntur venæ, sex numero recensentur, videlicet cephalica, basilica, media, axillaris basilicæ propago, & duæ aliæ, in vlteriori brachii parte pertinentes: quarum altera directa funis instar, inter pollicem & indicem manus excurrit: altera inter anularem, & minimum porrigitur digitum. Harum tres magnæ sunt: duæ paruæ in manu consistentes. Mediocris est funis brachii ab Auicenna & Fernelio nuncupata. Ex maioribus venis nulla tutior, quod attinet ad ipsam sectionem, iudicari debet cephalica. Quandoquidem aliæ duæ subiectum habent arteriam, vel neruum. Basilica quidem comitem habet arteriam, atque sub ipsa musculi tendo delitescit; propterea cum maxime periculosa illius sit incisio, admodum caute perrundi debet. Quoniam si arteria incisa fuerit, sanguis aut nunquam, aut certe cum magna difficultate supprimitur: Media vero ob neruum ei subiectum periculo non vacat. Nonnunquam inter duos neruos excurrit, vnde omni industria vitendum est, vt illam accommodate feriamus. Doceamus modo, quo in loco fieri debeat incisio. Tres illæ venę in cubito magnę apparentes incidendæ sunt paulo supra cubiti articulum, neq; infra, neque è regione ipsius, vt sanguis promptius prosiliat, & neruorum, & arteriarum noxæ tutius euitentur; Axillaris etiam similiter incidenda est. Etenim ob varium complexum, quem habent in articulo cum neruis tendonibus, & arteriis, tutior sectio est supra cubiti articulum: sanguis effluit multo facilius; quandoquidem tortuose admodum incedunt illæ sub cubiti plexu, & in ipso articulo, quæ res non mediocriter impedire potest liberum sanguinis effluuium. Cephalica certe incidatur infra caput musculi in loco molliori vnica facta diuisione, ne inflammatio excitetur. Vt plurimum enim huiusmodi affectus consequitur, quando non vnico, sed iteratis ictibus vena percutitur; quemadmodum elegantissime scribit Oribasius ille Sardianus post Galenum Medicorum præcipuus, cum scribit: Venam autem humeralem secare omnibus modis sine periculo licet. Et tamen quibusdam etiam ex huius sectione musculus sub radio constitutus indoluit; alios inflammatio subsecuta vexauit, & dolor diu perdurauit. Veruntamen iis, qui sic affecti fuerint, vena non vnico ictu fuit diuisa; sed cum primum fuisset aberratum, secundo, & tertio, & quandoque etiam quarto fuit pertusa. Quamobrem cum musculi caput sæpe punctum fuisset, eiusce modi affectiones concitatæ sunt. At vnico ictu magna facta diuisione, non quispiam inflammatione correpus est; nec dolorem contraxit. Quocirca hæc intrepide secanda est, sed interior caute admodum, & considerate.] Hæc Oribasius. Docui hactenus, quæ venæ in cubito, & in manu secandæ sunt; quis locus sectionis; nunc reliqua perlustremus.

CAP. III.

Quid agendum, si incidendæ venæ non apparuerint.

IN hoc autem opere in primis est animaduertendum, adeo variam esse humani corporis structuram, vt in quibusdam incidendæ venæ maxime emineant, in quibusdam vero delitescant. Sunt in quibus interior statim appareat: aliæ duæ occulentur: aliis contra cephalica & media sese dent in conspectum interiori non apparente. Qui ergo habent apertas venas, facile phlebotomiam recipiunt, possuntque in iis obseruari, quas docuimus regulas, aliis quidem non licet. Idcirco si obscuriores extiterint, aliquem tamum ab illis proficiscen-

ficiſcentem ſcindere oportet. Triplex autem eſt ramus: vnus funis brachii: alius inter minimum, anularemque excurrens: tertius inter pollicem, & indicem. Primum ex cephalica deducere originem anatomica docet obſeruatio. Secundus ortum ducit ab interiori. Tertius etiam ab exteriori proficiſcitur. Quamobrem nulla apparente in cubito vena, aliqua ex hiſce tribus ſubſtituatur: copioſiorq́; ſanguis vacuandus eſt, quam ſi maior vena incideretur. Poſtulant autem hæ manus venæ antea quam ad ſectionem veniamus, vt in aquam calentem dimittatur manus: alioquin ſanguis aut non effluet, aut non tanta quantitate, quanta foret neceſſarium. Cæterum ſi ex magnis venis quædam fuerint obſcuræ, quædam conſpicuæ, ſemper incidantur magis conſpicuæ. Vt ſi, exempli gratia, ſuadeat affectus incidi debere cephalicam, eaq; non appareat aut obſcurior ſit, tuto incidemus mediam, ſi fuerit magis conſpicua, quam interior (nam illa ex interna externaq; producitur.) Rurſusq; ſecabimus interiorem magis, quam duas illas, vbi fuerit manifeſtior; quemadmodum Galenus docuit libro de ratione curandi per ſanguinis miſſionem hiſce verbis vſus: Nam hi tres ſunt loci mittendi in cubito ſanguinis: interior vtilis eſt iis, quibus inferiores collo partes patiuntur; exterior vero in iis, quibus, quæ his ſuperiores ſunt, vt facies aut caput; Medius locus interdum vtraſq; habet deductas venas in vlteriorem brachii partem tendentes, ac deinde hic cohærentes: interim vero celeriter in vnum mutuo congredientes in ipſo videlicet iuncturæ flexu; ac obſcuram nonnunquam alteram earum; claram vero alteram. Itaq; vbi vena, quæ parti affectæ propria eſt, obſcurior fuerit, & ad mediarum aliquam accedas, conare, quæ à propria deducitur, potius incidere. Eſt autem vbi, & quæ inferiores ſunt cubiti iunctura, eas, quę in vlna exiſtunt ſcil. nihil ſecare prohibeat, vbi nimirum, quæ in cubito ſunt, non appareant: ſed eas certe, quæ in rectum ſunt affectis.] Atque libro decimotertio Methodi medendi, capite vndecimo dicebat: Pari modo venam quoque, vbi hæ partes ſic laborant, incidere humeralem in manu: ſi ea non cernitur, mediam.] Animaduertenda ſunt hæc verba humeralem in manu.] Quoniam manus nomine totum intellexit brachium, non autem manum proprie dictam comprehendentem vlnam, & digitos: quam rem maxime conſpicuam fecit parum infra, cum dicebat: In angina, quam ſynanchen Græci vocant, primas in manibus: ſecundas eas, quæ ſub lingua habentur.] In quibus verbis quis non videt manus vocabulo Galenum intellexiſſe totum brachium? Quandoquidem in ipſa reuulſione humoris ad anginam confluentis expedit primum magnas in cubito venas incidere, quæ ſi non apparuerint; poſtea accedendum ad venas in manu exiſtentes. Quamobrem quando manus abſolute proponitur, totum intelligemus brachiū. Quando vero ſummam dicimus manum, intelligimus partem infra raſcettam, quæ vlna etiam dicitur. Quam rem omnibus in Galeni doctrina exercitatis notiſſimam eſſe arbitror: præſertim vero iis, qui legerint librum de anatomicis demonſtrationibus in quo frequenter hiſce vtitur nominibus.

Cap. IIII.

Quomodo cognoſcendum, neruum fuiſſe punctum, & arteriam diuiſam.

HI duo contingunt errores præcipui in hac materia, vnus eſt cum neruus pungitur, alius cum arteria diuiditur. Aberratum autem fuiſſe in opere hoc modo cognoſces. Si punctus fuerit neruus, aut tendo, ſequitur protinus grauiſſimus dolor, pars in tumorem attollitur, ſtupor aduenit, aliquando paralyſis, atque vt plurimum conuulſio accedit. Dignoſces autem, num vena, an arteria ſanguinē profundat inde, quod huius flauior, tenuiorq́; ſanguis exiſtat, & cum pulſu vacuetur; illius autem nigrior, & ſine pulſu. Hiſtoriam hic à Galeno relatam proferamus. Simile (inquit libro quinto Methodi) quidem aliquando & agreſti contigit iuueni, dum ſanguinē ſibi mittendum veris tempore curaret,

quod nostratibus maxime est in vsu. Cum enim Medicus, qui venam incisurus erat, brachium hominis deligasset: contigit attolli veluti in gibbum arteriam, itaque hanc pro vena Medicus diuisit. Exigua sane incisio erat, sanguis autem flauus, & tennior, & feruidus statim eiaculabatur, idq; cum quodam veluti saltu. At Medicus quidem, vt erat admodum iuuenis, & operum artis parum peritus, venam se incidisse putabat: Ego vero cum quodam alio, ex iis, qui aderant, Medicis, vtiq; seniore vbi quod accidit, animaduerti, præparato ex emplastrorum genere, quod sanguinem supprimit, medicamento, tum incisionem curiose coniunxi, tum super medicamẽ illico imposui, ac spongiam mollissimam extrinsecus super hoc deligaui.] Cæterum quibus remediis opportune hisce erroribus prouideatur, demonstrabimus infra diligenter.

Cap. V.

Quibus affectibus sectiones venarum cubiti opitulentur.

OPERÆ PRETIVM est nunc docere, quem vsum afferant harum venarum sectiones, à venis cubiti desumpto principio. Cephalica igitur incisa ex ceruice tantum, & ex his, quæ supra ipsam sitæ sunt, partibus, sanguinem euacuat, nec iecinoris, seu præcordiorum regionem attingit, nec ab inferioribus quicquam educit, quod alicuius sit momenti. Capitis itaque ex plenitudine affectus siue fuerint interni, siue ad summũ peruenerint magnitudinis, reuelluntur cephalia incisa è directo respondenti loco affecto: dextra enim capitis parte laborante ex dextra: sinistra vero ex sinistra exteriori vena retractio fit. At si hæc non appareat, incidenda est vena, quæ excurrit inter indicem, & pollicem; præsertim vero, quando segniorem facere in animo fuerit reuulsionem, aut etiam, vt quibusdam placet, futuros morbos præcauere consilium fuerit. Cephalicæ huius maxime prodest sectio in oculorum affectionibus, de quibus Galenus libro de ratione curandi per missionem sanguinis hoc modo locutus est. itaq; dolentibus oculis humeralis incisa vena, quæq; ex ea deriuata est, in cubito incisæ, luculentum celeriter commodum adferunt.] Qua vero ratione prodest oculorum inflammationibus, eadem etiam iuuat auribus, maxillis, gingiuis, atque faucibus inflammatis. Contra, basilica euacuat ab iis, quæ infra ceruicem sunt, veluti thorace, & inferiori ventre: Media vero inter vtramq; medio modo sese habet. Quia neque à supernis partibus ita euacuat, vt humeralis; neque ab infernis, vt interior, cum particepet vtraque vena, vt supra dicebamus. Pleuritidem itaque descendentem basilica reuellit; ascendentem deriuat in eodem secta cubito. Quod est reuellere, & euacuare simul; non autem reuellere, atque deriuare, vt male opinatur Fernelius Brisotti, Curtii, atque aliorum opinionem imitatus. Ex opposito autem cubito facta ascendentem duntaxat reuellit: nec quicquam iuuat pro vacuatione humoris in phlegmone, aut in viciniotibus partibus contenti; neque id mirum videatur, quandoquidem non instituitur gratia vacuationis, sed pro inhibendo solum fluxu humorum ad affectam particulam. Idcirco statim inchoante fluxione, & multitudine sanguinis corpore nimium abundante fit. De hac re Galenus libro de ratione curandi per venæ sectionem hoc modo locutus est: Quin & pleuritidis, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit sanguinis missio, clarissimam sæpe vtilitatem attulit, quæ vero ex brachio opposito, aut omnino obscuram, aut certe post temporis interuallum.] Et merito quidem sic locutus est, quoniam euidens vtilitas ea est, qua ægrotus se leuatum à morbi sentit vehementia: id vero contingit vacuato sanguine in phlegmone contento, non eo, qui ad phlegmónem fluit, aut fluxurus est, à quo adhuc nulla febris, nulla tensio, nullus tumor, nullusque dolor contingit in inflammata particula. Quæ in opposito cubito secatur vena euidentem vtilitatem facit non quidem in relatione ad ægrotum conquerentem de febre, de dolore, de tussi, de difficili respiratione, sed in comparatione ad artis opera; est animaduertendum Galenum dixisse sæpe.]

non

non semper. Quia aliquando maxime obest eiuscemodi venæ sectio. Dabitur igitur ex Galeno casus, in quo non conueniet aliquando venam incidere in eodem cubito. Idcirco nihil est, quod generalem proponant regulam ex iis Galeni verbis, qui ex eodem cubito in pleuritide venam incidendam esse volunt. An dicent sectionem venæ in opposito cubito non habere ipsam rectitudinem? sed quam sit absurda eiuscemodi opinio, demonstratum est à nobis superioribus libris, vbi κατ' ἴξιν etiam secundum latitudinem dici demonstratum fuit ex Galeni verbis. Haud igitur recte in hac materia sic scribit Fernelius: Proinde huius secta vena dextram pleuritidem non adimit, sed noxium humorem, vel in inflammata parte linquit, vel puro sanguini permiscet, vel (quod frequentissime accidit) sinistram pleuritidem inuehit.]. Nam certe, quæ fit in eodem latere venæ sectio, morbum iam factum sanat; quod quoniam fieri non potest, nisi prius efficientes causas remoueamus, propterea prior indicatio ad efficientes causas, atque adaugentes verti debet in opere, quam ad factum morbum, vt Galenus docuit decimotertio Methodi, & libro artis medicæ; ac nos in septimo libro videmur satis abunde explicasse. Fateor humores linqui in inflammata particula: quia dum reuello fluentem solum, ac confluxurum inhibere volo: noxiusque humor circa phlegmonem contentus, cum non agitatur, ea sectione non potest permisceri humori bono: nec etiam sinistram pleuritidem inuehere, vt ille somniare hac in re videtur mihi. Ac multo etiam perperam sentit, quando agens de inflammatione humeri, & axillarum, vult incidendam esse venam aut cubiti, aut manus: refero eius verba, ne aliquid videar illi imponere. Inflammationes, quæ vel humores, vel axillas male habent, nisi ad brachii flexum pertingant, eandem curandi rationem subeunt. Cum autem eo peruenietur, quoniam partem inflammatione obsessam sectione proritare tutum non est, manus è directo aperienda est vena.] Hæc opinio est omnium absurdissima, vt contra Iouberrum disputans recordor explicasse. Cur enim inflammato cubito ex manu sanguinem mittit? an vt originem fluxionis inhibeat? id sane præ oculis habere debebat, quoniam prima omnium indicationum in inflammationibus exequendarum est, fluxionem inhibere. At quæso elegantissime Fernelii ex manu ipsa, aut ex cubito ascendet sanguis facturus inflammationem cubiti, & axillarum? an potius à toto corpore? cur igitur totū relinquis corpus humorum multitudine refertum, & ad eas partes exinaniendas properare vis, in quibus nulla continetur suspicio multitudinis? quando noluetis deriuare, id tutissimum esse scio: at vero cum reuellere adeo perniciosum fore profiteor, vt nulla possit perniciosior excogitari medendi ratio. Qui ergo me habere in hac materia præceptorum voluerit, sic statuat: In cubiti & axillarum inflammatione sanguinem pro reuulsione mitti debere ex cubito opposito: pro deriuatione autem ex aliqua vena in manu existente. Iecinoris inflammatio locum non habet, ex quo sanguis debeat vacuari pro deriuatione: at pro reuulsione interior dextri cubiti vena eligenda est: quoniam non solum superioris ad inferius relationem habet, sed etiam proxime demandantem particulam respicit, vacuans ex vena caua sanguinem, à qua in iecinoris substantiam transmittitur sanguis facturus inflammationem, vt Galenus docuit libro decimotertio Methodi medendi, capite sexto. Eadem statuatur medendi ratio in phlegmone lienis ex sinistra basilica sanguine profuso, at fit deriuatio in venas hæmorrhoidales. Articulis inferiorum partiū inflammatis, vt pedum, genu, & coxendicis, aliisve morbis ex sanguinis fluxione genitis incidenda est pro reuulsione vena cubiti. Quemadmodum etiam, vtero, & vesica phlegmone obsessis, aut sanguinem profundentibus, quod etiam in hæmorrhoidum nimio fluore veritatem habere constat. Renes autem statuuntur ambigere, cum pro auersione gaudeant sectione, tum inferiorum, tum superiorum partium, si tamen fuerit magna fluxio, & corpus humorum multitudine refertum magis præstabit ex interiore cubiti, quam ex inferiori prolicere sanguinem, vt alias demonstraui. Pulmonum inflammationem reuellit (ait Fernelius) pari-

terq; deriuat interior cubiti sinistri potius, quam dextri, quandoquidem pulmonis venæ ex dextro cordis sinu prodeunt: hic autem in sinistram partem venæ cauæ inseritur, qui per alam sinistram in cubitum excurrit. Eadem sanguini, qui tussiendo reiicitur, tabi, cordis palpitationi, aliisque eorum vitiis succurrit.

Cap. VI.

Quem vsum paruarum afferat venarum in manibus incisio.

HACTENVS docuimus, quem vsum afferat sectio venarum, quæ magnæ apparent in ipso cubito. Nunc de paruis agendum, circa manum consistentibus. Inprimis autem certissimum est, secandas esse illas, quotiescunq; maiores secari non possint, aut quod natura sint occultæ, aut quod cubitus à morbo imbecillus eiuscemodi sectionem non ferat. Atque hæc prima vtilitas est omnium Medicorum vnanimi consensu stabilita, quæ etiam potissima causa fuit (vt ego sentio) institutionis huius. Adduntur huic aliæ ab aliis, quæ quoniam minus firmæ sunt, exigunt diligens examen. Quæ enim prope anularem manus digitum excurrit, dextra quidem, vt nonnulli aiunt, in iecinoris, sinistra vero in lienis affectibus confert, vt Auicenna docuit; quod etiam Oribasius ille Sardianus memoriæ prodidit libro septimo, capite quinto, vbi de sectione harum venarum hæc scribit: Ita in affecto liene vena, quæ est prope anularem sinistræ manus digitum, incisa iuuit. Nonnulli vero eam venam incidunt, quæ inter medium & anularem interiacet, & sanguinem fluere sinunt, donec ipse per se sistatur, lienemq; iuuari aiunt: atque si venam internam cubiti secueris, sanguis enim è sinistra manu detractus lienem male affectum mirum in modum iuuat.] Quam rem Paulus Ægineta ad verbum confirmauit libro sexto, capite quadragesimo, atque etiam illorum ductus authoritate Auicenna libro primo, sectione quarta. Ex quibus deduco eius venæ iuuare sectionem, ex communi assertione probatissimorum authorum, affectus lienis, & iecinoris, illius, quæ in sinistra, huius, quæ in dextra manu consistit. Ratio vero huius rei dependet ex eo principio, cuius supra meminimus, nempe quod venæ per manum excurrentes, illamque irrigantes sunt rami, & propagines venarum magnarum cubiti. Quamobrem vbi hæ non appareant, illæ tuto sunt incidendæ. Sed est animaduertendum minime prodesse harũ sectionem in omnibus morbis, neq; etiam in omni tempore, at tunc duntaxat, cum secari debuissent maiores venæ pro sanandis iis morbis, qui venæ sectione sanari consueuerunt. Obstructiones igitur antiquæ lienis, aut iecinoris à crassis frigidisque humoribus factæ, quibuscum vt plurimum frigida iungitur intemperies, & flatuosus spiritus negotium facit, non modo nihil iuuantur sanguine ex illis profuso, sed etiam maxime læduntur. Propterea redarguendi sunt, qui in omnibus affectibus illarum partium eas incidunt venas. Sunt etiam pariter arguendi secantes vtramque venam, maiorem primum, deinde minorem: quod illi certe faciunt nulla duce ratione, nullaque moti experientia aut testimonio antiqui authoris. Quorsum enim (quæso) paruæ illæ, distantioresque incidendæ sunt venæ, si in propatulo sunt maiores, viciniores que? Quid paruarum sectio amplius faciet, quod magnarum efficere venarum non potuerit: Atque hinc rursus error alius apparet manifestissimus circa tempus: morbo inchoante secant venam maiorem: eo postmodum antiquato, venas pertundunt in manu. Quid enim hæc incisio præstare tunc vtilitatis poterit? quia (inquiunt) vires minus redduntur debiles: quam si maiorem incideremus? At multo imbecilliores reddi contendo duplici nomine, primum quia si sanguinem ex illis vacuamus pro consuetudine authorum, nõ debemus hanc supprimere vacuationem, nisi cum sponte cessauerit fluxio, vt ex Auicenna & Oribasio supra dictum fuit, oportebitque semper manum in aqua calente continere, quę duo insignem faciunt spirituum vacuationem, ex magna autem vena id non contingere multo certius est, quam quod debeat hoc loco demonstrari: deinde cum sanguis

mit-

mittitur, morbusq́; non postulauerit, vires ferre non possunt. At morbo prorogato, exolutisq́; scopis venam incidendam indicantibus, non potest id exerceri auxilium sine maxima virium iactura, de qua re octauo libro plura scripsimus. Quamobrem affectus lienis iuuantur hoc auxilio, quando maiorum venarum fieri non potuit incisio, & merito, vt diximus, quia illarum rami sunt, atque propagines. Verum non æque iuuantur duplici de causa: vna, quia distantiores sunt, quam ferat vacuatio affectarum partium alia, quia paruæ venæ cum sint, sanguinem coaceruare non possunt crassum, cuius inanitio potissimum in affectibus lienis desiderari solet. Hac de re factum est, vt parum admodum confidam in hoc auxilio, quemadmodum etiam Galenus & Auicenna paruam videntur adhibuisse fidem, quia horum vterque aliorum opinione loquitur, veluti adnotauimus in primi tomi epistolarum Medicinalium libro octauo, epistola vltima. Contemplemur postremo, quem vsum tribuant recentiores Saluatellæ, pro curandis febribus. Dicunt plurimum illius prodesse incisionem pro antiquatum febrium curatione, nam quando aliis fere auxiliis sanari non possunt, ad eam tanquam ad sacram, vt prouerbio dici solet, anchoram confugiunt. Si quispiam autem petierit, cur sic faciant, aliam non reddunt rationem facti, quam quod ipsa experientia compertum habeant, eiuscemodi sectionem mire admodum prodesse. Ego vero, qui veram illorum experientiam minime cognosco, vt pote qui certo sciam obfuisse multis, illis adhærere nunquam potui, præsertim cum rationem habeant aduersam, qualem superioribus libris de iteratione agentes demonstrauimus, propterea hunc abusum à dogmatica medicina prorsus eliminandum censeo. Pluribus agerem, vt mendosam illorum existere experientiam demonstrarem, verum, quia id à me factum fuit libro de experientia, & de remediis experientia cognitis, arbitror sufficere, me tum locum demonstrasse, tum propriam sententiam dixisse.

Cap. VII.

Quæ venæ in cruribus pedibusq́ secantur.

SED quoniam venas manus longiori sermone sumus prosecuti, ne earum, quæ in pede, & reliquis corporis partibus extant, videamur obliti, nunc de illis diligenter pertractemus. Sciendum est itaque, præcipuas venas pedum duas existere maiores, quæ secari consueuerunt, quarum altera in exteriori malleoli parte sita est, ischiadica nuncupata: altera in interiore, quam saphenam appellant. Prior inciditur supra, & infra malleolum, constrictione paulo supra ipsum adhibita, atque magis adstringente, vt magis in conspectum sese prodat, quoniam in iis partibus vt plurimū sunt magis occultæ, quam in cubito, aut summa manu. Præterea vtile est, antea quam incidatur vena prius in aqua calente demergi pedes, ibique contineri tamdiu, quamdiu conspicua fiat, fricareque locum manibus, & aliquando panno aliquopiam asperiori, mox autem vincire partem. Verum si omni adhibita diligentia adhuc vena occultetur, tunc eadem obseruanda est regula, quam obseruari debere dicebamus agentes de venis manus. Incidatur scilicet aliqua illius propago, qualis est vena intercurrens inter minimum, & secundum digitum. Hæc enim censetur Rhasi & Auicennæ illius vicaria. Saphena vero in partibus internis consistens multo quidē est magis conspicua, & tamen in hac etiam secanda opus est vti balneo, & frictionibus iam dictis. Adest præterea vena poplitem perretrans, quæ eandem cum saphena vsum habet. Quamobrem quinque in pedibus venæ consistunt phlebotomandæ, vna in exteriori, alia in interiori malleoli parte, alia in poplite, & quarta in posteriori tali regione ipsius saphenæ propago, vt inquit Auicenna in quarta sectione primi libri, capite vigesimo, his verbis: Est & alia in posteriori tali regione saphenæ ipsius propago, quæ ad eadem, ad quæ saphena valet.] Sed hanc nunquam secari ab aliquo hactenus obseruaui: sed aliqui incidunt huius loco venam inter primum & secundum digitum. Quibus addito quintam inter

minimum, secundumq; digitum collocatam. Sunt igitur quinque, quibus si addas venam inter primum & secundum digitum, erunt sex venæ in vtroq; crure, atque duodecim in binis cruribus. Hæc de venis in pedibus & cruribus dicta sufficiant.

CAP. VIII.

Quam vtilitatem præstet sectio venarum in pedibus.

INVENTIS igitur venis in pedibus incidendis, doceamus, quas ob causas facere eiuscemodi sectionem consueuimus. Sane sunt vtilitates multæ; vna est reuulsio sanguinis superiores partes inuadentis, vt cerebrum. Nam in vertigine, in morbo comitiali, in apoplexia tuta admodum est venatum inferiorum sectio, vt Galenus pulchre docuit libro de ratione curandi per venæ sectionem, capite decimonono, cum inquit: Quamobrem podagricos ex cubito vacuato: Comitialibus vero morbis vertiginibusq; obnoxios, potius ex cruribus.] Quod magis conuenit ratione præseruationis, quam actu affligente morbo: tunc enim ob periculum imminens, multo fuerit tutius venam incidere in cubito exteriorem, quæ celeriorem facere posset reuulsionem. Præterea ex eisdem venis fit reuulsio sanguinis ad pleuritidem fluentis, aut confluxuri: pone aut ex suppressis mensibus, aut mariscis effluere consuetis, plenitudinem corporis torius adauctam, & huius occasione fuisse genitam pleuritidem, vtiq; sanguinem mittendum suaderem ex vena interiori aut exteriori malleoli, tum vt longissime reuellerem, tum etiam vt originem fluxionis remouerem: quod optime successurum profiteor, si ex directo vena incidatur. Cæterum exterioris venæ incisio summopere iuuat in quatuor casibus: Primus est pro vacuando sanguine in dolore ischiatico negotium faciente, haud abs re dixi pro vacuando sanguine, quia si ab humoribus frigidis & viscidis ducat originem, venæ sectio nullam afferre potest vtilitatem: quinimo affectam partem magis refrigerando obesse poterit plurimum, vt quotidiana experientia notum facit. Deinde est animaduertendum, oportere fluxione existente magna, prius auertere sectione facta venæ directæ cubiti. Quam rem confirmat hisce verbis Aetius: A multitudine itaq; sanguinis coxendicum dolorem obortum venæ sectio curat, si primum cubiti venam secemus: deinde etiam eam, quæ iuxta talum est & poplitem.] Causamq; reddens inquit: in principio enim omnium inflammationum reuulsoriam facere venæ sectionem oportet, in affectionibus vero iam inueteratis, maxime quidem ex locis affectis extrahemus, aut si id fieri non possit, ex vicinis.] Et propterea Paulus id etiam perpendens libro tertio, capite septuagesimoseptimo, per initia igitur dicebat ægro nobis oblato fæcibus clystere vacuatis, vena in cubito secanda. Si autem vetustas vitium occupauerit, ex malleolo partis affectæ imminutionem sanguinis moliemur.] Quam rem multo antea scriptam reliquit Galenus libro decimo, de compositione medicamentorum secundum locos, capite secundo, cum ait: Tanquam igitur maximam vim ad affectionis curationem habeat totius corporis euacuatio, ab ipsa exordiendum est, non solum à cruribus, sed etiam à cubito primum facta sanguinis detractione.] Secundus affectus est podagra, pro qua sananda, si proposita fuerit vacuatio, maxime confert in eodem crure, si vero reuulsio ex opposito, aut si ambo pedes fuerint podagra affecti, ex cubito vtroq;, si vnus ex cubito illi directe correspondente. Eadem obseruari debebit regula in chiragra: quandoquidem auersionis in contrarium gratia est incidenda vena cubiti oppositi, si manus eius cubiti bene habuerit, at si male, ex cruribus directo respondentibus. Tertio, maxime confert in varicibus, vbi prius multitudinem sanguinis melancholici vacuauerimus ex interiori sinistri cubiti vena ratione reuulsionis. Postremus affectus est elephantiasis, in qua curanda sunt eædem obseruandæ regulæ, quas supra docuimus in aliis affectibus. Porro si iterationem facere voluerimus, vtiq; ex hac vena impossibilem esse iterationem obseruaui, aut certe maxime difficilem.

tilem. Aggredior nunc docere vſus ſaphenæ. Secatur, vt ſubueniat morbis earum partium, quæ infra iecur ſunt, à quibus optime ſanguinem euacuat, atque à ſuperioribus ad inferiores reuellit. Ideoq; menſes potentet cit, & hæmorrhoidarum ora aperit. Et quamuis ratio ſuadeat eandem iſchiadicam, & ſaphenam præſtare vtilitatem, longa tamen experientia nos docuit iſchiadicæ ſectionem multo efficaciorem eſſe in coxendicum doloribus, quæ res accedit fortaſſis propter ipſius rectitudinem: ex quibus manifeſtum eſt, quibus morbis conueniat. Si enim ex renibus, vtero, veſica, hæmorrhoidibus, & inguinibus vacuandus ſanguis ſit, ſaphena inciſa id accommodate pręſtabit. De qua re ſic ſcriptum reliquit Galenus. Idem & me ſentire nouiſtis, & de mulieribus quibus menſtrua reſtitit purgatio. Neq; enim profecto proroganda in his vacuatio eſt, non tamen neceſſe eſt illis venam ſcindere. Quippe cum malleolorum ſcarificationes ſuperfluitati quandoque euacuandæ ſatis eſſe queant: quamquam nec deſit & aliud quidpiam, quod menſium motum ciere poſſit, ſicut in malleolis, ac poplitibus inciſæ venæ. Nam plenitudines à ſuppreſſis menſibus ortas omnino per crura euacuabis, ſiue venam ſecare oporteat, ſiue ſcarificare.] & parum poſtea inquit: Porro, quemadmodum prædictæ omnes partes in cubito ſecta vena iuuantur: ſic quæ his inferiores ſunt illis, quæ per poplites, & malleolos decurrunt: ſunt autem dictis inferiores coxendix, vterus, veſica. At renes cui parti aſcribi debeant, ambigunt. Si quidem inferiores ſunt iis, quas prius recenſuimus: ſuperiores vero, quam eæ, quas ſecundo loco. Itaque ex cubito ſanguine miſſo interdũ auſcultant, vbi videlicet recens fuerit phlegmone copiaque ſanguinis affuerit. Quibus vero affectio ineſt, quam proprie nephritim nominant, eam quæ in poplite eſt, ſecare expedit, aut certe, quæ in malleolis ſunt. Porro, vteri inflammationes magis etiam, quam renum à venis in crure ſectis iuuantur. Nam quæ in cubito fiunt vacuationes, aliud etiam habent adiunctum malum, nempe quod purgationes menſtruas comprimant, ſanguinemq; ad ſuperiores partes retrahant. Quæ vero fiunt ex cruribus, tantum abeſt, vt retrahant, vt etiam menſes promoueant, ſed vbi id facere volueris, tempus conſueti mulieri circuitus tribus, quatuorue diebus anteuertas, aut inciſa vena, aut ſcarificatis talis cruris vnius pauculum vacuato: deinde poſtero die ſimiliter facito in altero. Vt tamen etiam iſtis diebus, in quibus vacuas, & ante eos, quatuor aut quinque, extenuantem victum procures: quandoquidem ſanguinis ex vtero fluxui auxiliatur. Memini me iſchiadas, ſiue coxendices vno die facta ex crure vacuatione curaſſe, nimirum vbi non ex frigore, ſed impletis ſanguine, quæ in coxa ſunt venis proueniſſent.] Hæc ille. Quæ idcirco hoc loco propoſui, vt cognoſcant, quando verſentur in errore, tũ qui affectis partibus infra ſubſtantiam iecinoris pro reuulſione ſanguinem mittendum eſſe volunt in cruribus, nunquam in cubito, tum etiam qui in iſchiade perpetuo ſanguinis miſſionem conſulunt, à quacunque cauſa proficiſcatur, cum ſolum conueniat dolore ex ſanguinis abundantia procreato. Cæterum quod diximus, rationem ſuadere, eandem iſchiadicam & ſaphenam præſtare vtilitatem debere, experimento tamen contrarium obſeruari, eo pertinet, vt oſtendamus ſecundum Galeni placita ſic ſentiendum, qui libro ſexto Aphoriſmorum de hiſce duabus venis tranſigens, dum explanat hanc ſententiam Hippocratis: Difficultatem vrinæ vena ſecta iuuat, ſecare vero. &c.] hæc ſcribit. Videmus ſiquidem ipſum in omnibus libris ſuis, in partibus, quę ſupra hepar ſunt, è manibus ſanguinem mittere: in inferioribus autem venas, quæ in poplite vel talo ſunt, ſecari iubet. Si quis autem de his ipſum dixiſſe arbitretur. Secare autẽ interiores.] hoc dictum paruam vim habet: ab vna enim ambæ naſcuntur, quæ in poplite trifariam diuiditur, quoniam & vna vena ad hoc peruenit membrum, non ſicut ad manum duæ.] Ex quibus ſatis ſuperq; conſtat, parum referre, quam quis in eiuſcemodi morbis venam incidat, ſi illarum originem obſeruemus. At vero experientia contrarium faciundum ſuadet, cum exterior vtilitatem conſpicuam quidem illam afferat coxendicum doloribus, interior vero minime. Huius autem

experientiæ primus author fuit Rhasis, qui libro experimentorum hæc habet verba: Etistæ duæ venæ, scilicet saphena, & anchæ vena, quamuis deriuentur ex eadem vena apud genu: tamen melius est minuere ex anchæ vena, aut ex ramis eius, quam ex saphena. Immo melius etiam, quam ex vena, quæ est in genu, ex qua ista vena, & saphena diuiduntur, & propter hoc Medici vtuntur minutione istius per experientiam. Nos autem iam considerauimus & experti sumus multoties, & inuenimus eam esse, sicut diximus superius.] Hæc ille agens de curatione doloris ischiadici.

Cap. IX.

De venis, quæ in capite, & in aliis partibus incidi consueuerunt.

DE maioribus, atque minoribus venis, quæ tum in brachiis, & summa manu, tum in cruribus, & imis pedibus consistunt, videor satis multa dixisse: nunc vero quia aliæ etiam quamplures adsunt venæ in capite, & aliis locis, quæ incidi cōsueuerunt, de illis (ne quid nostræ huic desit tractationi) breuiter agentes illarum numerum primum indagabimus: deinde vero tum secandi modum tum vtilitatem docebimus. Venæ igitur in capite incidendæ viginti & octo solent recenseri antiquis, probatisque authoribus. Inter quas primum locum tenet vena frontis recta, quæ ad figuram literæ ypsilon inter duo super[cil]ia excurrit, cuius frequentem fecit Hippocrates mentionem. Huic additur vena supra caluariam sita, quæ ramus est venarum iugularium externarum sparsus supra pericraneum. Radere caput oportet, vt fiat conspicua, fricare diutius & frontem fasciola constringere: incidenda, quæ est iuxta sagitalem commissuram ob vsus dicendos; atque similiter illæ, quæ flexuosæ ad vtraque tempora excurrunt, sed vtplurimum non apparent, nisi pene suffocans adstrictio adhibeatur, quemadmodum, & quæ in maioribus oculorum angulis eminent. Sed si quando has ipsas in animo fuerit secare, etiam atque etiam cauere debemus, ne scalpellus nimis profunde impellatur, ne forte ex ossis percussione affectus ille exoriatur, quem ægilopem, seu fistulam lachrimalem vocant: ex iis tamen admodum exigua sanguinis quantitas effluit. Quod vero pertinet ad modum constrictionis a fasciis faciundum, afferenda sunt Oribasii verba eum satis diligenter declarantia. Quibus vero in fronte (inquit) aut angulis oculorum, aut sub lingua, aut secundum aures venæ secantur. Vinculum est collo iniiciendum, & ægrotanti imperandum, vt dextram, aut sinistram manum sub mento teneat, aut solum pollicem totum, atque ita laqueus digitis alligandus, & astringendus. Ita enim guttur non deficiet, & vtriusque partis vasa ad caput tensa eo compressu in superioribus intumescent. In languidis vero ægrotis minister adstans manum mento subiiciat.] Hæc ille. Post aures item duæ apparent venæ pusillæ in capillorum confinio sitæ, quæ magna vtilitate secari solent, vt sequenti capite docebo. Verum Hippocrates harum sectionem non admittit libro de aere, locis & aquis, quo loco agens de Scythis in hunc modum scribit. A principio morbi vtranque venam retro aures incidunt, quo facto sanguine multo permanente somnus eos corripit præ imbecillitate, sicq; obdormiscunt, quorum quidem aliqui depulso somno exurgunt: Aliqui vero minime. A[t]que mihi sane videntur ea medicatione se ipsos perdere. Venæ enim ret[ro au]res sunt, quas si quis secet sterilitatem infert his, quibus secantur. Qu[od] [...] iam ipsis ex earum incisione accidere certum est. Quando i[gi]tur po[st]ea [ad mulie]res adeunt, impotentesq; se factos vident cum illis coire, primum quidem [ni]hil molestius cogitantes, quiescunt, cum autem bis, aut ter, amplius frustra opus tentarunt, neque quicquam proficiunt, mox putant se Deum offendi[sse], in quem culpant reiiciunt.] hucusque Hippocrates. Cuius opinionem no[n] admittere Galenum refert Auicenna, cum ait: Harum sectio, vt quidem asserit, sterilitatem inducit, licet id Galenus neget.] & recte quidem sentit Galenus, quandoquidem experientia constat nihil eiuscemodi contingere: cur enim

magis

magis hæ, quam aliæ venæ sterilitatem inducunt? Potissimum vero quæ ex capite sanguinem vacuant? Fortassis autem in eam opinionem venisse Hippocratem dicemus, quod putauerit maximam seminis partem à cerebro deriuari, vt ex libro de ossibus colligitur, atque Aristoteles etiam memoriæ prodidit libro quarto problematum, quinquagesimosexto. Verum, huius opinionis falsitatem reprobauimus in libris de generatione hominis. Venis post aures succedunt iugulares duæ, quas Paulus Ægineta sphagitides nuncupat, quarum sectio haud mediocriter iuuat. Nonnulli quoque internas narium venas feriunt, in ea parte, qua digito pressa bisulca videtur, ex qua modicus effluit sanguis, & aliquando inutiliter, vt post hac dicemus. Ad hæc vero sub ossibus petrosis è regione occipiti duæ sese produnt venæ. Quatuor præterea sub labiis extant, binæ scilicet sub vtroque labio. Duæ quinetiam sub lingua intra mentum, quemadmodum aliæ sub ipsamet lingua. Denique phlebotomari solet, quæ in ima inferioris labii iuxta mentum regione conspicitur, veluti quæ in clauiculis continetur, quæ ramus est ascendentis venæ prope furculam. Hæ sunt venæ, quæ secantur in capite: alias duas addit Auicenna venas in ventre consistentes; quarum altera in iecinoris; altera in lienis regione sita est. Dextra (inquit) in aqua inter cutes, sinistra in lienis affectibus inciditur. At ego hactenus inueni neminem, qui illas secuerit.

Cap. X.

De vsu sectionis harum venarum.

VENÆ quidem, quæ in partibus capitis incidi solent, omnes exceptis iugularibus in obliquum incidi debent. Sed iugulares incidendæ sunt scalpello latioris aciei, idque in rectum, vbi vena non ita subterfugit. Deligatio vero fieri debet latiori vinculo, capite in oppositam sectionis partem inclinato, vt magis tendatur. Vena frontis incisa prodest grauitati capitis, & inueterato in eo, atque assiduo dolori, maxime in posteriori parte, pariterque grauitati oculorum. De hac vena loquitur Hippocrates quinto Aphorismorum, sexagesimooctauo, cum ait: E capi is parte posteriore laboranti in frontem recta excurrens vena incisa prodest.] Paulus Æginetà libro sexto, capite quadragesimo, iuuare etiam in phrenitide asseuerat, quod antea dixerat libro tertio. Vidi olim sectam fuisse venam caluariæ nuncupatam Camerini medicinam faciens à Petro Botio rarissimo chirurgo felicissimo successu pro curatione hemicraneæ, sanatque etiam inueterata, & maligna capitis vlcera vacuando sanguinem nigrum, & corruptum in ea sede consistentem; sed hæc vna in secandis hisce venis obseruari debet conditio, vt nunquam secentur, nisi prius totum corpus à multitudine fuerit vacuatum, secta aliquapiam vena magna cubiti è directo respondente; hoc enim commune sit præceptum, quod etiam, vel me tacente, audiri continuo debet. Venarum, quæ magis perspicuæ sunt post aures, sectio conducit in suffusionis principio, atque vbi caput a ventriculi vaporibus male afficitur, præcipue in aurium vlceribus, ceruicisque, & occipitis. Efficacissimam esse hanc reuellendi rationem in oculis iam suffusionem pati incipientibus, vbi sanguinis crassi multitudo adfuerit, non raro sum expertus. Addo quod si eo in cauo, quod in auris inest radice, & in connexione maxillæ pone infimam auriculam, causticum aliquodpiam fiat remedium, nullam præstantiorem excogitari posse reuulsionem, nullam citiorem. Quandoquidem per id ramus è vena iugulari intro subiens in opticos neruos vtrinque excurrit, eosque comitatur ad oculos vsque. In id igitur posito emplastro non infrequenter cognoui plurimum profuisse. Duæ iugulares inciduntur, Auicennæ testimonio, in principio lepræ, & forti angina, asthmate calido, vocis raucedine, peripneumonia, & spirandi difficultate ex sanguinis calidioris copia; itemque in lienis & lateris affectibus. Harum venarum sectiones abhorrent aliqui, sed perperam (vt ego sentio, quia ex illarum sectione rite peracta nullum aliquando ma-

lum obseruaui contigisse. Internas narium venas ferire maiorem afferre incommoditatem obseruaui, quam vtilitatem, cum ex consuetudine sanguinem ad eam partem effluenti, diuturnum in facie ruborem patere viderim, & per totam adeo diffusam, vt serpiginem referret. Porro iuuat in lippitudine ex tenui sanguine proficiscente, & vetustis capitis doloribus incisa, quæ sub ossibus petrosis è regione occipitii. Oculorum inflammationes, & acres lachrymas sanare consueuimus secta primum eiusdem lateris humeraria: deinde humerorum, ceruicisq; cucurbitulis retrahuntur, atque inhibentur. Deriuantur autem incisa vena, quæ in alterutrum fertur angulum. Incisio venarum existentium sub labris confert oris, & faucium vlceribus, itemque gingiuarum doloribus, inflammationibus, epulidis, defluxionibus, & tagadiis. Angina desiderat sectionem venarum, quæ sub lingua reperiuntur. Prosunt etiam summopere tonsillatum inflammationibus. Tunduntur tamen etiam aliæ sub ipsamet lingua, grauitati eiusdem ex sanguine genita, quæ per directum incidendæ sunt, non per transuersum, ne sanguis magna cum difficultate comprimatur. Fœtorem oris emandat venæ sectio sub mento: si fœtor originem habuerit a sanguine corrupto, vel in gingiuis, vel in labris. Cæterum pro curanda inflammatione ventriculi, post sanguinis ex interiori vena cubiti vacuationem, secari debet vena in furcula apparens. Hæ sunt omnes venæ tam magnæ, quam paruæ. quæ secari pro variorum affectuum curatione consueuerunt, quantum potui ex antiquorum authorũ lectione diuturna, & ex ipsa obseruatione cognoscere. Nunc reliquum est, vt de sectione arteriarum quædam dicamus.

Cap. XI.

Quam ob causam arteriarum sectio raro fieri debeat.

VENÆ admodum frequenter inciduntur, arteriæ vero admodũ raro. Quam autem ob causam id contingat, nunc explanare operæpretium est. Duas itaque potissimas inuenio causas: quarum vna est imminens periculum ex sanguinis profluuio: secunda, quod vulnus haud facile queat ad cicatricem absque aneurismate perduci, præsertim si valde fuerit angustum. Fuerunt enim nonnulli, qui putarunt arterias diuisas nunquam posse consolidari: quod tum ratione, tum experientia conabantur comprobare. Ratio erat, quia tunicam arteriæ maxime duram, atque cartilaginosam videbant; quæ vero haberent eiusce modi naturam, inuicem coire, & coalescere non posse: quandoquidem mollia duntaxat corpora in vnum coeundi habilitatem habent. Quam rem quæ extrinsecus accidunt facile demonstrant; nunquam enim lapis cum lapide, nec testa cum testa (vt Galeni verbis vtar) coire potest, nisi interueniat humidum. Obseruamus etiam idem contingere in nobis ipsis, quando nec cartilago cum cartilagine, nec os cum osse vniri possit. Non enim fracta ossa per vnitionem cohęrent, sed per callum eum, quem Græci πῶρον vocant, ceu glutine iunguntur. Dicuntq; præterea experientiam illis demonstrasse, arteriarum tunicas diuisas simul coalescere, & vniri non posse. Verum, hanc opinionem Galenus apertissime redarguit. Primum quidem, quoniam quęcunq; corpora non sunt simpliciter sicca, sed habent etiam humiditatem simul annexam, hæc ipsa possunt inuicem coniungi. Constat autem arterias habere eiuscemodi naturam: siquidem illius tunica durior existens difficultatem conglutinationis indicat, minime autem impossibilitatem, vt illi asserebant. Neque enim ita est sicca, vt os, & cartilago, imo his longe mollior & magis carnosa. Quo vtique de viuenda sectione minus est desperandum, potissimum si ipsa sit parua, & hominis corpus natura molle: Videtur autem experientia quoq; rationi subscribere, cum & in pueris, & in mulieribus propter corporũ humiditatem, & mollitiem arteriam glutinari viderim. Hac de re factum est, quod licet sanguis ex arteria abundantius effundi soleat, sitq; consolidatu difficilior, quam vena, nihilominus in humidis corporibus necessitate postulante, & exigua facta incisione, tuto secari poterit.

Quod

Quod vero ad aliud periculum pertinet videtur hoc etiam maxime pertimescendum. Fit enim aneurisma, quandu arteriæ tunica fuerit diuisa, caro vero, aut cutis superiacens consolidata; hinc effluit sanguis ex arteria, & non habens exitum extrinsecam viam sibi parat inter capacitates carnium & cutis. quod si sanguis ille in grumos conuersus, extremam sumpserit corruptionem, sideratur pars tota; vt Galenus ait libro de tumoribus præter naturam, capite vndecimo. Verum licet fere videatur impossibile secta arteria, quin sequatur aneurisma, vt Galenus inquit quinto methodi medendi: quo loco in vno solo consolidatam viderit arteriam citra hunc affectum: nihilominus non est propterea ab eiusecemodi opere desistendum; quia si fit exigua arteriæ diuisio, ea non faciet aneurisma magnum, ex quo oporteat vereri liderationem, & sphacelum: præsertim cum accommodatis postea vtamur remediis ad sanandum aneurisma. Diximus itaque quas ob causas veteres arteriarum sectionem habuerint maxime suspectam.

Cap. XII.

Galenum arteriarum sectionem primum omnium consuluisse.

PRIMVS omnium Galenus fuit, qui arterias secate ausus fuit in somnio quodam admonitus, cuius ipse meminit libro de ratione curandi per venæ sectionem, his verbis: Sane veto, quæ mihi occasio extiterit secandæ arteriæ, nunc iam tibi edisseram. Monitus per quædam insomnia, quorum duo perspicue mihi visa sunt, accessi ad dextræ manus arteriam, inter indicem & pollicem sitam. Siuique fluere donec sponte sanguis resisteret, nam ita somnium præceperat: effluxit autem non tota libra. Subito itaque diuturnus extinctus dolor est in illa maxime parte fixus, qua iecur septo transuerso committitur. Mihi quidem hoc ætate iuuenili accidit. At minister Dei Pergami, diurino lateris cruciatu laborans liberatus est arteria in summa manu incisa, aggressus & ipse illud in somnii vomitu.] Hic quædam notanda sunt. Primum; quod aliud est manus absolute dicta Galeno, aliud summa manus. Nam illa dictio significat totum cubitum: hæc vero manum proprie, quatenus distinguitur à cubito. Et propterea dicit sese incidisse arteriam in summa manu. In libro decimotertio Methodi, & alibi passim manus nomine intelligebat cubitum, vt supra admonuimus. Secundo notandum est, veteres ante Galenum nunquam fuisse vsos hoc remedio. Neque enim in Hippocratis voluminibus, aut alterius antiqui scriptoris vsus sectionis horum vasorum inueniri potest. Ad hæc vero apparet postremo loco, qui fuerit motus inuentionis huius remedii; nempe admonitio per somnia. Sic in omnibus temporibus, omnibusque gentibus aliquando Deus quamplura voluit reuelare, quæ ad salutem humani corporis faciunt. Sunt autem admonendi hoc loco iuniores Medici, non cuiusuis hominis esse arterias incidere, sed eius solum, qui fuerit in artis operibus exercitatus: primum quidem magnæ nunquam sunt incidendæ ob ingens periculum; deinde paruæ non nisi magna adhibita præmeditatione, quia certe vix caueri potest; quin adueniat aneurisma; quamuis in paruis arteriis conglutinationem fieri posse citra hoc incommodum Galenus profiteatur: Quæ res contraria est illis, quæ idem author quinto Methodi dicebat, semel duntaxat se vidisse arterias coiisse citra aneurisma. Ego vero id factum nunquam vidi in paruis etiam arteriis: propterea meo iudicio multo satius esset ab hoc opere abstinere, quam temeratio ausu aggredi. Cæterum quomodo subuenire debeamus incommodis post venæ sectionem contingentibus, demonstrabimus proprio loco: Interim vero si quispiam diligentior Medicus, & Galeni doctrinæ summus imitator voluerit accedere ad eiusecemodi opus, hic eas, quas proxime docebimus, regulas obseruans; minime aberrabit.

Cap. XIII.

Quæ arteriæ secandæ sint, & quibus conueniant affectibus.

Maioribvs igitur arteriis prætermissis, ad minorum sectionem accedamus. Præcipua vero vtilitas est, quam ex sectione arteriarum consequimur, vbi sanguis tenuis & calidus in male affectæ partis arteriis coercitus infestat. Si enim finitimæ sedi incidantur, non parum opitulabuntur. Arteria igitur, quæ in dextra manu inciditur, ea est, quæ inter pollicem atque indicem digitum excurrit. Miram hæc vtilitatem affert, in diuturno illius partis dolore, qua iecur septo transuerso committitur. Quemadmodum Galenus testatur, se olim fuisse expertum. Secatur tamen, & alia ad interiorem palmæ partem declinans, quæ non absimilem vsum obtinet. Arteriæ porro, quæ in capite incidi solent, sunt, quæ in temporibus, & secundum aures apparent. In temporibus quidem, vt acres, & tenues ad oculos fluxiones sistantur, & incipientem pupillæ dilatationem. Secundum aures vero ob vertiginem, suffusionem incipientem, visus hebetudinem, nyctilopam, & diuturnum capitis dolorem, ruboremque faciei, & alios quosdam inueteratos affectus. Iuxta malleolum secta arteria vetustos lenit coxendicum dolores, qui iam diu inualuere. Quid vero post arteriarum sectionem agendum sit, paulo infra docebimus. Nunc vero, vt quæ diximus, facilius memoriæ commendentur, hac tabella omnes venas & arterias describere, aliorum imitatione placuit.

- *Vena in variis humani corporis partibus secantur, scilicet*
  - *In cubito & summa manu numero duodecim:*
    - *Cephalica* — *Reuellit & vacuat ex collo, & partibus omnibus supra collum.*
    - *Interior* — *A iecinore, à partibus omnibus infrà collum reuellit, & euacuat.*
    - *Communis* — *Cum deriuat ab vtraq; vena, partim à superioribus, partim ab inferioribus reuellit, & euacuat.*
    - *Funis brachii similis est cephalica.*
    - *Saluatella*
      - *Dextra*
      - *Sinistra*
      - *Iecinoris & lienis affectus iuuare dicunt.*
    - *Inter indicem & pollicem similis est basilicæ.*
  - *In tibiis & pedibus sunt numero duodecim:*
    - *Ischiadica:*
      - *In ischiadico, podagricoq; dolore sanguinis vitio procreato.*
      - *In varicibus, & in elephantiasi.*
    - *Saphena, quæ valet ad*
      - *Menstruorum prouocationem.*
      - *Hæmorrhoides retentas.*
      - *A partibus supernis reuellit.*
  - *In capite eiusq; partibus.**
    - *In posteriori tali regione Saphenæ existens propago ad eandem valet, ad quam Saphena.*
    - *Vena poplitem proreptans, eiusdem vsus cum Saphena.*
    - *Inter minimum, & secundum paruum digitum excurrens: idem cum Saphena.*
    - *Inter primum & secundum magnum digitum excurrens ad menses prouocandos, à quibusdam desideratur, & ad ischiadem.*
  - *In ventre. B.*

- *In capite secantur venæ quamplures numero viginti & octo.*
  - 1. *Vena recta frontis incisa iuuat*
    - *In dolore posterioris capitis partibus ex Hippocrate, Galeno, & aliis Medicis.*
    - *Grauitati capitis.*
    - *Ophthalmiis antiquatis.*
    - *Dolori & stupori antiquo.*
  - 2. *Venam super caput incidimus in hemicranea, & in vlceribus capitis.*
  - 6. *Duæ venæ temporum, & duæ in angulis oculorum,*
    - *Hemicraneam sanare creduntur.*
    - *Ophthalmiam antiquam.*
    - *Calidißimas lachrymas.*
    - *Scabiem palpebrarum.*
    - *Palpebrarum inflammationes.*
  - 12. *Tres venæ in vtroque latere, vbi extremitas auris tangit capillos,*
    - *Conueniunt in principio suffusionis.*
    - *Vlceribus aurium.*
    - *Affectionibus colli.*
    - *Posteriore capitis parte affecta.*
  - 14. *Duæ venæ iugulares inciduntur in*
    - *Validissima angina.*
    - *In catarrho suffocatiuo.*
    - *In asthmate magno.*
    - *In peripneumonia.*
    - *In ægritudinibus splenis.*
  - 15. *Vena leporis nuncupata:*
    - *In panno faciei.*
    - *In vlceribus narium.*
    - *In polypo narium.*
    - *In inflammatione earundem.*

 Vena

Venæ capitis:

- 17. *Duæ venæ occipitii sanant*
  - *Morbos antiquos oculorum.*
  - *Antiquis capitis doloribus conueniunt maxime cum sinciput doluerit.*
- 21. *Labiorum venæ quatuor prosunt:*
- 22. *Vena sub lingua in occulto menti sita iuuat in*
  - *Anginæ omniũ consensu.*
  - *Inflammationibus amygdalarum.*
  - (21, 22:)
    - *Vlceribus oris, & faucium malignis.*
    - *Gingiuarum vlceribus.*
    - *Fissuris labiorum.*
    - *Tumoribus earundem partium.*
- 26. *Venæ sub lingua substantia duæ: ac rursus duæ supra linguam, iuuant*
  - *In ranula.*
  - *In grauitate linguæ.*
  - *In inflammatione linguæ.*
- 28. *Vena inter mentum & labium inferius secari solet in fœtore oris.*
- 28. *Vena furculæ valet in affectionibus oris stomachi.*

B. *In ventre secantur venæ duæ.*

- *Vna super hepar, quæ valet in hydrope, ex Auicenna.*
- *Alia super splenem, valet in affectu splenis.*

ANNOTATIO.

Ex his, quæ hactenus diximus, colligo, venas, quarum sectio fieri potest, esse vniuersum quinquaginta sex. Nempe, in manibus duodecim. In pedibus etiam totidem. In capite viginti & octo. In ventre duæ; quas vltimas nunquam pertundi obseruauimus.

Arteriæ, quæ ex Galeni & aliorum Græcorũ placitis secari consueuerunt, sunt numero octo:	2.	*Arteria inter pollicem & indicem,*	*Antiquis doloribus iecinoris mirabili quodam modo iuuat.*
	2.	*Arteria ad interiorem vlnæ siue palmæ partem decliuior,*	*Eiusdem fere vsus est, atq; prioris arteriæ sectio.*
	2.	*Arteria temporum vtrinq; vna,*	*Prodest maxime ad sanguinem subito ad oculos effluentẽ, maximamq; ad eos inflammationem emendat.*
	2.	*Arteriæ duæ post aures,*	*Ophthalmiis prodest calidißimis lacrymis, & in suffusionis principio.*

Prodest arteriæ sectio, vbi vacuandus est sanguis calidißimus & feruentißimus. Sed non est tuta sectio ob difficilem consolidationem, & periculum aneurismatis.

CAP. XIIII.

De varietate modorum, secundum quos inciditur vena, & de sectione obliqua, transuersa, & directa.

CÆTERVM, postquam inuentæ sunt venæ & arteriæ omnes, quarum sectionẽ antiquiores recentioresq; Medici faciendam voluerunt: nunc consequens videtur, vt ad docendum accedamus, qui modus debeat ipsa in sectione obseruari; quæ res magnam afferre solet vtilitatem. Multiplex igitur modus est incisionis venarum. Etenim aliquando obliqua fit venæ sectio: aliquando transuersa, & aliquando per rectitudinem. Rursusq; singulis modis exerceri potest, aut amplo facto emissario, aut angusto, aut mediocri. Doceamus hoc loco breuiter, quando hoc, & quando illo fieri modo debeat. Sectio obliqua maxime vtilis est, vbi eodem die sanguinem iterato mittere expedit. Transuersa, vbi non amplius detrahendum speramus. Quæ vero in rectum est accommodata, vbi non eodem die tantum, sed sequentibus iteratio facienda sit. Sic enim de hac materia sentiendum esse, ex Aetio demonstremus, qui hæc habet verba: Tres sunt sectionis figuræ, quædam transuersa, quædam recta non pungens, sed scindens venam per longitudinem, quædam inter has media, quæ obliqua appellatur. Transuersa igitur vtendum, vbi iterationem faciendam nullatenus arbitramur: curato enim cubito labia sectionis componuntur. Aptissima vero hæc figura est, vbi amplam diuisionem facere voluerimus. At obliqua confert, vbi sit iterandi necessitas, & vbi ad sectionem faciendam ægre venam assequimur. Ita enim secabitur. Imo & ipsa sanguinis eiaculatio per obliquam diuisionem spectantibus speciosior fiet, conuerso, & veluti reuoluto in saltu sanguine.]

ne.] Hæc Aetius. Quo multo antiquior Oribasius eadem, & fere ad verbum repetit. Arabes vero, vt Rhasis & Auicenna ab eisdem fontibus mutuati idem confirmarunt. Verum, vt quæ sit transuersa, quæ obliqua, quæ recta venæ incisio, vnusquisq; cognoscat, hanc figuram appingendam curauimus: in qua A rectam, B transuersam, C vero obliquam sectionem indicat.



Interim de ampla angustaq; sectione differamus: sed prius sigillatim doceamus, quæ venæ magis vnum, quam alium incidendi modum postulent.

CAP. XV.

Quæ venæ magis vna, quam alia sectionis figura gaudeant.

MAGNÆ illæ tres venæ, quæ in cubito inciduntur, incisionem minime postulant in longitudinem venæ exporrectam, sed vel in transuersum, vel in latitudinem. Cuius rei hæc potissima ratio videtur mihi: Debet incisa vena, quoad eius fieri potest, citissime, opere perfecto consolidari; At in longum facta sectio in articulo, non mediocriter poterit impedire eiuscemodi curationem ob illius motum. Dum enim curuatur brachium, dilatatur vulnus. Dum vero extenditur, multo magis labia vulneris dilatantur. Neutrum accidit facta sectione, vel per latitudinem venæ, vel per transuersum. Subscribit autem huic rei experientia. Nam in sectione venarum manus, vel pedum, quæ non sunt in articulis, multo securior est venæ sectio in longitudinem, quam in latitudinem deducta: cum citius coeat, quemadmodum etiam dictum fuit ab Auicenna, his verbis: In illis vero, quæ extra articulos emergunt, res contra sese habet: quæcunq; enim manus, vel pedes, aliasve consimiles partes intercurrunt in rectum fixæ, cicatrice celerius obducuntur.] Porro ea vena, quæ funis cuiusdam effigiem refert, oblique secari debet, nisi vtrinq; subterfugiat; tunc enim in longum est incidenda. Circa paruas venas manus extremę sectio in directum facta, multo præstantior censetur, quam per transuersum, aut oblique; quemadmodum vnanimi consensu putarunt Græci, Arabesq; scriptores. Verum non solum in cubito existentes, & manu propriam exigere videntur figuram, sed etiam, quæ in cruribus existunt. Quandoquidem in illis sectio suam habere figuram debet: nam si exterior incidenda est quæque in directum facta, multo quidem melior censetur, quam vel obliqua, vel lata; cuius rei hanc esse putauerim causam. Venæ enim interiacent musculis, & chordis mouentibus pedes, & articulos eius; à quorum punctura multo magis præcaueat diligens minister, venam aperiens secundum longitudinem, in medio scilicet vasis facta sectione, quam phlebotomo ne declinante versus latera. Adde, quod hæc vena, cum aliquando non appareat, multo securius in medio inciditur, tanquam in parte magis conspicua, quam in aliis partibus. Præterea oblonga plaga multo citius sanabitur obliqua, nisi in articulo fuerit. Verum, si incidere oporteat interiorem, quam saphenam vocant, proprius adhibendus erit sectionis modus, à supradicto diuersus. Etenim aptior saphenæ incidendæ figura est obliqua, ac pene transuersa; huius autem rei duplex, meo quidem iudicio, ratio afferri potest: Prima est, quod ex incisione transuersali, aut obliquali liberius profluit sanguis crassus, & melancholicus, cuius potissimum vacuatio, aut reuulsio huius venæ incisione quæritur: Nam eiusmodi sanguis vt plurimum in vtero & in venis ani residere solet. Secunda causa est, quia hæc inciditur vena gratia reuulsionis humorum à superioribus partibus ad inferiores confluentium, vt ad vterum, & anum: vt hac ratione, tum menstrua expurgatio, tum hæmorrhoides retentæ vacuentur. Pro qua re facienda maxime vtilis est iteratio; & huius ipsius

causa aptissima est incisio transuersalis, aut secundum latitudinem, vt quæ multo tardius consolidetur propter suorum latiorem elongationem, vno sese trahente sursum versus originem suam, alio deorsum decidente. Est deinde magis accommodata, vt dixi pro vacuatione sanguinis crassi. Hic autem duo sunt, quæ facere difficultatem possunt, quorum primum est; quòd venæ sectio pro reuulsione humorum à capite confluentium ad subiectas partes fieri debet ex cephalica, vt iam docuimus; pro quo munere obeundo, si tantum non conducit interior eiusdem cubiti, qui fieri poterit, sectionem venarum poplitis, aut malleoli quicquam conferre posse? Aliud vero est, quod ex communi omnium authorum consensu in affectu melancholico afficiente cerebrum pro retractione cephalica inciditur, non autem aliqua ex inferioribus venis. Pro harum dubitationum explicatione sciendum est, à capite fieri posse reuulsionem, tum quando cephalica inciditur, tum quando aliqua ex inferioribus venis. Si enim propositū fuerit præseruare, optima fit in inferioribus retractio, vt supra dicebamus agentes de apoplexia, & comitiali morbo. At vero si proponatur præsentis affectus curatio adhibere distinctionem oportet: aut enim humor fluit ad cerebrum ex partibus supra iecinoris regionem, fluxioque non admodum vehemens est, aut contra fluxio habet originem ab vtero, vel à retentis mariscis. In priori casu erit etiam incidenda cephalica, siue interior directa, quod magis foret probandum, cum proximius fontem originemque respiciat fluxionis. In posterioribus autem, quæ in cruribus adsunt venæ saluberrime incidentur. Quando igitur melancholia cerebrum petit, ex vtero deriuata, vel ex hæmorrhoidibus suppressis, saphenam: cum ex superioribus partibus, aut cephalicam, aut interiorem incidemus. Adde præterea quod ex affectis hæmorrhoidibus, & vtero, deriuatio satis accommodata fit per venas inferiores, quæ deriuatio est reuulsio quædam, quemadmodum libro septimo demonstratum est à nobis. Cæterum venæ, quæ in capite incidi consueuerunt, omnes exceptis iugularibus in obliquum incidi debent, sed iugulares incidendæ sunt scalpello latioris aciei, idque in rectum, vbi vena non subterfugit. Deligatio vero fieri debet latiori vinculo, capite in oppositam sectionis partem inclinato, vt magis tendatur.

Cap. XVI.

Quibus de causis ampla sectio fieri conueniat.

AMPLAM sectionem facere debemus, quum sanguis crassus & frigidus vacuandus est, virtusque fuerit valida. Nam quo maior fit incisio, eo maior spirituum copia vacuatur: quod sine magna corporis iactura imbecilla existente virtute fieri non posset. Sanguis porro, qualis melancholicus est, quo ad anni tempora in autumno viget, & hyeme; propterea in hisce potissimum temporibus largiorem sectionem fieri procurabimus. Si enim foret angustior, non posset vacuari per eiuscemodi emissarium sanguis ille crassus, atque frigidior; sed in venis relicto, vacuataque tenuiori illius portione, quæ alioquin in corpore debebat conseruari, morbus minime poterit sanari, quinimo euadet maior superstite adhuc causa illum faciente. In omnibus itaque morbis, quos melancholicus procreat sanguis, aut pituitosus, vti est febris quartana, quotidiana, melancholia morbus, aliqua phrenitidis species, apoplexia, & si qui alii consimiles affectus, hunc secandi modum postulant. Dixi in aliqua specie phrenitidis indicatione sumpta ab humore melancholico putrefacto in cerebri substantia, hanc sectionem conuenire: quoniam fortassis alia ratione non conueniet phreneticis ampla venæ sectio, scilicet ob periculum, ne vena rursus aperiatur, præsertim si quis noctu venam incidere fuerit coactus: ac etiam propter cōtinuas vigilias, motumque continuum, a quibus vires non mediocre detrimentum suscipiunt. Fit quoque ob aliam causam venæ sectio amplior, nempe quando confestim vacuare conueniat, & multum. Neq; enim potest multa fieri va-

vacuatio angusto existente foramine, neque confestim fieri: de qua re Paulus Æginera sic loquitur: Repletam venam vsui commodam transuersim per totam ipsius latitudinem solam diuidere oportet. Etenim maiores hac plagæ cicatricem ægre admittunt. Ante nimiùm inflammationem experiuntur: prætetquam quod crassioris succi transitum impediant.] Oribasius vero Sardianus: In his (inquit) qui euacuatione confertim facta indigent, ampla incisio facienda est.] Et Aetius: In his quidem, qui abundanti euacuatione indiguerint, & vbi sanguinem crassum contineri suspicabimur, ampla incisio facienda est.] Cæterum eiuscemodi incisio hanc secum ducit incommoditatem, quod multo citius animi deliquium efficit, quam angusta, neque tam cito consolidatur vena, vt dicebat Paulus, & illius imitatione Auicenna, quando inquit: Lata quidem citius animi deliquium infert: tardiusque conglutinatur, sed in expurgatione magis valet: multoque præstantior est, vbi præseruationis gratia vena secetur, tum in obæsis, & crassiorum humorum copia. Ampla etiam venæ apertio hyeme commodior est ob sanguinis concretionem.] Diximus quibus de causis lata fieri debeat venæ sectio.

CAP. XVII.

Quibus de causis angustior venæ sectio fieri debeat.

MVLTIS autem de causis angustam efficere venæ sectionem debemus. Quarum vna est, vt magis virtutem conseruemus. Alia, vt sanguinem duntaxat tenuiorem educamus. Tertia, vt fiat præseruatio ab eminentibus periculis, quæ ex immoderata sanguinis profusione possent contingere. De priori causa locutus est Auicenna, hisce verbis: Angusta porro venæ sectio virtuti vtilior est, licet interdum tenuis, & clarus sanguis effluat, & crassior, & turbulentior retineatur.] Pro cuius rei dilucidatione meminisse oportet eorum quæ diximus libro tertio, cum de viribus ageremus. Illarum scilicet substantiam in tribus potissimum consistere, nempe in spiritibus, in carnoso genere, & in partibus vere solidis, quarum generatio ex semine existit; harum trium substantiarum potissima spirituosa est: idcirco ea venæ sectio magis conseruare virtutem dicetur, in qua minor spirituum vacuatio continget, & in qua vacuatio non fit subito, sed paulatim. Nam ex dissolutione spirituum imbecillam reddi virtutem adeo aperte constat, vt nihil apertius, & quanto fuerit maior vacuatio, tanto maior nascetur imbecillitas. Quis ambiget lata existente incisura spirituum copiam vacuari maiorem, quam ex angusto foramine? Hic additur etiam alia causa imbecillitatis, nempe modus vacuationis: quæ enim confestim, subitoque fiunt, illa quidem naturam magis reddunt imbecillam, (cum illi sint inimica) quam ea quæ paulatim agunt: quod enim paulatim fit, id amicum naturæ est (inquit Hippocrates libro secundo Aphorismorum) atque etiam tutum; facta itaque sectione amplioti, tunc spiritus affatim, & subito vacuantur: at ex angusta sectione paulatim. Contingit autem nonnunquam ægrota corpora indigere vacuatione sanguinis tenuioris, non crassi, quemadmodum econtra aliquando vacuandum fœculentum, & crassum sanguinē, non tenuem. Exemplo sit febris quartana, in qua iubet Galenus inspiciendum esse sanguinem se[illegible]a vena effluente[illegible]: si enim fuerit tenuis, protinus supprimendus: si crassus, tantū illius vac[illegible]andum, quantum postulauerit morbus, & vires admiserint. Tenuissimus, & feruentissimus sanguis ardentem concitat febrem, vacuatio crassi & melancholici sanguinis non est vtilis, sed tenuis atq; biliosi maxime conducit. Sic etiam in al[illegible]qua specie phrenitidis angustiorē venæ sectionem faciemus, in qua scilicet san[illegible]uis biliosus inflammationē fecit: licet etiam alia de causa conueniat, nempe vt periculū deuitemus immoderatæ fluxionis, de quo periculo sic ait Auicenna: Parua autem incisio fieri debet in phreneticis, & furentibus, aut alio modo insanientibus, iisque, quibus per noctem somni tempore sanguis mittendus est, ne aliqua sang[illegible] inop[illegible]nata profusio accidat, itemq; cæte[illegible]s omnibus, quibus

iterario necessaria est.] Hęc Auicenna, quę ex Antyllo mutuatus est, Aetio referente his verbis: Parua etiam incisione vtendum in phreniticis, aut furentibus, & alio modo desipientibus, vt vulnus celerius conglutinetur; sæpe enim accidit desipientes brachii nexus clandestine exoluere, vt ampliori existente vulnere ob nimium sanguinis fluxum haud leue periculum subsequatur. Quod si angusta incisio fuerit, sanguinis grumus vulneris osculo inhærens fluorem facile sistit.] De industria hæc in medium protuli, quia explanationem postulant. Videtur enim absurdum, omnibus phreniticis incisionē angustam fieri: quia si phrenitidem crassus, & melancholicus sanguis putrefactus efficiat, vt contingit in ea, quæ fit cum studio, vt dicet Hippocrates; eiuscemodi incisio accommodata videri non potest pro vacuatione: at vero amplior esset non plurimum conueniens, qua sanguis crassior educeretur. Adde, maximam habere difficultatem, quod dicunt, aut alio modo desipientibus.] Nam in melancholicis & in maniacis venæ sectio conuenit: in quibus tamen minime faciunt negotium humores tenues, sed fæculenti, & crassi. Qua igitur ratione vacuabuntur, si angusta fiet venæ sectio? Postremo, difficultatem habet, an, cum reuellere in animo est, magis angustam, quam amplam facere incisionem debeamus, & an idem conueniat in iis, qui noctu sunt phlebotomandi. Sunt hæc dilucidanda, ne incauta iuuentus decipiatur. Phreneticis omnibus angusta conuenit sectio: iis, qui ob flauæ bilis aut sanguinis tenuioris abundantiam in eum inciderunt affectum, iuuat ob illius vacuationem. Alios vero duplici ratione iuuat eiuscemodi venæ sectio: vna est reuulsio, qua sanguine tenui vacuato, impeditur fluxio ad cerebrū adaugens inflammationem: etenim crassus sanguis non potest fluere, nisi tenuior viam veluti præparet, disponatq; crassum ad motum. Prodest etiam secundo ob securitatem imminentis periculi; cum enim citius illa conglutinetur sectio, nimiæ, excedentisq; vacuationis nullum imminere potest periculum; quod in omnibus delirantibus magnum adest ob motus inordinatos, & ob delirium, quæ duo possent facile, vt Antyllus dicebat, soluere nexus brachii. Verum, est obseruandum, sectionem angustiorem fieri debere, quam in aliis; at non simpliciter angustam. Latiorem quidem faceremus in phrenitide melancholica, quam in biliosa: ea tamen latior incisio erit angusta in comparatione ad alios affectos; hoc idem sentiendum de melancholia, in qua duntaxat ob periculum fit angusta sectio, quam materia postulat ampliorem. Debemus autem magis incumbere periculo quam humori; quia in morbis medendis operæpretium est, vbi complicati sese offerunt affectus, iis potissimum incumbere, quæ magis vrgent, aliis, quoad eius fieri potest, minime neglectis. Non solum magis, sed maxime vrget hoc periculum, quod si succederet, mortem inferret. Porro quod pertinet ad reuulsionem ipsam, quæstionis huius dissolutio in hunc modum habet. Quum reuulsioni incumbimus, aut virtus est valida, aut imbecilla: si valida, ampliorem facere sectionem debemus; hæc enim difficilius consolidabitur, iteratioq; fieri poterit, præterquam quod nouam sectionem adhibeamus: At si fuerit imbecilla, angustiorem illam quidem faciemus, ne virtus ex vacuatione confestim facta, ad summam imbecillitatem redigatur: atq; licet hæc facilius consolidetur sponte, nihilominus artis beneficio remoramur consolidationem ipsam, vt iam alibi docuimus: multoq; magis angustam facere incisionem hanc debemus, si venæ sectio non repetenda ratione reuulsionis: quoniam non fert ampliorem virtus imbecillior. Cæterum de iis, qui nocte phlebotomia indigent, statuendum est conuenire venæ sectionem angustiorem, omnibus quidem ob imminens periculum, ne dormientes vinculum exsoluant, & sanguinis prouocato fluore inopinato moriantur: quod, dum hæc scribebam, contigit filio Bidelli Vniuersitatis huius Taurinensis Iuristarum. At si quispiam tutus ab hoc periculo reddi possit, ob diligentiam assistentium aliquando ampla, & aliquando strictior fiat phlebotomia, prout materia & virtus postulauerint.

Tabula de modo secandi cum suis regulis principalibus.

Modi secandi venas sunt quamplures, nempe, aut per

- *Rectitudinem venæ fit incisio:*
  - *Lata.*
  - *Angusta.*
  - *Mediocris.*
- *Obliquitatem, fitq; incisio, aut*
  - *Lata.*
  - *Angusta.*
  - *Mediocris.*
- *Transuersum, quæ rursus tripliciter fieri potest:*
  - *Lata.*
  - *Angusta.*
  - *Mediocris.*

PRIMA REGVLA.

Sectio quo amplior, eo magis accommodata vacuationi.

SECVNDA.

Sectio amplior suspecta, vbi timetur animi deliquium.

TERTIA.

Sectio angusta magis conseruat virtutem.

QVARTA.

Sectio angusta magis confert in humoribus tenuioribus.

QVINTA.

Sectio angusta confert omnibus delirantibus, & quibus noctu secanda est vena.

CAP. XVIII.

Quid ipso sectionis tempore sit faciundum, ratione corporis ægroti.

POSTQVAM docuimus, quæ vasa incidenda sint, & quibus affectis partibus conueniant, opportunum est, vt in hac postrema libri huius parte explicemus, quid in ipso sectionis tempore sit agendum, quomodo post sectionem regendus sit ægrotus, atq; etiam, quę obseruationes ex emisso sanguine fieri debeant: postremum vero breuiter explanare conabimur, qua ratione corrigenda veniant incommoda, quæ tum in ipsa venæ sectione, tum postea contingunt. Exorsi igitur ad explanationem prioris capitis, dicimus, tres considerationes fieri debere in hac materia: quarum vna pertinet ad ægrotum: alia vero ad ministrum: tertia postremo respicit Medicum, qui curationi præest. De quibus sigillatim pertractemus, exordio sumpto à priori consideratione, in hunc modum: Is, cui sanguis mittitur, aut ægrotus est, aut sanus: si prospera valetudine fruatur sedens, venæ sectionem vel ex cubito, vel ex cruribus ferre tuto potest. Quandoquidem, cum vires habeat validissimas, nihil est, quod vereamur

aliquodpiam incommodum, nisi tamen fuerit eius naturæ, vt ex quacunque facili causa animo linquere soleat (noui enim quamplures, qui ex solo sanguinis aspectu in animi deliquium peruenire consueuerunt) quo sane in casu præstat easdem obseruare regulas, quas de alio corporis statu mox prosequemur. Prima vero regula est, vt ægrotus iaceat supinus, quemadmodum Auicenna hisce verbis docet: Æger præterea, vbi vena inciditur, supinus decumbat: talis enim situs ad virtutem tuendam aptior est, nec animi defectum inducit.] Et Oribasius capite duodecimo: Si animi defectio perturbet, stratis, & reclinatis sanguis mittatur.] Qui authores à Galeno sententiam mutuati sunt, qui libro sexto Aphorismorum, vigesimotertio ait: Ac primum quidem ad quam vsque intelligat lipothymiam iam ducere oportere, non ab re fuerit definire; neque enim eas dicere lipothymias putandum, quæ ægrotantibus, dum aut venæ sectionem, aut eiusce modi aliud auxilium reformidant, accidere interdum solent: sed eiusmodi lipothymia non satis apta fuerit vacuationis modi regula. Quippe quæ intempestiue accidat, interdum quod febricitantibus quoque nonnullis vsu venit inter resurgendum, & desidendum sæpius animi defectus. Propterea ipsis supinis iacentibus venam aperire solemus. Huius regulæ hanc rationem existere putauerim. Dum sedemus, atque multo magis dum stamus facultas animalis non mediocriter laborat: ipsaque viscera veluti suspensa vim quandam inferre videntur ipsi facultati naturali. Vt igitur virtus magis conseruetur, præstat supino corpore venam incidere; est enim humanum corpus sua naturali grauitate ad eiuscemodi decubitum maxime inclinatum; quod enim ipsa in naui carina est; id fuerit dorsum in homine. Cuius rei signum est, quod imbecilli hunc appetere solent decumbendi modum, in hunc modũ virtus maxime conseruatur. Regula igitur intelligenda est de corporibus imbecillis, & in ipsam animi defectionem pronis. Quod si ægroti vires fuerint validiores tunc ab re non fuerit, aut sedentem phlebotomare, aut altiori saltem corpore; sic enim facilius, tum manum porrigere, tum pedes poterit, ad quamcunque minister voluerit positionem. Secunda regula sit: In quacunque positione ægrotus constituatur, brachium habere debet extensum, procliue. Ratio est, quia cum vacuare sanguinem propositum sit facta sectione membro existente procliui, sanguis descendendo multo facilius effluit. Hæc potissima circa ægrotum obseruari volo.

Cap. XIX.

Quid ipso sectionis tempore sit faciundum ratione ministri.

CÆTERVM multa sunt ab industrio artifice obseruanda, quæ ex variis authoribus desumpta, longaque experientia cognita hic recensere conabor, quo ad eius fieri potest, diligenter. Primum, si à manu detrahere sanguinem voluerit, neque primo ictu possit, neuriquam laborandum est vehementiori adhibita constrictione, aut deligatione: neque vena iterato percutienda est: sed per diem, aut biduum sic dimittenda. Verum, si necessitas id cogat efficere supra, non infra primam, alia incisio adhibeatur. Et quia persæpe ex violenta constrictione inflammatio excitatur, non inutile fuerit linteum vel rosacea, vel frigida aqua imbutum admouere. In quo etiam videndum est, ne vinculum cutim inuertat, sed naturalem eius situm conseruet ante & post venæ sectionem. Solet hic error committi à ministris in ipsa deligatura, cum æqualiter ea vtantur in omni corporis habitu. Ne vero idipsum contingat, hæ tenendæ sunt obseruationes. Valida quidem deligatura semper est deuitanda in gracilibus corporibus, vt quæ venas inaniat; & sanguinem cohibeat. In obesis vero multo arctius vinculum iniici debet, alioquin venæ minime apparerent. Quidam etiam solertes chirurgi de industria forti constrictione vtuntur, ne vulneris dolor percipiatur, propterea stuporem per horam in ipsam inducunt manum: quæ res mihi non satisfacit, quoniam dolor in secanda vena factus non est adeo magnus, vt ad eiuscemodi stuporem peruenire debeamus: verum, multo melius est scalpelli

pelli aciem oleo perungere, nam hoc, vt diximus, dolorem mitigat, licet coalitum remoretur. Addemus quædam ad vincula pertinentia in sequenti capite. Vbi vero prædictæ venæ in manu non apparuerint, sed duntaxat earum rami, tunc manus diutius, diligenterque premi debent confricando, vt ad eas sanguis proliciatur, venæq; tumentiores factæ sese dent in conspectum, tunc enim tuto secari poterunt. Quod si neque hæc sufficiat diligentia, prorsus ab illis abstineat, incidatque earum loco ramos. Habere scalpellum acutum oportet, nam obtusior magnum infert detrimentum: quoniam summam cutim lacerat, neq; venam incidit, atque inflammationem, doloremque parit. Vbi scalpellum ingeniosus minister demittit, sensim nulla compressione suauiter ad venæ duntaxat cauitatem impellat, ne extrema mucronis pars interius disrumpatur, aut vena subterfugiat, quo in casu si aberratum fuerit, pluribus ictibus non est laborandum: nam malum malo adderet. Verum, anteaquam venam feriat, periculum faciat in sua cute, quo pacto scalpellum penetret: præcipue vbi ictum iterare expediat. Similiter omni industria enitendum est, vt vena impleatur sanguine, tumescatq;. Sic enim à sua sede minus dissiliet. At si vena in altum demersa constrictione adhibita, non apparuerit, remittenda ea est, rursusque adhibenda, locum perfundendo, confricando, & vngendo, donec sese offerat. Si ne sic quidem vena in apertum promatur, eam quo loco inesse solet digitorum impulsu percuntare debet, dum sanguinis fluxu, & incursione illius sit explorata sedes. Scalpellum chirurgus summis digitis prehendat, pollice scilicet, & medio indice ad tentandum relicto, neque plus mucronis intus proferre debet, quam ad penetrandum sit, satis ne arteriam aut neruum attingat, præsertim vbi vena altius non delitescat, veluti obesis, & natura frigidioribus. Infra etiam deligatio adhibenda est cum tremula, inconstansq; vena ad scalpelli impulsum subterfugit, pariterq; incisio in rectum facienda, vbi vtrinque delabitur. Constrictio quoque varianda est penes carnis duritiem, aut mollitiem, tum etiam copiam, aut paucitatem, semper tamen è propinquo, non in articulis, vt quæ prohibeat venam repleri. Si vero vinculo iniecto vena adhuc delituerit, eam exploratam tactu indicis, vt præmonui anteaquam ferias, obsignabit: sic enim ipso in opere minime decipietur. Sedulo etiam, atque etiam prospiciat, ne vel flatu tumidum locum vel arteriam, vel tendonem pro vena petat. Interdum enim iniecto arctiore vinculo aliquid venę simile intumescere solere diximus supra, ac etiam interdū pressa arteria motu vacat, & pro vena se profert. Manum ad hoc opus firmam habere debet chirurgus, oculum perspicacem; idcirco malim eligi pro hoc opere perficiundo iuuenes, quam senes. Ad venas in pedibus existentes non accedat ille, nisi prius multa præcedat frictio (quæ etiam communis est conditio cum venis in manu secandis) calefactio, & balneum: quinimo statim egresso pede ex balneo statim facta detersione intrepide venā secabit, procurabitque omni diligentia sanguinem effluere pede ipso rursus in aquam calentem immisso. Sane in hunc modum tutior, atque simul copiosior fiet euacuatio. Postremo sanguine emisso vinculum soluatur, vulnusque detergatur & gossipio superimposito diligenter, artificioseq; deligetur. Quod si locum antea lauare libuerit, contrahatur parumper cutis, vt vasis incisio sit abscondita, deinde laua, & exsicca, & permittito cutem ad proprium locum reuerti. Verum, hanc diligentiam adhibere non debemus, si proposita fuerit iteratio. Nam primum scalpelli cuspidem oleo intingere oportet; deinde lauato loco, aut vino, aut aqua, vulnerata pars debet foueri sæpo hircino loto, mox vero in suo tempore brachio rursus deligato; sponte sanguis effluet nulla adhibita sectione noua. At si non succedat quod vulnus iam fuerit in somno conglutinatum, eam chirurgus diligens obseruare debebit regulam, quā de noua sectione supra docuimus. Debet etiam habere globulum præparatum ex gossipio, aut serico tenuissimo pro deligatione, atq; etiam sic quando arterias incidere in animo fuerit omnia habere præparata debet remedia, quæ ad sanguinem sistendum conducere infra explicabimus.

Cap. XX.


Quam diligentiam circa vincula adhibere oporteat ministrum.

CÆTERVM etiam atq; etiam animaduertere oportet, ne in deligando brachio ad venam incidendam committatur error. Cutis enim vehementer tensa in medio flexu, qui ad brachii musculum extenditur, opinionem sæpe vasis facit, quare hoc cauendum à nobis est, vt inquit Otibasius. Expedit igitur, supra flexum deligare brachium molli aliquopiam, & latiori vinculo: sic enim dolor aut nullus, aut admodum exiguus nascitur, nullum periculum aduenit, ne pro vena aut musculi caput, aut arteria feriatur, præsertim quando basilicam incidimus. De qua re sic loquitur Auicenna: Sæpe etiam iniecto vinculo regio arteriæ aut venæ vicina in tumorem attollitur: quamobrem constrictio, vinculo remisso, soluenda est; & locus tumidus blande ex oleo perfricandus: deinde rursus ligatio facienda. At si iterum intumuerit, tu quoq; ad idem confugias. Si vero hoc non contulerit, satius est à basilica recedere, & axillarem, quæ ab ea deducitur, pertundere paulo inferius in interiori cubiti regione. Tumor enim interdum erroris causa est, interdum ex arctiori vinculo arteria motu vacat, & pro vena sese profert. Ad eundem modum, & in quauis alia vena deliganda, si forte aliquid venæ simile apparuerit, obseruandum. Animaduertat præterea industrius artifex, ne tendonem pro vena petat. Idcirco oportet illum aliquam habere notitiam eorum, quæ ad venarum anatomen pertinent: ne in secandis venis, aut neruum, aut tendonem, aut musculi caput, aut arteriam findat.

Cap. XXI.

De instrumentorum varietate pro vena incidenda.

AD HÆC vero instrumenta habere debet præparata, quibus ille vti debet, tum vt venam accommodate incidat, tum vt sanguinem effluentem recipiat. Pro incidenda vena duorum generum excogitata fuerunt instrumenta, quorum vnum apud Germanos & Heluetios, & aliquando apud Italos fuit vsitatissimum. Aliud vero Gallis, Hispanis, & nunc Italis in summo pretio est. Primum scalpelli genus hanc, quam hic pictam damus figuram, repræsentat.



Acies illius est A. E. ad imam partem spectans, E. vero dorsum ipsius est, G. autem ipsius manubrium, quod inter duos digitos prehenditur, cum incidenda vena est, scilicet inter indicem pollicemq;. Acie igitur accommodata oblique supra locum eminentiorem venæ, illius dorsum vel pollice illiditur, percutiturque vel aduerso medio, vel indice digito calido intus pulsatur. Porro hoc instrumenti genus neq; mihi, neque aliis probatur multiplici nomine: primum, quia impulsio illa vix potest contemperari, quin aliquando altiores partes vulnerans, aut neruum, aut arteriam, aut tendonem, si venis adhærescere contingat, magno ægroti malo feriat: deinde magis dolorosum est, quam aliud instrumentum. Præterea in iis, qui profundas venas habent, minime potest ferire venam, quantumuis quispiam validissime percutiat. Propterea aliud instrumenti genus inuentum est huic operi maxime accommodatum, quod fortassis mucronatus gladiolus vtrinque aciem habens, nuncupari posset: cuius hic effigiem damus.



Cuſpidem habere debet, acutiſſimamq́; aciem, alioquin magno damno ægrotum afficeret magis dilacerando carnem, quam ſcindendo venam. Verum, neq; deeſt in hoc etiam periculum, ſi quiſpiam in artis operibus minime fuerit exercitatus; nam altius gladiolum adigens, multo certius poterit aut neruus, aut arteria, aut tendo vulnerari. Idcirco peritum oportet eſſe artificem. Summis digitis ſcalpellum prehendat induſtrius artifex, neq; plus mucronis proferat, quam ad penetrandum ſit ſatis, manu altera membrum eiusq́; pollice venam ſtabiliat, ſenſim, nullaq́; feſtinatione, ipſum, vt prædiximus, impellat. Vaſcula præterea multa habeat, in quibus fluentem ſanguinem recipiat, trium, quatuor, quinque, aut ſex, quod ſummum ſit, vnciarum capacia: quanto enim plura fuerint, tanto melius poſtea ſanguis emiſſus poterit à diligenti Medico obſeruari.

Cap. XXII.

Quid Medicum agere oporteat ipſo ſectionis tempore.

DIXIMVS, quæ ipſo ſectionis tempore obſeruari debeant à prudenti chirurgo, nunc doceamus, quæ ad Medicum pertineant. Inprimis quidem opus eſt illum aſſiſtere, cum venæ ſectionem faciundam imperat; qua copioſum velit vacuari ſanguinem, ſiue ad animi vſq; deliquium, ſiue citra hoc vacuationem promouere voluerit. Ideirco autem hoc eſſe neceſſarium dico, quia miniſtri multoties delinquunt, aut multo copioſiorem ſanguinem vacuantes, aut in minori quantitate, quam conueniat. Deinde vero, vt præſto ſit ad ſuccurrendum omnibus ſymptomatis, quæ ſupraueníre conſueuerunt. Dum igitur ſanguis mittitur, manum pulſui admoueat, diligenterq́; omnes illius mutationis perpendat, obſeruetq́;, ne pro animi deliquio mors inopinata hominem inuadat maximo artis noſtræ vituperio, quod nonnullis Medicis Galeni tempore contigiſſe in ſuperioribus libris manifeſtum fecimus: idcirco pulſu permutato, aut à magnitudine ad paruitatem, aut ad inæqualitatem, aut etiam econtra ex paruitate ad magnitudinem protinus ab opere ceſſandum eſt. Quid de mutatione coloris dicam? Quid de aliis, quorum ſupra meminimus? Non eſt hoc loco prætermittendum, quid agere expediat, docere; ſi animi exſolutio aut lipothymia aduenerit ante iuſtam euacuationem, vel ob ægroti timiditatem, vel bilis in ventriculo noxam. Quidam enim hoc ipſo territi ſymptomate, non ſolum proeo tempore, ſed etiam poſtea à venæ ſectione abſtinendum præcipiunt. Sed in hac re non bene iudicant, cum adhibere diſtinctionem oporteat huiuſmodi. Animi deliquium accidit aliquando propter vacuationis magnitudinem, aliquando aliis de cauſis. Si inanitionem ſequatur, vtriq; ſaluti ægrotantis optime conſulitur, ſi ſtatim ſupprimatur, ac etiam de cætero euacuationem non promoueamus. At ſi aliæ cauſæ ſymptoma procreauerint, dum præſens ſymptoma eſt, abſtinendum à remedio, vbi diſceſſerit, quieueritq́; ægrotus ab acceſſione, tunc ſane vena eſt incidenda, repetendaq́; ſectio. Quibus porro remediis contra animi deliquium pugnare conueniat, docebimus, cum de mitigandis ſymptomatis venæ ſectionem ſequentibus mentionem faciemus.

Cap. XXIII.

Quomodo post venæ sectionem regendus sit æger.

POSTQVAM igitur sanguis missus est, aut repetitionem facere in animo est, aut vnica vtendum sectione. Si repetenda, vbi fuerit vulnus detersum, atq; affluente sanguine repurgatum, oleo aut sæpo, aut butyro est illinendum, vt facilius postea sanguis emanet secundo, tertiove detrahendus. At si non fuerit iteranda vacuatio, expressis diligenter labiis ipsius vulneris, conuenienti adhibita deligatura gossipioque iuxta præcepta superius posita procuranda consolidatio est. Post sectionem supinus iaceat ægrotus, vt omnibus partibus in spinam dorsi tanquam in proprium fundamentum reclinantibus, optime conquiescat, & quę partes exinanitę sunt, repleantur sanguine, spiritusq; instaurentur. Omni diligentia sedandi sunt spiritus, & comprimendi vehementer agitati propter venæ sectionem: hac de causa non debent sani statim consuetis muneribus incumbere, vt ambulationibus, exercitationibus, & balneis, multo minus Venere, quæ vna spiritus non mediocriter dissoluit. Post venæ sectionem non est subito dormiendum, ne statim ad interiora viscera attractis spiritibus, calor naturalis aliquod patiatur detrimentum. Horis duabus aut tribus transactis somnum concedimus, præsertim post copiosam euacuationem: modo tamen prospiciatur ab assidentibus, ne sanguis denuo effluat, atque præter spem illabatur, aliudve incommodum accidat inter dormiendum. cibentur hora vna, aut altera prę-gressa: sit vero alimentum exiguum, optimi succi, prout tamen postulauerit natura morbi, cuius propositæ sit curatio, aut causæ, cui prouidere voluerimus: sic enim erit accommodatum pro morbo profligando, atque præseruando: sensim quęad paulo pleniorem victum accedendum non reclamante morbo: neque temere, aut auide comedendum: calor naturalis ex venæ sectione factus iam aliqua ex parte imbecillus, haud erit alimentum confecturus, periculumq; non mediocre imminet et, ne venæ ipsæ exinanitæ crudum etiamnum succum sugerent, violenterq; raperent. Sed donemus bonam concoctionem fieri, quid erit quæso commoditatis denuo replere, cum exinanire sponte volumus? neque conuenit statim reuerti sanum hominem, multoq; minus ægrotum ad pristinam diætam, perinde atque canis ad vomitum, vt est in prouerbio. Hæc mihi summæ videantur obseruari debere leges in hac materia: nam reliquæ ab aliis traditæ, aut necessariæ non sunt, aut (si bene iudico) ab his dependent. Nunc explicemus, quæ obseruationes à prudenti Medico fieri debeant post sanguinis missionem, quod postremum erat in hac materia declarandum.

Cap. XXIIII.

Quæ obseruationes fieri debeant ex sanguine emisso.

IAM diximus oportere chirurgum multa habere vascula præparata pro sanguine recipiendo; in quibus debeat sanguis reponi: caueat ne sint ænea, aut plumbea: quoniam tum in colore, tum in substantia mutare posset sanguinem, adeo vt postea maxime in iudicando Medicus deciperetur. Sint peluicula vitrea, aut terrea vitro tamen obducta, & incrustata: hæc enim meliora sunt magisq; accommodata: sint præterea multa, vt dixi, reponanturq; singula sanguine plena eodem ordine, quo fuerint impleta, vt rediens Medicus singulas peluiculas obseruans, rectum ferre de illis possit iudicium, quale infra docebimus. Cauendum est ne male reponantur, aut apud ignem, aut ad solem, aut vbi puluere, aut fumo, aut vento alterari eius valeat substantia. Cæterum prudens Medicus, & diligens, vbi hæc præceperit, ad ægroti visitationem reuersus, iudicium feret considerando sanguinis substantiam, serum, colorem, spumam, pinguedinem, & alia quæ cum sanguine permisceri contingunt. Quid vero iam ex illis, aliisq; id genus iudicandum sit, nunc doceamus. Substantiam viscidam ex duobus potissimum cognosces: vnum, quod tarde admodū effluat, facta tamen inci-

incisura conuenienti: aliud, quod digitis veluti quoddam gluten adhærescere videntur. Crassum vero, atque densum sanguinem diiudicabis, eo quod statim concrescet extra venas fusus, multas enim fibras habet, quarum causa illi aduenit concretio: obstructio vero fit à sanguine, tum crasso, tum viscido. Putridus sanguis est, qui nunquam coit, congelascitque, in hoc enim omnes fibræ iam fuerunt corruptæ. Qui vero tardius id consequitur, tenuis est. Certiorem præbebit cognitionem fissio, quoniam tenuis facile: crassus, densusq; cum difficultate finditur: putredine autem affectus non finditur quidem, sed statim atque tangitur totus dissipatur, totusq; fluidus apparet. Serum aliquando multum in sanguine innatat, aliquando paucum, & aliquando illius nihil cernitur. varietatis huius caussam multiplicem esse censeo. Liberalior potus facit multitudinem seri; qui nihil aliud est, quam potulenta substantia, obstructio renis vtriusque, qua prohibeatur transitus vrinæ ad vreteres, copiam seri cum sanguine contineri indicat. Imbecillitas iecinoris, vt in cachexia, in hydrope, augmentari serum facit, cum non separetur à sanguine. Paucus est in ardentissimis febribus, maximeque prætorridis, quinetiam haud semel omnino sero priuatum sanguinem ob eas causas in peluiculas coniectum vidi, & qui mecum erant discipuli obseruarunt: quod tamen rarissime contingit, cum eius aliquid in corpore contineri præstet, multo magis, vt scilicet sanguis crassior per angustas venas penetrare possit. Spuma in omni fere sanguine fit, dum educitur ex agitato videlicet aere; at vero quæ postea remanet per totam substantiam illius diffusa, agitationem & efferuescentiam insignem indicat eius potissimum partis, quæ colore illam refert. Magna circa colorem varietas apparet. Videbis interdum totam superficiem illius albicantem, aliquando viridem, alioue infectam colore; quæ res inseruiet tibi pro nota humoris dominantis cum sanguine, nam albicans pituitam, viridis bilem prætorridam, citrinus flauescentis bilis indicium est, liuidus, aut plumbeus, atram bilem indicabit, atque affectum summe perniciosum ostendet. Color rubeus maxime splendescens, ex arteriis effluxisse denotat; rubeus, & subobscurus ex venis. Substantia vero demonstrabit ex obseruationibus iam dictis, an putridus existat. Pinguedo quædam innatans per superficiem sanguinis instar araneæ telæ, in corporibus obesis, prænunciat conditionem sanguinis ad pinguedinem propensi, in gracili corpore vt plurimum colliquationem, & perniciosum affectum indicat. Obseruari præterea debet, quod in fundo residet, id crassior est sanguinis pars, & fœculentior: si dum eum findis, varietatem colorum adesse noueris, variorum humorum permistionem in causa esse scito. Si diffiso sanguine arenularum æmula grana quædam ostendes, aiunt, elephantiasim, vel ad hanc propensionem quandam notari; quamquam obseruantibus raro tale quippiam deprehensum est. Raro etiam visum est sanguinem graue olere; vbi tamen id contigerit, magnam subesse corruptionem, & extremam perniciem, significabit. Cæterum iis diligenter animaduersis conferendæ postea sunt peluiculæ, ex quarum collatione aliquid etiam vtile medicinam factitantibus deducitur. Si omnes optimum sanguinem exhibeant, credibile est reliquum in venis haberi similem; illius tamen fuisse necessariam vacuationem ob solam abundantiam exonerandam. Si vitiosus & impurus sanguis conspiciatur, multo vtilius vacuatum fuisse scies; tum quia peccabat quantitate, tum etiam quia mala qualitate fuerat affectus; indicat vero certissime corpus postea ab omni inquinamento expurgandum. Hic vulgariũ Medicorum error detegendus est. Putant, quo sanguis impurior fuerit, & à sua natura magis alienus, eo plus detrahendum, & in hoc mirifice sibi placent, in vulgusq; proponunt admodum vtilem factam fuisse vacuationẽ, quod corruptissimum, pessimumq; sanguinem vacuauerint. Tu vero, cui in animo est humano generi prodesse, & Medicinam inculpate exercere, contra facies, quanto enim magis sanguinẽ videbis à propria natura discedere, tanto minorem quantitatem vacuabis, & aliquando (nisi copia vrgeat cacochymiæ permista) à venæ sectione prorsus abstineto. Si contigerit sanguinem sincerum esse, qui prius

emanauit, posteriorem vero corruptū: si ex phlegmonosa particula deducitur, id optimum esse demonstratum à nobis fuit libro huius tractationis quinto. Si citra phlegmonem, indicabit tibi prauos quam plures humores sanguini permisceri, qui postea tum victus ratione optime instituta, tum conuenienti purgatione vacuabuntur. At si posterior peluis purior est prima; iam omnis in sanguine consistens prauitas exinanita est, vtili duntaxat in venis sanguine permanente. Porro qui in aquam tepescentem iniicitur sanguis, hic vix aliquam præbere significationem potest; nam serum aquæ permiscetur, quemadmodum tenuior sanguinis pars, ex quibus nihil video ex ea permistione deduci posse. Crassior vero pars in imo residens fieri non potest, quin multum sit ab aqua substantia & qualitate alterata. In hunc igitur modum sanguinis iam emissi obseruatio vtilis fieri potest, de qua, quoniam satis videor dixisse, operæpretium est, vt ad alia accedamus.

Cap. XXV.

Quomodo succurrendum sit symptomatis, in & post venæ sectionem contingentibus.

VARIA solent tum in ipsa venæ sectione, tum etiam post aduenire symptomata, quæ diligentiam Medici postulant, de quibus hoc loco tractabimus. Potissima sunt hæc; nerui, aut tendonis punctio, arteriæ incisio pro vena, atque inde sanguinis fluor immodicus; animi deliquium, pinguedinis exitus ex vulnere, inflammationis suspicio. Horum remedia sic habent: Si in opere fuerit aberratum, ac nerui, aut tendonis puncti suspicio sit, non sinas vulnus coalescere, sed potius eius coalitum inhibens, adhibeto ea medicamenta, quæ neruis compunctis conueniunt: præcipue vero cauendum est, ne quod refrigerat admoueatur cuiusmodi solanum est & semperuiuum. Sed contra oleo tepido totum brachium foueatur, ac perfricetur. Lapso triduo si dolor conquiescat, nec noui quicquam obrepat, sinatur coalescere, sin minus, adhibeantur aperientia, attrahentia, & qualia neruis compunctis conueniunt, vt terebintina, adiecto interdum euphorbii momento. Sanguine immoderatius profluente succurratur medicamento ex aloe, myrrha, thure, sanguine draconis, oui albumine, & mollissimis leporis pilis, adiecto calcitidis, aut mysi momento. Huic dein lintea aqua frigida imbuta insternantur; & fasciis firme ac tuto obuoluantur, ne triduo excidat. Postea vero hoc blande summoto, simile denuo emplastrum imponatur. Quod si ne iis quidem arteria coeat, totam nonnulli transuersim discindunt, vt extrema vtrinque reuulsa molli carne obducantur. Sed inter stringendum est animaduertendum, ne tam arcta fiat constrictio, vt membrum obstupescat, doloreq́; conficiatur ita, vt adueniat gangræna. Qui prompte in animi deliquium incidunt, antea quam ad venæ sectionem veniant aliquid sumant, quo bilis acrimonia ostium ventriculi petentis obtundatur, id genus sunt succus mali punici, mali cotonei, citrini, limonum, aceti, ac aliorum id genus. Panis tantillum dabis aliquo ex hisce succis macerati, & futurum animi deliquium præcauebis. Quod si dum sanguis effluit, contigerit, supprimito vacuationem tantisper, interim prouocato vomitum, exhibitaq́; panis offa intincta succo adstringente, inchoatum opus perficito. Solet aliquando ex vulnere pinguedo exire, hanc quidam præscindunt, in qua re non mediocriter aberrare testantur probatissimi Medici, præsertim vero Auicenna, qui sic ait: At si ab eius osculo pinguedo prosiliat, non præcidatur, sed intra molliter referatur.] Si ex scalpelli ictu brachium intumescit, & phlegmones metus est, sanguis ex altero pro ipsius tolerantia detrahatur: loco autem affecto vnguentum ex cerusa imponatur; & in eius ambitu cataplasma ex medicamentis refrigerantibus. Atq; hic huius libri finis esto.

HORATII AVGENII A MONTE SANCTO, DE RATIONE CVRANDI PER MISSIONEM SANGVINIS;

LIBER DECIMVS.

CAP. I.

Epilogus eorum, quæ superioribus libris dicta sunt, & quid hoc postremo libro dicendum supersit, & quo ordine.

VIDEMVR hactenus omnia absoluisse, quæ ad rationem curandi per venæ sectionem pertinebant: Quoniam, cum omnis medendi methodus consistat in qualitate remediorum, in quantitate, in occasione, ac in vtendi ratione, vt aliquando Galenus docuit; nos omnia hæc superioribus libris declarauimus. Primis enim quatuor omnia sumus diligenter prosecuti, ad inuentionem & qualitatem pertinentia; in duobus subsequentibus egimus de quantitate; in tribus vero reliquis de vtendi ratione, & de occasione disseruimus. Quamobrem hic imponere nostræ huic tractationi finem deberemus. At, quia propositum nostrum fuit non solum docere, quæ ad venarum sectionem, sed etiam, quæ in vniuersum ad sanguinis missionem pertinent, quandoquidem qui venam incidit, hic quidem sanguinem mittit; at non protinus, qui mittit sanguinem, venam incidit, idcirco quoniam per hirudines, per cucurbitulas, per scarificationes mittitur sanguis, licet vena scalpello non incidatur, propterea de his omnibus hoc postremo libro tractandum duximus pro inchoati operis absolutione. Eo autem magis de his agendum est, quod Galenus, & Græci recentiores, qui Galenum sequuntur, simul cum omni Arabum schola de hac eadem materia post tractationem de secandis venis tractauerunt. Agam igitur primum de hirudinibus: secundo de cucurbitulis: tertio de scarificationibus.

CAP. II.

De hirudinum electione, & de præparatione, qua antiqui vtebantur.

HIc ego de hirudinibus tractaturus, explicabo primum diligenter, quid Galenus, ac in vniuersum Græci authores de illarum præparatione & vsu tradiderunt. Mox autem docebo, an temporibus nostris eadem vigeat consuetudo, & quid in ea debeat reprobari. Sed anteaquam hæc declaro, inprimis de illarum electione transigam. Quasdam esse hirudines venenosas, memoria proditum est, quamuis Galenus omnes videatur admittere virulentiam, & venenũ habere. Idcirco opus est, vt doceamus modum cognoscendi virulentas ab iis, quæ virus non habent, aut certe minus venenosæ naturæ participant. Hic sane ex Græcis authoribus fere nihil obseruare potui, quod huic vsui accommodari possit, siue quod illorum de hac re monumenta ad nos non peruenerint, & cum aliis quamplurimis temporum iniuria interierint, siue quod cum omnes esse venenosas putarent, hanc distinguendi bonas à malis rationem prætermiserunt. Sunt hac de causa Arabes consulendi: ac inter Arabes Rhasis Medicus clarissimus in vigesimooctauo libro, Continentis rem diligentissime tractauit, adeo vt mirum non sit, si Auicenna, qui suos libros Canonis, vt plurimũ ex aliis transcri-

plit auctoribus, agens de hirudinibus omnia, & quasi ad verbum fuerit ex Rhase mutuatus. Rhasis itaque sententia est. Cauendas esse hirudines, quæ magna habent capita, & quæ colore antimonium referentes nigræ sunt, aut virides aut lanuginem quandam supra dorsum habentes, & supra quas fila existunt coloris lapidis lazuli, similesq; sunt viperis, & quarum color non est ab iride dissimilis. Cauendæ sunt etiam omnes, quæ in malis aquis putridis, & valde cœnosis degunt. Quæ hasce notas non habuerint, eligendæ sunt: nempe, quas captas esse cognoscemus in aquis in quibus adest moscus, & ranæ viuunt: & quæ habent colorē supra dorsum aliquantulum viridem: & tendantur super eas fila duo colorem arsenici habentia: rufæq; sint, rotundæ, non angulosæ, hepatisq; colorem in cæteris repræsentent. Optimæ sunt præterea, quarum venter fuerit rubeus, caudæ tenues murium caudis persimiles, & quarum parua sunt & capita, & corpora. Vbi ergo hirudines elegerimus, quæ aut omnes iam expositas notas habeant, aut saltem plures, diligenter præparandæ sunt. In qua re omnes conueniunt: quia impossibile videtur inueniri posse hirudines, quæ conditionibus omnibus insignitæ sint: optimumque est in re ancipiti cauere, potissimum cum præparatio nihil obesse possit. De præparatione autem inquit Galenus, nunquam vtendum esse hirudinibus statim atque captæ sunt: sed quod præstat, vel antea captas, inclusasque ad hunc vsum adhibere; vel saltem esse die vno asseruandas, & exiguo sanguine alendas: sicque fieri vt omnem virulentiam deponant: mox autem vbi sanguine pastæ fuerint, iniiciuntur in tepidam aquam in vase mundo, & pro illarum capacitate satis amplo: tandemq; spongia comprehensas purgatis sordibus, & ipsarum proprio mucore parti ex qua vacuationem facere desideramus, applicandæ sunt. Addit autem huic præparationi Auicenna, quod captis hirudinibus conuertenda sunt capita earum ad inferiora, enixeq; curandum est, vt quicquid in ventribus contineant, euomant: nam vbi virus illud euomuerint, sanguineq; aliquo pastæ fuerint, omnem malignitatem deposuisse videntur. Sic quidem illi præparandas ducunt.

Cap. III.

De hirudinum præparatione nostris temporibus assueta, de loci præparatione, quodq; duntaxat præparatis vtendum aduersus Mundellam.

NOSTRIS autem temporibus non dissimilem præparandi rationem adhibemus. Nam primum nunquam admouemus illas, nisi multorum dierum spatio fuerint asseruatæ: in qua re magis nostram, quam antiquorum laudo diligentiam; quo enim diutius in optima fuerint aqua asseruatæ, eo meliores euadunt. Statim vero cum captæ sunt abstersa illarum virulentia, & mucore per spongiam, aut aliquopiam panno aspero in vas amplum aqua purissima refertum immerguntur, hancque frequenter admodum permutant, & aliquando simul cum aqua tantillum zuchari adhibere solemus: hinc quidem fit, aqua illa, & zucharo nutritas, totq; dierū spatio à pristina in cœno conuersandi consuetudine liberatas si virus aliquid cōtinent, omne prorsus deponere: & nunquam ea facere incommoda, de quibus Auicenna differit, his verbis: In omnibus enim istis existit venenositas, & proueniunt ex eis apostemata, & syncope, & sanguinis fluxus, & febris, & laxitas, & vlcera mala.] Recentiores quidā, inter quos fuit Aloysius Mundella Brixianus, dixerunt, hirudines, quibus passim vtimur, nihil habere virulentiæ, propterea tantam non exigere præparationem: ego vero contrarium sentio: quia vidi ex hirudinibus non præparatis multa subsequuta fuisse incommoda, vt inflammatione, sanguinis fluores immoderatos: recordorque ex duabus hirudinibus venis hæmorrhoidalibus applicatis sanguinem olim fluxisse supra libras quatuor, aut quinq;, ita vt maxime timerem. Vbi ergo fuerint optime pręparatæ, opus est, vt accedamus ad præparationem loci, in quo applicandæ sunt. Iubent particulam nitro fricandam, vngendamq;, & di-

gitis

gitis scalpendam. Abstergendæ sunt omnes sordes; vt facilius adhæreant, & quia sunt sanguinis cupidæ, vbi partem scalpserimus digito, siue sanguis effluat, quod facit multo auidius illas sugere, & applicari, siue duntaxat rubeat, cutisque tenuior reddatur, facile adhærescunt. Antyllus iubet partem esse sanguine illiniendam, aut fouendam, tepida scilicet aqua: hoc enim fotu attenuata cute, locoque iam rubicundiori facto, alliciuntur hirudines ad sugendum. Aliqui sunt, qui locum lacte obliniunt. Razes addit cœnum ipsum, nec temere: quia statim recordantes prioris consuetudinis ad illud facile alliciuntur. Obseruauiq; ego semel, cum hirudo vna nullo artificio applicari potuisset, vbi locum luto obliniuimus aquoso, statim illam ad sugendum fuisse prolectatam. Admiror quid sibi voluerit Galenus, cum dicit, inungendam esse particulam. Nam si oleo inungendam esse docet, nihil præstabit: vix enim adhærebunt, & fortasse etiam nunquam, nam oleum fugiunt. Puto ego, Galenum voluisse, quod vbi intro locum perfricuerimus, aqua tepida partem obliniendam fore, atq; diligenter fouendam vel sanguine etiam ipso; opinionem cõfirmat Aetius, qui de hac re ex Galeni monumentis agens, sic habet; Partem, cui sunt applicandæ, nitro fricari, dulcissimaq; lauari aqua, &c.] Deinde Oribasius de hirudinibus ex Antyllo agens libro primo Synopseos inquit: Nitro fricabis, & sanguine illinies, aut fouebis.] Hoc prætermittit Auicenna. Mirum est autem, istos authores, qui à Galeno ne latum, quod aiunt, vnguẽ discedunt, huius præparationis non meminisse. Cum itaq; inquit, inungendam, interpreteris obliniendam, vel aqua tepida, vel sanguine. Præparatis igitur duntaxat vtendum.

CAP. IIII.

Quid agendum vbi hirudines fuerint applicatæ, & postquam deciderint.

PORRO vbi hirudines adhæserint: vel potenter attrahunt, vel non attrahunt: vbi attrahant, sinendũ est, vt suo fungantur munere eatenus, quatenus prudenti Medico videbitur expediens. Sed si non attrahunt, obseruanda est Galeni regula, quæ eiusce modi est: Si velimus hirudines appositas easdem subinde sugere, vt non decidant, donec nobis iam satis suxisse videantur, caudas forcipe incidere (vel magis, vt ego sentio, amputare) oportet; vt Galenus, vel Antyllus monet. Debet autem abscindi cauda, cum iam sugere cœperunt, non antea, ne apprehendere recusent. Quamquam memini caudas iam sectas sugentibus, & tamen à suctione statim destitisse; forte quod iam plenæ essent; quare diligentius hoc considerandum est. Resecta igitur cauda dum sugere pergunt sæpiuscule digitis pertractandæ sunt, vt non repleantur, sed sanguis libere transeat. Si volumus illas ab attractione, sanguinisque suctione reuocare, opus est, vt tunc cinerem, aut salem illarum ori admoueamus: nam statim horum altero degustato ab ipso munere vacabunt. Admonet autem Galenus, tunc amouendas esse ab opere, cum dimidiam sanguinis partem extraxerint. Quod sane qua ratione dictum sit, plurimũ ambigo. Neq; enim ab harum vsu immodicam euacuationem timere oportet, quandoquidem adhibitis remediis, de quibus infra mentionẽ faciemus: vt plurimum facile sistere fluentem sanguinem possumus. Adde quod solet sponte sisti; Fortassis Galenus veretur horum animaliũ malignitatem, & virus. Nos autem id non veremur, quia licet frequenter iis bene pręparatis vtamur, nunquã tamen obfuisse conspeximus; ideo semper sinimus illas sponte decidere sine aliquo ægrotantium incõmodo. Docet pręterea modum applicandi in pedibus, manibusq;, qui modus est, vt in aquam pedes & manus immergantur, in qua hirudines contineantur. Sed siue hoc fiat, siue minus, semper tamẽ illę adhęrebunt adhibita ea præparatione, quã diximus. Verũ, quia exterior frigiditas impedimento esse potest, ne sanguis confluat ad locũ ab hirudinibus sugendũ, sed veluti congelatus permaneat immobilis, optime cautum fuerit huic incommodo, si pars ipsa calida conseruetur: quo vero id cõmo-

dius fiat, non erit abs te oleo tepido fouere illam: aut etiam immersis linteaminibus intepidare, quod fieri nostris temporibus consueuit. Vbi ergo aut sponte, aut nostra opera hirudines deciderint, quid posthac agendum est? subuenire debemus duobus incommodis: horum alterum est remouere venenatam qualitatem impressam vlcusculo: alterum ne ex particula copiosior quam oporteat effluat sanguis. Quantum ad primum attinet, vult Galenus cucurbitula exhauriendum, quod in affecta particula veneni relictum fuerit: vel si id minime fieri possit, fotu per spongiam adhibito vtendum (arbitror hoc tepida faciendum aqua, quoniam hæc citra laborem quicquid intus continetur, euocat) in quo Græci cum Arabibus scriptoribus conueniunt. Ego tamē possum dubio procul testari, nunquam vsum fuisse cucurbitulis: & nihil aliquando me percepisse ab illarū vsu natum fuisse detrimenti: indicatione igitur sumpta à malignitate horum animalium abstinerem à cucurbitulis. Nos vero, quia sanguis, quem exhaurire solent hirudines, vt plurimum exiguus est, solemus postquam deciderint illius fluorem prouocare primum vapore tepentis aquæ, qui vapor dilatando vias fluxionem facit admodum insignem: vbi id fieri non possit fouemus locum spongia aqua tepida imbuta. Eatenus autem sincre fluentem sanguinem oportet, quatenus morbum ipsum exigere cognouerimus.

CAP. V.

Non esse verendam frigiditatem ab hirudinibus impressam, contra Galenum, & de compescendo sanguinis fluore.

SED hæc Galeni verba habere difficultatem videntur. Quinetiam prohibendum, nec permittendum est, vt sanguis eo vsque effluat, quousque sit satis: siquidem pars ipsa frigescit; tum ob ipsas hirudines, quæ natura frigidæ sunt, tum etiam ob aerem ambientem,] quibus admonet contrarium eius, quod nos proxime docuimus. Respondetur non esse euacuationes ad extremum ducendas, sed quantum ferre vires posse coniectabimur. Quod igitur nos diximus, intelligi debet viribus sic permittentibus. Verum, quoniam in ambiguo multoties constitutum est negotium, idcirco minus quidem semper in omnibus vacuandum est corporibus, quam morborum ferant conditiones; quam ob causam rectè dictū est ab Hippocrate, neq; compressiones ad extremum ducendæ. Hęc vera est ratio, qua persuademur, non esse tantum vacuandum in morbis, quantum postulant morbi. Verū, quæ à Galeno affertur causa, apud me aliquam difficultatem habet, cū tradat partes frigidiores fieri; sed tamen multo frigidiores fieri deberent, cum sanguinem vsq; ad animi deliquium mittimus, quam cum hirudinibus adhibitis tantillum sanguinem vacuamus. Adde quod non satisfaciunt causæ propter quas particula fit frigidior, aer enim ambiens hoc modo vnamquamq; reddens frigidiorem particulam semper vacuationis quantitatem inhiberet. Natura autem hirudinum, quamuis frigida, cum exiguo tamen adhęreat tempore, vix potest imaginari, quod intemperiem frigidā generet. Quantum vero attinet ad sanguinis fluorem inhibendum Galenus hæc proponit agenda, his verbis: Quod si inde cruentæ lacrymulæ adhuc effluxerint, farinam, ciminumq; admoueto: lanamq; subinde modico madentem oleo alligato.] Farinam adhibet, quoniam non solum habet vim emplasticam, sed etiam venenatis ictibus prodesse dicitur: addit cuminum: quoniam vim habet exsiccandi, atq; adstringendi, & ad sanguinis profluuia vndecumq; manantia conferre non mediocriter videtur. Verum, vt hæc duo tenacius adhæreant (nam arida sunt) supraponit lanam oleo aliquopiam imbutam: ego ex oleis omphacinum, rosaceum, aut myrtinū eligerem; sic fiet medicamentum satis quidem conueniens non solum pro sanguine sistendo, sed etiam pro resistendo materiei venenatæ, & morsibus animalis virulenti: quale putatur hirudo. Vbi nō profuerit hoc medicamentum, ad alia transeundum: potissimum vero à leuioribus incipiendo proderit imponere particulæ, ex qua eructatur sanguis, linteolum aceto madefactum.

factum. Nam acetum erumpentem vndecunq; sanguinem potu, infusus ve si-stit testimonio Dioscoridis lib. 5. cap. 17. Allium etiam afferre vsum potest se-cundum Galeni principia: quod scilicet veneno ab hirudine iaculato ipso in vulnere (si quod remansit) poterit subuenire; nam sic inquit Dioscorides: Con-tra venenatos serpentium ictus, qui refrigerando nocent, calidum commode fouetur.] Addit alia remedia pro fluore compescendo, vt, gallam combustam. Sic Dioscorides: Crematæ carbonibus donec igne flagrent, & vino, aut aceto, aut acida muria extinctæ, sanguinem supprimunt. Galenus vero lib. 7. de sim-plicium medicament. facult. ait: Deniq; gallæ combustæ sanguinis compri-mendi facultatem acquirunt, ac nimium etiam calorem, & acrimoniam ex v-stione assumunt, suntque iis, quæ ignem expertæ non fuerint, tum subtiliorum partium, tum maiore desiccandi potestate. Cæterum, cum ad sanguinis sup-pressionem præparare eas voles, carbonibus impositas, dum vndequaq; cande-ant, aceto aut vino extinguere oportebit.] Vltimum remedium describit his verbis: Vel spongiam in liquidam antea picem immissam: mox crematam im-ponito.] Vndecimo libro de simplicium medicamentorum facultatibus, ca-pite de spongia, hunc locum optime declarat, dum inquit: Spongia vsta acris est, & digerentis potentiæ. Vtebatur ea præceptorum meorum quidam ad san-guinis eruptiones, quæ manuali opera indigent. In quem vsum semper eam præparatam habebat siccam & exarefactam; cum vero res posceret, bitumine inprimis imbuebat, sin eo careret, pice. Porro admouebat eam partibus san-guine profluentibus, etiamnum ardentẽ, vt & crusta parti induceretur, & ipsum spongiæ vstæ corpus ceu operculum quoddam acciperet.] Hæc ille.

Cap. VI.

De hirudinum vsu ex Galeno.

POSTQVAM igitur hactenus docui, electionem & præparationem hirudi-num & corporum, in quibus applicandæ sunt, quid etiam agere expediat, dum adhærent, quid postquam à particula deciderint, reliquum est, vt docea-mus: de quo sic breuiter Galenus locutus est. Illud quoq; compertum habere oportet, hirudines ipsas sanguinem illum attrahere, qui carni adiunctus est, non qui in imo corpore continetur. Earum vero vsus pro cucurbitulis esse solet.] Hinc colligito, sanguisugas prodesse omnibus affectionibus cutaneis, quæ sci-licet originem habent à sanguinis malitia circa corporis habitum effusa; quam rem apertius declarat Auicenna his verbis: Appositio præterea sanguisugarum confert ægritudinibus subcutaneis, sicut pustulis capitis, impetigini, & eius si-milibus.] Quod vero doceat eius vsum pro cucurbitulis, ab hoc authore vide-tur reprobari, his verbis: Extractio præterea sanguinis à sanguisugis facta pro-fundior est extractione, quæ fit cum ventosis:] quomodo autem vtrumq; possit consistere, explicabitur à nobis infra diligenter. Razes de hirudinum vsu in-quit: Sanguisuga ponatur in locis, vbi est impetigo, aut saphati, aut vulnus ma-lum, aut antiquum, corpore prius phlebotomia minuto, quia præbet auxilium. Addit his Nicolaus Florentinus clarus Medicus: Cum itaq; necessitas fuerit in aliqua parte corporis aperiendi venam, & fuerit vena occulta, non apparens, tunc debemus sanguisugam ibi suspendere. Hæc quidem circa Galeni opinio-nem dixisse volui.

Cap. VII.

Hirudines quibus applicandæ partibus.

VERVM, quia in hac de hirudinibus tractatione quamplura nobis occur-runt expendenda, in quibus longe diuersus vsus apparet huiusce remedii, quam fuerit ab antiquioribus expositus: ego ne hac in parte deesse videar stu-diosis iuuenibus, enitar breuiter singula, quæ de hoc argumento dici possent,

in medium afferre. Atque inprimis illud perquiramus, quibus in partibus applicandæ sunt. Huic respondemus, quod quamuis non inueniamus aliquid certi determinatum, definitumque ab antiquis, tamen in omnibus possunt applicari locis, ex quibus vacuationem sanguinis prouocare studemus. Hinc sanę capitis vlcuscula sanantur, ex capite sanguine vacuato, brachiis, pedibus, faciei, & tandem in cute vniuersa, vt subueniamus scabiei, vitiligini, impetigini, panno, nasi, facieique rubori, & elephanticorum tuberculis. In lethargo occipitio, vel syncipiti adhibendas, Gariopontus docet. Epilepsiæ ex melancholia spleni sunt apponendæ, vt inquit Arnoldus. Post aures possunt opitulari ophthalmicis, & vertigini, vt ait Alexander Benedictus. Circa nares ad ruborem faciei (sed caueto, ne petant altiores partes; nam nulla esset postea, aut perexigua spes salutis) Aetius adhibet iecinoris scirrho. Ad venas malleolorum pro mensibus prouocandis applicantur, vt testis est Mundella in his suis dialogis: Ano ad prouocandum sanguinem ex venis hæmorrhoidalibus, siue cum febre, siue sine febre extiterint ex communi omnium Medicorum consensu. Nos & successu felicissimo in doloribus podagricis non semel vsi sumus, de qua re sic ait Serenus:

Sunt, quibus apposita siccetur hirudine sanguis.

Tandem nulla pars est, in qua toto non liceat morbo postulante illas applicare. Ergo, quia antiquiores hirudinibus vtebantur pro particulari vacuatione sanguinis, statuamus in omnibus locis, in quibus adfuerit propulsandus affectus, tuto applicari posse, & hic nota, quod pro hoc vsu perficiendo necessarium est, inprimis vniuersalem vacuationem præcedere: non enim tutum esset ex parte vacuationem facere, prius non vacuato toto corpore. Sic nos aliquando dolores podagricos mira felicitate persanauimus, vbi prius adhibuissemus circa totum corpus diligentem prouidentiam, duas tresve hirudines dolentibus pedibus apponentes. Verum, quia non semper hic vsus viget: idcirco fit, non semper existere locale quoddam auxilium, sanguinis euacuationem ab hirudinibus factam. Cum enim aliqua ex magnis & prominentibus venis ab hirudinis morsu trifido inflixo vulnere aperitur, potest pro vniuersali vacuatione sufficere. Sic quidem puerulis, in quibus non audemus scalpello venam tundere, dum premuntur magno aliquo & acuto morbo, venis brachii apponentes illas, tuto admodum subuenimus. Quamobrem hirudo alias pro particulari vacuatione: alias pro vniuersali adhibetur: illa singulis partibus laborantibus, nec vni magis, quam alteri appendenda pro morbi exigentia. Hæc vero venis duntaxat magnis & prominentibus adhibenda.

Cap. VIII.

An hirudo morsu venas aperiat.

QVÆRITVR secundo loco, an hirudo morsu venas aperiat? Causa dubitationis huius est, quia nonnulli ex recentioribus Medicis dixerunt, vacuari sanguinem cutaneum ex venis paruis, per habitum corporis sparsum, non autem ex venis. Ego autem dico, non esse hac de re dubitandum; primum, quod venæ paruæ in summam cutis superficiem errantes findantur, non est, qui ambigat. Quod autem magnæ findi, aperiri que possint, sensus ostendit. Nam si verum est, ab hirudinum morsu sanguinem aliquando adeo copiosum effundi, vt non solum pro sistendo illius impetu emplasticis vtendum sit, sed etiam causticis, vt ex Galeno iam dictum est supra, & omnes Medici vnanimi consensu tradiderunt: opus est, vt statuamus, effluere eum sanguinem à vena magna: nam paruæ tantam sanguinis continere quantitatem non possunt. Non conturbet autem hoc loco nos ipsos, foramen exiguum relinquere hirudines, & venarum tunicas crassiores videri, quam quod a tantillo animalculo findi possint. Nam vbi aperta est via sanguini fluenti, hic angustam in principio offendens, postea facto impetu, vt in fluminum aggeribus indies obseruamus, latiorem facit sibi-

ipsi viam. Quod attinet ad tunicas venarum, statuamus duriora corpora, qualia sunt rusticorum & senum, maiori difficultate findi posse ab hirudine, at in tenerioribus, qualia sunt puerorum, mulierum, nullo labore id contingere docet experientia. Deinde vero quęcunq; tandem sint corpora, pati possunt ab hirudinibus aperiri sibi venas: videmus enim animalia ratione expertia, in quibus corium est pro cuti, dum locos transeunt palustres, in pedibus, aliisq; partibus portare infixas hirudines, ab illisq; copiosum sanguinem educere. Quid igitur in homine contingere posse putabimus, qui multo teneriorem habitum possidet? Quid vbi fuerint tot adhibitæ præparationes corpori quot adhiberi debere ex omnium authorum sententiis satis superq; demonstrauimus? Adde etiam his propriam quandam, ac ingenitam naturam horum animalium, quæ scilicet morsu sanguinem sugendi potestatem habet; solumq; ex omnibus, quod nobis constet, hanc facultatem habet. Venam itaq; habebunt aperiendi vim hirudines, & ex vena nunc copiosum, nunc autem exiguum, prout vel fuerit magna, vel parua, vacuare sanguinem poterunt.

Cap. VIII.

An hirudines magis vacuent sanguinem cutaneum, an profundiorem, an magis crassum, quam tenuem.

PRÆTEREA controuersa res est, an hirudo magis vacuet sanguinem ex profundioribus partibus, quam cucurbitulæ scarificatæ. Discordia videtur in hac re inter Galenum, & Auicennam. Nam ille sanguinem subcutaneum duntaxat vacuari docuit, eiusque vsum esse pro cucurbitulis. Hic autem ex altioribus partibus deduci sanguinem contendit. Recte quidem vterque. Nam hirudo si adhibetur pro vacuatione locali, à paruis venis duntaxat, quibus cutis abundat, deducit sanguinem: & quia hic fuit antiquioribus Medicis vsus præcipuus, idcirco Galenus vsum esse pro cucurbitulis edocuit: vbi vero pro vniuersali vacuatione applicatur ex vena magna educens ab altioribus partibus, internisq;, vacuat: quod Auicennam inspexisse constat. Alia solutio: Sanguis qui educitur, vel est exiguus: vel multus, atque superfluens: qui exiguus est, sic educitur ab hirudine, vt pariter educeretur incisa scalpello cuti, & hunc intellexisse vacuandi modum Galenum; at si vacuatio modum excesserit, à toto educit corpore, quamuis primum, atque principaliter à cute: quem Auicenna respexit. At si petieris, quænam vacuatio ex hisce duabus sit vehementior: dicerem illam esse, quæ fit per cucurbitulas. Causa enim attractionis in his est necessitas vacui: in hirudine autem est vis attractiua. Sed attractio, quę fit propter necessitatem vacui, maior est ea, quæ fit per virtutem naturalem: illa enim attractio quodcunq; attrahit, siue conueniens, siue minus; hæc vero amicum duntaxat trahit, quod si defuerit, nihil attrahit. Hinc prætere a videmus, quod vbi volumus ad externas partes attrahere aliquid violenter, magnoq; conatu, tunc adhibemus cucurbitulas. Sic solemus non raro, vbi in thoracis cauitate vel sanguis vel sanies continetur ex thoracis vulnere penetrante, per cucurbitularum vsum ab internis illis partibus ad externas omnem humorum colluuiem deducere. Quamobrem modus, quo vacuant sanguisugæ, magis est familiaris, quoniam sensim & sugendo fit, quem vero efficiunt cucurbitulæ, quia violenter trahendo faciunt, magis violentus est: vtrumq; tamen genus præsidii sanguinē vacuat primo & principaliter è cuti: in qua re conueniunt, vsusq; idem esse videtur amborū; at differunt, quia cucurbitulæ incisa scalpello cute, ab ea duntaxat vacuant. Hirudo vero aperta maiori vena totū corpus exhaurit. Amplius dubitatur, quem sanguinem vacuent hirudines, an crassum, an tenuem. Glossematarii quidam Auicennæ respondent, sanguinem crassiorem à cucurbitulis, quam hirudinibus educi. Non satisfacit solutio. Quia cum vtrumq; auxilium sanguinem vacuet subcutaneum, tam crassus, quam tenuis, qui scilicet pro ipsa vacuatione ibi præparatus est, euacuari solet. Hinc fit, me non adhærere opinioni illorum,

qui dixerunt hirudinem nō vacuare, nisi sanguinem tenuem: nam si res in hunc haberet modum, affectionibus cutaneis, in quibus residet sanguis adustus, & crassissimus, vt in scabie, vitiligine, serpigine, faciei ruboribus, in elephanticorum tuberculis, non possent hirudines tantum afferre commodum, quantum afferre eum omnes authores docuerunt, tum etiam nos ipsi experientia compertum habemus. Igitur hirudines eum sugunt, vacuantq; sanguinem, quem in parte, cui adhæserint, adesse contigerit.

CAP. IX.

An hirudinis vsus conueniat pro phrenetide.

QVÆRITVR ad hæc, an pro phrenetide curanda hirudinibus vtendum sit: deinde, si vtendum, an venis hæmorrhoidalibus applicandæ sint. Huic quæstioni respondeo, quod vbi venæ scalpello incidi non possunt, vt cum vulnerario Medico caremus: vel nobis non permittitur propter ignauiam, timiditatemque ægrotantium, in illis applicari potest hirudo, ex quibus vacuandum esse sanguinem vel pro reuulsione ipsa, vel pro vacuatione à præsenti morbi statu fuerit nobis indicatum. Sic, aut vena, quæ in brachio exterior nuncupatur, aut quæ recta est in fronte, tuto potest ab hirudine morderi. Videamus modo, an hirudinibus in venis hæmorrhoidalibus, pro reuulsione facienda vtendum sit. Obseruaui quamplurimos nostræ prouinciæ Medicos, qui sibi hoc persuadent, non posse phrenetidem tuto sanari, si hoc auxilium prætermittatur; quinimo ad tantam veniunt temeritatem, vt in omnibus acutis, malignisque febribus illarum vsum admittant. Ego nunquam potui approbare hanc medendi rationem; causa est duplex: Prima quia si pro reuulsione hoc fieri debet, opus est, quod hoc remedium præcedat venę sectionem ex cubito, non autem subsequatur: quod tamen illos facti asse conspexi. Postulat enim reuulsionis ratio, quod primum à distantiori parte, demum vero à propinquiori sanguinem mittamus; vbi scilicet ex vtraq; parte mittendus est sanguis. Atq; hic profecto primus est error Medicorum nostri temporis. Accedit his alter multo maior, quia scilicet vacuationem eius sanguinis procurant, qui tamē minime debuit vacuari. Nam si phrenitides fiunt, vt plurimum à sanguine tenuiori; Siq; verum est, biliosum sanguinem vacuari debere & reuelli; ab ea sede, in qua venæ hæmorrhoidales consistunt, sanguis hic recte vacuari non potest. Non enim biliosus sanguis, sed crassus, & melancholicus in illis contineri natura solet. Cum itaque hoc opere minime fiat, quod morbus indicat, & cum in reuellendo artis præcepta subuertantur, fit, Medicos recentiores toto quod aiunt cœlo aberrasse; nisi tamen contigerit affectum fuisse concitatum ob retentionem sanguinis hæmorrhoidalis: tunc enim illas pro reuulsione, & vacuatione sanguinis crassioris aperiendas esse cognosceremus.

CAP. X.

An hirudines venis hæmorrhoidalibus applicandæ, & quos morbos curare, & à quibus præseruare dicantur.

POSTREMO quæritur, an venis illis apponendæ sint hirudines pro curandis morbis à melancholia procreatis, vtputa pro lienis obstructionibus à crasso, & viscido sanguine, pro febre quartana, pro tumoribus earundem venarum discutiendis, atque vniuersaliter pro omnibus morbis melancholicis. Video enim maximam esse inter Medicos nostrates dissensionem; nam aliqui putant nunquā illis vtendum, contendentes venas hæmorrhoidales nullā cum liene habere communionem. Alii vero contrarium sentiunt, quibus ego in præsentiarum adhæreo, quam rem ne videar gratis dixisse, nunc breuiter expono. Qui dicunt nullam esse harum venarum communionem, videntur mihi ignorare naturā, non solum per venas, arterias, neruos, aliasq; conspicuas partes consen-

consensum toti præbere corpori secundum rectitudinem propriam, sed etiam hoc ipsum facere per cœcos quosdam meatus, & ductus inconspicuos, quam enim maiorem cum hepate læso communicationem habent dextri cubiti venæ, quam sinistri: cum æqualiter amborum cubitorum vasa ab eodem venæ cauæ trunco exoriantur? quam similiter maiorem communicationem venæ in naribus habebunt dextræ ad hepatis, sinistræ naris ad lienis morbos arcendos, quam econtra, cum ab vno eodemq; fundamento oriantur? Itaq; quamuis non adsit per venas conspicuus consensus, adest tamen per cœcos ductus & meatus admodum incertos, cuius causa admiranda indies esse naturæ opera cernimus. Adde tamen his, adesse per venas manifestum consensum cum liene ipso, cum satis superq; constet, quinque illarum venarum capita, quæ musculo ani terminantur ex vena caua, quæ lumbis assistit, proficisci: ex qua habere originem venam lienem nutrientem, non est ex omnibus Medicis, qui dubitet. Cur non erit patens hæc via, consensus hic manifestissimus pro sanguine crassiori vacuando satis idoneus? Ad hæc si artes institutæ sunt ad imitationem naturæ: cum indies videamus naturam sanguine ab hæmorrhoidibus expurgato (dum tamen modum obseruet) sanari ea corpora ab affectionibus melancholicis; cur nos ipsi imitati illius exemplar, atq; actionem, vbi consimiles affectus occurrent, venisq; illis non reiectantibus sanguinem non audebimus eiuscemodi vacuationem prouocare? cur non accedemus ad ipsum auxilium audacius, tutiusq;, si alias huic actioni incumbere consueuerit? Præstat hoc loco recensere nonnulla ex Hippocrate de vsu sanguinis ex hæmorrhoidibus fluentis, vt cognoscamus multo diligentius, in quibus affectionibus conueniat vti hoc auxilio, & in quibus contra abstinendum sit. Sic enim in Aphorismis inquit: Melancholicis, & nephriticis hæmorrhoides innatæ bonū. Et Galenus in commentario ait: Non solum ratione euacuationis hæmorrhoides sanant huiusmodi passiones, sed & ipsa qualitate humoris vacuati. Hæ enim sanguinem crassum consueuerunt vacuare humore plenum melancholico, talem habente in sanguine consistentiam, qualis est in vinis fæx. Quare nihil mirum, si atræ bili, & renum passionibus conferunt hæmorrhoides, vt quæ humorem fæci similem vacuare natura aptæ sunt.] Et alibi: Maniacis (inquit) varicibus, aut hæmorrhoidibus innatis, maniæ fit solutio.] Galenus vero hic insaniam illam, quæ proprie melancholia dicitur, vocat non illum, qui fit ex bile, furorem. Est autem varix cum venæ latiores fiunt in cruribus, & coxis: quod ex crasso & melancholico humore contingit, adeo quod pellente natura ad partes ignobiliores eos qui insaniam efficiunt humores, & præsertim cum melancholici fuerint, ac crassi, dictarum sequitur passionum generatio, & insaniæ solutio.] Rursus Hippocrates libro sexto de morbis populariter vagantibus, sectione quinta, inquit: Atræ bilis ad simile hæmorrhoides, id est, sanguiflux venæ effundunt. Galenus: Morbum sane melancholicū, id est, atram bilem vocatum, per sanguifluas venas leuari, euidenter constat, multosq; ea impendente apertis illis incolumes remansisse animaduertimus; quosdam vero non solum semel, aut bis, sed etiam ter, & quater simul, atque sanguiflua vena suppressa sit, in atram bilē incidisse, nonnullos vero singulis annis hoc vitio tentari solitos, nisi aut per venas hasce præsidium prius senserint aut atra bile medicamento purgata malū anteuerterint. Postremo: Sanguifluis venis laborantes, neq; morbo laterali, neq; pulmonario, neq; ph[illegible]gedæna, neq; inflammatiunculis, quæ dothienes vocantur, neq; iis, quæ tere[illegible]lii: fortassis vero lepris: fortasse neq; aliis.] Galenus. Non tamen huius mal[illegible]rum succorum copiæ: sed melancholicæ potius sanguifluas venas medelam esse statuimus.] Porro Galenus libro quarto de sanitate tuenda, hæmorrhoidalium venarum prouocationem tantundem valere docuit, quantum venæ sectio; verba sic habent: Nam si cum sanguinis copia, aut vena incidēda, aut aliquid, quod tantundem valet agendum: Sane tantundem possunt hęc. Quibus hæmorrhoides sunt retentæ, si has emiseris, si mulieri menstrua consuetudo cessauerit, hanc prouoces.] Sed hic animaduertendum est, hæmorrhoidales venas multis modis apo-

riri: nam fatis bene videtur aliquando conuenire, sanguinis missionem ex poplite, aut malleolis: aliquando vbi non prouocantur hoc modo aliis remediis succurrimus: nempe aut pannis asperis fricando, aut foliis ficus, si hornm sit ac commodatum tempus, nullum tamen est melius, tutiusq; auxilium, quam hirudines applicare hæmorrhoidalibus venis. His postremo addere oportet lienem sedem esse propriam, in qua solet sanguis melancholicus residere: & vbi contingat imbecillum esse, tunc quidem non attrahens tantam quantitatem humoris melancholici, quantam attrahere deberet, natura quærit exonerare sese, vel relegans humorem venis hæmorrhoidalibus, vel ipsos varicosos affectus generans, vt hac de re diserte admodum scripsit Galenus tum passim alibi, tū prælertim lib. 2. ad Glauconem, capite de cancro. His in hunc modum declaratis, reliquum est, vt propositam disputationem dilucidemus. Primum itaque dicimus, quod vbi venæ omnes melancholico sanguine abundant, expedire mittere sanguinem ex interiori sinistri cubiti vena, ex hac enim veluti ex fonte totum corpus à multitudine liberabimus. Deinde vero considerandum est, an in eo corpore natura cōsueuerit exonerare sanguinem crassum ex mariscis, aut minus, atq; in vtroq; casu, multo tamen audacius in priori sanguinem ex venis illis euacuabimus, quod quidem fieri non potest, nisi aperiantur illarum venæ aut natura, aut arte. Solet ars id facere quibusdam instrumentis: phlebotomo, quo tamen in ea sede raro, aut nunquam vtimur, aut fricatione cum re aspera, vt supra diximus. sed hoc remedium non est vsq; quaq; tutum: quia posse et exulcerationem facere, quæ ab ipsius loci humiditate fota, vel in fistulam, vel in aliquod aliud vlcus difficilis sanationis terminari posset: & ego semel factam hac de causa in sede fistulam vidi. Adhæc vtimur hirudinibus, quæ vbi bene fuerint purgatæ, possunt tunicas venarum citra laborem aliquem findere: & quamuis exiguum sit, paruumq; foramen, quod ab illis fit, sanguis tamen à suctione illa attractus, adauctaq; in loco eiusdem quantitas ampliorem sibi impetu suo parat viam: & qui lente affluebat, aliquando tanto impetu confluit, forasque propellitur, vt ad illius constrictionem peruenire debeamus: & cum interdum non sufficiant medicamenta mitem facultatem habentia, ad caustica, de quibus iam supra diximus, peruenire necessum est. His adde, non solum salubriter in plenitudine vniuersali melancholici sanguinis, sed etiam in omnibus affectibus, quos creat melancholicus & ater humor, nos hoc remedio vti posse: primum in epilepsia, & omnibus deliramentis melancholicis, quantum præstet sanguinis ab ea sede vacuatio, nemo est, qui nesciat: & iam ex Hippocrate, & Galeno demonstrauimus. Cordis præterea palpitatio, eandem habet medendi rationem; nam, quamuis humor frigidus, & aquosus affectum facere consueuit, si Galeno credimus; ego tamen, qui hoc habeo mihi compertissimum, ab humore melancholico vtplurimum conciliari scio, ex hoc genere auxilii maximam semper meis ægrotantibus vtilitatem præparasse. Idem prodest in inflammationibus lienis, vbi tamen prius ex cubito regionis eiusdem sanguis missus fuit; nam solet semper cum inflammatione ingens atri sanguinis copia confluere. Saluberrimum est etiam mittere sanguinem ex eisdem venis in obstructione lienis, dum tamen ita antiquata non fuerit, vt scirrhi naturam sapiat. Adhæc prodest nephriticis: prodest etiam doloribus sedis, & tumoribus ab humore melancholico proficiscentibus. In his omnibus videmus naturam cum insigni ægrotantium vtilitate mouere sanguinem per hæmorrhoidas; cumque naturæ actiones docuerint medendi rationem, ad illius imitationem, exemplarq; institutum, vbi in hosce affectus incidamus, naturamque nihil mouere p[illegible] sanguifluas venas conspexerimus; summopere erimus laudandi, si illam imitantes per hæmorrhoidas prouocauerimus sanguinis fluorem. Ex his patet, quam ridendi sint dicentes liene affecto nullum adesse consensum cum huiusmodi venis; nam si consensus est cum cerebro, cum corde, cum renibus, cur similiter non aderit consensus cum liene? Potissimū cum sanguifluæ venæ [illegible] proximius respiciant lienē, quam aut cor, aut cerebrum? Itaq; meo iudicio n[illegible]

ha[illegible]c

habet difficultatem, sanguinem prouocare ex hæmorrhoidibus morbis conferre natis ab humore melancholico. Lis tota versari videtur in instrumento, quo cum hanc emollire vacuationem debeamus. Ego licet vrgente necessitate alia non abhorream instrumenta, ab hirudinibus tamen tutissime fieri posse profiteor.

Cap. XII.

Quid Galenus de cucurbitulis, & illarum vsu sentiat.

Apprime quidem vtilem aggredimur tractationem de cucurbitulis, in qua explicanda docebimus quædam, præter opinionẽ Medicorum quorundam, quorum nomen, atque iudicium ab omnibus maxime æstimari solet. Hunc autem in his explicandis ordinem obseruabimus: primo loco Galenum ipsum fideliter interpretabimur: mox autem digrediemur, & fere circa singula dubitationes arduas in medium afferentes hanc materiam, quo ad eius fieri potest, diligenter declarabimus. Primum itaq; inquit Galenus, cucurbitulas iis, qui antea vacuati sunt, vtilitatem afferre. Quandoquidem si supra locum affectum admouentur cucurbitulæ, & harum proprium sit munus attrahere: vbi totum corpus aut sanguinis plenitudine, aut malorum succorum vitio abundauerit, vereri oportebit, ne humorum ingens illa copia ad affectum locum confluens morbum faciat maiorem. Cæterum, quamuis hoc generale sit præceptum, non tamen est ita verum, quin aliquando contrarium in ipsis artis operibus administrari debeat; quando vero id ipsum contingat, infra diligenter docebimus. Plethoricis non esse vtendũ cucurbitulis docet Galenus in arte medica cap. 95. cum inquit: Si igitur vniuersum corpus plus æquo plenũ fuerit, per patientem locum minime vacuandum: nam si scarificationibus aut sectionibus sensibiliter vacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahemus: si vero calefacientibus dispergere tentabimus, plus erit id, quod vi caloris attrahetur, quam dispersum; quod si in eo laborabimus, vt quod influxit retrocedat, corpus plenum non admittat. Adhæc igitur ambo totum corpus vacuare oportet, aut omnino ad contraria loca retrahere, quod patienti particulæ influit.] Hæc ille. Verum enimuero hoc loco rursus adnotandum est, cucurbitulis ipsis duobus modis nos vti posse, vno equidem modo siccis, cum scilicet citra aliquam adhibentur scarificationem; alio autem modo cum inciditur cutis sunt, qui dicunt, sese non inuenisse, aut Galenum, aut alium quempiam ex Græcis authoribus manifeste docuisse cucurbitulas debere scarificari; sed cum de hoc loquuntur præsidio, semper siccas illorum iudicio intelligunt cucurbitulas: quod dupliciter confirmari satis euidenter potest, primum quia nunquam Græci de cucurbitulis agentes scarificationis manifeste meminerint: deinde vero, quia post caput de cucurbitulis statim de scarificatione pertractat, & vtrobique proprias explanant vires vtriusque remedii. Scarificare autem cucurbitulas an fuerit Græcorum institutum certo pronunciare non ausim: hoc vnum scio, Arabes scriptores in hoc explanando remedio diligentiores vtroque modo vsos fuisse. Hoc volui explicasse, quoniam ad eorum, quæ posthac dicturi sumus notitiam maxime conducet. Eadem ratione, & in cerebri, & eius membranarum phlegmonis principio cucurbitulis non vtimur, quemadmodum neq; vlla alia in parte phlegmone obsessa, quod tutus non sit horum præsidiorum vsus vniuersaliter in particulis, quæcunque hæ sint, cum inflammationem patiuntur non euacuato corpore. Quid mirum igitur, si Galenus dixerit in principio phrenetidis non conuenire cucurbitulas? abstinendum itaque in initiis; at quando discutere in animo fuerit, cucurbitulis tuto vtendum supra locum affectum secundum Galeni placita. Sed habet hoc loco dubitationem, quem vsum post totius corporis euacuationem, humoribusque non influentibus in phrenetide ipsa facere possint cucurbitulæ. Nam si phrenetis est, vt iam dixi, inflammatio cerebri, & meningum: sique verum est, quod tamen verissimum esse omnes admittunt, cucurbitulas à cute vacuare, non à profundioribus partibus, videre nesciu, quomodo

contentus in cerebro sanguis ad cutem attrahi valeat, & eo minus causam aspicio, quo magis subiectam cutim capiti densissimam esse video; & os intermedium esse. Hæc videntur impedire cucurbitularum vsu sanguinem in cerebro contentum discuti posse. Quod si dixeris adesse suturas, per quas effluere semper aliqua solet substantia tenuis, hic ego inquam posse id contingere, cum humores tenues sunt, & maxime fluxibiles, verum, cum sunt iam redditi crassiores, quod potissimum contingit in statu & in declinatione inflammationis, impossibile videtur mihi ex parte tam profunda, per suturas arctissimas, atq; ex cuti omnium densissima crassefactum sanguinem vacuare posse.

Cap. XIII.

Qui affectus ab ipsis cucurbitulis fiant.

CÆTERVM de effectibus, qui fiunt à cucurbitulis, Galenus duobus potissimum in locis locutus est, nempe in libello huic tractationi dicato, & in decimotertio Methodi ait, in libello de cucurbitulis: Opusque est, aut amouere, aut amoliri, quod in laborante phlegmone particula existit, aut foras trahere.] Et in Methodo ait: Verum, vtendum ipsa cucurbitula in ipsa parte, quæ phlegmone vrgetur, inter initia non est: imo posteaquam totum corpus vacuaueris: ac necessarium est eorum, quæ in inflammata parte continentur, aliquid educas, atque eruas, aut etiam foras versus attrahas.] Hic tamen vnum addir vsum ibi prætermissum. Nempe, mouere.] singulos vsus exponamus. Mouere.] Cum scilicet propositum fuerit phlegmonem ex vna parte ad aliam mouere, vt ex aliqua nobili particula ad ignobilem: sic sane in propriis emunctoriis adhibemus cucurbitulas, vt ad ipsa tumorem altiores aliquaspiam nobiliores partes occupantem attrahamus. Non conturbet nos, quod Galenus loqui videatur de vsu cucurbitularum supra partem phlegmone obsessam, at hic vsus non respicit læsum locum. Nam hic vniuersalem doctrinam tradit. Hæc igitur prima vtilitas est. Secunda est, cum supra phlegmonem ponitur cucurbitula: de quo inquit: Aut amoliri, quod in laborante phlegmone particula existit.] nota, quod hic addit: in laborante phlegmone particula.] Sed in alio vsu priori non addidit. Aduerte præterea, posse cucurbitulas amoliri aliquid ex particulis inflammatis dupliciter: vno modo, cũ adhibetur illis scarificatio: alio modo, cum sine scarificatione ponuntur: priores sanguinis partem in phlegmone contenti, vacuare possunt; posteriores vero flatuosum duntaxat spiritum. Quamobrem cum Galenus hoc capite ne verbum quidem scarificationis faciat, & à leuioribus cucurbitulis (sic nuncupamus illas, quæ adhibentur sine scarificatione) euacuari sanguis non possit, phlegmones vero indicant, potissimum debere hunc euacuari: idcirco fit, me hunc vsum non facile admittere, nisi esset, phlegmonis nomen satis esse commune, vtpote quod in vniuersali omnem tumorem præter naturam significet, à quacunque causa originem habuerit. Hæcq; antiqua est, vt alibi demonstrauimus, nominis huius significatio; in laxis ergo & pituitosis, ac etiam flatuosis tumoribus vsus hic expositus habere locum potest. Tertia vtilitas his verbis proponitur, aut foras trahere.] Nam non raro accidit, tumores quosdam in partibus internis adeo occultari, vt medicamenta vix possint ad affectũ locum penetrare. propterea quoniam in illis maximum faciunt negotium, expedit tumorem ipsum foras attrahere cucurbitulis. Verum, adhibentur præterea non solum ob iam dictos affectus, sed etiam ratione reuulsionis, de qua sic scribit Galenus. Porro fientibus adhuc malis, non laborare incipientibus membris, sed iis, quæ eis coniuncta, continuave sunt, reuulsionis gratia affigenda cucurbitula.] Idem decimotertio Methodi, capite decimonono, sed quomodo reuulsionis gratia. Si hæc in contrarium semper adhibetur, atque etiam ad partes distantissimas, vt alibi diximus; Soluitur difficultas ea distinctione, quã adhibuimus de reuulsione duplici; altera enim simpliciter dicta, altera vero secundum quid, & localis reuulsio est, quam alio nomine deriuationem vocare consue-

consueuerunt. Illa ad partes contrarias, & semper distantissimas, vt libro de reuulsione docuimus, hæc vero ad vicinas partes adhibetur, de qua in præsentiarum locutum esse Galenum dubitandum non est. Adde his reuulsionem exquisitam finiri per partes coniunctas, & continuas, licet sint distantes, nam alioquin accommodata fieri non posset reuulsio. Audiamus modo vires alias quas cucurbitulis tribuit Galenus. Cucurbitula (inquit) potest materiam vacuare.] Citra scarificationem adhibita euacuat potissimum flatuosum spiritum, cum scarificatione, & spiritum, & sanguinem. Dolorem soluere.] qui fità flatuoso spiritu: aut etiam à flatu cum pituitæ permistione. Doloribus etiam prosunt reuellendo; Phlegmonem minuere.] Non omni quidem tempore, sed tunc cum affectus iam declinauerit; nam vt declaratum est supra, incipiente inflammatione non conuenit illis vti. Inflationem discutere.] Quia inflatio, vt plurimum habere solet originem à flatuoso spiritu, quod si imagineris flauam bilem eius generis affectum concitare, infixam fortasse discutiet, non autem fluentem, quam sane citra difficultatem reuellet: nam si reuellendi sunt humores fluentes, hic humor omnium citissime poterit à cucurbitulis reuelli propter tenuitatem suam: at non eadē adest ob caliditatem securitas. Appetentiam reuocare.] Causa est; quia destituitur appetentia nonnunquam ab humoribus frigidis, & pituitosis simul cum flatuoso spiritu; cucurbitula flatum discutiens, & caliditatem quandam affectæ parti communicans, pituitososq; humores digerens: appetentiam reuocare deperditam potest. Imbecillum ventriculum robustum facere.] Si à flatuoso spiritu illius imbecillitas oriatur; vel saltem ab humoribus frigidis, & viscidis, quales pituitosi sunt, aut si affectus sit citra materiam, cum intemperies adest frigida. Animi deliquio liberare.] Nempe cum maxime crudi humores in ventriculo continentur flatuoso spiritu admixti, cucurbitulæ tum calefaciendo, tum dissoluendo ab animi deliquio liberant. Ex alto fluxiones transferre.] In partibus cutaneis. Nam vbi delitescunt fluxiones, inflammationesque pariunt, adhibito remedio ad cutem, superficiemq; corporis trahuntur. Ac resiccare.] Nam si cucurbitulæ habent vim calefaciendi, discutiendique, habebunt etiam similiter vim exsiccandi, quandoquidem hæc citra desiccationem fieri vix possunt. Sanguinis eruptiones cohibere.] Nam sub mammis positæ fluxiones ab vtero, & à naribus cohibent, eandemque virtutem habent si sub vtroque hypocondrio applicentur. Facultates mensium corruptrices extrahere.] Tollunt causas cucurbitulæ, quæ menses remorantur, corrumpuntq́; hæ causæ sunt crassities sanguinis, locorum obstructio: cucurbitulæ autem coxis appositæ in domestica scilicet illarum parte, attrahunt sanguinem ad infernas partes, vterumque propterea ab obstructione liberant. Et menses leuare.] Id est, menses ipsos nimium confluentes impediunt, leuantque, cum videlicet apponuntur sub mammis, aut hypocondriis. Hactenus itaque exposuimus, quid Galenus de proposita cucurbitularum materia dixerit; nunc præstat, vt secundum propria principia de hoc argumento pertractemus.

Cap. XIIII.

De cucurbitulis, quæ ex authore tractanda proponuntur.

DE cucurbitulis actutus, primum vniuersalem quandam docebo methodum, in qua de differentiis cucurbitularum transigemus; deinde vero explicabo, quomodo ipsæ cucurbitulæ euacuent: quibus locis applicandæ sint, atque postremo quibus morbis prosint. His enim continetur omnis de cucurbitu'is tractatio, quæ profecto eo diligentius venit in præsentiarum explicanda, quo fuit negligentius ab omnibus Medicis recentioribus tractata.

CAP. XV.

De cucurbitularum differentiis.

ITAQVE quantum pertinet ad primum, ſciendum eſt omnia, quæcunque de cucurbitulis hactenus ab omnibus explicata ſunt, ad quatuor præcipua rerum capita referri poſſe. Vel enim pertinent ad cucurbitularum materiam, vel ad eum, qui obſeruatur, applicandi modum, vel ad tempus in quo debent adhiberi; vel ad ſcopum, atque indicationem quæ illarum vſum inſinuat. Porro duplex in vniuerſum ſpectari debet materia; altera quidem, cum qua fieri ſolent, altera vero circa quam adhibentur. Materia ex qua fiunt triplex aſſumit diſcrimen, vnum penes ſubſtantiam; ſecundum penes quantitatem; tertium penes figuram. Subſtantia multiplex eſt, ex qua fieri conſueuerunt, ex vitro, ex ligno, ex cornibus, ex cucurbita, ex metallo aliquopiam, ex fictili terra. Cæterum parum admodum refert, ex qua materia fuerint fabricatæ, nam ſemper eundem præſtabunt vſum, modo recte, commodeque applicari poſſint. Noſtris temporibus ex vitro potiſſimum fiunt, in quarum defectu haud raro vtimur vaſe ex fictili terra operi culinario deſtinato. Quod ſpectat ad quantitatem, vel enim magna eſt cucurbitula, vel parua, vel medioctis, quam rem diſtinguere maximum vſum affert propoſitæ tractationis. Quandoquidem quum non indigeamus in curandis morbis ſemper æquali vacuatione, hæc vero longe variatur ex magnitudine horum inſtrumentorũ, fit, plurimum referre, hanc cognouiſſe differentiam. Vbi enim magnam aliquam facere vacuationem, vel ſubitam violentamq́; tractionem, vel reuulſionem inſignem deſideramus, magna vtendum, vbi parua opus eſt, paruam adhibeamus: in mediocri ſtatu vtemur mediocri. Hinc quidem admonuit Hippocrates libro quinto Aphoriſmorum. Mulieri menſes cohibere ſi velis, cucurbitulam, quam maximam mammis appone.] Vbi notabis quam maximam dixiſſe, vt ab vtero magnam attractionem faceret, Galeni teſtimonio in commentario quinquageſimo. Figura cucurbitularum non ſemper eſt eadem: quædam enim ſunt circulares, quædam oblongæ, quales illæ ſunt, quæ vulgari nomine dicuntur, le cornette. Rurſus, quædam habent magnum orificium, quædam paruum, quamuis certe in hoc vno conueniant omnes cucurbitulæ, quod aliquam rotunditatem habeant. Cucurbitulæ circularem habentes figuram vehementiores ſunt aliis, quemadmodum etiam, quæ habent anguſtum os minoris efficaciæ ſunt quã habentes magnum. Porro materia circa quam applicantur, varias recipit differentias, ea enim eſt pars corporis humani, quæ nobis indicationes multiplices ſuggerit. Aliquando enim dum curamus indicationem, deſumimus à qualitate, ac ſubſtantia particulæ, vt eſt raritas, & ſpiſſitudo: nam in rariori corpore multo felicius ſuis muneribus illæ præfunguntur, in denſiori difficilius, ſic etiam in duro & molli: hinc fit quod ſi denſiori corpori, duroq́; adhibendum eſt remedium, opus eſt eligere maximam cucurbitulam, in raro, & molli contrariam. Adde his multitudinem carnis, & pinguedinis totius habitus, aut paucitatem vtriuſq́;: nam ſi in craſſiori corpore apponendæ ſunt cucurbitulæ, vt ad exteriorem partem attrahant humores, opus eſt ingentes huic operi accommodare, cum paruæ vix aliquam præſtare vtilitatem poſſunt. Contemplari etiam debemus nobilitatem, ac præſtantiam partium, nam in iis, quæ non ſunt præcipuæ partes applicatur auxilium vt attrahatur ad illas morbus, qui negocium nobili parti faciebat. Poſtremo ſocietas partium aliquid indicat: nam mammillis applicantur, vt fluentem ab vtero ſanguinem ſiſtamus, quia ipſa anatome conſtat, venas mammarũ habere communicationem cum venis vteri, hæc eſt ſocietas, quam recentiores vocant per connexionem: altera etiam iuuat, quæ eſt per vicinitatem vt cum reuulſionis particularis cauſa viciniori particulæ adhibemus remedium. Hæc de materia. Iam vero vt de modo agamus, curandum eſt illas partibus adhærere, cum aut ſine igne: quæ ignis vi adhibentur, multo ſunt validiores aliis. Harum vtraq́; admouentur vel ſine, vel cum ſcarificatione: poſſunt autem ſcarificari duobus modis

modis, vel incisionibus factis profundis, vel in sola superficie. Rursus in omnibus iis tempus, quo adhærent, considerandum: hoc enim aut breue, aut longum est, quæ longiori tempore cuti adhærescunt, multo validius funguntur suo munere, quam aliæ. Modus autem, secundum quem cucurbitulæ ponuntur, est in iis potissimum, quæ habent duo orificia: alterum, quo applicantur carnibus, alterum tenuius, quo ore aër attrahitur: tunc eleuato ore, orificioq; statim operto fit ab ipsis cucurbitulis attractio. Tertium, quod debemus obseruare, est, cognoscere horam conuenientem, qua debent applicari: idoneum autem tempus est duplex: alterum est, quod nos elegimus magis conueniens secundum artis principia: alterum vero necessarium, quod scilicet, quamuis non sit optimum tempus, melius tamen est: quod in rem præsentem, ac extemporarie eligi possit. Electum à nobis tempus est, vt non apponantur, nisi facta concoctione, nisi virtus fuerit valida, pro conditione tamen faciendæ vacuationis: quod pertinet ad ætates, nulla fere est ætas, in qua non possit hoc auxilium exerceri: aliqui sunt, qui plenilunium eligunt, vt Auicenna. Sed nihil est ex omnibus rebus, quæ faciunt magis esse idoneum tempus, quam præsentia eorum affectuum particulariter hoc præsidium indicantium: id autem necessarium tempus definitur, quod postulat remedium fieri: quamuis importune, vt maiori alicui malo subueniamus; quemadmodum agentes de venarum sectione docuimus. Postremum est scopus atq; intentio, quæ debet obseruari in adhibendis cucurbitulis. Porro hic scopus, vel est vacuatio alicuius rei, aut manifesta, aut occulta: vel alteratio secundum qualitates, vtputa calefacere, rarefacere, vel doloris mitigatio, vel flatus discussio, vel reuulsio, vel attractio ad superficiem, vel mutatio alicuius rei extra suum locum ad naturalem situm, vel alia id generis indicatio, de qua dicemus, cum eos recensebimus morbos, qui postulant cucurbitularum vsum. Cæterum, quo vniuersaliter hanc de cucurbitulis doctrinam iuniores Medici facilius intelligant, & memoriæ commendent, quæcunq; dicta sunt, non erit abs re sequenti schemate antiquis vsitato describere, vt possimus postea de reliquis differere ordine suo diligenter.

In applicandis cucurbitulis quatuor necessario consideranda sunt:

- 1. *Materia:*
  - *Ex qua fieri solent, & hic consideranda sunt:*
    - *Substantia*
      - *Ex vitro, & est melior.*
      - *Ex cornu.*
      - *Ex metallo.*
      - *Ex fictili terra.*
    - *Quantitate*
      - *Magna.*
      - *Parua.*
      - *Mediocri.*
    - *Figura*
      - *Circulari.*
      - *Oblonga.*
  - *Circa quam applicantur, vt in partibus corporis:*
    - *Mollibus.*
    - *Densis,*
    - *Durioribus.*
    - *Ignobilioribus.*
    - *Praestantibus.*
    - *Consensum habentibus cum aliis.*
    - *Atq; id genus alia.*
- 2. *Modus applicandi.*
- 3. *Hora, vide hoc signo A.*
- 4. *Scopus, vide hoc signo B.*
  - *Cum igne.*
    - *Cum scarificatione*
    - *Sine scarificatione*
      - *Profunda.*
      - *Non profunda.*
  - *Sine igne.*
    - *Cum scarificatione*
    - *Sine scarificatione*
      - *Profunda.*
      - *Non profunda.*

A Ho-

A Hora:
- *Applicandi*
  - *Electa*
    - *In principio mensis secundum Auicennam.*
    - *Stomacho vacuo.*
    - *Secunda vel tertia diei hora.*
    - *Virtute valida pro remedii conditione.*
    - *In omni fere ætate.*
    - *Quando remedii adest indigentia.*
  - *Necessaria*
    - *Non magis vno, quam alio tempore, sed indifferenter, vbi sese obtulerit faciendi hoc remedium necessitas.*
- *Durationis applicatarum aut*
  - *Longo tempore partibus adhærent.*
  - *Mediocri tempore partibus adhærent.*
  - *Exiguo tempore partibus adhærent.*

Scopus, siue intentio remedium insinuans:
- *Vacuatio*
  - *Sensibilis.*
  - *Insensibilis.*
- *Reuulsio*
  - *Simpliciter.*
  - *Secundum quid.*
- *Dolorum mitigatio.*
- *Alteratio, vt calefacere, refrigerare.*
- *Attractio ad superficiem.*
- *Permutatio rei extra locum naturalem ad locum suum.*
- *Permutatio tumoris à nobili membro ad ignobile.*
- *Permutatio tumoris à centro ad superficiem, & alia id genus.*

CAP. XVI.

Cucurbitulæ quomodo euacuent.

NVNC igitur his in hunc modum expositis, quæramus primum quomodo ipsæ cucurbitulæ euacuent. Dicimus huic quæstioni, euacuare illas attrahendo: non enim dubitandum est, quin res in hunc modum habeat: quia sensu vnusquisque facile admodum cognoscit, remedium à scarificata cute vacuare sanguinem ad sui cauitatem tractum: quod si non est incisa cutis, obseruatur attrahi carnem: & aliquando serosam humiditatem, flatuososq; tumores discuti. Verum, est animaduertendum, hanc tractionem longe differre ab aliis, quæ scilicet habeant aliquam facultatem trahendi: nam in cucurbitula nulla prorsus adest eiusmodi facultas: quemadmodum neq; alia ex earũ numero, quæ naturales vocantur: hæc tamen attractio ab ipso fit vacuo. Difficultatem autem ingentem habet, quomodo id quod non est & causa rei alicuius esse non potest, a nobis attractionis causa constituatur. Respondemus vacuũ attractionis causam esse hoc modo. Totius vniuersi natura, vacuum quantum potest refugit, ipsumq; maxime abhorrens, videmus quod aliquando pro euitando vacuo grauia mouentur sursum; & leuia mouentur deorsum contra propriam naturam. Hinc contingit, quod si cũ applicatur cucurbitula, non attraheret sanguinẽ, vel carnes, vel humores, vel flatuosum spiritum, vacuus esset locus, idcirco hunc deuitans natura attractionem facit. Hinc insurgit pulchra dubitatio, haud sc. videri vacuo attractionem hanc fieri; quia, quę sic trahuntur, subito, & in instanti attrahuntur; at cucurbitula attrahit in tempore, ac successiue; quoniã videmus sensim impleri sanguine, vel aliquapiã substantia, & non in instanti. Notabis pro solutione difficultatis huius modum particularem, secundum quem contingit cucurbitulam trahere, vt vacuum deuitetur. Scias itaq; vel applicari, cum igne, vel sine igne. Quæ applicantur cum igne, sic attrahunt. Ignis ille, qui causa fuit applicationis, cum ventilari non possit, suffocatur, & extinguitur, in aerisq; naturam transmutatur, modo aer genitus ex igne occupet minorem locum, quam prius occupabat igni; rarior enim est ignis, quã sit aer. Hinc recte dixerunt philosophi; quod ex vno aeris pugillo, decem generantur ignis, & per oppositum ex decem partibus ignis generatur vna pars aeris. Itaq; extincto igne, & generato aere, ab illo fit occupatio loci minor, quã prius fuerat ab igne, & hac de causa natura ipsa ne vacuus sit locus, qui, vt iam dixi, non occupatur totus ab aere genito, attrahit natura sanguinem, aut carnem in cucurbitulę vacuitatem, atq; tandiu durat eiuscemodi attractio, quamdiu fuerit locus repletus, aetq; genitus ex igne refrigeratus fuerit. Hæc autem aeris refrigeratio non fit in instanti, sed fit successiue. Nam quemadmodum paulatim aer ibi existens, fumosaq; euaporatio infrigidatur; sic paulatim, & successiue condensatur, & quanto condensatur magis, tanto minorem occupat locum; hinc fit attractio in concauum cucurbitulę, ne vacuus locus remaneat. & hac de causa non fit attractio carnis, aut alterius rei in instanti, sed successiue, & in tempore. Continuatur, & perseuerat ista attractio, quousq; aer inclusus refrigidatur atq; condensatur; ita paulatim fit minoris loci occupatio, quam prius; quando autẽ facta est condensatio, & infrigidatio perfecte, non amplius fit attractio. Hoc itaq; modo, quæ applicantur cum igne cucurbitulæ, ratione vacui attractionem faciunt, non quod attrahatur. Accidit autem idem in iis, quæ sine igne applicantur. Quoniam hæc ex parte, qua non applicantur carni, habent orificium paruum coopertum aliquo velamine; sunt enim ex cornibus, quę ab vna parte habent orificium amplum ab alia parte habent orificium strictum velatum aliquo velamine; & tunc quidem quando applicantur carni, eleuatur cooperculum, & ore aer attrahitur; iuncq; subito eleuato ore clauditur orificium; vt ergo non remaneat vacuũ, ex aere attrahitur caro in concauitatem illarum, & sanguis, si caro est scissa. Et hæ sane cucurbitulæ sunt minus potentes in attractione, quam superiores; quoniam in illis extincto igne est maior necessitas remanentiæ amplioris vacui, quam in istis.

An

CAP. XVII.

An cucurbitulis vtendum non vacuato corpore; aliorum opinio proposita.

QVÆRITVR secundo, an cucurbitulis vti possimus non purgato, aut vacuato prius corpore. Multa sunt, quæ persuadere certissimo videntur, nunquam pleno corpore licere vti cucurbitulis; horum primum est sententia Galeni, quam hactenus iam declarauimus, vbi tradidit, quod quando plethoricum est corpus, cucurbitulis locus non est; quodq; in principio nō sunt admouendæ; at in morborum principio semper corpus humorum abundat multitudine. Adhæc idem confirmauit libro decimotertio Methodi cap. 19. Præterea cucurbitula remedium est locale; at vero communis est Methodus, non licere localibus auxiliis vti, nisi prius antecedant vniuersalia. Sed contra hanc sententiam facit, quod nos vtimur cucurbitulis pro reuulsione: at reuulsio adhibetur morbis incipientibus; quamobrē vti licebit in morborum principio. Huic quęstioni respondet Franciscus Valleriola, vir de rebus Medicis optime meritus, in 4. lib. suarum enarrationum; arbitraturq; licere nobis vti cucurbitulis ante vacuationem totius corporis; opinionem probat rationibus, & autoritatibus; prima ratio, quæ apud ipsum vim habet demonstrationis, sic habet: Reuulsio debetur morbis incipientibus, fluentibus inquam humoribus; sed cucurbitulæ adhibentur pro reuulsione; itaq; adhibentur morbis iam inchoantibus; maiorem ex Galeno probat in arte medica, decimotertio Methodi. & libello de reuulsione; minorem comprobat verbis Galeni in hoc ipso cap. de cucurbitulis, quæ sic habent: In his affectibus dum gignuntur, non quidem membris ipsis, quæ cœperunt laborare, sed eis, quæ laborantibus coniuncta fuerint reuulsionis gratia, cucurbitulæ imponendæ sunt. Quod si huic rationi addideris cucurbitulas præsidium quoddam esse, quod maxime reuellit, vt libro quinto Aphorismor. commentario quinquagesimo Galenus docuit, nihil amplius faciet difficultatem. Adde quod Hippocrates tantus alioquin auctor in pleuritide tentandi gratia loco etiam affecto fomenta in principio, & summa etiam plenitudine admoueri iubet. Quod si is locū affectum materia nimia turgentem fomentis calorificis probandæ plenitudinis gratia aggrauare & intendere magis non veretur, quid timendū sit medico reuulsionis gratia non semper affecta loca, sed omnino opposita cucurbitulas admouenti? Præterea idem cōfirmat, quia cucurbitulæ vicem gerunt phlebotomiæ, vt Auicenna testatur, & Cornelius Celsus, magnus alioquin imitator Hippocratis. Vbi ergo aliquæ adfuerint causæ, quæ impedimento sunt nobis, ne statim ad sanguinis missionem veniamus, nihil debet nos remorari, quin accedamus ad cucurbitulas. Accedit, quod cum medici præcipuum munus sit, tuto ac celeriter curare, pręsertim vbi vehemens vrget dolor, qualis in oculorum phlegmone, aut affectus membrum aliquod obsederit princeps, ea maxime moliri debet Medicus, ex quibus speret ægrum dolore, morboq; citius vindicari. Non potest autem vel efficacius, vel etiam maturius iuuari æger, quam si tota, vel maior fluxionis pars à dolente parte, quàm ocyssimè alio reuellatur: igitur illi etiam per initia reuulsorio auxilio vtendum, aut morborū insignis merebitur procrastinator non vere etiam curator dici. Confirmat sententiam ex Auicenna, qui dum ophthalmiæ curationē ex professo tractat inter cętera vltimi iuuamenti ventosas constituit, si ceruicis initio admoueantur. Quem etiam locum exponens Nicolaus Florentinus asseruit cucurbitulas etiā ante omnem euacuationē in hoc morbi genere, nōn minimū vtiles esse. Postremo nititur satisfacere quibusdam Galeni sententiis, quæ videntur oppositum persuadere: nam cū ille plethoricis noxias esse cucurbitulas protulit: hoc quidem (inquit) verissimum est, in quibus secundum totum habitum corporis plenitudo subest, vel quæ ad vires, vel quę ad vasa dicitur, non sic autem in quib: secundum patiens tantum membrum, vt oculos, aut cerebrum, plethorica dispositio subest. Nam si reliquum totum corpus plethorica vacet, secundum ce-

rebrum autem, & oculos, plenum sit, quid quæso prohibet vacuis membris cucurbitulas admoueri? nam quod Galenus ex illis metuit incommodū, haudquaquam aduenit nimirum ex se iam sponteq; exinanitis secundum naturam vasis. Adde, in illis locis Galenum fuisse locutum de cucurbitulis, quæ affecto potius loco gratia euocandi foras humorem admouentur, quam de iis, quæ in opposita loca retrahendi, ac reuellendi causa admoueri solent: vt ex verbis eiusdem authoris citra difficultatem colligitur. Hæc sententia est hominis huius.

Cap. XVIII.

Impugnatio opinionis huius.

CÆterum sunt multa, quæ mihi vel maxime displicent. Hoc primum est, quod aliud quærit, aliud autem explicat. Quærit, an in lippitudine conueniat vti cucurbitulis ante vacuationem totius corporis: hæc sane quæstio vnum supponit, & aliud quærit. Supponit, vtroque remedio indigere nos, cucurbitulis inquam ipsis, & vniuersaliore vacuatione vel per missionem sanguinis, vel per medicamentum purgans. De ordine tamen horum auxiliorum quæstio est: quodnam scilicet præcedat: alterum: an tuto possint, ac debeant præcedere cucurbitulæ sectionem magnæ venæ, cum vtroque indigemus auxilio. Respondet quæstioni Valleriola, quod aliquando illis vtimur corpore non purgato: Quod interdum illis vtimur inchoantibus morbis pro reuulsione scilicet humorum fluentium facienda. Neutrum horum ad quæstionem facit: non primum, quia non quæritur, an cucurbitulis vtendum non purgato corpore: hoc enim vt explicabimus infra, non habet difficultatem aliquam: non secundum, quoniam, quamuis fluentibus humoribus adhibendæ sunt eucurbitulæ, atque etiam in morborum principiis: quid tum postea? quomodo enim sequitur, quod ante vsum illarum non fuerint adhibita vniuersaliora remedia, vt venæ sectio aut purgatio; aut si morbus sic postulauerit vtrūq;. Namque negari non debet, cucurbitulas non habere vim reuellendi: tamen hoc explicandum venit, cum plura sunt reuellentia præsidia, vt venæ sectio, purgatio, cucurbitulæ, scarificationes, hirudines, frictiones, deligaturæ: propositusque Medico sit scopus reuellendi, an omnibus istis vtendum sit auxiliis, an quibusdam: vbi cognouerimus, non esse vtendum omnibus, succedit altera contemplatio, non minoris momenti quam proposita, quo videlicet ordine vtendum propositis: sit necessarium vti sanguinis missione per sectam venam: purgatione cucurbitulis: ordinem videre debemus, quem in his adhibendis obseruemus: neque enim in omnibus omnia passim adhibenda & confuse: sed determinata in determinatis morbis remedia applicanda, & ordinate. His adde, Galenum de hac re differentem haud bene fuisse assequutum. Nam cum in hoc capite docet cucurbitulas applicandas esse in membris coniunctis cum affectis particulis pro reuulsione facienda: non intelligit reuulsionem simpliciter dictam, quæ vicinis, proximisque membris non adhibetur, sed iis, quæ maxime distant, contrariaq; sunt: vt libro septimo de reuulsione agentes demonstrauimus. Sed audit eo loco Galenus deriuationem, quæ particularis est reuulsio, vt expositum est à nobis loco suo. Deceptus est etiam prætęrea, cum asseruit Hippocratem libro secundo de ratione victus in morbis acutis corpore summa plenitudine affecto adhibere fomenta excalefacienda supra thoracem: absit enim à nobis, vt Hippocrati hunc peruersum morem medendi ascribamus, quem neque obseruaret ille, qui summis, quod dici solet labiis, medicinæ principia leuissime degustauit. Non supponit Hippocrates eo loco manifestam corporis plenitudinē, quam antea sensibiliter vacuauit, sed an aliqua adsit adhuc occulta, vt experiretur, fomentis vtitur, vt adnotauimus in explanatione loci illius. Amplius deceptus est, cum dicit, cucurbitulas vicem gerere phlebotomiæ: nam quamuis hoc veritatem habeat aliquando, semper tamen habere veritatem falsum est; nam si ita contingit, cur quęso prętermissa venarū sectione ad hoc pręsi-

dium

dium tutissimum non semper confugimus. Audi, quid loquatur hac de re Cornelius Celsus libro secundo suæ medicinæ: Idq; auxilium vt minus vehemens, ita magis tutum: neq; vnquam periculosum est, etiamsi in medio febris impetu, etiamsi in cruditate adhibetur. Ideoq; vbi sanguinem mitti opus est, si incisa vena, præceps periculum est, aut si in parte corporis etiam vitium est; hinc potius confugiendum est. Cum eo tamen, vt sciamus, hic vt nullum periculum, ita lenius præsidiū esse; nec posse vehementi malo, nisi æque vehemens auxiliū succurrere.] Hæc ille. Quod vero admonet citius, quam fieri possit debere Medicum propulsare morbos, id sane non habet apud me difficultatem, sed ex hac re non colligit propositum: quia impossibile est cito ægrotantem sanari illum, in quo curando remedia suum non habent ordinem: tunc enim opus, prorogari morbos, vel etiam non bene terminari. Erat præterea, cum statuit non esse adhibendam vacuationem totius corporis, vbi particularis adfuerit plenitudo, vt in oculo, aut cerebro: quandoquidem cur præcepit Galenus non esse frontis venam aperiendam, nisi prius venam secauerimus exteriorem cubiti? cur præterea in phrenitide, quæ frequentissime fit, citra vniuersalem corporis plenitudinem reuulsiuis præsidiis vtimur? Cur in angina? pleuritide? nephritide? nam, vt hoc admittam cum plenitudine, quo ad vasa, & quo ad vires affectus generari; ambigere tamen non possumus, quin citra plenitudinem fiant. & cum hoc modo gigni contigerit, expedit vti remediis vniuersalibus, vt possimus impedimento esse, ne augeatur inflammatio fluente sanguine copiosiori propter loci calorem, doloremque, ac illius imbecillitatem recipientem, nec remittentem ad aliam particulam humorum confluxum. Postremo, quod asseruit, loqui Galenum de vsu cucurbitularum supra locum affectum: nos quidem quamuis rem sic habere sciamus, non est propterea quin debeamus vniuersalium theorematum obliuisci, quæ admonent non debere nos particularibus vti remediis non præmissis vniuersalibus.

CAP. XIX.

Propria authoris opinio de vsu cucurbitularum ante totius vacuationem.

QVAMOBREM, quoniam nobis parum satisfacit Valleriola, doceamus quid pro rei veritate circa propositam disputationem dicendum sit. Primum itaq; dico, esse aliud quærere, an aliquando vtendum sit cucurbitulis sine vniuersali vacuatione; aliud vero, an ante vniuersalem vacuationem: prior enim quæstio inquirit, an solitarie, vbi euacuandum est corpus, aliquo in casu sufficiat vsus solius cucurbitulæ; secunda vero, an vbi necessitas adfuerit vtriusque remedii, venæ sectione, & purgatione, cucurbitulæ debeant præcedere: & quamuis nostra disputatio hoc postremum caput respiciat, ego tamen de vtroq; transigam, cum constituerim, omnia, quæ de cucurbitulis dici possent, hac tractatione dilucidare. Quantum itaq; ad primū attinet; dico multos esse casus, in quibus cucurbitulis vti possumus nulla præcedente totius corporis vacuatione: Primus est, cum indicatio viget, flatuosum spiritum in aliquapiam parte contentum discutere: nullum enim est remedium, quod possit vires habere validiores pro discutiendo flatu. quandoquidem hoc ipsum auxilium incantamenti instar, vt Galenus libro duodecimo Meth. admonuit operatur. Igitur, aut colo intestino, aut ventriculo propter flatum dolente, vel alia particula palpitante, frustra quidem tentamus vel sanguinis, vel alterius humoris vacuationem; sed statim proxima causa sic indicante, accedere debemus ad ea, quæ flatum potenter dissoluunt. Secundus casus est, cum propositum fuerit, altiores partes infestantem tumorem ad superficiem corporis attrahere: nam totius plenitudo adiuuat multum pro hoc vsu: quoniam simul cum sanguine, aliisq; humoribus, attrahitur tumor maiori facilitate, quam si esset ab horum copia exinanitum corpus: tunc enim non facile cederet tumor. Adde his tertio, quod quando luxatum ali-

quod membrum reponere ſtudemus, iudicabimusq́; cucurbitulas nobis adiumento futuras, neq; tunc conuenit purgare, aut ſanguinem mittere, anteaquam illis vtamur; quia quanto citius luxatum reponimus membrum, tanto melius. Præterea cum plenitudo adeſt per vniuerſum corporis habitum exigua, quam neq; inedia, neq; frictionibus, neq; balneis emendare ſit tutum, tunc ſcarificata cute poteſt optime ſubueniri: ſi autem plenitudo fuerit à tenuiore ſanguine, poterit cucurbitulis cum ſcarificatione euacuari; neq; mirum videatur, ſi plenitudinem exiguam cucurbitulis curari poſſe dixerim, cum Galenus paſſim cum Hippocrate doceat, morbis proportionata deberi remedia, hacq́; de cauſa plenitudinem non ſemper poſtulare miſſionem ſanguinis, vt lib. 1. & 2. huius tractationis docuimus; præſertim vero quod idem author ſtatuerit, pleuritidem aliquando ſanari citra hoc remedium. Itaq; eſſe poteſt plenitudo exigua, quæ duntaxat ſcarificatis cucurbitulis emendetur. Quam rem potiſſimùm in mulieribus, quæ non purgantur ex vtero, contingere obſeruamus, in quibus crurum ſcarificationem ſatisfacere, Galenus commemorat. Poſtremus eſt, cum nobis non liceat ſanguinem mittere (poſtulante tamen morbo remedium) propter corporis habitum; vt quod ſit rarus & facile diſſlabilis, quod venas habeat exiguas: tunc cum habeat corpus inſitam aliquam à natura vacuationem: aliam ex arte, quæ affatim, multumq́; vacuet, adhibere non expedit. Quam ob cauſam ad ſcarificationem accedimus per cucurbitulas: ſic Galenus mulieribus candidis, quarum tenues & exiles ſunt venæ, quæve diſſlabilem & rarum habent corporis habitum, vbi menſtrua expurgamenta retinentur, ad crurum ſcarificationem multo accedit, quam ad venæ ſectionem, libentius. Sic nos pueris, in quibus ex vena ſanguinem mittere non poſſumus, cucurbitulis vtimur ingenti illorum commodo. Hic ille eſt cucurbitularum vſus, qui ſolus phlebotomiæ vicem gerit: alii autem minime. Quoniam, vbi propoſita eſt vniuerſalis vacuatio (ſic voco, in qua omnes partes ſanguinis vacuantur) nullus eſt cucurbitularum vſus, qui hoc præſtare poſſit: leues quidem nunquam id præſtabunt: quia non ſanguinem, ſed tenuiorem auram ſpiritumque diſcutiunt: ſolæ ſunt ſcarificatæ cucurbitulæ, quæ id faciunt. Sed animaduertendum eſt hoc loco dici vicem gerere phlebotomiæ in hunc ſenſum, quia ſcilicet euacuent ſanguinem, quem ſimiliter vacuat venæ ſectio, & quia eiſdem morbis & affectibus prodeſſe videmur, minori tamen efficacia: quodque vbi non poſſumus phlebotomiam adhibere, eius loco illis vtimur. Volo huic poſtremo vſui alium etiam addere, in quo expediet vti cucurbitulis, & non vniuerſaliori vacuatione. Eſt autem cum contingit, operarios quoſdam in vna duntaxat particula laſſitudinem pati ſine aliqua corporis plenitudine, aut ſanguinis, aut malorum ſuccorum, quæ laſſitudo ab externis illis laboribus ducat originem: dum ego Ciuitanouæ Medicinam facerem, obſeruaui quoſdam muneri ſalis ex nauibus ad littora exportandi deſtinatos; (vocantur illorum lingua Baſtaſii) qui quotannis vere ineunte patiuntur propter pondera ſalis, laboresq́; præteritos, in humeris laſſitudinem & grauitatem inſignem. Hi nullo alio ſolent remedio tutiſſime curati, quam ea parte ſcarificatis cucurbitulis: potiſſimum vbi profundior adhibetur inciſio. Et mirum eſt, quanta facilitate ab eadem liberentur grauitate.

Cap. XX.

Vbi indigeamus vacuatione totius, & cucurbitulis, illam continuo præcedere.

Diximvs, quibus in caſibus vti poſſumus cucurbitulis ſine vniuerſali vacuatione; de altero nunc rerum capite tranſigamus. Vbi vtroq; indigemus auxilio; dicimus, ſemper vniuerſaliora præſidia præcedere debere particularia; ſic quidem ſtatutum eſt ab omnibus Medicis, nunquam remediis localibus vtendum, niſi vniuerſalia præcedant; ſed aliis prætermiſſis, hoc, de quo loquimur, auxilium; nunquam debet exerceri, niſi tum ſanguis miſſus fuerit, tum cor-

pus à vitiosis humoribus expurgatum, cuius rei causa est, quia vim habet attrahendi, vbi plenum fuerit corpus, attractio multo erit maior, quam vacuatio humoris attracti; hinc nos affectum deteriorem faciemus. Pone, debere nos illis vti, vt sanguis in phlegmone contentus vacuetur, quæ res fit incisa scalpello cute; si corpus aut sanguinis copia laborat, aut malorum succorum abundantia, tantam faciemus ad affectam sedem attractionem, quantam vacuare non poterimus; hacq; de causa imminebunt non mediocria ægrotanti pericula. Pone rursus nos vti cucurbitulis pro reuulsione, dicimus fieri non posse reuulsionē; quia vel fluunt vitiosi, maliq; humores, vel sanguis per venas ad inflammationem accedit. Si mali humores sunt reuellendi medicamento purgante, vt diximus libro 3. Methodi purgandi. Si sanguinis; à venis reuellendus est: quod non fit statim nisi secta vena: nam cute scalpello incisa, vt admittam fieri id posse aliquando, segnius tamen aduenit auxilium, quam morbi conditio, & ratio fluxionis exigat. Sed quia satis de proposito diximus negotio, ad aliorum explicationem accedamus; inprimisque doceamus, quas partes, & quos humores euacuent. Quantum ad partes, quibus applicantur, attinet, sciendum est, fere nullā existere, in qua vrgente necessitate applicari non possint: hic docebo duntaxat, quid clarissimi Medici de illarum vsu secundum diuersitatem partium tradiderint.

CAP. XXII.

Quibus partibus, & propter quos vsus conueniat applicari cucurbitulas.

CAPITI apponuntur à Galeno pro lethargo & phrenetide corrigendis, vbi vterq; affectus inueterauerit 13. Meth. cap. vigesimoprimo, qua vero parte capitis applicandæ prætermissum a Galeno declaratur à Paulo Ægineta, libro tertio, capitulo 12. his verbis: Postea cucurbitulas occipitio agglutinare, partim leues cum multa flamma: partim cum scarificatione. Aetius vero sect. 6. capitulo tertio inquit: Postea cucurbitulæ occipiti applicandæ cum plurimo igne; circa primam inquam secundamq; vertebram, sanguisque è posteriori capiti auferendus.] hic nescio videre, quid sibi velit Aetius; nam pars, vbi prima & secunda committitur vertebra, occipitium non dicitur, vt satis superque constat. Aduerte, quod idē author admonuit libro tertio, capitulo 20. Capiti (ait) intempestiue apposita lethargos, & stupidos sopores, & oculorum prolapsus afferti; quod si bona fortuna euenerit, vt hæc mala euitentur, non euadentur omnino, quin diuturnus aliquis morbus capiti addatur.] in quibus verbis nō refellit simpliciter vsum cucurbitularum in capite, sed intempestiuum. Auicenna, qui de hoc negotio post Græcos omnes scripsit admodum diligenter: de cucurbitulis, quæ applicantur in anteriore parte capitis sic inquit: Plurimi autem hominum abhorrent ventosas in anterioribus capitis apponere; & reperiunt in hoc sensum, & intellectum impediri.] de illis autem, quę ponuntur in occipitio, meo iudicio, meminit, cum faciat mentionem illarum, quę applicantur supra nucham, & alias partes colli, vt infra explicabimus. Propterea dicendum per occiput intellexisse Auicennā cum Aetio partē, in qua prima, secundaq; colli vertebra inhęret. Ex his ergo, quę diximus, colligamus, quod pro lethargo & phrenitide capiti cucurbitulæ apponi possunt. Sed hic duo quæruntur: primum, an hoc sit conueniens: secundum, an in occipite, an in syncipite applicandæ sint. Prima quæstio duas habet partes: vna est de phrenitide: altera de lethargo. Respondeo primum de phrenitide: Quod mirum videtur mihi; declinantem phrenitidem hoc remedio iuuari posse: nam primum difficile, si non impossibile videbitur; quod possint attrahere sanguinē a substātia cerebri, & vacuare tot partibus densissimis, durissimisq; intercedentibus: adest cutis crassissima, cū subiacenti carne, cum pericraneo, atq; os ipsum cerebrum ambiens. Et magis videtur admirandum, quod eo tempore sanguis in phlegmone contentus crassus est: quomodo igitur poterit à cucurbitulis vacuari: quæ, vt infra explicabo, tenuiorem

vt plurimum sanguinem educunt? adde, quod violenta videtur mihi eiusecmodi attractio: nam parum videtur conueniens, vacuari illũ per superiores partes, cum propter grauitatem aptius multo per inferiores educi consueuerit, vt per sanguinis fluorem ex naribus, vt non raro obseruatum est à nobis. Itaq; in phrenetide hoc remedium, vt parũ vtile prætermitterem. Quantum vero ad ipsum lethargum pertinet, propter easdem causas difficile est videre, quomodo possit auxiliari: nam si crudus, & viscidus est sanguis, quem facere lethargum dicunt, vtique à cucurbitulis, quæ sanguinem euacuant cutaneum, emendari non poterit: atq; eo minus poterit emendari, quo magis in profundiori parte contineretur: nam si in pericraneo contigisset cumulatũ humorem fuisse, vtiq; posset remedium vacuare illum, ac discutere; quamuis non sine difficultate: sed cum contineatur sub osse ipso capitis, & sub membranis ambientibus cerebrum, non possum persuaderi, quomodo vtilitatem hoc afferre possit præsidium. Sed si pro lethargo sine scarificatione adhibeantur, ego sane, quamuis negare nõ possum, cucurbitulas flamma copiosa adhibita vim habere excalefaciendi, tamen, quia excalefaciendo vacuantur spiritus, fit quod illa intemperies calida temporis tractu in frigidam transmutetur. Hæc mea sententia est circa propositum negotium: quicquid sit ab admirabili Galeno dictum.

Sed pone illarum vsum conuenire, quæritur, qua parte capitis applicandæ sunt. Ex Galeno dictũ nihil desumitur, quod huic difficultati lucem afferre possit. Ego tamen dicam probabiliter, quod mihi videtur. Pro phrenetide, in qua humorum tenuiorem vacuationem desideramus, non esset abre arbitrari in anteriori parte capitis, tanquam in laxiori appositas fuisse cucurbitulas: ratio vero, qua pro hac re comprobanda vti soleo, est; quia ea in sede pro humoris vacuatione applicandum est remedium; qua in sede pro eiusdem repercussione adhibetur; sed dũ volumus humorem repellere in syncipite oxyrodinum adhibere consueuimus: ergo in eodem loco discutientia adhibenda sunt. Videtur mihi hæc ratio plurimum efficax: & cum hoc persuadeam mihi, causam videre non possum, propter quam tum Aetius, tum Paulus in occipite vtendum cucurbitulis consuluerunt; nam de phrenitide agens Aetius inquit: manente vero facie post sanguinis missionem tumida, & rubra, cucurbitula occipiti applicata mediocribus vnctionibus cutim scarificato, & circa libram sanguinis demito.] Paulus vero sic ait. Deinde si cucurbitulas leues, aut cum scarificatione, tũ his ipsis (scilic. hypochondriis) tũ occipitio, & spinæ accommodabimus.] Neq; possunt satisfacere dubitationi dicentes, remedium consuluisse illos pro reuulsione, non pro vacuatione: nam Galeni verba ostendunt contrarium: nam vult adhibendum esse auxilium, quo tempore fuerit affectus inueteratus; at vero tunc omnium Medicorum iudicio non conueniunt neque reuellentia, neq; repellentia præsidia, quæ conueniunt morbis duntaxat inchoantibus. Deinde vero horum auctorum verba faciunt satis superq; manifestum, non pro reuulsione, sed pro vacuatione fuisse adhibitum præsidium. Nam Paulus parum supra dixerat. Porro, si longior fuerit, & contumax affectus ab iis, quæ soporem accersunt καρωτικὰ Græci appellant, abstinendum. Ea vero quæ digerendi facultatem obtinent capitis perfusionibus miscenda, scilicet menthæ succus; vel serpilli, vel calamenti, vel rutæ.] sed præstat hoc in loco Galeni afferre verba, quæ totum negotium explicare dilucidissime videntur. Ab his vero sternutamentis etiam vtemur; tum capiti similes profusiones imponemus, adaucta semper etiam eorum ad ipsum vsque sinapi vehementia, si vitium diu trahat. Quinetiam cucurbitulis ad vtrumque vitium, si diuturnum sit, vtemur: itemq́ue castoreo: quippe quod ipsum probe concoquit, si debito tempore sit adhibitum. &c.] Hæc verba faciunt satis superq́ue manifestum cucurbitulis vtendum esse eo tempore tam in lethargo, quam in phrenitide, quo tempore viget indicatio digerendi humorem iam confluxum, non quo viget reuulsio fluentis. Ergo si verum est, vt arbitramur, quod eodem loco digerentia præsidia, quo repellentia adhibenda sunt, concludendum est Paulum, & Aetium toto aberrasse cœlo, qui

ve am

veram sedem prætermittentes duntaxat occipitium elegerunt. Modo respondeamus ad Auicennam, qui ait: Plurimi autem hominum abhorrent ventosos in anterioribus partibus capitis apponere; quia repetiunt in hoc sensum & intellectum impediri.] Nam diximus, quod quemadmodum faciunt satis manifestum eius verba, ex aliorum opinione loquitur: & pone etiam, quod ex propria sententia mihi cum Græcis iunioribus parum satisfacit: admirorque plurimum, cur abhorreat præsidium, cum passim Arabum omnis familia in syncipite, futura potissimum coronali cauteria adhibere consueuerint. De proposita difficultate satis.

Diximus de anteriore parte capitis, reliquum est modo, vt dicamus de cucurbitulis, quæ occipitio, & summitati capitis affiguntur. Prosunt hæc, si Aetio, & Paulo credimus, vertigini, lethargo, phrenitidi; conferunt stoliditati, & amentiæ, vt inquit Auicenna: oculorum morbis conferunt, vt scabiei, pustulis, & egressioni vueæ. Suffusionem aliquando iuuant, aliquando minus. Addit Rhasis vigesimooctauo continentis tract. secundo, capitulo primo, quod canos ipsos retardant. Cæterum vsus admodum frequens nocet cerebro; quandoquidem stupiditatem, obliuionem, malasque cogitationes, aliasque circa cerebrum ægritudines permanentes faciunt. Ipso in collo tres sunt loci, in quibus apponuntur cucurbitulæ; pars colli superior; quæ scilicet statim caput cum collo connectit, pars inferior, qua collum furculæ connectitur, & media. Superior scarificatur, vbi adfuerit capitis tremor ex multitudine sanguinis in posteriori parte cerebri, vel circa nuchę initiũ opprimentis virtutem motiuam, & impedientis transitum spirituum motiuorum ad musculos, à quibus caput mouetur. Applicantur præterea in affectionibus partium capitis pro deriuatione, vt in tumoribus, pustulis, vel vlceribus, aut scabie, vt rubore fœdo, vel dolore faciei, dentium, mandibularum, aurium, oculi, gulæ, & nasi. Addit Auicenna, quod vices gerit phlebotomiæ cephalicæ. Mediæ parti adhibemus auxilium, vt superciliorum, ac palpebrarum grauitatem ex sanguinis abundantia, corrigamus: oculorum scabiei conferunt causam reuellendo, & oris fœtorem emendant, si Auicennæ credimus, locumq; communis venæ eiusdem autoritate videtur tenere. Quæ vero adhibetur posteriori parti colli interioris venæ partes exæquat: humerorum doloribus, euacuando, gulæq; affectionibus reuellendo prodest. Verum, cum præmeditatione accedendum ad cucurbitularum in his locis appositionẽ, ne ex multitudine humorum, qui attrahuntur ad eos locos, neruosę partes patiantur. Sub mento applicari cucurbitulas docuit Auicenna propter multiplicem vsum. Primus est in dentium affectionibus, ex subtili sanguine, vel acuto humore radices dentiũ opprimente, vel imbibente, vel corrodente, quem sibi attrahunt cucurbitulæ: sicque ab affecto loco reuellunt, & euacuant. Secundus vsus est in morbis faciei, vt in rubedine illa continua nasi, faciei totius, impetigine, serpigine, pustulis, quas vulgo vocant coxos: nam fœdum, & corruptum sanguinem vacuantes maxime prodesse dicuntur. Tertius est in tumoribus gutturis, vt in synanche, vel in inflammationibus amygdalarum: nam ad extrinsecas partes attrahit sanguinem tenuem, à quo fit morbus. Quartus pro mandibulis, & capite ab humorum tenuium multitudine exoneranda, adhibentur. De his quidem legito, quæ scribit Razis septimo ad Almansorem. Auribus applicantur sine scarificatione, vt saniem in eius cauitate contentam, & sanguinem in grumos conuersum vacuemus. Pone aures apponuntur, vt extrinsecus attrahamus parotidam, quæ segniter educitur à natura. Inter duas spatulas multis de causis applicari solent. Nam prosunt morbis sanguineis pectoris: prosunt conuulsionibus attrahendo sanguinem, & calorem naturalem ad locum affectum, vt inquit Paulus: adhibentur etiam pro vacuatione humorum, qui in ea sede continentur, vt supra declaratum est a nobis. Cum vero adhibentur renibus, non mediocres vtilitates afferunt. Primo iuuant in tumoribus, pustulis, scabie, atque pruritu coxarum. Nam humorem reuellunt fluentem, simulq; fluxũ attrahentes euacuant. Sed hic dubitaret aliquis pro

vſu hoc non licere apponere cucurbitulas renibus: nobiliores autem ſunt renes, quam coxa; dicimus, quod non fit ad ipſorum renum attractio, ſed ad muſculos extrinſecos, qui renibus ſuprapoſiti ſunt. Secundus vſus eſt in podagra; nam ſi à ſanguine bilioſo ac tenui fluxio fiat in articulos pedum, opus eſt, vt hic reuellantur ad partes oppoſitas; quandoquidem à propriæ fluxionis origine fieri vacuatio videtur. Proſunt præterea hæmorrhoidibus, cum nimium fluxerint, vacuato ſcilicet tenuiori ſanguine, qui fluxionis facilioris eſt cauſa; quamuis magis prodeſſent inter duas ſpatulas propter longiorem diſtantiam. Hypochondriis adhibentur ad ſanguinis fluorem reuellendo, ſiue ab vtero, ſiue a naribus fluxiones fiant, idem præſtant mammillis appoſitæ. Sed non debent applicari in ipſa ſubſtantia mammillarum, vt Paulus, Oribaſius, & Auicenna docuerunt, ſed ſub ipſis mammillis; ita enim tutior fiet earum operatio. Ventri & ſtomacho pro flatuoſo ſpiritu diſcutiendo applicantur, & in omnibus partibus, in quibus flatuoſum contineri ſpiritum coniectabimur. In anteriori parte coxarum adhibentur, vt ab vtero ſanguinem attrahant, ſed non ſcarificantur: conferuntq; apoſtematibus teſticulorum ſanguinem reuellendo, & ſemel vacuando. Iuuant præterea vulneribus coxarum inueteratis, in quibus aliquam facere attractionem ſanguinis expediet. In poſterioribus coxarum proſunt earundem partium inueteratis tumoribus, à quibus vacuationem ſanguinis facile deſideramus, & proſunt pariter vlceribus antiquis, vt pruritui & ſcabiei illius loci. Tibiis vero & poplitibus adhærent propter multiplicem vſum: primum, ob tumores inueteratos ſanguinem corruptum vacuando; deinde, tenues atq; calidos humores in iis locis contentos euacuant, menſtruumq; ſanguinem prouocant; idcirco non parum dicuntur prodeſſe, vbi retenti fuerint menſes. Natibus adhibentur pro reuulſione earum affectionum, quæ ex fluxione in ſuperioribus partibus generantur; pro vacuatione humorum, qui in illis ſedibus, vel inueteratos tumores, vel ſcabies, vel pruritus antiquos generant. Hæc quidem de iis partibus, in quibus cucurbitulæ ponuntur, & de illarum vſu breuiter dixiſſe ſufficiat: quæ tamen, quo rem gratiorem iunioribus Medicis faciam: hac figura aliorum conſuetudine breuiſſime ob oculos ponere conſtitui.

Cucur-

Cucurbitulæ affixæ

- 1. *In anterioribus partibus capitis*
  - *Pro sanandis phrenitide & lethargo desiderantur à Galeno.*
  - *Sensum & intellectum stupefaciunt, ex Auicenna.*
- 2. *In vltima parte colli prosunt*
  - *Doloribus humeri & gutturis.*
  - *Morbis thoracis à sanguine.*
  - *Dicuntur ab Auicenna vicem gerere phlebotomia basilicæ.*
  - *Debilitant os ventriculi,* — *Ex Auicennæ sententia.*
  - *Generant tremorem cordis,* — *Ex Auicennæ sententia.*
- 3. *In media parte colli applicatæ prosunt*
  - *Grauitati superciliorum.*
  - *Palpebrarum grauitati, & tumoribus.*
  - *Scabiei oculorum.*
  - *Fœtori oris.*
  - *Sunt vicaria venæ communis,* — *Ex Auicennæ sententia.*
  - *Obliuionem inducunt,* — *Ex Auicennæ sententia.*

4. *In suprema parte colli prosunt*

- *Tremori capitis,*
- *Membris capitis,*
  - *prosunt*
    - *Dentibus.*
    - *Gingiuis.*
    - *Oculis.*
    - *Naribus.*
    - *Ruboribus faciei.*
- *Vicem gerunt cephalicæ,*
- *Inducunt tremorem capitis,*
  - *Ex Auicenna.*

5. *In humeris*

- *Pro morbis thoracis à sanguinis fluxione expetuntur.*
- *Conuulsioni à sanguine.*

- *Debilitant stomachum,*
- *Inducunt tremorem cordis,*
  - *Ex Auicenna.*

6. *Super occiput & summitatem capitis prosunt:*

- *Vertigini.*
- *Amentiæ.*
- *Morbis oculorum.*
- *In suffusione sunt ambigua.*
  - *Scabiei.*
  - *Pustulis.*
  - *Egressioni renæ.*
- *Tardant canos ex Razi, ex Auicenna vero in hoc sunt ambigua.*
- *Nocent plurimum cerebro generantes obliuionem.*

In men-

7.
In mento
- *Mundificant mandibulas & caput.*
- *Prosunt*
  - *Faciei*
  - *Dentibus*
  - *Gutturi*
  - *Morbis antiquatis.*

7.
In hypochondriis adhibentur pro fluore sanguinis compescendo, siue ab vtero, siue à naribus.

8.
In renibus iuuant pro sanandis
- *Tumoribus & pustulis coxarum.*
- *Scabiei.*
- *Podagra.*
- *Hæmorrhoidibus.*

9.
In coxis, parte
- *Anteriori, & prosunt*
  - *Apostematibus testium.*
  - *Vulneribus earundem partium.*
- *Posteriori, prosunt apostematibus narium.*

10.
In poplite prosunt morbis vteri, menstruorum retentioni, morbis calidis illarum partium & vicinarum.

11.
In cruribus
- *Vicem gerunt phlebotomiæ ex Galeno.*
- *Mundificant sanguinem.*
- *Ab vtero vacuant.*

12.
In natibus prosunt
- *Reuellendo superiorum partium affectus.*
- *Vacuando earundem affectus.*

Cap. XXII.

Cucurbitulæ quem sanguinem vacuent.

NVnc autem discutiamus, quem sanguinem euacuent cucurbitulæ. Omnes in hanc opinionem veniunt, euacuari sanguinem tenuiorem, pro huius tamen opinionis declaratione sciendum est, proprium cucurbitularum esse, vacuare sanguinem cutaneum: neq; enim euacuant à profundioribus corporis partibus; quoniam vèro in ipsa superficie vt plurimum tenuior sanguis, quam in maioribus venis, & profundiore parte corporis continetur, hinc fit; communem esse omnium opinionem, tenuem sanguinem vacuari à cucurbitulis. Verum si forte fortuna contigerit aliquempiam humorem crassiorem circa cutis superficiem contineri, vt in hominibus scabiosis contingit, aut etiam in tumorè in scirrhi naturam, si non penitus, maiori tamen ex parte transmutato, ac degenerante, tunc quidem sciendum est posse etiam pariter cũ tenui sanguine crassiorem vacuari. Hinc igitur statuamus vacuari sanguinem subcutaneum, quicunq; in ea regione constiterit, primũ tamen, ac præcipue sanguinem tenuem. Sed si cucurbitulæ citra scarificationem adhibentur, tunc sane vacuatur admodum potenter flatuosus spiritus, si contigerit illius copiam reperiri in subiecta sede: Sin minus spiritus ipsi vacuantur, vtiles; qui semper siue cum flatu, siue sine flatu vacuantur, & non solum à scarificatis, sed etiam ab iis, quę adhibentur, sine scarificatione. Postremo quæritur an in febre pestilenti vtendum sit cucurbitulis nec ne? Pro quæstionis propositæ dilucidatione sciendum est, duplicem esse quæstionis sensum, vnus est, an in febre pestilenti semper vti debeamus cucurbitulis sanguinis missione prætermissa. Alter sensus est, an in pestilenti febre apparentibus exanthematis illis, quæ vulgo petechiæ nuncupantur, semper cucurbitulis vtendum.

Cap. XXIII.

An in febre pestilenti cucurbitulis non sanguinis missione vtendum sit.

QVANTVM ad primum pertinet, quidam sunt, qui dicunt nunquam in febre pestilenti sanguinem esse mittendum, quia cum à maligna, & venenosa fiat materia, vires redduntur maxime imbecillæ, neq; ferendo sunt missionem sanguinis, atq; hac de causa siue cum exanthematum illarum præsentia, siue illis absentibus loco phlebotomiæ, scarificanda esse crura, aut cutem alterius cuiuspiam determinatæ partis, quæ tantundem possit. Hæc opinio mihi non satisfacit, quoniam, quemadmodum diximus in libro de pestilentis febris curatione, pestilens affectus potest optime ferre missionem sanguinis: estq; admodum absurdum prætermittere generosum hoc auxilium, vbi totius corporis adfuerit plenitudo; qua cum vel vniuersali, vel particulari contingere non infrequenter pestilentem febrem obseruauimus. Cæterum, si ex malorum succorum vitio deduxerit originem affectus, nec aliqua immineat plenitudinis futuræ suspicio, vtiq; tunc à sanguinis detractione secta vena abstinerem; cucurbitulis vero non semper vterer, sed tunc potissimum, cum reuellere oporteret fluentem ad præcipuam partem succum, aut saltem cum ex bubone, aut aliquopiam pestilenti venenatoq; tumore omne virus remouere, atq; extrahere fuerit consilium: aut saltem alia viguerit indicatio ex iis, quæ nos supra declarauimus. Sed hæc alibi plenius exposita non postulant hoc loco copiosiorem explanationem.

Cap. XXIIII.

An cucurbitulis vtendum in publicari morbo.

QVOD vero pertinet ad secundum, animaduertendum est duas esse Medicorũ opiniones: vna, quæ asserit semper in omni pestilenti febre publicari morbo apparente, vtendũ cucurbitulis citra scarificationem: opinionis funda-

men-

mentum est, propositum esse à nobili, præcipuaque parte humores retrahere ad ignobilem, vilemq́; : nulla est nobilior quam sit cor, & in vniuersum interna viscera: nulla ignobilior, & vilior, quam cutis. Adde quod Methodus medendi hoc postulat, vt maligna, & venenata materia attrahatur potius ad cutẽ, quam quod internis in partibus coercita violenter contineatur. Hoc moti consilio illis apparentibus ad cucurbitulas statim accedunt tanquam ad sacram anchoram. Alia est opinio, quæ distinguit hoc modo: exanthemata vel apparent motu quodam symptomatico irritata natura, vel critico motu; symptomatis igitur ratione apparentes papulæ non postulant cucurbitulas: sed potius curandum est omni opere ac diligentia, vt ad propriam originem retrocedant. Aliæ vero cucurbitulis appositis, atq; illis etiam per vniuersum corporis habitum frequentissimis, prouocandæ sunt. Scio hanc opinionem clarissimis quibusdam Medicis placuisse. Neutra tamen opinio, mea sententia, veritatem habet. Non prima, quia vbi natura optime sese exonerat à multitudine peccantium excrementorum, non est opus irritare illam, atq; aliquid mouere circa actionem illius: recte enim præcepit Hippocrates in Aphorismis, nihil mouendum, nec irritandum, sed sinendũ. Adde, semper debere vires validas conseruari, vt possint vsq; ad statum perdurare, atq; morbum superare: nihil æque facit virtutem imbecillam ex immoderata vacuatione spirituum, quam illas innumeras apponere cucurbitulas: hac de causa maxime suspectum eiuscemodi remedium videtur. Postremum, vbi statim à morbi apparuerint priucipio, quo tempore nihil recte mouere naturam cognoscimus, absurdum est malos illos motus adaugere, & naturam male operantem imitari. Neq; rursus secunda placet opinio: primum, quia non est verum, sympromaticos omnes motus inhibendos, atq; ad suam originem retrahendos, vt diximus in epistolis medicinalibus, & alibi sæpe. Nam expedit aliquando adiuuare illos, aliquando nec adiuuare, nec impedire, vt accidit in proposito casu. Cum enim materia maligna sit, quis illam ad originem nempe ad cor ipsum & ad viscera reuocabit? quæ enim iam effluxit virulentia, aliquid afferre non porest incommodi: præterea non est vtile tot cucurbitulis afficere corpus, quia vires maximam ex illis imbecillitatem acquirunt. Quid igitur dicendum? Primum quod symptomatice apparenribus illis, nec retrouocandæ, nec prouocandæ sunr, sed sinendum naturam sic operari. Aliud vero statuendum est, si perfecta crisi apparuerint, nihil mouendum, si imperfecta, adiuuanda est per eam regionem, per quam tentat: id autem duobus fit modis, vno cucurbitularum vsu valida existente virrute; alio modo linimentis quibusdam ad cutim trahentibus, neq; tanta vehementia spirituosam dissoluentibus substantiam. Quorum meminimus in libro de febribus. Et hæc de cucurbitulis.

CAP. XXV.

De scarificatione.

CÆTERVM propter varios vsus adhiberi solet scarificatio, quos omnes Galenus recensuit libro de hirudinibus, cucurbitulis & scarificatione, quem postea fere ad verbum imitarus est Oribasius. Adhibetur primum, vt humores reuellamus; deinde vt euacuemus. Capite fluxione tentato scarificamus crura. Purgatione menstrua non fluente scarificatione vtitur in eisdem partibus, præsertim si mittere sanguinem non liceat ob gracilem corporis habitum, venasq́; exiles, sanguinisve tenuitatem, ac facilem spirituum dissolutionem, tunc post illarum partium frictionem, ac fotum ex calente spongia, scarificantes adiuuari solet sanguinis suppressi ex vtero vacuatione; sunt etiam, qui fessa hirudine percutiunt antea locum scarificandum, eo potissimum consilio, vt maior fiat sanguinis attractio. Prodest etiam retento sanguine ex mariscis fluere consueto eadẽ diligentia scarificare ctura. Vbi prætcrea materiam in phlegmone contentam vacuare in animo fuerit, eadem amplius non fluente ad locum fit scarificatio phlegmonis: in hunc modum prohibemus suppurationem, vt declaratum à

nobis fuit in commentariis ad ſecundum librum Galeni, de ratione curandi ad Glauconem, multoq; magis id fieri debebit à nobis, ſi phlegmon induretur, ita vt periculum immineat, ne in ſcirrhi naturam terminetur: vbi vero factus iam fuerit ſcirrhus, cautius ſcatificandum, ne tenuiores partes diſſolutæ, craſſiores in phlegmone relinqnantur, tunc expedit emollire prius, mox tum inſenſibiliter, tum ſenſibiliter diſcutere. In tumoribus vero à flatuoſo ſanguine procreatis vtilior ſcarificatio eſt. Porro maxima vtilitas eſt huius remedii, quando aliquam materiam acerrimam & venenatam vacuare conſilium fuerit. Idcirco in bubone peſtilenti, in anthrace, in gangræna, in morſu venenatorum animalium, vt canis rabidi, phalangii, ſcorpionis, viperæ, aliisq; id genus affectam partem ſcarificare citiſſime debemus. Quoniam, vbi virus ipſum iam penetrauit altiores partes, nullum tunc habere locum poterit medicina, in his affectibus iuuat profundiores ſcarificationes facere, præſertim in gangræna, in bubone, & anthrace peſtilenti, in quibus etiam plures adhibere conuenit, quam in morſu animalium venenoſorum. Nam duplex indicatio eſt, quarum vna reſpicit venenatam materiam in loco contentam: alia vero, vt adiuuemus naturam ad eiuſcemodi expulſionem, ad exteriores partes. Profundior ſcarificatio materiam extrinſecus euocat, multo vero contentam magis euacuat. At in ictu venenati animalis non eſt propoſitum attrahere intus extra; cum nondum ſint interiores partes labefactatæ, ſed duntaxat prohibere, ne materia interiores partes inuadat, quæ res fit vacuatione illius ex affecto loco per ſcarificationes; idcirco neq; tam copioſæ, neq; tam profundæ conueniunt ſcarificationes. Adhæc vero antiquis vlceribus adeo eſt accommodata ſcarificatio, vt nihil pro ipſorum ſanatione vtilius exiſtat: cauſa enim, ob quam illa difficulter ſaneſcunt, eſt ſanguinis in vlcere contenti mala & pernicioſa qualitas, qua vacuata facile curantur, quemadmodum teſtatur Galenus lib. 4. Methodi, cap. 6. ex Hippocratis opinione, libro de vlceribus. Poſtremo vtiliter adhiberi ſolet eiuſcemodi remedium in pueris febribus ardentibus vexatis, vbi ſanguinem mittere ex cubito ſecta vena non liceat. Fit enim tunc vacuatio ſanguinis tenuis, qualis vacuari debet, ac etiam non magna ſpirituum diſſolutio, propterea ſoleo hoc in caſu, tum crura, tum etiam brachia & dorſum ſcarificare. Propter hoſce potiſſimos vſus ſcarificationem ſolemus adhibere. Sed iam tempus eſt, vt receptui canamus, cum omnia ſimus proſecuti ad propoſitam tractationem neceſſaria. Ad laudem & gloriam ſanctiſſimæ Trinitatis, quæ ſemper dirigat mentem, vocem, & calamum meum in viam ſalutis æternæ, & in vtilitatem proximi.

Die 26. Iunii, 1584. in Auguſta Taurinorum.
Anno meæ lecturæ ſexto.

Finis Libri decimi & vltimi de miſſione ſanguinis.

HORATII

AVGENII

A MONTE SANCTO,

IN GYMNASIO PATAVINO MEDICINAE THEORITICÆ PROFESSORIS PRIMARII,

DISPVTATIONVM DE RATIONE CVRANDI PER SANGVINIS MISSIONEM EX GALENI SENTENTIA,

LIBRI SEPTEM POSTERIORIS Tomi.

In quibus Nouatorum Medicorum nostri temporis dubitationibus respondetur, atq; omnia alio in opere vel obscurius, ac breuius tradita, vel prætermissa diligentius dilucidiusq; tractantur.

ILLVSTRISSIMO, ATQVE AMPLISSIMO SENATORI VENETO NICOLAO CVSSONIO.

Horatius Augenius è Monte Sancto S. D.

CVM sit animi ingenui, quod pollicitus fueris, aliquando præstare, cupiebam equidem, Vir Illustrissime, ab eo tempore, cum hanc nobilissimam Patauij Præfecturam sapientissime administrasti, disputationes has meas de sanguinis missione, quemadmodum promiseram, editas tibi legendas præbere: sed Librariorum quorundam incuria (ne rectius fortasse iniuriam dixerim) factum est, vt, quæ in eorum manibus diu fuerunt, & à me non nisi magna cum difficultate recuperari potuerunt, vix hoc tempore in lucem, & aspectum hominum productæ sint. Facta tamen istorum culpa editionis dilatione, non icciro, quod debebam, oblitus sum, easq; tandem aliquando typis impressas volui in eius nomine apparere, cuius maximæ benignitati me plurimum debere confiteor, quique pro sapientia sua optimum de ipsis ferre iudicium poterit. Ac in his quidem non negabo me à nonnullis præclarissimis viris sæpenumero dissensisse: sed tantum abest, vt id obtrectandi studio fecerim, vt vnius inuestigandæ, atque eruendæ veritatis desiderio adductum me esse profitear: pro qua summus Philosophorũ etiam sua cuique, nedum aliena euertenda esse placita pronunciauit. Itaq; neminem puto æquum rerum æstimatorem fore, qui non potius eam, quam secutus sum, quantum potui, modestiam probet, quàm audaciam culpet: & non potius id, quod feci, laudi, quàm vitio adscribat: cum præsertim, quemadmodum priuatorum inimicitijs multa in Republica corrigi dicebat Æschines: sic in literis quoque plurima literatorum hominum non inimicitijs quidem, sed modestis, & ab omni contumelia remotis dissensionibus corrigantur: Miror enim quosdam, alioquin viros grauissimos & clarissimos, haud non intelligere, haud non animaduertere, quod prudentissimè scripsit Marcus Tullius, differentium quidem inter se veritatis causa reprehensiones non esse vituperandas: maledicta vero, contumelias, iracundias, contentiones, concertationesque in disputando pertinaces indignas sapientis studio videri solere. Has igitur disputationes meas tu optime iudicabis: simulque patieris ornatas fuisse commendatione Illustrissimi nominis tui, qui qualis, quantusque sis, superuacaneum existimo ex

more laudantium, ne dicam assentantium, exprimere, cùm apertißimum, & notißimum illud sit, quod omnem superat laudis excellentiam, esse te Senatorem Venetum excellentißimum, tibique gradatim dari aditum ad altißimos omnes in Serenißima Republica dignitatis gradus, in quibus viri tantum probitate ac prudentia excellentes collocantur, qui non fuco, & fallacijs sibi hominũ animos, sed vitæ integritate, ac singulari sapientia conciliarunt. Quamobrem prætermißis laudibus, eius qui mauult digna laudibus efficere, quàm laudari, solummodo, vt benigno animo hoc meæ obseruantiæ in te argumentum accipias, meque in eorum numero habeas, qui tui sunt, amplitudinem tuam etiam atque etiam rogo. Vale.

AD EXCELLENTISSIMVM ILLVSTREMQVE MEDICVM,

D. HORATIVM AVGENIVM IN SCHOLA PATAVINA MEDICINÆ PRIMARIVM PROFESSOREM;

ANAGRAMMA:

Horatius Augenius Medicus; Iam Doctis auges vniuersum.

NVM satis est, venerande senex, tua scripta per orbem
Hactenus insueta nec sine laude legi?
Iam doctis auges AVGENI docte patentem
Orbem, ast augeri non tua fama potest.
Si Deus augeret mundum, tua fama volaret
Vltro, si plures conderet, aucta foret.

Aliud.

Horatius Augenius:

Vnus ægros visita.

VNVS vt ægrotos apto medicamine curas,
Inter semideos connumerande viros:
Sic iuuat vnus eos vt visas, aspice quantum
Congruat officio mox Anagramma tuo.

Aliud.

Horatius Augenius;

His noua virtus age.

HIS quibus est doctis scriptis spectatus in orbe,
Tamquam sol splendens his noua virtus age:
His quibus & merito datus alta primus in vrbe
Patauij locus est, his noua virtus age.
His quibus Empirea tandem venerabere in aula
(Hoc tua vult pietas) his noua virtus age.

Michael Ruberius Aueniorensis:

Ad Librum.

I. Liber, & doctus doctis voluendus adesto:
I. Liber, Indoctis dummodo clausus eas.

Ad Lectorem.

VIS tibi cum fluida doctrinam iungere lingua?
En liber iste recens hoc vt & illud habet.

INDEX OMNIVM DISPVTATIONVM.

Dispu-

Disputatio decima. fol. 482.

An in febre diaria ex obstructione genita à crassis viscidisque humorib. venæ sectio conueniat.

Summa disputationis decimæ.

In febre diaria, quam fecit obstructio ex multis crassis, viscidisque humorib. vel etiam in corpore plethorico, etsi a multitudine obstructio facta non sit, venæ sectionem cõuenire, alioquin esse maxime perniciosam.

Disputatio vndecima. fol. 504.

An pro vacuanda cacochymia sanguinis missione sit vtendum.

Summa disputationis vndecimæ.

Emittere sanguinem duntaxat ob euacuationem cacochymiæ, non licet, ob periculum magnitudinis morbi, aut præsentis, aut imminentis a sanguinis plenitudine proficiscentis, licet.

INDEX OMNIVM
CAPITVM HVIVS LIBRI.

Libri Primi Capita.

Index Capitum Libri secundi.

Index Capitum Libri tertii.

Index Capitum Libri quarti.

Index Capitum Libri quinti.

Index Capitum Libri sexti.

Capita disputationis septimæ.

Libri quinti Capita.

Libri Sexti Capita.

Disputationis nona Capita.

III. Quid

Capita Disputationis decimæ.

Libri Septimi Capita.

MICHAEL COLVMBVS IN HORATII AVGENII PRÆCEPTORIS SVMMOPERE OBSERVANDI

EFFIGIEM.

EN *magni pulchra ora senis, faciemq́; decoram*
AVGENII, *reduces animas qui subtrahit Orco.*
En pulchrè vt Diui Sacra hic effulget imago
Hippocratis; nemo è cunctis mortalibus illum
Ore magis speciesq́; refert, factisq́; animoq́;
Mens eadem, genius, mores, cognataq́; virtus.



IDEM.

QVEM *picta hic cernis vultum faciemq́; tabella*
Auferet atra dies, & funere merget acerbo;
At nomen toto magnis iam plausibus orbe
Exceptum, perdet numquam longæua vetustas.

HORATII AVGENII A MONTE SANCTO DISPVTATIONVM DE RATIONE CVRANDI PER MISSIONEM SANGVINIS, ex Galeni ſententia;

LIBER PRIMVS.

In quo de ſcoporum agitur numero, qui ad miſſionem ſanguinis neceſſarii ſunt.

DISPVTATIO PRIMA.

An vnus, an duo, an tres, an quatuor, an quinq;, an octo, an decem ſint ſcopi pro ſanguinis detractione conſiderandi.

SVMMA DISPVTATIONIS.

Scopus vere indicans venæ ſectionem vnus duntaxat eſt.

CAP. I.

De neceſſitate, occaſione, ac ordine tractationis huius.

NVLLAM propemodum ex omni medica materia, tam præclare & accurate Galenum excoluiſſe, quam ipſam emiſſionem ſanguinis, communis eſt omnium Medicorum ſententia. Siquidem præterquam quod in pleriſque in Hippocratem commentariis, ac in libris de Methodo medendi, & de ſanitate tuenda, atque etiam alibi paſſim de hoc remedio diſſeruerit; ex profeſſo tamen quatuor ſcripſit libros, tum vt malas exſtirparet hæreſes, quæ ſua tempeſtate plurimum vigebant, tum vt Methodum curandi per miſſionem ſanguinis doceret. Primum quidem, quoniam Chryſippus Cnidius ſanguinis miſſionem è numero præſidiorũ Medicinalium auferre conatus eſt, inutilem omnino cenſens, & pro ſanandis affectibus præter naturam, & pro bona valetudine conſeruanda; huncq; poſtea fuerit imitatus Ariſtogenes & Medius, & cæteri omnes, qui Chryſippi ſententiæ ſubſcripſerunt, inter quos ex rationalium Medicorũ familia inſignis Eraſiſtratus Ariſtotelis ex ſorore nepos omnium præcipuus qui Chryſippi doctrinam ad vnguem imitatus præfatus fuit, ſeſe nunquam venæ ſectionem approbaturum: vt tantorum virorum errorem patefaceret, librum ſcripſit, cui titulum indidit: De venæ ſectione aduerſus Eraſiſtratum.

Rurſus vero, quia Romæ degentes Eraſiſtratei in duas ſectas diuiſi, non idem ſentiebant de opinione præceptoris Eraſiſtrati, ſiquidem horum nonnulli opinabantur, pro curandis morbis nunquam venæ ſectionem fore adhibendam, vt proxime dicebamus: quidam vero illis prorſus oppoſiti, in omnibus morbis aſſeruerunt, venæ ſectionem ſaluberrimum exiſtere præſidium, in quibus ſcilicet Eraſiſtratus præcipiebat inediam, atq; ita, quoniam in putridis febribus omnibus, ac propemodum in aliis affectibus ſemper inediam ſeruari debe-

re docuit, conficiebant illi in omnium febrium principiis sanguinis detractionem conuenire. Pro reprobatione opinionis huius alium composuit librum, quem inscripsit, De venæ sectione aduersus Erasistrateos Romæ degentes: in hisce duobus libris aliorum de hac materia errores persecutus est.

Methodum porro curandi in duobus aliis, etenim in libro, qui inscribitur de ratione curandi per sanguinis missionem, nihil omnino prætermittit eorum, quæ ad qualitatem, quantitatem, vtendi modum, & occasionem pertinebant huius auxilii. Atq; vbi contingit, Menodotum Empiricum apertissime insectatur. Deniq; ne tractationi vtilissimæ deesset, aliquid postremo scripsit de hirudinibus, cucurbitulis, scarificatione, & reuulsione librum, quamuis putent nonnulli eam tractationem legitimam Galeni non esse, ad Oribasiũ referentes. Ego vero cum in eo libro doctrinam illo dignissimam authore, & idiotismum recognoscam, germanum censeo Galeni librum. Quamobrē cum tantam, quantam certe in aliis nunquam, in illustranda venæ sectione, adhibuerit author hic diligentiã, recte fortassis quæsierit hoc loco quispiam, quid in causa fuerit quod de venæ sectionem indicante natura tot opiniones extiterint, quot sigillatim explicaui libro primo tractationis meæ de ratione curandi per emissionem sanguinis: ac vnde maximus detestabilisque abusus duxerit originem, quem apud nouatores quosdam hac tempestate vigere scimus, in omnibus morbis cuiuscunque sint naturæ, modo vires valeant, mittendi sanguinem, sane de hac re etiam atque etiam cogitanti mihi duæ sese obtulerunt causæ, quarum alio in opere memini, & nunc vtramque arbitror verissimam. Harum vna est, quod rerum medicarum scriptores in duas potissimum distributi sunt sectas, quorum quidam Galeni doctrinam contempserunt, inter quos recensere placet Leonardum Botallum, & Ioannem Argenterium; vtputa, qui à Galeno volentes insigniter deuiarunt, hoc potissimum habentes animo (mihi quidem vt videtur) eius doctrinam funditus euertere, sed certe non pari iudicio successuque vterque scripsit: putat Botallus in omni morbo, tam si à multitudine, quam si ab humoribus vitiatis, imo vero etiam si à vaporibus, & flatuoso spiritu adueniant, in omni ætate, in omni constitutione corporis, in omni cœli statu: denique admodum temere, vt ab omni methodo, (vt sentio) alienus, in omni intemperie simplici, mittendum esse sanguinem. Cautior multo, ac prudentior Argenterius, licet cum illo conueniat, quod Galenum contemnens publice arguat, Curtiano tamen addictus dogmati, longe doctius & probabilius de hoc argumento scribere visus est, atque dum id facit, à recta Methodo deuians, in multos errores incidit, quos libro quinto, & septimo de ratione curandi per sanguinis missionem manifestos feci, atque in hoc etiam opere, cum dabitur occasio, declarabitur.

Alia causa fuit, quod qui Galeni doctrinam profitentur, vt Matthæus Curtius præclarus sua ætate Medicus, & Leonardus Giacchinus eiusdem discipulus ac imitator, denique Franciscus Valesius, qui in libro controuersiarum, & in suis commentariis de hoc argumento postremus omnium diligentius sensisse visus est, Galeni verbis solum maxime addicti, sensum ipsorum omnino contemnunt, atq; veras causas, & rationes prętermittere videntur, quæ antecedunt, & subsequuntur non considerant, neque integras eius sententias, neque cum fide afferunt, ita vt mirum non fuerit, si tum sibiipsis, tum aliis aberrandi occasionem dederint. Ego vero, vt quantum in me esset saluti hominum consulerem, præsertim in gratiam Ludouici patris, Medici citra omnem controuersiam absolutissimi: atque Sebastiani Augenii cognomento Paparellæ consobrini mei, ac tandem, vt in negotio difficili, vtili, ac necessario, me ipsum honeste exercerem, iuuenis, anno abhinc trigesimo contra horum hæreses librum scripsi, in quo quid vere indicaret missionem sanguinis ex Galeni doctrina explanare profitebar. Deniq; Taurinensibus auditoribus summopere postulantibus atq; exorantibus, & maxime omnium non modo persuadente, sed omnino quidē impellente illustrissimo & reuerendissimo Vincentio Laureo S. R. E. Cardi-

nali

nali amplissimo, cuius iudicium non modo in hac re, quæ sua prorsus erat, sed in omnibus plurimi facere debebam, adieci, quæ pro absolutione totius methodi iam inceptæ desiderari posse videbantur. Nunc vero in hoc ipso, quem iam scribere aggredior, disputationum libro, quædam eiusdem argumenti tractabo, quæ scilicet iis libris, vel explicata non sunt, vel breuiter nec admodum aperte scripta, vel quæ eiusce modi sunt, vt recentioribus Medicis viris quidem maxime doctis magnam adhuc facere difficultatem videntur, quibus profecto satisfacere debebam, quamuis in hoc meorum, in Patauina Academia, laborum ingressu, me id facturum minime putabam. Cum enim primum nunciatum mihi fuit Serenissimum Venetorum principem de me ad Medicinam, quam Theoricam vocant in hac schola è primo loco profitendam, deliberasse, accepta conditione statim Venetias appuli. Cumque ibi essem vix quatriduo commoratus, dono dati mihi fuerunt libri duo, quorum vterque de scopis tractabat obseruandis in missione sanguinis. Vtriusque author pro tuenda sua secta disputat aduersus ea, quæ à me iis libris fuere scripta. Alter plenitudini nimis addictus, renouare Menodoti Empirici fere videtur sententiam, ac in iis, quæ ad plenitudinem, eiusque indicationem, curationemque pertinent, à mea opinione apertissime dissentit. Alter vero doctius, & acrius pro defendendo Curtiano Paradoxo, mecum disputat, dissentiens in scopo indicante venæ sectionem, in explanatione difficilium locorum Galeni, in mittendo sanguine, in cacochymia, in febribus putridis, in ætate puerili, denique in indicatione magnitudinis morbi, quam profitetur neminem admodum, qui tam præclare hoc sæculo de indicationibus scripserunt, nouisse: putantes ipsam morbi magnitudinem propriam quandam præbere indicationem: atque hanc propriam indicationem differre ab indicatione, quam suggerit morbus magnus, eiusque causa. Verum licet hoc duntaxat videatur peculiare quoddam propriumq; docti huius viri dogma, fuit tamen antea à Francisco Valesio explicatum, reliqua vero quæ eo in libro eleganter, & docte pertractantur, communia sunt prorsus cum Matthæo Curtio, & Giacchino: cum igitur hanc perpulcram, & eruditam lucubrationem legissem, ac postea accuratius perlegissem, & cum iis, quæ olim scripsi, contulissem, inueni eam nihil continere, quod meam opinionem solidis, firmisq; inhærescentem fundamentis non modo labefactaret, euerteretque, sed nec etiam aliqua ex parte debilitaret: imo vero rebus meis multo maius addi robur ex iis ipsis, quæ aduersus me afferuntur, offendi: idcirco, quia grauis est, ac maxime necessaria huiusmodi disputatio, vt puta, quæ circa hominis vitam tota incumbit, in veritatis gratiam scripsi hosce libros disputationum, quod eo feci libentius, quod certo sciam, authores horum librorum, summa morum probitate ornatos omnia boni & æqui consulentes, facile passuros me quid sentiam de illorum opinione pro veterum consuetudine libere ac modeste profiteri. Cæterum, quoniam cum illis in duobus principiis conuenio; primo hasce disputationes fore dilucidandas mihi ex Galeni doctrina, quam solum profiteri volunt, solum suscipiunt, meritoque admirantur.. Deinde rationes adhibendas pro inuentione eius, quod quæritur necessarias, & nunquam in omni scientia prætermittendas. Ego licet non sim assuetus iurare in verba magistri, atque cognoscam nihil magis obscuram facere veritatem, quam sectarum studium, vt non raro Galenus inquit, tamen hic vtroque vtar principio. Etenim prætermissis aliis authoribus solius Galeni testimonio, & eiusdem verbis in medium positis, ac quantum in me erit, fidelissime expositis, quæ controuersa sunt dilucidabo, nihilq; me (vt summatim dicam) profiteor, quod ab illius sententia alienum sit, asserturum. Ratione postea confirmabo doctrinam, atq; si aliquando ita feret occasio, etiam experientiam adhibebo. Duo enim hæc instrumenta sunt, quæ recte inuentis fidem adhibent. Multa præterea supponenda sunt mihi decem libris de ratione curandi per sanguinis missionem explicata, præsertim primis quatuor, in quibus absoluitur tractatio, de eo, quod vere indicat missionem sanguinis. Diuidam autem lucubrationem

hanc meam in libros septem. In quorum primo acturus de scopis, docebo, quomodo vnus, duo, tres, ac plures existant pro sanguinis missione idonei, concludamque vnum duntaxat esse vere indicantem scopum, magnum scilicet morbum a sanguinis plenitudine, aut motu. In secundo autem explanabo, an indicatio sumpta à magnitudine morbi sit distincta ab indicatione petita ab ipso morbo, eiusque causis. Atque propositis diligenterque consideratis recentiorum Medicorum rationibus, ex Galeni sententia demonstrabo, indicationem magnitudinis morbi differre duntaxat in eo quod magis ac minus ab indicatione sumpta à morbo.

Tertia vero parte explicabitur, an morbus magnus vna cum virium robore exceptis ab oratione pueris venæ sectionem vere indicet.

Quarto deinde libro agetur de venæ sectione in pueris ante annum decimumquartum, atque an cum virtute imbecilla sanguinem mittere interdum oporteat. Authorem quarti libri de ratione victus in morbis acutis, accurate, ex præclara, breui, & grauissima oratione principes scopos pro missione sanguinis obseruandos, minime proposuisse; denique dictionem illius authoris in contextu decimonono intelligendam suppositis vniuersalibus theorematis, ac accipiendam pro indefinita propositione, minime vero pro vniuersali contra recentiores Medicos.

In quinto libro disputabimus, an in omnibus putridis febribus saluberrimum sit mittere sanguinem consentiente virtute, atque id generatim fiet. In eo, qui hunc postea sequetur, agam de missione sanguinis in febribus putridis in specie; deinde, an in Ephimera ex obstructione ab humoribus crassis, & viscidis saluberrimum sit mittere sanguinem.

Postremus liber totus versabitur circa missionem sanguinis in cacochymia: in quo demonstrare potissimum conabimur generosum hoc præsidium ab affectu vitiosi succi nunquam indicari, sed satis præfati aggrediamur disputationem primam.

CAP. II.

Quæ difficultatem faciant circa tractationem de scopis in sanguinis missione considerandis.

QVIA vniuersalis Methodus in hisce quatuor potissimum consistit, vt alio in opere ex Galeno demonstrauimus nempe in qualitate remedii, in eiusdem quantitate in vtendi modo, atque in occasione omnium præcipiti, circa quam non vulgares modo Medici, sed etiam præstantissimi haud raro decipi consueuerunt. Disputationes huius libri potissimum circa remedii inuentionem sub qualitate à Galeno comprehensam, ob eam causam, quam notaui superiori capite versabuntur. Quod si mihi de cætero continget, circa quantitatem, vsum, ac tempus pertinentia controuersias proponi consimiles, non recusabo propter auditorum vtilitatem eandem subire prouinciam. Nunc vero quod ad primam disputationem pertinet, docebo, an vnus duntaxat sit scopus vere indicans sanguinis missionem, vt ego sentio, & quis ille sit. an duo indicantes remedii executionem, & vsum: an tres, an quatuor, an plures tum indicantes remedium, vsumque, tum significantes principales, primosque scopos, in his enim primus hic liber absoluetur. Verum, quo sermo fiat dilucidior, primum Galeni controuersos locos afferam, in hac re magni, vt sentio, momenti. Postea summatim explicabo quid sentire oporteat de tota controuersia ex eiusdem authoris doctrina Deinde agam sigillatim de vnoquoque scopo. Denique aliorum opiniones afferam, & considerabo quoad eius fieri potest diligenter, quid bene, & quid non bene dictum sit.

Controuersus igitur maxime videtur scoporum numerus: nam Galenus aliquando vnum videtur admittere scopum, cum magnitudinem morbi sanguinis missionem indicare scribit.

Ali-

Aliquando recenſer duos, vt cum magnitudini morbi, virium robur addit, ceu ſcopum, vt ex iunioribus Medicis inquit, contraindicantem: hosq́; ſcopos duos, primos, & principes appellauit. Author deinde libri quarti de ratione victus in morbis acutis tres affert ſcopos, acutum ſcilicet vehementemque morbum, virium robur, ætatem florentem, qui author in hac re minime ſibi ipſi conſtat, cum alibi pro florida ętate corporis ſubſtituerit habitũ Galenusq́; multo melius habitum, quàm ætatem pro ſcopo recipientem aſſeuerat in eius loci commentario. Hic idem authoris illius de tribus ſcopis dictionem admittit, vt Hippocrate dignam, ac admiratur, cur eam inter ſententias aphoriſticas minime repoſuerit. Paſſim videtur adſtipulari opinioni huic, præſertim cum tres ſcopos ſufficere affirmat, vt apparet libro de ratione curandi per ſanguinis miſſionem, & quarto de methodo medendi. Auget difficultatem, quod in hiſce tribus recenſendis non ſemper eoſdem proponit. Florentis ætatis meminit alicubi pro tertio ſcopo: aliquando ſolos excipit pueros: exceptis (inquiens) ab oratione pueris, aliquando, vt prædiximus pro ætate corporis habitum ſubſtituit. Quid? quod quartum illis adiiciat interdum ſcopum, dum explanat ſententiam authoris quarti acutorum, nempe aerem nos ambientem. Quid? quod regionis etiam pro aere meminit libro de ratione curandi per ſanguinis miſſionem, cum dicat magnitudinem morbi, ætatem, vires, ac regionem, præcipuos eſſe ſcopos: & quod mirum videtur, recenſet illos ex ſententia authoris libri quarti acutorum. Ruſſus quintum ſcopum præcipuumque addit illis quatuor, nempe corporis habitum. Sunt etiam adhuc alii loci non mediocriter controuerſi, quia libro ad Glauconem philoſophũ, & nono, & decimotertio de Methodo medendi aliquando ſcopos octo affert in medium, aliquando decem, & quod fortaſſis plurimum videtur abſurdum, etiam hos ipſos libro de venæ ſectione appellat primarios. Tanta igitur cum adeſſe varietas in Galeni ſermone videatur, non eſt profectò mirum, ſi illius imitatores interdum fuerint ancipites, atque ſi hoc ipſum admodum difficile ſit argumentum.

C A P. III.

Quid generatim ſentiendum de ſcopis, ex Galeni ſententia.

SVMMATIM vero ſecundum Galeni ſententiam de ſcoporum numero ſta ſentiendum arbitror. Quia ſcopi vario conſiderari modo poſſunt, pro varietate conſiderationis ſcopos ille conſtituit varios. Aut enim inquirimus ſcopum vere indicantem detractionem ſanguinis, aut tum indicantem, tum contraindicantem ſimul, qui duo inuicem conſpirantes, ſtatim accedendum ad opus inſinuant: diſſentientibus omnibus, aut alterutro omnino abſtinendũ, aut tandem tum hiſce ipſos ſcopos quærimus, tum etiam ſignificantes vnũ ſtatum atq; naturam indicantium, contraindicantiumq́; ſcopus vnus duntaxat proprie indicans ſanguinis miſſionem, nec certe plures eſſe poſſunt. Quoniam vero indicationes propter operationem conſiderantur, neque habito indicante, ſtatim ad opus accedimus: pro ipſo abſoluendo conſenſus deſideratur contraindicantis. Propterea, duo ſunt primarii ſcopi pro executione huiuſce remedii animaduertendi: nempe vnus indicans, alter admittens, vel non prohibens, aut idem remedium indicans, modo tamen contrario, atque hæc profectò eſt Galeni ſyndromes, quam ille imitatione Menodoti propoſuit. Porro, tum hoc indicantes modo, tum horum naturam ſtatumque notantes, ſunt ſcopi longe plures: quorum tamen latitudo eſt aliqua, prout magis aut minus ad vere indicantium contraindicantiumque naturam explicandam accedunt. Hæc autem ſigillatim, ac diligentius explanentur facto principio ab eo, qui vere indicat remedium. Ponamus antea Galeni axioma ex libro nono de Methodo medendi, capite vndecimo, ac libro de ratione curandi per ſanguinis miſſionem capite octauo, & duodecimo, ac frequenter alibi. Sanguinis miſſionem tum in ſanis, tum in ægrotis duplici de cauſa exerceri: quarum vna eſt,

vacuatio ipſius ſanguinis cum ita multitudine creuit, vt vaſa diſtendat, in tumorem adducat, aut ſaltem vires aggrauet. Alia vero, vehementer fluentis reuulſio, ad contrariam partem ducendo, ac poſtea ad proximas, vicinaſque deriuando, cui aliud etiam addamus ex eodem authore, quod cauſa in vniuerſum ob quam venæ ſectio petitur eſt, vt vacuetur ſanguis, ideoque conueniet eam probe exerceri: quoniam ſanguis cum ſit naturæ vtilis, ſanguinem ſolum vacuare oportet inutilem, ſed non quomodocunq; inutilem vacuare decet, ſed qui ſola multitudine, ac motu facit negotium. Quamobrem cum hæc ita ſint, in ægrotis ſanguinis miſſio indicatur à magnitudine morbi præſentis, à ſanguinis multitudine, aut fluxione procreati. In ſanis vero indicatur a plenitudine affatu digna, vel à morbo magno imminenti à plenitudine cauſando, ſi ratione vacuationis id voluerimus auxilium adminiſtrare. Si autem reuulſionem exercere in animo fuerit, hanc indicationem ſuggeret magnus morbus imminens, aut incipiens a fluxione ſanguinis concitatus. Hæc quæ generatim docuimus, & per capita paulo plenius explicentur, atque Galeni verbis, rationibusque confirmentur.

Cap. IIII.

Quomodo morbi magnitudo indicet ſanguinis miſſionem.

COGOR aliud etiam repetere principium, ex quo facile deducemur in cognitionem eius, quod quæritur. Eſt autem eiuſcemodi principium ab vno vnum perpetuo indicari, & non plura, ſimplex, aut compoſitum, prout fuerit natura eius, quod indicat. Sanguinis emiſſionem vnũ quoddam eſſe præſidium ſatis conſtat: at ſatis non eſt inueniſſe vnum eſſe genere, niſi etiam propria, ac determinata eius natura innoteſcat iudicanti naturæ proportione reſpondens, eſt igitur vnum, non detergens, non incidens, non alterans, non vniens, non repellens, non adſtringens, non attrahens, non digerens, non aliquid aliud faciens per ſe, quam vacuationem, ideo ex vacuatiuis præſidiis vnum eſt, nec quomodocunq;, nec quodcunq; vacuans, ſed ſanguinem: vt Galenus hiſce verbis inquit nono Methodi capite 11. Memineris vero mihi ad ea, quæ dicenda ſunt, etiam quorum cauſa venæ ſectio petitur. Nam quoniam hæc ſanguinis vacuandi gratia adhibetur, ſanguis autem vtilis natura eſt, vtiq; hanc probe adminiſtrari conueniet, ſic vt quod inutile naturæ emittat.] Hæc ille, quæ ſupponenda ſunt mihi, vt maxime vtilia ad inceptas diſputationes. Quod vero vnius vna ſit indicatio idem Galenus aſſerit libro nono de Methodo medendi, cuius verba ſic habent capite 12. Porro vna ſemper eſt, quæ ab ipſa præſtatur conferentis indicatio, veluti etiam reliquarum omnium. Nam quicquid pro natura ſua indicat, id vnum ſemper indicabit, ceu quod vnam habeat naturam. Atque id vnum, ſi quod indicationem facit, ſimplex eſt, ipſum quoque ſimplex erit: ſin illud erit compoſitum, hoc quoq; erit compoſitum.] ac parum poſtea dilucidioris doctrinæ gratia repetit, & exemplo illuſtrat, cum ait: ſiue autem hanc indicent, ſiue illam, quod ſimplex eſt, ſimplicem quoque indicationem habet: quod non ſimplex etiam non ſimplicem, idcirco in ſuperioribus ſemper ſimplicem intemperiem ſimplicem indicationem præbere diximus, veluti in frigiditate caliditatem. Non ſimplicem vero etiam ſuggerere indicationem non ſimplicem, calidam enim ſiccamq; intemperiem curationem ſui per ea, qui refrigerent, & humectent moliendam indicare.] Hactenus Galenus. Poſitis ergo hiſce principiis inquiramus diligenter, quid ſit illud vnum, quod pro ſui natura ſanguinis miſſionem indicet. Menodotus Empiricus dicebat eſſe ſolam plenitudinem, quæ vaſa reſpicit, quam ſyndromes illa plethorica ſignificabat, cuius opinionem non admittit Galenus libro quarto de Methodo medendi, capite ſexto, duplici quidem potiſſimum ratione motus: prima eſt, quod ſine plenitudinis affectu interdum ſanguinem mittere oporteat, at in iis contingit, qui ab alto ceciderunt, aut carnes vehementer contuſas habent: quod non modo fit à rationalibus Medicis, ſed etiam ab ipſis empiricis. Hic remedium adeſt, ſine natura

tura

tura indicante. Nullam profecto plenitudinem quo ad vasa supponimus: imo vero etiã si contraria natura adfuerit, vt cacochymia, in eiuscemodi casu sanguinem mitteremus, sola igitur plenitudo non indicat missionem sanguinis: ideo perperã Menodotus in syndrome duntaxat plethorica seruari hanc indicationem scripsit. Deinde vero alia etiam ratione redarguendus est, nempe quod præsente eiuscemodi affectu non semper sanguinem mittimus; nam si indicat illa semper indicabit, vt puta, quæ semper suam habeat naturam nec aliquando habeat illam, aliquando non habeat: at vero aliis satisfecit inedia, alii cibi parcitas, alii soluta aluus, vel purgatio, vel frequens balneum: alii sola exercitatio, vel multa frictio abunde fuit. Missio vero sanguinis, ne ab ipsis quidem Empiricis, iis, qui ita se habent, necessario adhibetur. Illud autem, necessario.] additum in oratione fuit, quia quodcunq; indicat: cum pro sui natura eam habeat vim, necessario, ac semper indicabit. Hæc prorsus est summa reprehensionis Menodoti Empirici; de qua deinceps in futuris disputationibus paulo plenius tractabimus. Ex quo patet plethoram ipsam vasorum capacitatem respicientem non esse, quod mittendum sanguinem indicet, sed magnitudinem morbi, siquidem semper in morbis magnis dicebat Galenus, nunquam in paruis mittere sanguinem oportet. Hæc disputantis Galeni contra hominem Empiricum fuit conclusio: causa vero, cur ita senserit, inquirenda. Institutum est hoc ipsum remedium, vt dicebamus, vt sanguinem vacuemus. Duobus autem modis fieri potest huiuscemodi vacuatio, vel insensibiliter in aerem digerendo ipsum, vt fit à balneo, fotu, inunctione digerente, multa frictione, vt fomento, vel sensibiliter ac etiam violenter aperta scalpello vena, in qua conseruabatur. Prior vacuandi ratio sensim fit, plerumq; citra naturæ iacturam, quæ non est plane accommodata, neq; sufficiens in ægrotis, nec in sanis ægrotaturis si magnus morbus immineat, posterior semper negotium naturæ facit, quia magnũ quoddam remedium est, quod vires continuo reddere solet imbecillas; sunt enim inter ea quæ vacuant, ex Galeni sententia, duo magna remedia, quorum alterum est venæ sectio, alterum purgatio. Horum neutrum administrari debet, nisi maxime vrgeat affectus. Vrget autem, qui magnus est. Hippocraticum hoc principium est ex Aphorismis deriuatum, in quibus scribitur: extremis morbis extrema remedia optima sunt. quo admonemur oraculo, remedia semper proportionari debere naturæ indicanti; ea propter, vt morbus paruus remedium paruum, mediocris mediocre, sic magnus magnum indicabit. Propterea cautum est sanguinis missionem nunquam in artis operibus exercendam, nisi magnus extiterit morbus. Cæterum quia cominus iam congrediendum cum viris doctis, vt omnia secundum Galeni doctrinam reddantur dilucida, dico Galenum duobus duntaxat in locis aperte admodum.] quantum ex eius sectione obseruare potui.] dixisse, sanguinis missionem indicari à magnitudine morbi; referenda hoc loco sunt huius verba, tanquam institutæ disputationis fundamenta. Primus locus est lib. 4. de Methodo medendi, cap. 6. cum ait: Ex quo patet non hoc esse, quod mittendum sanguinem indicat, sed magnitudinem morbi cum virium robore exceptis ab oratione pueris.] Alter locus non minus dilucidus continetur lib. de rat. curandi per sang. miss. cap. 13. In quo sic habet: Morbi magnitudo cum virium robore primi erant mittendi sanguinis scopi: illo quidem, quæ facienda sunt, indicans. Hic tanquam illum non prohibens, quod contraindicare iuniorum Medicorum quidam appellant.] Hæc ibi Galenus, quæ sane diligentius perpendenda, & consideranda sunt.

CAP. V.

Magnitudinem morbi præsentem, imminentem, atq; incipientem indicare sanguinis missionem.

HÆc de magnitudine morbi cum iam inuenta sint; quibusdam fortasse videbitur, dilucidatam fuisse cõtrouersiam; sed certe longa adhuc restat via, antequam ad ipsum finem accedamus; quam planam, dilucidam, ac ab omni-

buſtribulis, ac ſpinis liberam in iuniorum Medicorum & auditorum meorum gratiam reddere conabor. Primum vero illud ſtatuendum eſt, morbum magnum non ſolum præſentem, ſed etiam imminentem, incipientemque fore pro hac indicatione conſiderandum. Galenus enim primus omnium fuit inuentor indicationis huius, dum libro de ratione curandi per ſang. miſſionem cap. nono, in hunc modum ſcribit:

Itaque, ſi magnum fore morbum expectamus, aut iam præſentem inſpicimus, aut incipientem venam tundemus, virium habita ratione tantum ex oratione exceptis pueris.] & parum infra inquit: Definitis itaq; tribus mittendi ſanguinis ſcopis, nempe morbi magnitudine, aut præſente, aut imminente, ætate florente, & vitium robore extra puerorum ætatem, &c.] Hæc ille.

Magnitudo igitur morbi præſentis requiritur in iis, qui actu ægrotant, & qui potiſſimum afficiuntur morbis ex vtraq; plenitudine, quales potiſſimũ ſunt inter febres, quæ ſynochæ nuncupantur; imo vero omnes putridæ in corporibus plethoricis aduenientes, obſtructione à plenitudine generata, aut ſi non generauit eam plenitudo, ſaltem quę poſſet gignere: in hoc ordine recenſentur etiam omnes tumores præter naturam à ſanguinis copia proficiſcentes, nondum amplius fluente materia. Si quidem, vbi fluit adhuc materia, morbus eſt non modo præſens, ſed etiam ſimul imminens ob fluxionem. Magnitudo imminens in ſanis præcipue locum habet, quoniam cum tentantur illi vtraq; plenitudine, vereamurque ne magnum aliquodpiam ex illius quantitate, & qualitate accidat periculum, expectare non oportet, ac ipſa virtute conſentiente, quo ad eius fieri poteſt, citiſſime ad euitandam, & præcauendam magnitudinem, atq; periculum, venæ ſectio debet adminiſtrari. Recte autem Galenus dixit imminentem morbum, quia vbi morbus aliquiſpiam magnus futurus eſt, niſi proxime immineat, poſſet fortaſſis aliquando leuioribus præſidiis remoueri, præſertim inedia, aut cibi parcitate, aut digerentibus pharmacis, ſed qui proxime imminet periculo exiſtente in mora, leuiora ſpernens remedia, ea exigit, quæ ſtatim liberare poſſunt. Eſt igitur cum Galeno concludendum, non ſolum vbi adſit morbus grauis, ſed etiam vbi futurum ſuſpicamur, tempus eſſe detrahendi ſanguinem; quam rem eleganter ex Hippocrate explicuit hiſce verbis:

Anteuertit enim Hippocratis doctrina, qua nos docet quæcunque morbis iam præſentibus recte perageremus, melius eſſe, vt ipſa morbis incipientibus, aut imminentibus anteuertendo faciamus. Quare propoſitos ſcopos ad ſanos conuertere liceat, ſiquidem in his ſanguinem mittere expedit, vbi nimirum magni alicuius morbi metus imminet.]

Atq; hæc profecto vera cauſa eſt ob quam ſanguis mittitur imminente morbo, metus videlicet magnitudinis futuræ, qui metus ad agendum impellit. Perperamq; Menodotus in ſola ſyndrome plethorica ſeruari venæ ſectionem inquit. Quia ſcopi ſanguinis detrahendi non complectuntur in ſe primo, ac principaliter ſolam plenitudinem: ſed fientis (inquit Galenus) paſſionis ſuſpicionem, neq; enim ſanguinem mittimus ſolum vt vacuemus ipſum ſanguinē: quia hunc, vt puta ſuccum naturæ amiciſſimum, in corpore conſeruari expediret: ſed vacuamus in ægrotis, vt à morbo liberemus pręſens periculũ minitante. Propterea quantumuis plenitudo eſſet multa, niſi immineret ex ea periculum vitæ, quod ſignificarunt veteres nomine magnitudinis futuræ, nunquam ſane ad ſanguinis miſſionem accederemus, in ſanis ſanguis mittitur ob imminentem magnitudinem à ſanguinis copia procurandam, vt recte ſignificauit Galenus lib. de curandi rat. per miſſ. ſang. cuius verba infra explanabimus; ſed cur in oratione additum fuit, magno morbo etiam incipiente ſanguinis miſſionem conuenire? Quia magnitudinis morbi latitudo ſatis ampla eſt: etenim interdum aliquiſpiam incipiet morbus, qui tunc non habebit prorſus notas omnes exquiſitæ magnitudinis, quas parum poſtea conſequetur: Exemplo Galeni hanc rem dilucidemus. Cadat aliquiſpiam ab alto, aut carnes vehementer contuſas habeat, hic quidem morbum incipiet magnum contrahere, nempe inflammationem in contu-

contusis partibus, quæ tamen non appatet statim ab ipsa contusione & casu, sed parum postea fiet conspicua, augebitur, atq; ad summum vigorem perueniet. Idem fieri debet iudicium, si quis ex ictu iam inceperit pati inflammationem, quæ nondum ad incrementum ac summum peruenerit statum, in hunc sane modum incipientem dicimus morbum, eiuscemodi exempla proponuntur quarto Methodi, cap. 6. ac libro de phlebotomia, cap. 8. Idcirco rectissime à Galeno dictum est, in eiuscemodi opere magnitudinem morbi considerandam præsentem, imminentem, ac incipientem. Porro, vbi morbum imminere cognouerimus magnum, venam incidimus, vel vt vacuemus plenitudinem, vel fluentem sanguinem, seu fluxurum reuellamus, quod sane fieri alia ratione non potest, quam vt præseruemus. Præsentis autem morbi proprie curatio est, siue sit exquisita, siue non sit exquisita. Huic quidem succurrimus phlebotomia, tum vt quod multum est, inaniamus, tum vt fluorem vel ad contrarias partes deducamus, vel ad vicinas deriuemus. Incipiente autem morbo maiori ex parte, & præseruationis & reuulsionis gratia eiuscemodi vacuatio debetur. De qua re paulo plenius ac diligentius agamus.

Cap. VI.

Magnitudinem morbi à sanguinis plenitudine aut motu procreati, vere ac proprie indicare ipsius sanguinis destructionem.

Alia etiam addenda sunt iis ipsis fundamenta, ne quid in proposita disputatione sit, quod facere dubitationem possit. Horum potissimum esto, duplicem esse intemperiem, quarũ vnam sine materia consistere; aliam vero cum materia, illi succurrere alterationem, huic autem vacuationẽ, quemadmodum docet Galenus in arte Medica, cap. 89. Nostrum in hac tractatione institutum est, solum de materialibus morbis agere: quandoquidem alii vacuatione sanari non possunt. Verum, hoc ipsum, quod breue videtur præceptum, potestate multiplex apparet. Quia vacuatio quælibet non debetur cuicunq; morbo, vt fortassis inter antiquos arbitrabatur Asclepiades: sed determinata vacuatio morbum sanat. Considerandum quidem, à quo humore fiat morbus, atq; is vacuandus duntaxat; alii vero conseruandi. Ergo redundante bile cholalogum dabimus pharmacum. Pituita phlegmagogum: melancholia vero, quod nigrum humorem ducat, seroq; ipso faciente negotium, hydragogo medicamento subueniemus: in hunc eundem modum, si sanguis vicerit, hunc vacuabimus. De hoc medicinæ præcepto & axiomate Galenus ita loquitur:

Quinetiam, si iis, quæ iam dixi, illud quoque adiicias, nempe quod ipsum, qui redundat, succum vacuandum esse Hippocrates suadet, alias sanguinis detractionem adhibebis, cum videlicet is vincit, alias pharmacum, quod ad bilem flauam, vel atram, vel pituitam educendam vim habet, dabis.] Hæc ille. Hippocrates vero medicinæ præcepta in Aphorismis traditurus, ab hoc ipso statim exordiri voluit, cum ait: *Sic & vasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & facile ferunt, sin minus, contra.*] talis porro fit, cum is humor educitur, qui educi debet. Absurdum enim est (vt etiam alicubi dicebat Galenus) flaua bile faciente negotium, hanc non purgare, sed pituitam; quia non solum aliquam vtilitatem afferre nequit, sed etiam detrimentum maximum inducit. Hæc hypotheseos loco habeantur, ac nos ad disputationẽ proxime accedamus. Quæstio est, an indicatio de mittendo sanguine sumatur à magnitudine morbi generatim, an autem speciatim considerata, quod est, an morbus magnus, qua ratione est magnus, circumscripta omni alia differentia, sed solum in communi consideratus: an autem aliquis morbus determinatę magnitudinis & conditionis generosum hoc indicet remediũ. Recentiores putant, ab omni magno morbo absolute petendam esse hanc indicationem. Ego vero sentio, morbum magnum determinatæ speciei hanc habere facultatem. Voco determinatæ speciei

morbum indicantem venæ ſectionem, cum duntaxat, qui vel à plenitudine ſanguinis, vel ab eiuſdem fluxione, vel ab vtraque, aut fit, aut factus eſt, aut imminet. Omnem prorſus alium, quantumuis magnum, excludo morbum. Quia certe abſurdum eſt, aliud vacuari, aliud indicare vacuationem. Nouatores autem Medici imitatione fortaſſis Methodicorum, in ſolis communitatibus inhærentes, omnem magnitudinem intelligunt. Hanc opinionem olim validiſſimis rationibus impugnaui, & certe, quantum exiſtimo, eam ipſam etiam expugnaui libro primo tractationis meæ, de ratione curandi per ſanguinis miſſionem, à capite quarto vſque ad ſextum, quas rationes nunc ſenex confirmo, ſiquidem præclariſſimi viri, qui nouiſſime de hoc argumento ſcripſerunt, haud plane ſatisfacere in hac re videntur mihi: etenim vel conniuentibus oculis rationes prætereunt noſtras, vel, ſi quas afferunt, eas non recte, vt ſentio, explicant. Cogor tamen cum res ita habent, ſuppoſitis, quæ ibi ſcripſi, tum nouas rationes addere, tum diligentius, ac apertius explicare ſingula, tum denique ſatisfacere iis, quæ pro confirmatione ſuæ opinionis afferunt, quorum eo in libro aut facta mihi mentio non fuit, aut certe explicatio non ſatis aperte tradita.

Ad rem igitur aggredior: atque primum doceo nouatores iſtos omnino ſubuertere Methodum a Galeno inſtitutam libro de ratione curandi per ſanguinis miſſionem, quam Methodum ſtatim propoſuit in principio illius libri, cum ita inquit:

Qui de miſſione ſanguinis ſpeculantur, vnum ſibi primumque proponunt, nempe vt quæ corporis affectiones vacuatione indigeant conſiderent. Ac deinde alterum, quænam ea, quæ ſanguinis fit detractione: nam multi ſunt affectus qui alia quapiam euacuatione quidem indigeant, ſed non ſanguinis miſſione. Tertio poſt hæc vt diiudicent, qui innoxie hanc ferre vacuationem poſſint, quippe cum ſæpe fiat, vt affectio venæ ſectionem deſideret, cæterum laborans eam ferre nequeat, ſiue propter ætatem, ſiue propter anni tempus, ſiue propter regionis naturam, ſiue ob os ventriculi vitiatum.] Hęc Galenus; quę ſi vera ſunt, duo nobis de hoc argumento, & vtramque horum ſententiam omnino euertentia manifeſtiſſima faciunt; quorum alterum eſt, ſanguinis emiſſionem indicati à morbo magno, quatenus magnus eſt, non poſſe: cum iis duntaxat ad hanc indicationem ſuſcipiatur, qui à materia, & humore vacuando pendet; immaterialis enim ſola alteratione, ſi forte in ſimplicibus corporibus exiſtat, vt intemperies, vel alia ratione, quæ à vacuatione differat, ſanatur. Quis enim tam obtuſo eſſet ingenio, ac in artis operibus tam parum exercitatus, qui in valido morbo ex ſimplici, aut frigore, aut calore ſanguinem mittere audeat? magnus autem erit in hoc genere morbus, ſi eſſentiam ſpectes, magnus etiam aliquando, ſi partem læſam. At inueniri non poteſt magis deteſtanda opinio, humanoque generi perniciosior, quam in ſimplicibus omnibus intemperaturis cordis, cerebri, iecinoris & aliarum partium, mittere ſanguinem. Iam dogma illud à Galeno, dum contra Eraſiſtrateos diſputaret, non ſemel reprobatum, quod ſcilicet in omnibus febribus deteſtanda eſt venæ ſectio, reuiuiſcit ex peruerſo horum dogmate, quia febris omnis ratione partis læſæ magnus morbus eſt, magnus etiam propter eſſentiam, quod vt admittere coguntur illi, velint nolint, ſic falſiſſimum eſſe, tum hæc ratio conuincit, tum in ſequentibus diſputationibus circa febrem verſantibus, longe clarius innoteſcet. Quid de aliis morbis magnis propria eſſentia, aut ratione partium organicarum dicemus, nempe in numero, in figura: in ſitu, in quantitate? quorum ſinguli ſuam habent contrarietatem à phlebotomia non parum differentem? ſit igitur hæc theſis ab omnibus rationalibus Medicis confirmata, ſanguinis emiſſionem materiam eſſe remedii ſanguinem vacuantis, neque conuenire, niſi in iis morbis, qui vacuatione ſanantur. Huic addo aliud ex eodem authore decretum, quod vt morbi magnitudo audiri debet vacuationem exigentis, dum eam quærimus naturam, quæ indicat: ſic neque hoc ſatisfacere certum eſt, cum addere oporteat, eum morbum pręſtare hanc indicationẽ, qui ſanguinis detractione curatur. Abſurdũ eſt,

aliud

aliud vacuationem indicare huius, aut alterius humoris, ab eo quod vacuatur, vt dicebat admirabilis Galenus. Prosequamur reliqua fundamenti huius ac Methodi inuestigantes, an Galenus ipso in opere præstiterit, quod fere titulo promittit: quæ res nouatorum dogma funditus destruet. Duplex in vniuersum affectus est in humoribus, plethora scilicet, & cacochymia: Plethora vero rursus duplex, quædam enim, quæ vasa respicit, quam Erasistratus vocabat κατὰ τὸ ἔγχυμα, quandoquidem κατὰ τοῖς ἐγκεχυμένοις, id est, in infusis per vasa humoribus consistit, & intelligitur: hac, vasa in tumorem attolluntur, ac plurimum intumescunt, alia vero, quo ad vires nuncupatur, in qua licet non adsit tanta humorum copia, quanta in alia respiciente vasa, multo tamen maiorem habent, quam ferre possint vires, vtraque fit à sanguinis abundantia, atque vtraque multas suscipit differentias; quædam enim vniuersalis est, quædam particularis, quædam non exacta, quædam exacta, & exquisita, quędam omnium humorum ęquale incrementum veteri seruata proportione continet, quædam inæquale incrementum. Quæ diligenter explicata mihi sunt in libro de plenitudine, qui secundus est meæ tractationis de rat. cur. per san. missionem. cacochymia vero, id est, succus vitiosus multiplex, biliosa, pituitosa, melancholica, mixta, vniuersalis, particularis, vt explicui libro primo de ratione purgandi. In omnibus itaque istis modo propositis, (inquit Galenus) infestantium, tum humorum, tum vaporum euacuationes a pathematis, id est, passionibus hominem liberant, non tamen vena secta prorsus est opus, sed sufficit purgatio, frictio, balneum, & inunctio cum digerente medicamine. Ergo qui vena incisa iuuentur affectus, deinceps dicamus. Ex vtraque plenitudine, magna interdum imminere solent pericula cum modum excesserit: nam quæ vires respicit, facile in putredinem incidit, sed & nonnunquam prius quam putrescere incipiat, sanguinis multitudo in partem aliquam confestim decumbens, aut prorsus eam extinxit, vt actio interiret, aut certe non contemnendam noxam inflixit. Nam hoc pacto apoplexiæ proueniunt, multo nimirum sanguine in principium confestim incumbente, nam vbi in aliam partem præceps ruit, tumorem ibi præter naturam efficit, vt phlegmonē aut exquisitum, aut spurium. Quæ vero vasorum respicit cauitatē plenitudo sanguinis, non his modo obnoxia solet esse affectibus, sed etiam præcipue vasorum obstruit orificia, ac nimium distendendo vasa rumpit, ac aperit, caloremque naturalem plerumque suffocat: anteaquam igitur magnum aliquod malum in corpore committat, vtramque multitudinem, quoad eius fieri potest, citissime vacuare tentabimus, atque in ea quæ vasa respicit, viribus existentibus validis statim incidenda est vena, imo vero etiam & in alia, quæ ad facultates dicitur, modo tamen vires valeant: videas igitur quam magnitudinem Galenus morbi desiderat pro hac indicatione exequenda. Verum, non solum in vniuersali plenitudine id obseruandum est, sed etiam in particulari, vbi quispiam exempli causa, in thoracis, pulmonisque partibus eam fortitus sit structuram corporis, vt pauculo plus collecto sanguine protinus, aut vasis alicuius osculum reseretur, aut rumpatur vas ipsum: etiam si nullum etiamnum in corpore symptoma extiterit, ineunte vere sanguinem mittere expedit: atque omnino idem faciundum est in iis, qui obnoxii sunt pleuritidi, peripneumoniæ, anginæ, articulorum doloribus, aliisque eius generis morbis, quos sanguis in partibus adauctus creare solet: prudentis enim Medici munus est, non expectata inuasione morborum, opportuno tempore, quale potissimum vernum, & autumnale censetur, præcauere, manus adhibendo adiutrices. Atque ita concludit Galenus, in omnibus morbis, quos facit plenitudo, vel quo ad vasa, vel quo ad vires, saluberrimam esse missionem sanguinis. Verum, quia posset aliquispiam dubitare, an ita conueniat in morbis plethoricis, vt nunquam sine plenitudine sit expediens sanguinem mittere, videbatur enim ita sentiendum, quod in affectu vitiosi succi negauerit missionem sanguinis: huic ipsi voluit satisfacere quæstioni, dicens, etiam sine plenitudine conuenire interdum remedium: sed non in affectu a succis vitiosis genito: quem superius exclusérat: at

lum in ipſo, qui fiebat à fluxione ſanguinis, idcirco inquit: Porro, non ſolum vbi adeſt plenitudo, ſiue ea vt ad vltes ſit, ſiue κατὰ τὸ ἔγχυμα mirifice prodeſt venæ ſectio, verum etiam citra plenitudinem initio phlegmones, quæ cum propter ictum, aut propter dolorem, aut partium debilitatem prouenit: quippe cum dolor ſanguinem ad ſeſe trahat, & ſæpe partium debilitas phlegmonem, abſque eo vt in corpore plenitudo ſit, procreet. conuenire autem tunc ſanguinis miſſionem ratione reuulſionis adeo certum eſt in medendi Methodo, & Galeni potiſſimum doctrina exercitatis, vt qui de hac re ambigat, vere cœcum, & ſine iudicio putauerim. Axioma eſt Medicum, cuius Galenus paſſim meminit in libris de Methodo medendi, potiſſimum in eo, quem ſcripſit de venæ ſectione, incipientes phlegmonas reuulſione vacuandas: quæ non inueteratæ iam ſint ex ipſis, ſi fieri poteſt, affectis partibus, quod ſi nequeat, ſaltem ex vicinis. Etenim in incipientibus auertere, quod influit, expedit, quocirca, qui in gutture, & arteria graui torquetur inflammatione, huic in principio quidem ſecta in cubito vena, poſt principium autem ſub ipſa lingua, magnifice prodeſt, inciſis videlicet venis, quæ ſub ea ſunt, ambabus. Ergo reuulſionis gratia in principio inflammationum omnium, quæ magnæ ſint, etiam ſi plenitudo non adſit, (vt plurimum vero non adeſt, cum inflammatio ſit, non ab internis occaſionibus, ſed ab externis manifeſtisq́; cauſis) venæ ſectio ſalubriter adhibetur. Neq; ſolum in hoc affectu, ſed etiam in fluore ſanguinis extra corpus, vt ex vtero, ex mariſcis, ex naribus, ex vulnere, venam incidemus: de quo Galenus hoc modo locutus eſt: Secare in cubito venam ſi ex dextra nare prorumpat ſanguis in brachio dextro: ſin ex altera, in ſiniſtro, quæ medendi ratio admodum certa ac ſalutaris, ſimul cum iis, quæ proxime diximus, Menodoti opinionem conuincit, qui putabat plethoricam vocatam ſyndromen hoc remedium ſemper indicare. Hactenus in ſanis, & in ægrotis demonſtratum mihi fuit, magnitudinē morbi per ſe & abſolute ſumptam, non indicare ſanguinis miſſionem, ſed magnum duntaxat remedium generatim; quod vero ad hanc indicationem auxilium proponitur, & de quo controuerſia eſt, magnum cum ſit, tale eſſe non debet ſolum genere, ſed ſpecie, vt ab aliis diſtinguitur, quæ aliis affectibus conueniunt, magnis præſidiis, idcirco opus eſt, aliquam naturam magis ſpecificam addere magnitudini morbi, qua ad huiuſmodi indicationem limitetur. Eiuſcemodi naturam conſideranti mihi, omniaque ad naturam indicationis pertinentia accurate perpendenti: alia non occurrit, quam, ſi cum illa coniungamus plenitudinis affectum, atque ſanguinis motum. Quoniam magnus morbus à multitudine ſanguinis aut præſens aut futurus, ſeu imminens, aut incipiens. Semper generoſum hoc indicabit præſidium vacuationis cauſa inſtitutum. Sanguinis vero motus ſiue præſens, ſiue futurus, quomodocunq; is moueatur, aut intra corpus inflammationem facturus, aut extra corpus per quamcunque viam, ſiue à cauſis internis, ſiue externis originem duxerit, modo periculum ſit de magno affectu, qui proxime immineat, gratia reuulſionis, indicat ſemper venæ ſectionem. De Galeni Methodo inſtituta libro de ratione curandi per miſſionem ſanguinis hæc ſatis. Quam vero conſona ſit vniuerſali Methodo, docuimus noſtra tractatione, capite ſcilicet quinto libri primi, atque etiam docebimus poſtea, cum examinabimus, quæ recentioribus quibuſdam ætatis noſtræ Medicis perperam de indicatione magnitudinis morbi, eiuſque differentia à morbo excogitata ſunt. Nunc vero à propoſito non diſcedens argumento, Hippocratis etiam doctrinam à nouatoribus hiſce ſuberti oſtendamus: iudicabit, arbitror, vnuſquiſque ex iis, quanti facienda ſit noua hæc ſecta, noua, vt ita dicam, Methodica: cum ad illius exemplar, quam Theſſalus condidit, non Galeni modo, ſed etiam Hippocratis doctrinam funditus euertat. De pleuritide agamus. Magnus eſt affectus, atq; cum fomentis rite adminiſtratis non ceſſerit. Hippocrates vult accedendum eſſe ad ſanguinis miſſionem, aut purgationem. Quæſierim cauſam, cur modo illo vti velit remedio: Scio reſponſuros, venæ ſectionem adhibere Hippocratem inflammatione occupante ſuperiores

costas: purgatione autem, inferiorem inuadente:(hic ego non discedo à Galeni explanatione, quia licet aliud sentiam de Hippocratis mente, vt dictum mihi fuit libro secundo epistolarum medicinalium tomi secundi, epistola prima: tamen, quia disputo cum iis, qui Galeno adhærent, opus est nos conuenire in principio) at id non videtur rationi consonum, si horum opinionem sequamur, quia semper debuisset consulere Hippocrates venæ sectionem morbo scilicet existente magno, & periculoso, tam si infimas, quam si aut medias, aut supremas partes occupet. Exhibet tamen peplium, ac helleborum descendente affectu, secat venam ascendente. in vtraq; dispositione vires valent, vt puta quæ vehemens ferant remedium vtroq; genere. Expedit considerare, quid respondeant. In eo affectu materiam turgentem significasse Hippocratem statuunt, eo quod moueatur à thorace ad ipsa hypochondria exitum quærens, quę sunt infra septum transuersum. Quoniam vero Galenus in eo commentario dicit venæ sectionem in eo casu longe tutiorē existere, licet purgatio fit melior, contendunt in materia turgente secundum Galeni sententiam vtilem esse phlebotomiam: atque ita putant sese extricare posse ab hoc nodo. Ego vero nolo hic cum illis disputare, an re ipsa materiam turgentem intelligat Hippocrates, quia in fine libri tertii, & in principio quarti de ratione purgandi, quam turpiter in hac materia aberrauerint, dum monstratum fuit, ac demonstrabitur etiam libro septimo harum disputationum: quod autem prætermittere hic non possum, est, explanationem eiuscemodi non conuenire verbis Galeni, qui locum illum interpretatur de pleuritide occupante octo inferiores costas, propterea; dolorem extendi non solum vsq; ad diaphragma, quod membrana eadem subcingens costas, septi transuersi ambiens superficiem, sed etiam consensus causa dolorem extendi infra septum transuersum, at nulla quidem pleuritis fit à materia turgente, alioquin omnis phlegmon ab eadem fieret, si quæ à Galeno scribuntur in decimo, & vndecimo commentario diligenter considerantur, profecto nullum verbum inueniri potest, quod faueat huic de humorum turgentia opinioni: pluribus agerem, nisi constaret id per quam verum existere, & neminem hactenus in Galeni doctrina exercitatum alium sensum verborum illius dedisse. Fuisset (nisi fallor) illorum officium demonstrare, quam confingunt explanationem ad eum locum, Galeni extitisse inuentum, quod cum illi non effecerint, admiror equidem, quomodo de Galeni sententia contendant in materia turgente phlebotomiam aliquando tuto exerceri posse; diligentius agam parum postea. Ego autem vrgeo sic: Pleuritis illa descendens morbus est magnus ex Galeno quia peplium & helleborum, ac hiera diacoloquintidos exhibetur, valentq; ipsæ vires. non igitur ex Hippocrate absolute magnus morbus hoc indicat remedium. Præterea statuamus magnitudinem morbi cum virium robore scopum esse indifferentem ad venæ sectionem, purgationemque, vt a Galeno fuit demonstratum libro quarto de Methodo medendi, capitulo sexto, cum ait: Nunc illud docere volo, tum ipsam morbi siue vim, siue magnitudinem appellare velis pro indicatrice quadam sanguinis detrahendi, vel purgationis adhibendæ statuendam esse; tum vero Hippocratem omnium primum, quos nouerim, indicationem adinuenisse.] Quam rem dixerat idem author parum supra admodum euidenter. Verba illius habent hoc modo: Sed sicut mistio sanguinis vel propter ipsius abundantiam, vel propter morbi magnitudinem, ita & purgatio & propter abundantiam alterius cuiuspiam succi, & propter vim morbi adhibetur.] rursus. Hippocrates etiam morbi magnitudinem ad purgationis indicationem considerat.] Quæ cum ita sint, facile ostendunt dogmatis huius falsitatem. Siquidem nequit indicare vnum semper, ac necessario, quod indifferenter sese habet ad duo diuersi generis præsidia, sed de huius rationis vi loquemur infra, quam etiam vsurpauimus libro nostro de missione sanguinis. Præterea præceptum Hippocratis de præseruandis corporibus à periculosis & magnis imminentibus morbis, omnino superuacaneum redditur, vt puta quod decernatur vere, ac autumno vacuandum, aut purgatio-

ne, aut venæ sectione. Omnes enim sola venæ sectione præseruarentur; quia magnitudo morbi generatim sumpta semper sanguinis detractionem indicat: iam vires nedum validæ, sed in sanis ægrotaturis longe validiores, quam in ægrotis: morbus periculosus ac magnus imminet; quid igitur impedimento esse potest, quin omnes sanguinis emissione præseruentur? quæ indigentia alterius indicationis de purgandis corporibus? cur quæso senex venerandus, qui primus rationalis Methodi præcepta dedit, alternatim locutus est? Eam certe afferre debemus causam, quam in eo commentario atque libro de ratione curandi per sanguinis missionem, & quarto de Methodo medendi, vt passim alibi Galenus affert, nempe purgatione vtendum, si vitiosis succis corpus fuerit refertum: mittendum sanguinem, si plenitudo morbum sit effectura: ac ita adhibendam esse huiuscemodi distinctionem semper, vbi de corporum vacuatione fit mentio: quemadmodum etiam huius ipsius imitatione Galenus fecit libro quarto de Methodo medendi, cuius verba non piguit afferre in principio capitis huius, quæ licet apud alios notissima sint, non tamen fortassis videntur eiusmodi istis, qui magnitudinem morbi absolute ac generatim consideratam indicare sanguinis missionem dicunt, ac nullam de cætero adhiberi debere distinctionem profitentur. Sed cur quęso ibi distinguendum esse dicit humorum affectum? & cur distinctionem hanc facit, si sola sufficit magnitudo? Dixit etiam in Aphorismis quod me alibi scripsisse memini, in vehementissimis doloribus nullum maius inueniri præsidium, quam vacuare vsq; ad animi deliquium, adhibita distinctione, an purgare, an autem venam incidere opotreat, quemadmodum scripsit in libro de venæ sectione. Est autem locus eo in libro duplex: vnus in capite septimo, alius in cap. 8. Ecce igitur Galenum nunquam sola morbi magnitudine fuisse contentum, sed distinxisse humorum affectum, ac pro horum varietate vacuasse. Quoniam itaq; abunde demonstratum mihi fuit, horum Medicorum opinionem subuertere Methodum à Galeno institutam libro de ratione curandi per sanguinis missionem, atq; Hippocratis præcepta penitus contemnere, ad aliorum, quæ consequuntur, explanationem aggrediamur.

Cap. VII.

Dubitationes, quæ contra opinionem nostram ab aliis afferuntur.

SED contra opinionem nostram multa obiici consueuerunt, quorum & potissima, & summa sunt hæc. Primum quod vbi sanguinis nulla sit redundantia. Sed vna duntaxat mala qualitas faciat morbum, sanguinis missio secundum Galeni placita vtiliter administratur, etiam si alii desint scopi: illius verba hic afferenda sunt ex libro nono de Methodo medendi cap. 11. quæ vt referunt ii, quibuscum disputamus, hoc modo habent: Quoniam venæ sectio sanguinis vacuatio est, & vtilis naturæ est sanguis, oportet sane recte ipsam administrare inutilem naturæ vacuando. Fit autem sanguis naturæ inutilis bifariam; vel cum propriam exacte non seruat qualitatem: vel nimis crescit multitudine: ac in iis quidem missio sanguinis vtilis est & c.]

Deinde idem ex Auicennæ verbis confirmant, qui in quarta sectione primi libri, capite vigesimo in hunc modum scribit: Vnusquisq; eorum phlebotomatur, aut propter sanguinis multitudinem, aut propter ipsius malitiam, aut propter vtrumque.

Vrgent etiam ex Galeno, octauo libro de Methodo medendi, capite quarto, vbi agens de febre ephemera ex obstructione ab humoribus viscidis, & crassis procreata, sanguinis missionem admittit, etiam si plenitudinis signa non adsint.

Præterea sanguine immoderate fluente ex naribus, ex vtero, ex hæmorrhoidibus venæ sectio salubriter exercetur, tuncque constat nullũ omnino adesse plenitudinis indicium, immo non prorsus omnia in eo ipso casu inueniri contraria.

Am-

Amplius in tertio Epidemiorum, ſectione prima, textu primo, circa hiſtoriam Pythionis digrediuntur, & poſtquam ornatiſſimis verbis & multa exclamatione, perperam certe, ac (vt ego ſentio) citra omnem probabilitatem, ac neceſſitatẽ, vſi ſunt, oſtendunt ex verbis Galeni in commentatoria illius hiſtoria, vrgentibus magnis morbis, ſemper ex Hippocratis conſuetudine mittendum eſſe ſanguinem, eo quod morbus Pythionis erat periculoſus, atq; Galenus nullam mentionem faciat plenitudinis, velitq; ſanguinis miſſionem ob ſolam magnitudinem morbi fuiſſe neceſſariam. Poſtremo etiam obiiciunt nobis duas illas Galeni rationes, quibus vſus eſt quarto de Methodo medendi, capite ſexto, aduerſus Menodotum Empiricum, ſanguinis miſſionem indicari à plethorica ſyndrome contendentem. Hęc quidem illi, ex quibus conficiunt, magnum morbum indicare venæ ſectionem tam ſi a plenitudine duxerit originem, quam ſi à cacochymia, & à ſola qualitate, ac vitio ſanguinis proficiſcatur. Quæ ſane, quoniam nullius eſſe momenti arbitror, afferenda in medium explicatio eſt, præſertim, quia periculum eſt ne incauta iuuentus illorum auctoritate decepta, malam hanc, & humano generi pernicioſam opinionem imbibat.

Cap. VIII.

Propoſitarum dubitationum explicatio, examinatio loci Galeni libro nono de Methodo medendi, capite vndecimo.

PRIMVS omnium locus Galeni vndecimo capite libri noni de Methodo medendi, examinandus eſt: ſperamusq́ue facile oſtenſuros, eum ipſum noſtram opinionem non modo non reprobare, ſed etiam illi maximam addere cõfirmationem. Quia vero explananda ſunt Galeni verba, præſtat pro theſi diſputationis noſtræ, ea hic adſcribere omnium Græcorum codicum fide confirmata longe ſecus quam ab illis proponatur. Series igitur verborũ Galeni ſic habet:

Memineris vero mihi ad ea, quæ dicenda ſunt, quorum cauſa venæ ſectio petitur. Nam quoniam hæc ſanguinis vacuandi cauſa adhibetur, ſanguis autem vtilis naturæ eſt, vtique probe hanc adminiſtrari conueniet: vt quod inutile naturæ ſit emittat. Fit autem ſanguis naturæ inutilis bifariam, vel, cum propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat, nec amplius nutrire, ſicut prius, cum vtilis eſſet, poteſt: vel ita multitudine creuit, vt aut vires premat, aut tum venas, tum arterias vel diſtendat, vel findat, vel obſtruat. Ac in his quidem miſſio ſanguinis vtilis eſt, ceu vacuantium præſidiorum vna: in aliis, ceu quod humorum vehementiorem impetum ad diuerſam partem euocet, vel per propinqua deriuet.] Hæc ille.

Propoſitum Galeni fuit explanare ſcopos, qui in ſanguinis detractione ſeruandi ſunt: propterea agens de ſynocho non putrida dicebat, ſaluberrimam eſſe venæ ſectionẽ, quod eam ipſam tum morbus poſtulet, tum vires etiam admittant: in iis enim continentibus febribus, quæ ex meatuum ſtipatione contingunt, cum ſit plerumq; valida virtus, citra periculum vacuatio adhibetur. In aliis vero morbis maxime eſt periculoſa, veluti ſi forte incidit in corruptelam humorum; de qua mentionẽ Galenus facit, vt omnes mittendi ſanguinis indicationes ex eo libro proſequamur; & nos hic ſummam ſententiæ illius recenſebimus, quia & intelligentiæ contextus propoſui, & dilucidationi quæſtionis inſtitutæ plurimum conducit. Cauſa igitur propter quam ſuſpecta eſt vacuatio per ſanguinis miſſionem, vbi ſunt humores corrupti, eſt, quod virtus ipſa non fert plerumque eiuſcemodi vacuationem. Etenim quod corruptum eſt, id alienum à natura cum ſit, nutrire quidem non poteſt, nec alias corpori vtilitate præſtare, quemadmodum antea faciebat, quod vero tale eſt, id prorſus ſeſe auferendum dictat. Si igitur cum viribus imbecillis corruptela humorum incidit, vtique quod affectus remedium eſt, id cum virtutis cuſtodia pugnat: ſiquidem affectus vacuandum eſſe præcipit, idq; vel inciſa vena, vel purgatione: harum autem neutrum ferent imbecillæ vires. Quid igitur in hac ipſa dubitatio-

ne agendum? postulante scilicet morbo vacuationem, viribus autem minime admittentibus? certè oportebit affectum relinqui omnino insanabilem: aut aliqua saltem inueniri debebit via, quæ vtrique conferat. Erit autem eiuscemodi via, curatio per epictasin vocata, qua paulatim quod est vitiosum vacuamus, & paulatim etiam, quod salubre est, reponimus. Hoc maximum fundamentum est totius artis de curandis febribus cum humorum corruptela coniunctis, quem qui ignorant, passim aberrant in artis operibus, præsertim vero in vacuatione, quæ per sectionem venæ instituitur. Causa quidem, propter quam inuenta est venæ sectio, alia quidem non est, nisi vacuatio sanguinis: ergo nunquam accedendum ad hoc generosum remedium, nisi ipso in sanguine adfuerit causa, ob quam vacuari debeat: igitur quia sanguis naturæ vtilis est, vtpute, qui vires ipsas conseruat, totum corpus nutriat, augeat, & vsq; ad finem conseruet, generosum hoc remedium probe exercere conuenict, vt aperta vena solum vacuetur, quod inutile naturæ est, statim ex hoc ingressu admirabilis Galeni ad hanc doctrinam duo deducuntur contra recentiores Medicos: quorum primum est, nunquam mittendum esse sanguinem citra sanguinis affectum, atque plurimum aberrare illos, qui duntaxat, vt refrigerent corpus, venam incidunt, quam illi phlebotomiam vocant euentatiuam: non enim intemperiei remedium est venæ sectio, sed sanguinis, quatenus naturæ fit inutilis, vt parum postea explanabimus. Deducitur etiam aliud, nempe venæ sectionem non indicari à magnitudine morbi vniuersaliter sumpta: quia infiniti propemodum sunt morbi magni, ratione partis, ratione essentiæ, & cacoethiæ, qui tamen a sanguine minime concitantur, at causa, ob quam inciditur vena, est, vt sanguinem vacuemus, ac vacuare sanguinem nunquam debemus, si ille non faciat morbum, vt ex Galeno docuimus in primo Aphorismorum commentario secundo, ideo recte concludit Galenus hoc loco, ideo probe exercere illam oportet. Porro hæc vna est causa vniuersalis huius remedij; duæ vero particulares, de quibus nunc agendum. Supposito igitur, sanguinem nunquam fore vacuandum, nisi quando naturæ sit inutilis, docere voluit Galenus, quot modis id contingat, propterea dicit: fit autem sanguis naturæ inutilis, si tamen, vel cum propriam qualitatem non seruat, nec amplius nutrire, sicut prius, cum vtilis esset, potest: vel ita multitudine creuit.] sanguinem amittere propriam qualitatem bifariam contingit: vel cum in primis qualitatibus mutationem suscipit, caliditate, frigiditate, humore, siccitate, aut in compositis, ex his, aut etiam cum secundæ qualitates, vt tenuitas, crassities, lentor, in eo inferuntur præter naturæ institutum, conseruata tamen natura & forma sanguinis; vel contingit eiuscemodi transmutatio in qualitatibus, vt simul in substantia sanguinis, & in propria illius forma: quam & speciem, & qualitatem appellare consueuerunt antiquiores. Galenus hic non intelligit priorem mutationem sanguinis, quæ proprie alteratio est, quia sanguis eo modo affectus, nutrire quidem potest, agit autem de mutatione, qua munus nutritionis impeditur: certumque existit, sanguinem nutrire non posse cum in sua substantia mutatus est, ac idcirco dicit, nec amplius nutrire sicut prius, cum vtilis esset, potest.] Fit præterea inutilis naturæ sanguis, cum multitudine ita creuit, vt aut vires aggrauet, aut tum venas, tum arterias distendat, findat, obstruat.] quibus verbis duas supremas differentias plenitudinis intelligit (parum autem refert, siue genera subalterna, siue species, siue differentias dixeris, modo rem teneas) quarum vna respicit vires, alia autem vasorum cauitatem, sanguis enim aliquando, licet non sumpserit magnum incrementum, tamen quia natura est imbecilla aggrauat illam, diciturque multus, illius dumtaxat relatione. Aliquando adeo crescit, vt venas, & arterias distendendo, efficiat in illis tumorem præter naturam, & findendo, ac rumpendo tunicas continentium vasorum, fluor sanguinis fiat: Denique obstruendo calorem naturalem suffocat; atque dum appellit ad nobilem particulam, vt ad cerebrum, & cor, apoplexiam, tumoresque præter naturam efficit. & syncopes cardiacas. Igitur sola multitudine, & quantitate sanguis hasce noxas inferre potest

test corpori. Ac in his quidem missio sanguinis vtilis est.] Particulares causas docet propter quas contingit mittere sanguinem: sunt autem in vniuersum duæ; vna est vacuatio, alia est reuulsio, licet enim secemus venam semper, vt vacuemus sanguinem: (aperta enim vena sanguis effluit) non tamen propterea semper vacuamus sanguinem, quod ob copiam vacuationem indicet: sed aliquando id facimus, vt vehementiorem impetum ipsius ad alias partes reuellamus, deriuemusque. Venæ igitur sectio aliquando est remedium vacuatiuum, aliquando reuulsiuum, atque hæ solæ sunt causæ, ob quas aliquando cogimur venam incidere. Galenus itaque dicit, in his quidem.] id est, in plethoris iam dictis, siue quo ad vires, siue quo ad vasa, missio sanguinis vtilis est, ceu vacuantium præsidiorum vna: quia plenitudo indicat vacuationem; quæ, si leuioribus fieri nequeat præsidiis, ad venæ sectionem, vt ad sacram confugere oportebit anchoram; in plenitudine quo ad vires non protinus mittere sanguinem oportebit, sed considerandum antea; quam robustæ sint vires, atque alia perpendenda sunt, de quibus Galenus abunde tractauit libro de ratione curandi per sanguinis missionem, ac etiam nos diximus libro secundo eiusdem argumenti: at vero in plenitudine quo ad vasa, protinus, præsertim, si tensiua fuerit, ad hoc accedere oportebit remedium; Rectissime igitur à Galeno dictum fuit in plenitudine vtraque, venæ sectionem esse vtilem ceu vacuantium præsidiorum vnam: addit autem postea, in aliis, ceu quod humorum vehementiorem impetum ad diuersam partem euocet, vel per propinqua deriuet.] Quibus verbis docet, cur conueniat aliquando venam incidere ratione reuulsionis. Causa autem est, vt vehementiorem impetum sanguinis ad contrariam partem attrahamus, vel per propinquas deriuemus: duplex enim species reuulsionis est, quarum vna dicitur reuulsio absoluto quodam nomine, quæ fit in parte longinqua, alia localis appellata à Palladio, & Alexandrino explanatoribus libri Epidemiorum, à nobis Galeni imitatione, dicitur deriuatio: vtraque indicatur à particula affecta motu sanguinis. Verum, solet sanguis moueri dupliciter, vno modo leuiter, alio autem vehementiori impetu, venæ sectio non semper adhibetur in omni sanguinis motu præter naturam, sed solum vbi vehementior est impetus, quam qui possit remediis sanari leuioribus, quales sunt frictiones, balnea, cucurbitulæ, deligaturæ, ob id Galenus in contextu dixit, vehementiorem impetum.] Ergo in his omnibus, qui vehementiorem patiuntur sanguinis impetum, aut a causa interna, aut ab externa, venæ sectio est vtilis, ceu præsidium reuulsorium, ideo dicit, in aliis.] quod est dictum, in aliis affectibus sanguinis ab ipsa plenitudine diuersis, quia sine affectu plenitudinis plerumque videmus vehementiorem hunc fieri motum, & sine plenitudine ad venæ sectionem peruenimus, vt in iis, qui ab alto ceciderunt, aut carnes vehementer contusas habent, vsu venire dicebat Galenus libro quarto de Methodo medendi, capite sexto, & libro de phlebotomia, capite quinto: ita quidem admirabilis hic author quotiescunque dicit, mittendum esse interdum sanguinem sine plenitudine, locutus est semper de venæ sectione, vt de præsidio reuulsiuo: quam dixit indicari à magnitudine morbi futura, quia ille motus inflammationem facit si fluens in corpore appellat ad aliquam particulam, at si fluat extra corpus, parit summam virium imbecillitatẽ; neq; enim omnino præsens, aut vsq; quaq; factus morbus est, cum reuulsio exquisita adhibetur, aut si factus est, adhuc tamen est defluxorius, fluxione ipsa magnũ illius incrementum minitante. Reuulsio enim potissimum instituitur, vel cum incipit morbus, vel cum suspicio est ne incipiat: quod animaduertens Galenus in libro de venæ sectione, capite nono, dicebat: Recte ergo admonemur in iis, quæ adiecta sunt libro de ratione victus acutorum, sanguinem mittere, si magnus sit morbus, & æger florenti sit ætate, roburque adsit. Perperamque Menodotus in sola syndrome plethorica seruari venæ sectionem inquit. Contra enim prorsus sanguinis mittendi scopi, primum in se plenitudinem non comprehendunt: sed fientis (vt sic dicam) passionis suspicionem.] declarat postea causam, cur ita di-

xerat, cum ait: Nam ſi eam magnam fore apparet, omnino ſanguinem mittemus, etiam ſi nulla exiſtat plenitudinis nota.] quod etiam dixerat ſupra, capite octauo, ſtatim in principio. Quod igitur Galenus & in Methodo & in his locis, ac paſſim alibi, dixit, ſine plenitudine mittendum ſanguinem, hic dicit ſermone longe perſpicuo, atq; ſuam ipſius ſententiam explanante, reuulſionis cauſa mittendum propter ipſius vehementiorem impetum. Iam igitur, quia Galeni ſententiam explanaſſe videor diligenter, perluſtremus reliqua.

Cap. IX.

Aliorum opinio circa explanationem capitis vndecimi, libri noni de Methodo medendi pluribus rationibus refellitur.

NVNC operæpretium eſt, vt aliorum opinionem examinemus: arbitrantur docti quidam Medici, nullum ſanguinis eſſe vitium, quale tandē, & quantumcunque id fuerit, quod poſſit venæ ſectionem impedire; ac ideo dicunt in magna ſanguinis mutatione à ſua natura ob virium imbecillitatem non conuenire detractionem ſanguinis: ſed ſi magna mutatio facta non ſit, viribus conſtantibus rectiſſime adminiſtrari: aſſeruntque, Galenum hoc ipſo loco id euidentiſſime confirmare; nam proponens cauſas, ob quas ſanguis redditur naturæ inutilis, dicebat vnam eſſe corruptelam ipſius, vel mutationem in ſuis qualitatibus: aliam vero plenitudinem: in his duobus affectibus venæ ſectionem conuenire, ideoque quando Galenus dicit: ac in his quidem ſanguinis miſſio vtilis eſt.] intelligere vtrumq; affectum, plenitudinem ſcilicet, ac mutationem ſanguinis, cum proprias qualitates ad vnguē non ſeruat, profitenturq; ex illius ſententia, ſanguinis alterationem curari venæ ſectione, cum ſcilicet mala qualitate affectus eſt: afferuntq; Galeni verba, quæ nos ſupra citauimus, quæ non ſunt hoc loco repetenda, ſatis enim ſit oſtendere ex verbis eiuſdē auctoris, quantum illi à ſcopo aberrare mihi videantur. Nam certe dum hanc explanationem conſidero, inuenio multa, quæ mihi in hac opinione diſplicent; atq; primo loco illud approbare non poſſum, quod hanc Galeni ſententiam, tanti alioquin momenti, quanti fere non eſt alia, non afferant in medium eadem ſerie, ac ordine, quo diſpoſita ab illo fuerunt, multa prætermittentes, quæ alioquin manifeſte illorum opinionem arguunt: ac in primis omittunt cauſam, ob quam venæ ſectio exercetur, quæ cauſa eſt, vt ſanguis vacuetur: ergo non conuenit venæ ſectio, vt ſanguis alteretur; quia alteratio non fit vacuatione ſubſtantiæ, ſed mutatione qualitatum: & nunquam erit verum in Galeni doctrina, quod illi profitentur, vnam prauam qualitatem ſanguinis emendari venæ ſectione. Si enim prima ſit qualitas, contraria qualitate prima alterari debet, ſi ſecunda, incidendus, incraſſandus, detergendus. At vero fortaſſis intelligent per prauam qualitatem, facultatem aliquampiam deleteriam, & venenatam, vt alii nec ignobiles Medici dicunt, ego vero id ipſum de illorum ſententia non credo, vt qui ſciam occultas haſce qualitates non libenter admittere. Verum, ſi explanationem recipiamus, adhuc viget dubitatio, quia huic non opponitur vacuario, ſed alexipharmacum, quod illi totius ſubſtantiæ diſſidio contrarium ſit: nomine igitur qualitatum ſanguinis non eſt accipienda, niſi eius forma, ſubſtantia, vt prædiximus. Concluſio igitur ſit, cauſam ob quam exercetur venæ ſectio, aliam non eſſe ex Galeno quam vacuationem ſanguinis: aberrat igitur toto cœlo, qui ſanguinem vacuat, vbi ſanguis vacuationem non poſtulat. Secundo diſplicent, quod hæc prætermittunt verba: nec amplius nutrire, ſicut prius, cum vtilis eſſet, poteſt.] nam ſtatim ſequuntur ad hæc verba, vel cum propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat.] illa autem verba neceſſario requiruntur in ea ſententia, quia declarant, quid per mutationem qualitatis in ſanguine ſit intelligendum, quemadmodū nos ſuperiori capite declarauimus: & nunc confirmo explanationē ex eodem auctore, in cap. 10. eiuſdem libri, nempe, quod eam intelligit mutationem, quam ſupra nomine corruptionis ſanguinis indicauit. At vero

qui dicit corruptionem ſanguinis, hic non intelligit ſimplicem mutationem in qualitatibus, quam alterationem Galenus vocat eandem eſſe hanc mutationem cum corruptione ſanguinis, tũ ea manifeſtum faciunt, quæ ibi dixit, tum etiam verborum continuatio. Tertio prætermittunt etiam multa, vbi de ſpeciebus multitudinis agit Galenus. Sed hæc potuerunt prætermitti fortaſſis (dicent) eo quod certiſſimum eſt in affectu plenitudinis conuenire venæ ſectiouem, & ob plenitudinis vnius vacuationem Medicum plerumq; ad venæ ſectionem accedere; quod ſi concedant, velint nolint etiam, concedant neceſſe eſt, venę ſectionem vt vacuatiuum præſidium ſemper indicari à magnitudine morbi concitati à ſanguinis copia, vel à futuro magno morbo propter plenitudinem: quod à me demonſtratum fuit abunde lib. ſecundo de ratione curandi per ſanguinis miſſionem. Poſtremo admiror, cur hæc ipſa Galeni verba tranſcribere noluerint. Nam ſtatim atque tranſcripſerunt hæc verba, in his quidem venæ ſectio eſt vtilis.] omnia prætermittunt quæ ſubſequuntur verba, hac ſerie ceu vacuantium præſidiorum vna: in aliis, ceu quod humorum vehementiorem impetum ad diuerſam partem euocet, vel propinqua deriuet.] cum enim hiſce verbis venæ ſectionem eſſe aliquando pro ſola vacuatione inſtitutam: aliquando pro reuulſione ac detiuatione, debebant meminiſſe decreti huius, vt puta quod omnẽ è medio difficultatem tollit: ac ſane maxime admiror cur eiuſcemodi verba tranſcribere non curauerint: nec aliam inuenio cauſam, quam quod fortaſſe putauerint, ad totius diſputationis diſſolutionem nihil conferre: ſed vtcunq; ſit, ad explanationem propius accedamus. Interpretantur illi: In his quidem venę ſectio eſt vtilis.] ſcilicet, in plethoricis diſpoſitionibus, & in mutatione ſanguinis à qualitate ſua. Ego vero, vt veriſſimam eſſe explanationem profiteor, quo ad primam partem, vt iam dixi: ſic profiteor, falſiſſimam exiſtere quoad ſecundam. Etenim cum duplici duntaxat de cauſa ſanguinem mittamus, vel ob vacuationem, vel ob reuulſionem, petierim ego ab illis, vt mihi dicant, quam ob cauſam conueniat ſanguini mutato ſecundum qualitatem: non quidem conuenit quatenus vacuatiuum præſidiuum, quia nulla ſanguinis adeſt plenitudo Galeni teſtimonio 2. Aphoriſmorum, commentario 17. plenitudo enim venæ ſectionem pro vacuatione poſtulat. Neq; conuenit, vt reuulſiuum, eo quod nullus adſit ſanguinis motus, vehemensq; impetus. Vrget præterea quod ſanguinis, quæ amplius nutrire non poteſt, corruptio, minime poteſt curari venæ ſectione: quia quod omnino putrefactum eſt, quanto citius fieri poteſt expurgandum aut vomitu, ſi repat ad ſuperiores partes, aut per inferiorem aluum, aut per ſudores, aut per vrinas: minime autem venæ ſectione indigere declarauit Galenus vndecimo libro de Methodo medendi cap. 8. & nono, & decimotertio, adeo certe ac dilucide, vt nihil fere certius, ac dilucidius dici poſſit. Hunc etiam locum examinabimus accuratius lib. 4. Amplius id non conuenit remedium pro ſanando humore corrupto, quod poteſtatem non habet ſanandi ipſum: atqui venę ſectio non poteſt ſanare humorem corruptum: quam rem Galenus apertiſſime docet libro eodem, cap. 14. vbi dicebat, putredinem ac obſtructionem ſanari non poſſe venæ ſectione, ceu quæ alia remedia deſiderent, vt prius eſt demonſtratum: hunc locum examinauimus in libris noſtris de febribus; ac in iſtis diſputationibus quædam dicam, cum de febribus tractabo. Item horum explanatio contextui Galeni repugnat; quia ille dicit, in his mittendus eſt ſanguis pro vacuatione, ita indicante plenitudine; in aliis vero pro reuulſione. Quæſierim ego ab iſtis viris quid intelligant per hanc dictionem, in aliis.] eſt enim certum non intelligere plenitudinem: hoc quidem non habet difficultatem: neque poteſt intelligere ſanguinem mutatum in ſua qualitate, quia hic non habet vehementem impetum, quatenus in qualitate mutatus eſt; quamobrem hic intelligit humorum motum. Poſtremo difficultatem faciunt magnam tum Hippocratis, tum Galeni verba, 6. de morbis vulgaribus, ſect. 3. comm. 43. qui dicebat: ſunt quibus ſanguinem auferre conuenit opportune in talibus; in aliis vero quemadmodum in his non conuenit. Prohibitio à ſputo ſanguineo, à bile, ab

anni tempore, à pleuritide. Galenus in commentario: Expedit aliquibus ex his (dicebat) sanguinem detrahere, quibus videlicet copiosior est, & nondum affatu dignam mutationem in alium succum effecit, minime vero auferre, quibus iam mutatus est; præeunte eo, qui à viribus est, scopo, licet id omittatur aliquando in sermonibus, in quibus eas, quæ ex affectibus solis proueniunt indicationes recensemus.] Idem etiam vterq; author repetit libro tertio de humoribus, com. 32. hæc si vera sunt, iam manifestissimam fidem faciunt, humore ita mutato, vt amplius nutrire non possit, vt prius, insignem adeo factam à natura propria mutationem in alium humorem, vt omnino venæ sectione non indigeat. Ego itaq; ob has causas horum hominum opinionem falsam esse censeo. Verum, hic duæ sunt dubitationes, quæ multum vrgent; harum vna est, quod cum Galenus eo cap. 11. noni de Methodo medendi, mutationis à propria natura sanguinis mentionem fecisset, & secundum nostram explanationem huic affectui non conueniat venæ sectio, Galenus de insufficienti doctrina videtur arguendus, vtputa qui non docuerit, quo vtendum sit remedio pro sanguine corrupto. Secundo diceret quispiam, quod Galeni sententia 6. Epid. sect. 3. com. 45. non est intelligenda, nisi propter vires imbecillas, quæ semper adsunt cum humorum corruptela, atq; ob has ipsas non conuenire venæ sectionem; quod facile confirmari posset ex verbis Galeni, qui dicit: Præeunte eo, qui à viribus est scopo,] quæ verba indicant, ob virium infirmitatem non esse tutum venam incidere; hanc explanationem ad hunc locum scio viris quibusdam nostræ ætatis eruditis, non mediocriter satisfacere. Confirmatur postremo idem ex eodem auctore, lib. 9. de Methodo medendi, cap. 10. vbi ait, suspectam esse venæ sectionem, si ex humorum corruptela accendatur febris, non ob aliam causam, quam quod plerumq; incidat cum viribus imbecillis, ideoq; consulit, exercendam esse curationem per ἐπίκρασιν. Hæc tamen non cogunt, quibus ego in hunc modum secundũ Galeni doctrinam occurro. Et quatenus pertinet ad primam dubitationem, dico, Galenum huic satisfecisse: nam in extremo cap. 10. lib. 9. proponens methodum curationis horum humorũ, dixit, indigere vacuatione, aut per venæ sectionem, aut per medicamentum purgans, quando vires validæ sunt, nam vtrumq; remedium vires exigit validas: at si imbecillæ adeo fuerint vires, vt neutrum remedium pro dignitate morbi fieri possit, opus est affectum reddi insanabilem: aut si sanari potest, Medicum postulat egregium, & in artis operibus exercitatum, qui curatione per ἐπίκρασιν sanet, prætermittit ergo docere curationem sanguinis eo modo permutati, quia superius fuit explanata. Addo, quod etiam non fuit necessaria exactior tractatio, quia vndecimo libro de Methodo medendi, vbi Galenus ex proposito agit de putredine, diligentissime de hac agit materia. Est autem hoc loco in iuniorum Medicorum gratiam explicandum, cum humorum corruptela postulet vacuationem, vel per sanguinis missionem, vel per pharmacum expurgans, quando vna, & quando alia conueniat vacuatio: etenim Galenus non dixit semper conuenire venæ sectionem, sed alternatiuè loquitur. Dico, purgationem solum esse necessariam, vbi humores ita corrupti sunt, vt iam omnino in alienam degenerauerint naturam, vt supra diximus ex Galeno, tum commentariis de humoribus, tum ad librum sextum de morbis vulgaribus: at humoribus non ita absolute mutatis in alienam naturam, sed corruptione existente in fieri (vt ita dicam) qua cum adhuc propria humoris natura consistit, venæ sectio est cum primis necessaria, talis accidit in synocho putredo, estque similis omnino ipsi vino acescenti eiuscemodi affectio; alia vero vino in acetum transmutato: lege Galenum libro secundo Aphorismorum, commentario decimoseptimo. Deinde verum non est, humorum corruptelam semper cum viribus imbecillis consistere, quia validæ possunt esse interdum, vt Galenus ait, primo Aphorismorum, commentario decimoseptimo, vbi habet hæc verba: Si vero cum humorum defectu, vel corruptione vires validæ fuerint, tunc multos cibos atque multories dabimus iis, qui ita laborauerint,] ita igitur sit satisfactum primæ quæstioni. Secundæ

cundæ

cundæ autem occurrentes dicimus, nos hoc loco minime disquirere, quid contraindicet, sed solum quid indicet; rationalis enim Medicus prius cognoscere debet, quid vnusquisque affectus indicet: postea vero considerandæ sunt vires, an admittant, quod ab indicante suggeritur, vt Galenus libro de ratione curandi per sanguinis missionem docuit, capite primo. Stante hoc axiomate totius artis communi, respondeo dubitationi in hunc modum: cum putant non mitti sanguinem in eo affectu, quia vires sunt imbecillæ, dico id non omnino recte dictum, sed solum aliqua ex parte: nam possunt esse vires, quæ ferant purgationem, aut subito confestimq; factam, aut paulatim, quæ tamen vires erunt imbecillæ, quo ad aliquid, nempe in relatione ad missionem sanguinis, ad id scilicet opus, quod ab indicante non suggeritur, ideo vires vario respectu validæ & imbecillæ in hoc ipso casu nuncupari possunt, ideo aberrant, putantes non mitti sanguinem, quia vires non sint validæ primum, quia cum aliqua humorum corruptela possunt vires esse validæ, vt parum supra dixi: deinde, vbi non ferunt sanguinis missionem vel purgationem, coactique sumus epicrasi vti, vires sunt validæ ad eam vacuationem. Vera igitur causa est, quod non adsit indicans venæ sectionem, propterea non mittitur sanguis. Galeni verba in eo commentario 45. quæ habent, præeunte eo, qui à viribus sumitur, scopo,] intelliguntur de executione remedii, quandoquidem in inuentione illius primas partes habet morbus, vt constat, & Galenus etiam eodem loco innuere videtur: in executione autem contrario modo sese res habet, quia virium consideratio præcedit, maxime vbi remedio vacuante, ac vires dissoluente vtendum. Ad confirmationem ex nono Methodi patet ex supradictis in explanatione primæ dubitationis, quid sit dicendum: nam omnino suppositum ipsum non semper apparet verum: quia vires aliquando sunt validæ cum humorum corruptela. Sed satis dixisse videor de causa, ob quam vena inciditur, de differentia sectionis venæ duplici, ac tandem conclusum, venæ sectionem indicari à magno morbo propter plenitudinem, vel propter sanguinis motum nunquam conuenire in corruptela sanguinis, cum ita mutatus est, vt nutrire non possit: vtilemq; tunc fore purgationem, aut subitam, & vna vice factam, aut paulatim, & per ἐπίκρασιν.

Cap. X.

Humorum vitium quomodo venæ sectionem admittat.

OBIICIVNT nobis Auicennæ verba libro primo, sectione quarta, capite vigesimo, in quo inquit: His enim omnibus, vel propter sanguinis exsuperantiam, vel eius vitium, vel vtrumq; sanguis detrahitur.] hæc ille. Ex quibus verbis omnino conficiunt, venæ sectionē non semper indicari à sanguinis multitudine aut motu, sed aliquando à vitio ipsius hanc indicationem suggeri; atque ita etiam in affectu cacochymiæ quocunq; (idem enim est cum humore vitioso) modo vires valeant saluberrimum esse venam incidere. Hunc locum præstantissimi quidam ætatis nostræ Medici aliquando considerantes, sententiam eius auctoris non omnino approbarunt, ego vero aliquid me habere profiteor, quod non modo probabiliter, sed etiam vere dici posse putem. Nomine plenitudinis, seu exsuperantiæ sanguinis, intelligit optimi sanguinis copiam in toto corpore, secundum eam explanationem, quam nos ex Galeni placitis in libro de plenitudine dedimus; de qua tum libro secundo Aphorismorum, tum libro de multitudine locutus est idem author. Per malitiam sanguinis multa potest intelligere, ac primo sanguinem in aliquopiam loco conculcatum, qualis est, qui in phlegmone continetur; hic enim certe vitiosus est, quia cum transpirare non possit, necessario putredinem subiit, cuius causa febris fit. Deinde eius nomine intelligere potest sanguinem fluentem; non in omni phlegmone adest etiam fluxio, quam concitat dolor & calor affectæ particulæ; est autem ad fluxionem aptus sanguis, qui vitiosus est, nempe calidissimus, acerrimus, tenuissimus,

quem semper fluere ad omnes inflammationes efficiendas, vel primario, vt in erysipelate, vel tanquam viam præparans crasso sanguini, rationi maxime consonum est; ergo, licet nulla adsit plenitudo totius corporis in phlegmone alicuius particulæ, sanguis sit vitiosus. Duplici igitur, vt dixi, de causa, tum ob vacuationem sanguinis in phlegmone contenti, tum ob reuulsionem fluentis, conuenit venæ sectio, hoc tamen non tollit decretum nostrum; quia adest plenitudo particulæ affectæ, quæ intumescit, distenditurq́; cuius causa phlegmon omnis vacuationem sanguinis exigit, vt Galenus dicebat lib. decimotertio de Methodo medendi, & libro de venæ sectione, cap. 19. atq; etiam apertissime libro artis medicinalis, cap. 95. Hunc sanguinem euacuare expedit, anteaquam in puris naturam transmutetur, vitiosum quidem, sed non ita vitiosum, vt omnino sit transmutatus in alienum humorem, tunc enim inaniter tentaretur venæ sectio, sed partem incidere, & rumpere oportet, vt puri pateat exitus, ante vero scarificanda est pars vndiq;, vt scarificationes totum locum ambiant, Galeni placito, libro artis medicinalis, & secundo curationum ad Glauconem, ac prius etiam, vt qui continetur in phlegmone sanguis vacuetur, incidenda vena est cum illo phlegmone societatem habens, ac propterea vicinitate coniuncta. En igitur quomodo indicante plenitudine vitiosi sanguinis, venæ sectio exercetur. At vero, si postea consideramus eiusdem sanguinis fluorem, ac impetum, ex quo phlegmonosa pars in maiorem attollitur tumorem, expedit venam secare ratione reuulsionis, vitioso existente sanguine in eum, quem proxime dixi, modum. Verissima esse hæc, nemo nescit, qui vel tantillum sit in Galeni doctrina, & simul in artis operibus exercitatus, verum, qui adhuc de hac re dubitat, nostros legat commentarios ad Galeni librum de venæ sectione, & librum quartum nostræ tractationis de ratione curandi per sanguinis missionem, atq; nihil offendet, quod facere illi difficultatem possit. Cæterum sic interpretandum esse hunc locum, Auicennæ verba manifestissimum faciunt, quæ nonnullis à iam citatis interpositis lineis, pro explanatione suæ sententiæ, hoc modo habent: sed & inflammatione aliqua laboranti, vbi vereamur, ne antea quam resoluatur, ad supputationem deueniat, vena secanda est, quamuis venæ sectione non indigent, nec vlla adsit plenitudo.] Ecce quomodo Auicenna seipsum interpretatus, vitiosum sanguinem intelligit. Verum, quid sibi volunt hæc verba? Quamuis venæ sectione non indigeat.] cur non indigent hoc remedio, qui patiuntur inflammationem, cum nullum magis existat & necessarium, & proprium? in promptu responsio est consideranti, quæ parum antea dixerat. Non indigent venæ sectione, quemadmodum sani, quia isti iam ægrotant; illi vero ægrotaturi sunt: siue quod habeant totius corporis plenitudinem, siue non habeant: tutius enim (dicebat) imminentibus morbis, quam præsentibus sanguinem mittimus. De Auicenna satis. Tertia illorum ratio, quæ innitebatur Galeni verbis octauo de Methodo medendi, capite quarto, quanti fieri debeat, demonstratũ mihi fuit in propria disputatione. Quartam vero pertinentem ad fluorem sanguinis ex naribus, ex vtero, ex mariscis, ex vulnere, iam explicatam habuistis in iis, quæ supra de reuulsione diximus.

CAP. XI.

Examinatur historia Pythionis, ostenditurq́, eam maxime fauere opinioni nostræ.

EA, quæ ex tertio Epidemiorum libro, sect. 1. ex historia Pythionis dicuntur, considerabimus hoc loco. Dilucidioris autem doctrinæ gratia, affero prius verba Hippocratis, mox autem in discursu, etiam quæ in commentario Galenus habet, recensebo, ostensurus vtrumque nobis fauere. Sic igitur Hippocrates:

Pythion qui propter telluris ædes habitabat, cœpit primo die tremor à manibus, febris acuta, nugabatur. Altera die cuncta grauiora euaserunt. Tertio

eadem

eadem erant. Quarto, aluus pauca, meta, biliosa fuit deiecta. Quinto, omnia grauiora euaserunt, tremores manebant, somni erant tenues, aluus constitit. Sexto, sputa varia, subrubra. Septimo, os est distortum. Octauo, omnia ingrauescebant, tremores etiamnum permanebant. Vrina à primo ad octauum vsque diem tenuis, decolor, in qua suspensiones pendebant nubilosæ. Decimo sudauit sputa concoctiora, iudicatus est, vrina circa iudiciũ subtenuis. Quadragesimo ab iudicio die suppuratio circa sedem, & stranguriosus factus est abscessus.] hæc Hippocrates. Hunc ego dum considero casum, inuenio eo in ipso sanguinis missionem duplici nomine fuisse necessariam, tum propter vacuationem plenitudinis, tum ob reuulsionem à sanguinis fluxione indicatam, atque propterea falsissimum esse censeo, Galenum in ea historia cæteris omnibus neglectis indicationibus & cogitationibus (quemadmodum arbitrantur Medici recentiores) vnam duntaxat morbi magnitudinem perspexisse: imo vero dico & affirmo, Galenum tum alibi, tum præcipuè in explanatione proposita, semper duos illos scopos considerasse, & nunquam sine vno, aut alio, aut ambobus sanguinis detractionem consuluisse. Perpendamus diligenter, quid recentiores dicant.

Galenum solam magnitudinem morbi perspexisse neglectis cæteris omnibus indicationibus deducunt illi ex sequentibus Galeni verbis: Oportebat, ait, Hippocratem cum hominem animaduerteret in periculo esse, ad sanguinis missionem accedere, aut primo die, si nullum venter contineret cibum crudum, aut omnino altero.]

Hoc certe non est sufficiens huius rei argumentum: primum, quia periculosum esse affectum, non indicat necessario morbi magnitudinem & acutiem: cum sint periculosi quamplures morbi diuturni, vt elephas, & cancer, & hydrops, & phthisis, & hectica. Deinde, quia certe acuti morbi ex Archigenis sententia periculosi sunt, quam rem Galenus admittit; at sunt cito periculosi, vtputa, qui dierum quatuordecim spacio terminantur. verum, qui subitum non minatur periculum, neque breuem habet motum, acutus non est. Addo, quod neque in omni acuto morbo & periculoso venæ sectio conuenit. Debebant meo quidem iudicio validiori argumento insistere, quale potissimum est, quod sumitur à natura morbi & causis, ob quas ille Pythion laborabat, ac diligenter animaduertere, quæ Galenus memoriæ in eo commentario prodidit, quæ quoniam ab illis non afferuntur, non grauabor ego in illorum gratiam dicere.

Inprimis in eo commentario Galenus inquit, morbum fuisse inflammationem cerebri cum acuta febre, aut sane cerebrum fuisse offensum multa bile, quod statim prima die nugaretur, & tremorem pateretur, tremorisque causam extitisse plenitudinem, copiamque sanguinis obruentem & fere suffocantem calidum innatum; afferamus illius verba, ne forte imponere aliquid videamur. Inquit: Quare si nugatus est Pythion, constat modice desipuisse. Desipientiam vero fieri cerebro ob inflammationem, vel copiosum biliosum succum, offenso, & acutam febrem esse putredinis humorum comitem, ac parum postea. Cum itaque tremores causam habent, vt ita dicam, continentem, virium imbecillitatem; illæ autem imbecillæ redduntur, aut per se, aut per humorum abundantiam grauantem, non existit tremor, qui virium sequitur offensam in principio morbi citra validam ægritudinem, aut famem, aut lassitudines, aut vigilias, aut sollicitudines, ad hæc immoderatam Venerem. Quorum, si quid factũ sit, omnino Hippocrates. vt solet, meminisset. Quia igitur tale nihil scripsit, vires existimes sane opprimi plenitudine: ac paucis interpositis ait; tum vero quod nugaretur homo, cerebrum etiam ipsum aliquẽ excipere biliosum humorem indicio esset.] hæc ille. Quæ manifestum iam faciunt, omnino quidem in Pythione omnes adfuisse indicationes missionis sanguinis: tum ipsa scilicet multitudo aggrauans vires, ac vehementer opprimens, sic indicante manus tremore, atque cerebro vel inflammatione affecto, vel certe fluxione humoris biliosi: hæc ipsa indicant, venæ sectionem fuisse duplici nomine necessariam, tum pro-

pter vacuationem ipsam ratione plenitudinis, tum propter reuulsionem ratione fluxionis. Hæc Galenus meditatur in eo commentario, & considerauit, vt necessaria ad sanguinis detractionem. Quod porro dicat: Siquidem ille in veris suis operibus infestantibus magnis morbis semper missione sanguinis vtitur.] eo pertinet, vt doceat non conuenire generosum præsidium exercere, nisi magnus sit morbus, quia in paruis nunquam expedit. Quis enim hac de re dubitat? vulgatissimum enim illud est, magnum remedium non conuenire nisi magno morbo, actu, aut potentia. Postremum argumentum à rationibus Galeni contra ipsum Menodotum petitis, quale sit in sequentibus disputationibus constabit. Hactenus itaque demonstratum mihi fuit, vnum duntaxat esse scopum vere indicantem sanguinis detractionem, magnitudinem, scilicet morbi præsentis, aut imminentis, aut incipientis à sanguinis multitudine, aut motu procreati, nunc de aliis scopis pertractemus.

Cap. X.

Duos esse scopos primos, ac principes pro exequenda missione sanguinis obseruandos.

HABITO scopo vere generosum hoc indicante remedium, non statim ad ipsum opus, & executionem accedimus. Fieri enim potest, morbum sanguinis emissionem exigere, laborantem tamen eam ferre non posse siue propter ætatem, siue propter anni tempus, siue propter regionis naturã, siue ob ostium ventriculi vitiatum, quod sæpe per abusum, stomachum appellitant. Sed sunt etiam dicit alicubi Galenus, qui tametsi vel maxime quod ad morbum pertinet, sectione venæ indigeant, ob totius corporis habitum ferre non queant. Huic igitur scopo addidit Galenus alium, quo posito, ponitur, & quo remoto, remouetur venæ sectio, ita vt ex ambobus præsentia statim ad mittendum sanguinem, & ex absentia aut amborum, aut alterutrius, nunquam sanguis mitti possit, hac de causa arbitramur hosce scopos executionis & vsus rectissime nuncupari posse, quemadmodum supra dicebamus. Scopus autem, quem Galenus adiungit huic primario, est virium robur, quamobrem duo erunt primi, ac principes scopi, magnitudo morbi, & virium robur, ille tanquam indicans remedium, hic vero non prohibens illud, quod contraindicare dicitur, id est, remedium illud idem indicare, atque admittere, quod à primo indicante suggeritur, sed modo quodam contrario, nempe, vt vires conseruentur, quod quid per accidens conuenit viribus, vt Galenus dicebat primo acutorum: etenim sua natura vires indicant alimentum, cibum, potumque vt diu seruari possint, sed quia alimentum auget aliquando morbum, à quo grauatur virtus, hæc si valida extiterit, admittit id remedium, quod morbus postulat. Vires validæ statuuntur cum tres facultates corpus nostrum gubernantes, quæ ex cerebro, corde, & iecinore prodeunt, bene sese habent, quod ex illarum operationibus cognoscimus, harumque robur facultatum, vitalis præcipue in hoc opere desideratur, vt à Galeno declaratum fuit libro 2. de composit. medicam. localium. De duobus hisce scopis locutus est Galenus in libro de Methodo medendi, cap. 6. cum ait: Quando si valens fuerit morbus cum virium robore, nemo est vtiq; qui sanguinem non mittat. Consideranda sunt hæc verba, nemo est vtiq;, qui sanguinem non mittat.] siquidem in iis ipsis nemo non videt, Galenum agere de actu & executione huius remedii: non autem de eo, quod ipsum primo indicat: quia quod indicat, non est protinus executioni demandandum, vt prædiximus: Idem scribit libro de missione sanguinis cap. 13. vbi horum duntaxat scoporum meminit, quasi totius operis conclusionem & epilogum faciens ad scopos pertinentem, de quibus multa supra dixerat. Ac apertissime eodem libro, capite nono, quo loci eos ipsos scopos, tum primos, tum etiam principes appellauit, quia ad eos alii propemodum omnes referuntur: eius verba afferre placet, quia contra nouatores Medicos magni momenti videntur mihi.

Cæterum

Cæterum primi (inquit) principesq; mittendi sanguinis scopi sunt, magnitudo morbi, & laborantis robur: & hanc esse primam, dicendum est, syndromen non plethoricam: in quo seruata sit sanguinis missio, in illa enim & hæc comprehenditur, vt quæ morbi magnitudinem adaugeat.] quasi dicere voluerit Galenus, syndromes, id est, concursus omnium signorum indicantium sanguinem esse mittendum, non est plethorica illa Menodoti à nobis toties reprobata: sed solum satisfacit ad obeundum hoc opus magnitudo morbi, ac robur laborantis: quia cum magnitudine morbi comprehendimus etiam plenitudinem, cuius causa morbi magnitudo adaugetur. Considerent, quæso, hunc locum Medici nouatores, ad pauca certe (vt libere dicam) respicientes, vt cum Aristotele loquar; nam si syndromes indicans vsum & executionem huius remedii, est morbi magnitudo, & virium robur, & sub ipsa magnitudine continetur plenitudo, vtiq; Galenus significauit magnitudinem morbi à plenitudine, dum ibi loquebatur de phlebotomia, quatenus vacuatiuum erat præsidium, Menodoti consuetudine syndromen proponens: ergo semper, quando gratia vacuationis nos ipsi morbi magnitudinem indicare dicimus detractionem sanguinis, complectimur plenitudinem. Quando autem gratia reuulsionis magnitudinem morbi intelligimus sine plenitudine, factam scilicet à sanguinis fluore, ac vehementiore impetu, vel in corpore, vel extra corpus, vt iam dictum fuit. Sed reuertor, vnde nostra discessit oratio. Si primi ac principes scopi solum duo existunt, perperam recentiores Medici contendunt esse tres, illis duobus addentes ætatem florentem. id enim, præterquam quod Galeno repugnat hoc loco, repugnat etiam rationi, quam explicauimus in principio capitis huius. Omnes enim scopi, quicunq; hisce duobus adduntur, vel magnitudinem morbi, vel ipsarum virium significant robur: quod in sequentibus, inductione in singulis facta, fiet manifestum, atq; nunc volumus de quibusdam duntaxat loqui scopis, qui non leuem complecti difficultatem videntur. Ætates duæ non mediocriter controuersæ sunt: Senectus, & pueritia. De vtraq; ita sentiendum est: In senibus non conuenire hoc remedium statuit Galenus, quia omnes vires habent imbecillas, vt scribit libro de missione sanguinis, cap. 9. Sed hæc, quia manifeste pugnant cum iis, quæ eodem libro scribuntur, cap. 13. distinctionem adhibere conuenit, alioquin Galenus à nota contradictionis vindicari non potest. Senes aut sunt decrepiti, & valde senes, aut in prima senecta, aut in media constituti: continentur valde senes sub verbo virium, quia habent omnes facultates adeo imbecillas, & adeo paucus inest illis sanguis, vt non modo hanc, sed neq; aliam admittere possint vacuationem: de iis intelligitur eius dictio loco citato, & quarto libro acutorum, commentatio 19. Veram esse hanc explanationem, non solum quæ sequentur clare indicabunt, sed etiam quæ scribit libro de sectis, capite tertio & octauo, in quibus valde senes, ac multum prouectos senes, ab hoc remedio generoso excipit: hosce locos examinabimus libro sequenti in disputatione de missione sanguinis in pueris. Ergo senectus secundum se tota non est ab hoc remedio excludenda, sed solum quoad vnam particulam: cum duæ admittant partes. Neq; præterea debet eiusce modi ætas, quemadmodum neq; aliæ certis annorum numeris definiri. Nam sunt quidam valde senes anno sexagesimo, alii quinquagesimo, alii contra extenduntur vsque ad octuagesimum, ac nonnulli vsque ad nonagesimum: in iis omnibus abstinendum a missione sanguinis languescentibus viribus; at si fuerint validæ, bonumq; corporis habitum habeant, pulsus validos, ferunt venæ sectionem quolibet anno, vt septuagesimo: imo vero etiam vidi Benedictum Victorium Fauentinum Medicum magni nominis anno octuagesimu quarto, sibi gratia præseruationis sanguinem misisse. De hac re Galenus libro de sanguinis missione, capite decimotertio, in hunc modum loquitur: Itaque & septuagenariis modo dicti adsint pulsus, si affectus iubeat, venam secabis; sunt enim quidam, & in hac ætate multi sanguinis, viresque habent robustas, sicut alii sicci, & pauci sanguinis, & facile arescentes quauis percussa parte: itaque non annorum numero solummodo a-

nimum aduertes, quod quidam faciunt, sed & corporis habitui. Nam sunt, qui sexagesimo ætatis anno venæ sectionem non ferunt, cum quidam, qui septuaginta nati sunt annos, perferunt. Verum tamen minus his vtique detrahes, etiamsi eandem habere affectionem, quam florens corpus appareat; hæc ille, & nos quidem satis de senectute.

Cap. XIII.

In pueritia, cum non conuenit venæ sectio, impediri propter imbecillitatem virium, aliorum opinionis impugnatio, difficultatumq; omnium explicatio.

De pueritia vero quid sentiendum? an eam pariter excludemus ob eandem causam? mihi quidem ita videtur: & quamuis omnino eadem non adsit causa, imbecillitas tamen adest, si futurum statum consideramus, eademq; in vtraq; ætate videtur proportio, quod incognitum multis antea quam dilucidare aggredior, prius quam inter se proportionē atq; differentiam habeant senectus ac pueritia, declarabo. Vt tres sunt senectutis partes, sic totidem pueritiæ constituere liceat nobis, vna dicitur senectus viridis, quæ prima est pars declinantis ætatis, alia vero, quæ ciuilibus negotiis etiam maxime accommodatur, tertia vero decrepita, & extrema prope mortem, quam recte nuncupabimus præparationem ad interitum proximam. In duabus primis valent vires, in postrema sunt admodum imbecillæ, quod adhuc genus carnosum, ac vere solidum flaccescat, ob summam siccitatem humidique substantifici defectum, spirituosa vero substantia quantitate admodum exigua sit, qualitate frigidior, crassiorque. Pueritia ortui proxima nuncupabitur infantia, sermone quidem vitiato, perdurareque solet vsq; ad septimum annum, in quo dentitiones fiunt; ab hac sequitur pueritia vsque ad decimumquartum annum extensa; hancque si quispiam in partes diuiserit duas, non aberrabit, vna sit ab anno septimo vsque ad decimum, alia à decimo vsque ad principium pubertatis. Deinde, quemadmodum senectus ipsa certo annorum numero metiri quidem non potest, sic neque pueritia: multi quidem ante septimum emittunt dentes: multi ante decimumquartum pubescunt, noui ego mulieres anno vndecimo pubescere; aliam vidi anno decimo; sic puerum duodecimum natum annum cum muliere rem habuisse notissimum est; vt prætermittam, quæ de puero annorum nouem scribunt beati Patres, Hieronymus inquam, & Ambrosius. Postremo conueniunt inuicem, quod qui senes sanguinis detractionē postulant, omnino exiguum sibi mitti volunt, sic etiam pueri, quibus hoc generosum remedium tuto administratur, minus vacuandum indicant. Etenim ita dicit Galenus; minus quidem quod ad ętates pertinet in pueris detrahimus, quem locum in sequenti disputatione perpendemus, explicabimusq;. Differunt porro inuicem, quod pueri plurimum calidi habent innati, cum plurimum augeantur, vt dicebat Hippocrates, habentque, vt scribit Galenus facultatem vitalem validam, at vero senes neq; aliquas habent facultates validas, neq; abundant innato calido. Distant secundo, quod pueri vt sunt temperamento humidissimi, atque admodum calidi, sic semper habent insitam quandam vacuationem per cutaneos meatus, ac transpirationem insensibilem. Senes autem denso corporis habitu præditi, non solum hac ipsa difflatione carent, sed etiam parum habent caloris. Caliditas igitur temperamenti in pueris simul cum humiditate in causa est, quod pueri continuo difflantur, ac ideo non postulant artificialem vacuationem, natura ipsa conuenientem illis præstante vacuationem, quod si quispiam auderet vacuationem exercere aliquam, tunc vires ad imbecillitatē deuenirent magnam, neque possent de cætero morbum concoquere, ac superare, atque idcirco licet omnino statuere oporteat pueros habere facultates validas pro præsenti tempore: in relatione tamen ad futurum, statuendum est, illis inesse vires imbecillas: neque videri debet eiuscemodi sermo Galeni doctrinæ minime consenta-

sentaneus, quoniam ille primus fuit auctor distinctionis de magnitudine morbi in præsentem, imminentem, incipientemque; atque vtille significauit, magnitudinem morbi indicare sanguinis detractionem, & præsentem, & imminentem, licebit etiam dicere, tum præsentem, (ac ita & consentaneum, & necessarium est) virium robur, ac firmitudinem, tum præsentem, tum etiam futuram sanguinis detractionem admittere, non prohibere, & contrario indicare modo; frustra enim solis præsentibus incumberemus, si remedio recte peracto, paruum postea virtus casura sit, & ad extremam perniciem peruentura. Est quidem præceptum Hippocratis, & Galeni, coniectari oportere, an vires vsque ad statum ferre possint remedium, ita, vt sint morbum superaturæ, ac in relatione ad vigorem omnia mensurari debere auxilia. Pueritia igitur licet habeat vitalem facultatem, vt Galenus ait, validam, quia tamen maxime ob humiditatem perspirabilis est ætas, calorq; haud paruus in eadem existens vacuationem innatam adiuuat, satis plerumque habet vacuationis, ideo non oportet aliam adiicere, quod, si quis adiicere voluerit, de cætero reddentur inualidæ vires. Quando igitur Galenus ait, pueros habere vires validas, continuo respexit præsens, non futurum tempus, sic etiam cum de scopis agit ad missionem sanguinis requisitis, vult semper excipiendos esse pueros, vtputa qui vires habent validas, senes vero decrepiti, nunquam, neque pro statu præsenti, neque pro futuro. Hæc igitur cum ita sint, cur quæso inter scopos ætatis fieri mentio debet? an quod sit primus, princepsq; scopus? id profecto non videtur mihi, quia primus non est, quod refertur ad primum, quod ad notitiam adhibetur primi, ac vt clarius dicam, quod inseruit nobis tanquam signum status ipsarum virium. Etenim si quispiam de nobis quæsierit, cur pueris non conuenit vacuatio, familiariter quidem respondebimus, quia insitam vacuationē habent pro multitudine vacuanda sufficientem, sed in hac responsione animus non quiescit, adhuc enim datur quæstioni locus. Siquidem si quispiam petierit, cur sufficienti huic vacuationi non est addenda artificialis vacuatio, atque si adderetur, quid mali contingeret, immeditate respondere debemus, qui in relatione ad vires superuacanea est artificialis vacuatio, quam nulla ratione ferendo sunt, & hic quidem animus quiescit: ætas igitur pueriles refertur ad vires, tanquam ad primam, ac præcipuam causam, remedium hoc generosum admittentem. Duo significare potissimum ætas videtur, vires, & corporis habitum, intermedia omnis ætas inter primam pueritiam, extremamq; senectam indicat vires validas, extremæ illæ indicant semper imbecillas, senectus pro præsenti, & pro futuro tempore, pueritia duntaxat pro futuro, propter hanc causam Hippocrates in legitimis eius operibus aliquando ætatem prætermittit, & aliquando mentionem eius facit, cum meminit, inseruit illi tanquam signū ad notitiam virium, cum non meminit, ad vires ipsas refert. Hic affero senis dictiones, & Galeni testimonio. Libro primo de ratione victus in morbis acutis, textu 44. ait: Postea si dolor quispiam vel periculum comparuerit, sorbitionē dare oportet, neq; multam, neq; crassam, sed post septimam vel nonam, si validus sit.] hic vides ætatis nullam omnino fecisse mentionem; cum vero dicit: At si nuper cibato cibus pr or non descenderit, virtusque valida fuerit, & floruerit ætas, subluere oportet, si vero virtus imbecilla fuerit, glande est vtendum, nisi aluus sua sponte probe deiecerit.] ecce hic ætatis factam mentionem vides. Audias modo Galenum causam diuersitatis huius explanantem in cōmentario quadragesimoquinto, hisce verbis: Sed rursus ad Hippocratis consuetudinem conuerte animum, qui in talibus aliquando de sola virtute mentionem facit, sicut in antedicta videre est dictione, interdum autem adiecit ætatem. Præcipuus siquidem est virtutis scopus, sed ad notitiam eius confert ætatis cognitio; cito quidem in pueris laborante propter copiam effluuii virtute; in ætate vero florente abunde sufficiente. Cæterum, quomodo in pueris corporis substantia, tum mollis, tum humida præcipua exolutionis virium causa efficitur; sic & in regionibus, & anni temporibus se res habet nempe horū caliditas velociter confestimq; virtutem vacuationis quantita-

te soluit.] hæc Galenus, quæ velim diligenter considerari ab iis, qui contendunt, ætatem primum ac principem scopum esse, quia hic Galenus apertissime docet, præcipuum scopum esse virtutem, ætatem vero adhiberi pro notitia virtutis, additq; etiam in pueris imbecillam esse virtutem propter quantitatem vacuationis. Alium præterea affero locũ haud minus illustrem, qui de hoc argumento præcipue tractat. Est autem commentarius vigesimus quintus libri quarti acutorum, pro cuius intelligentia sciendum est, auctorem eius libri in tex. 19. mentionem fecisse florentis ætatis: at in 25. prætermissis viribus meminisse corporis habitus. Est autem eius dictio talis: Sanguinemq; auferre inspecta secundum habitum, ætatemq; pluris minotis ve ratione.] Galenus in commentario miratur, cur prætermiserit vires: affertque opinionem eorum, qui habitus nomen pro virtutis nomine dictum esse opinantur, vna ex te duo dici existimantes: sed perperam id factum fuisse dicit: nam habitus refertur ad corporis constitutionem, secundum quam dicimus vel mollem, vel durum: at virtutis robur functionum vehementiæ tribuimus. Ipse vero contendit frustra prætermissas fuisse vires: & frustra additam fuisse ætatem, quia ætas ipsa multo melius refertur ad corporis habitum, propterea scopos ab illo auctore propositos ætate ipsa remota è medio, à substituto habitu, melius esse constituere hosce duntaxat tres, magnitudinem morbi, virium robur, ac habitum corporis. Tota series verborum Galeni in hunc modum habet. Verum, ætatẽ ipsam ad corporis habitum referre est melius, & non virtutem. Nam pueris propter habitus mollitiem, succi perspirabili cute facile digerantur: senibus vero non facile, propter siccitatem, & frigiditatem. Satisq; esse tres hos detrahendi sanguinis scopos quispiam dicere potest indicationem vacuandi accipientibus nobis, & à morbi, qui curatur magnitudine, & habitu, & virtute.] hæc ille. Quæ adeo præclare ac dilucide nostrã de duobus scopis primis principibusq; confirmant sententiam, vt nihil magis. Postremum hunc Galeni locum viderunt, qui omnium postremi eleganter admodum de scopis mittendi sanguinem tũ generatim, tum speciatim scripserunt, sed tamen cum retulissent Galeni verba vsq; ad ea, quæ habent: Pueri enim propter habitus mollities facile perspirabiles sunt.] non curarunt vltra progredi: quia bene fortassis noscebant viri doctissimi, si addidissent hæc consequentia. Indicationem vacuandi accipientibus nobis, & à morbi, qui curatur magnitudine, & habitu, & virtute.] subuerti prorsus eorum dogma, vt puta contendens, inter præcipuos scopos reponendam ætatem floridam, quam prætermittendam in commentario Galenus voluit. Pertinebat quidem ad illos docere, quomodo ætas princeps erat, primusq; scopus, si ad alium refertur priorem, nempe ad virtutem, atque ad corporis habitum: hæc enim ratio, vt paulum antea dicebam, conuincit illos, qua contendimus, non esse primum principemq; scopum, qui ad alium refertur priorem, ac in eo genere indicandi præcipuum: qualis est virtus, de qua inquit: Præcipuus siquidem est virtutis scopus.] quemadmodum etiam in alio genere indicationis præcipuus est magnitudo morbi. Cæterum, d[illegible]simulare hoc loco neque possum, neq; debeo, quid alii de hoc argumento [illegible]tiant, qui cum hosce locos maxime vrgeri vidissent, quatuor sibi ipsis co[illegible]re voluerunt explanationes. Primo dicunt scopos primos, & maxime prin[illegible]s ex Galeno esse duos, non debere tamen excludi tertium, ætatem ipsam, quæ etiam si minus proprius, & minus principalis sit scopus ex vi vocabuli Græci, tamen est talis, vt aliis sit iure annumerandus, qui decernunt sanguinem mittendum, aut non mittendum esse. Secundo dicunt magis ad Galeni mentem respondere posse, eum disputare aduersus Menodotum: neq; comparare tres scopos inter se, verum illos duos cum plethorica syndrome; quam ille solam secandæ venæ constituit scopum. Itaq; asseuerat magnitudinem morbi, & virium robur satis esse, & hanc primam esse, ac præcipuam syndromen, sub qua altera plethorica continetur: Hanc disputationem non propterea tollere. Quin addenda quoque sit ætas pro tertio scopo veluti præclare addita est ab auctore libri quarti de rat. vict. in morbis acutis. Tertio dicunt, quod quamuis Galenus videatur ve-

tur vtcunq; ipſam ætatem redigere ad vires; ibi tamen Galeni ſermonem de ratione inſtituendi victus, cuius principalis, vel forte vnicus ſcopus ſunt vires: nam quatenus ad morbum ſpectat, nihil proſus eſt exhibendum, vt propterea nulli mirum videri debeat, ſi ætatem voluit ad eas referre. At vero in ſectione venæ maxime præcipuus ſcopus eſt morbi magnitudo; propter quam mittitur perpetuo ſanguis, minime propter vires, aut ætatem. Quarto reſpondent hiſce verbis. Verum enimuero vtcunq; ſe res habeat, nolim quemquam de hac quæſtione debere eſſe valde ſollicitum: cum ea fere ſit logica, & nullius momenti; & vtrouis modo ſentias, pro certo habendum eſt, nullo pacto pueris de Galeni ſententia venæ ſectionem conuenire. Hæc illi. Quæ licet ingenioſe videantur dicta, mihi tamen non placent; explano cauſas, propter quas ab illis omnino cogar diſſentire. Atq; primam explanationem ſic reiicio: illi ſunt ſcopi indicantes vel mittendum, vel non mittendum eſſe ſanguinem, qui primi ac principes in ea re ſtatuuntur: atqui primi & principes ſunt duo duntaxat, vt iam demonſtrauimus, magnitudo morbi, aut virium robur. Ætas igitur inter hoſce ſcopos recenſeri non debet. Fortaſſis obiicient mihi Galenum ita ſcribentem: Itaq; ex morbo, ætate, ac viribus minuendus eſſe ſanguis cognoſcitur: at vacuationis quantitas non ex iſtis modo, ſed ex aliis deprehenditur.] reſponderem ex duobus duntaxat primo, ac principaliter hanc indicationem ſuggeri: ex ætate vero tanquam ſigno quodam ſtatus ipſarum virium mediante corporis habitu, vt ex Galeno fuit demonſtratum. Deinde obſcurum eſt mihi quid dicere velint, ex vi vocabuli Græci ætatem eſſe ſcopum minus principalem: ego enim facile oſtendo, ſiue Græcum vocabulum inſpiciamus ſiue Latinum, vtiq; ætatem ex Galeni ſententia, imo vero ex ipſa ratione, nunquam eſſe ſcopum principalem, ſed ſemper referri debere ad virtutem. Nec etiam ſecunda reſponſio locum habere poteſt. Quia ſi contra Menodotum diſputans dixiſſet duos eſſe primos ſcopos, ac principes, non ſufficienter illius opinionem redarguiſſet: ſi quidem oportuiſſet etiam ipſum addere tertium ab ætate ſumptum. Quia Menodotus ſolam ſyndromen plethoricam ſeruari dicebat ad ſanguinis miſſionem, ita vt ea præſente, ſemper vellet ſanguinem fore detrahendum; ille igitur nullam ætatis conſiderationem faciens, ſolam ſyndromen admittens, reiiciensq; omnem conſiderationem magnitudinis morbi à fluxione, merito à Galeno reprehenſus eſt, dicens etiam conſiderandam ætatem; atq; ita quidẽ tres ſcopos propoſuiſſet, non duos duntaxat. Ego vero recipio hoc pacto Galenum diſputaſſe contra Menodotum, cum tres affert ſcopos: at quando duos, minime, ſed tunc aſſero ex propria ſententia fuiſſe locutum. Tertia deinde explanatio ſuſpecta admodum eſt mihi. Quia primi, & præcipui ſcopi in ſanguinis miſſione æqualesve, ſunt duo, magnitudo morbi, vt indicans proprie; virium robur; vt non prohibens, vel contraindicans proprie: horum ſcoporum non eſt alter altero magis præcipuus; cum in diuerſo genere ſint indicantium, vt Galenus dicebat primo de ratione victus in acutis, com. 44. & 45. & nono Methodi medendi cap. 10. Fateor Galenum in eo commentario 45. agere potiſſimum de ratione victus, docereq; voluiſſe quomodo ab ipſa virtute admittatur victus tenuis, aut etiam tenuiſſimus. at vero eadem omnino eſt ratio victus tenuiſſimi, atque vacuationis: cuius rei ſignum eſt maximum, quod eandem rationem affert in commentario illo, quam ſemper ſolitus eſt afferre, dum ſcilicet docet, quam ob cauſam pueri non admittant vacuationem artificialem. Idcirco dicit: Cito quidem in pueris laborante propter copiam effluuii virtute: in ætate vero florentibus abunde ſufficiente. Cæterum, quomodo in pueris corporis ſubſtantia tum mollis, tum humida præcipua exolutionis virium cauſa efficitur: ſic & in regionibus & anni temporibus res habet, nempe horum caliditas velociter confeſtimque virtutem vacuationis quantitate ſoluit. Aliud ſignum eſt pariter certiſſimum, quod eandem reperens cauſam in quarto illo acutorum, commentario vigeſimoquinto, dicit, melius eſſe excluſa ætate & repoſita ſub corporis habitu, tres facere ſcopos, magnitudinem morbi, robur virium, & habitum. Videant quæſo,

quam bene inuicem proportio conueniat morbi, & virium : in vacuando primus est ſcopus morbi natura, in contraindicando vacuationem primus eſt ſcopus ipſa virtus. Rurſus, in nutriendo primus eſt ſcopus indicans virtus, in contraindicando alimentum primus ſcopus eſt morbus; hæc vero colliguntur ex Galeno, primo Aphoriſ. & acutorum morborum paſſim. Denique, quarta reſponſio adeo abſurda eſt, vt ego ſentio, vt non mereatur hoc loco reprobari. Quis enim eſt, qui neſciat, ſi à ſcopis indicantibus mittendus ſit, vel non mittendus ſanguis ex Galeni placitis ætatem demendam eſſe, ſequi protinus, in pueris interdum mittendum eſſe ſanguinem ? admiratione non mediocri dignum videtur, quod fateantur hanc de ætate diſputationem logicam eſſe, ac nullius momenti, cum tamen ſit maxime difficilis, ac non modo vtilis, ſed etiam neceſſaria? Quamobrem, vt ſemel concludam, ſatis euidenter probata videri poteſt aſſertio, qua dicebamus, ſolum duos eſſe ſcopos, indicantes mittendum, vel non mittendum eſſe ſanguinẽ, magnitudinem ſcilicet morbi, ac robur virium, quos ſcopos executionis nuncupauimus, atque ſyndromen Galeni fecimus: Nunc de reliquis agendum.

Cap. XIIII.

Quomodo à Galeno tres ſtatuantur ſcopi, quomodo quatuor, & quinque.

GALENVS multis in locis duobus hiſce alios addit. Nam libro quarto de ratione vict. in morb. acut. commen. 19. dum authoris illius ſermonem explanat, tres potiſſimum ſcopos affert; ſic enim loquitur, ſanguinem enim primum detrahes, ſi magnus tibi videatur morbus, manifeſte a perſpecta quantitate tali vtitur remedio propter vehementes affectus, neq; refert, ſiue vehementem, ſiue magnum morbum dixeris. Secundus detrahendi ſanguinis ſcopus eſt, ſi æger ætate vigeat, neq; enim pueri, neque ſenes ſanguinis ſuſtinent detractionem, etiam ſi morbus, quo ipſi laborauerint, magnus fuerit. Tertium ſcopum non prætermiſit libri huius conſcriptor: qui facultatis vitalis robur exiſtit.] Idem præterea confirmat libro de miſſione ſan. capite nono, cum ait: Itaque tria ſunt, quæ agnitionem continent, morbi magnitudo, aut præſens, aut imminens, ætas florens, & virium robur, ac rurſus eodem capite: Definitis itaq; tribus mittendi ſanguinis ſcopis, nempe morbi magnitudine, ætate florente, ac virium robore.] Amplius quatuor ſcoporum meminit eodem capite ſtatim in principio, cum ait; contra enim prorſus ſanguinis mittendi ſcopi primum in ſe plenitudinem non comprehendunt, ſed fientis (vt ſic dicam) paſſionis ſuſpicionem: nam ſi eam magnam fore apparet, omnino ſanguinem mittemus, etiam ſi nulla exiſtat plenitudinis nota, tantum inſpecta ætate, viribus, & regione, quæ ſola in iis, quę adiecta ſunt libro de ratione victus, recenſeri conſpiciuntur. Vigentes enim ætate propter pueros, & ſenes in diſtinctionem aſſumpſit.] hic vero notari debet, regionis meminiſſe inter ſcopos præcipuos, quam alibi videtur contemnere. Poſtremo quinq; ſcoporum meminit in fine commentarii 19. quarti libri acutorum, cum dicit: Verum, vt nihil deſit, adiiciam & eum, qui ab aere ſumitur, ſcopum, ac parum poſtea mentionem etiam facit ſcopi ſumpti ab habitu corporis, qui duo ſcopi additi tribus illis, quinque ſcopos conſtituunt. Pro horum locorum explanatione ſciendum eſt, Galenum (vt à primis exordiar) aliquando duos ſcopos, aliquando tres feciſſe pro vario ſuæ tractationis propoſito; facit quidem duos primos ac principes cum ex propria ſententia loquitur, vt ſupra dicebamus, quibus etiam nunc addo ſignum ſatis efficax: nam libro de miſſione ſanguinis, capite nono, poſtquam ſententiam auctoris libri quarti acutorum & laudauit, & explanauit, ſtatim ſubiungit. Cæterum, primi principesq; mittendi ſanguinis ſcopi ſunt morbi magnitudo, & virium robur, quod ille quidem non dixiſſet, tanquam explanator: ergo vt explanator illius auctoris tres enumerat ſcopos, vt vero proprius auctor, duos duntaxat primos, ac prin-

ac principes, quemadmodum declaratum iam fuit. Notari autem hoc loco velim duo, primum, ætatem ipsam adhiberi in cognitionem virium, vt iam dictum est. Deinde cum Galenus frequenter dicit: Semper ab oratione exceptis pueris.] nolle ipsum pueritiam facere tertium scopum ab aliis seiunctum; quia proprie continetur sub viribus, haud secus atq; senes, sed ratione diuersa, vt explicuimus. Sed quod vult dicere huiusmodi est. A scopis pro missione sanguinis excipiendos esse valde pueros: non quod non habeant pro statu præsenti vires validas: contra quam putarunt quidam Medici, vt eo capite nono Galenus asserit, putantes eadem ratione pueris inesse vires imbecillas, qua senibus decrepitis: sed idcirco excipiendos, quod pro statu futuro validas non habent: ergo tum excipiendi, tum non excipiendi sunt; pro statu præsenti excipiendi, pro statu futuro includendi sunt in verbo virium, vt senes. Porro, quod de regione dictum est, valde videtur dubium, propter ea verba, quæ sola in iis, quæ adiecta sunt libro de ratione victus recenseri conspiciuntur.] nam ibidem regionis non meminit. Adde quod regio non indicat mittendum, vel non mittendum sanguinem, sed proprie quantitatem limitat. Respondeo in hunc modum, quod ea verba intelligenda sunt, tum de verbis auctoris eius libri, tum de iis, quæ in commentario idem scribit, hoc potissimum sensu, quæ sola] id est, vehemens morbus, ætas, virium robur, ac regio; adiecta sunt libro de ratione victus.] partim ab auctore eius libri, partim a Galeno explanatore, nam ille in commentario meminit, vt parum postea dicam; aut etiam dicito. Quod ea verba, quæ sola.] tria prius proposita, excepta regione: licet secunda hæc explanatio duriuscula videatur, putauerim tamen esse veram. Accedo nunc ad Galenum, qui aerem, & corporis habitum inter scopos primarios, ac principes reponere videtur: atque ita interpretari soleo hæc ipsa. Scoporum, qui principes, ac primi non sunt, duplex est ordo; nam horum quidam maxime, ac proxime significant statum virium, aut morbi: alii vero ab hac exquisita notitia longius absunt: de iis loquemur sequenti capite: de illis vero dico, quod attinet ad vires, significari illas ac innotescere nobis ex duobus, ex cœli statu, & corporis habitu. Ille quidem complectitur sub se tria, nempe aerem ambientem, regionem, locumq; habitationis, ac particularem constitutionem: quæ tria aut in vnum conspirant temperamentum, aut non conspirant: tuncq; vel mittendum, vel non mittendum omnino, vel partim mittendum, partim non mittendum indicant, si fuerit ambiens admodum calidus & siccus, vt æstate media: si regio fuerit calidissima, vt Libya, Apulia, Æthiopia; tandem enim constitutio longe calidior naturali extiterit: ostendunt vires fore imbecillas, ideo non esse mittendum sanguinem. Contra in regione temperata, vt Patauii, in vere, & constitutione particulari parum à temperata declinante, venimus in notitiam virium validarum, quod scilicet magna non fit dissolutio ipsarum virium ab aere, ideoq; mitti posse sanguinem: idem iudicium facimus, si ex iis tribus quædam dissentiant, quædam consentiant, tunc indicatio suggeritur de quantitate, nobis quantitatem significante dissolutionis, non admodum magnam, dissensione illorum trium: Horum trium syndromen, aliquando quidem Galenus significauit nomine cœli status, præsertim cum proprie loquitur, vt constat ex nono de Methodo medendi: aliquando vero solius aeris nomine, vt commentario 19. 4. acutorum, ac interdum regionis, vt in libro de missione sanguinis. Hæc adeo vera sunt, vt omnem prorsus è medio difficultatem tollant. Quod vero attinet ad habitũ corporis, dico ad habitum referendam esse ætatem, atq; etiam quæcunq; corpora maxime difflari consueuerunt, cuiuscunque sint ætatis, etiamsi annum trigesimum ægrotus habeat. Pueri certe indicant dissolutionem summam ex corporis substantia propter habitum mollem, tenerum, humidissimum; ideo si pueri non sunt ferendo sanguinis detractionem, id sane fit ob corporis habitũ, non propter ætatem, vti est ætas: si vero contrarius adfuerit corporis habitus, cum difflatio non fiat, ob hanc causam impedire sanguinis detractionem non potest. Adhuc autem dubitaret aliquis, quod Galenus ait in commentario vigesimo-

quinto quarti acutorum, melius esse, ætatem referre ad corporis habitum, ac statuere tres scopos: magnitudinem morbi, virium robur, ac habitum.] quibus verbis ipsum habitum videtur admittere, tanquam scopum præcipuum substitutum loco floridæ ætatis, & certe, si verba duntaxat consideremus, ita videbitur, sed recte perpendenti sententiam, secus iudicabitur: animum aduerte. Galenus considerauit, ætatem indicare propter vires; atq; Hippocratem aliquando illam omittere, quia referebat ad vires: aliquando eius facere mentionem, vt certam nobis præberet notitiam status virium, vti scribit primo libro acutorum, commentario quadragesimoquinto, in explananda sententia quarti acutorum, commentario vigesimoquinto, in qua ille prætermittit vires, arguit taciteeum authorem, quia melius fuisset prætermittere ætatem: ac ideo inquit, si quispiam tres scopos debet statuere in sanguinis detractione, vt auctor ille putat, referendo ætatem ad vires, melius est statuere tres scopos modo iam dicto, prætermittendo ætatem. Hæc loci huius explanatio satis accommodata videtur mihi. Patet igitur, cur Galenus dixerit, tres existere scopos: morbi magnitudinem, virium robur, ætatem floridam, vel loco ætatis floridæ, corporis habitum, quomodo quatuor recensuerit addendo iis regionem, quomodo quinque addendo tribus inuentis ab auctore quarti acutorum, aerem ambientem, & corporis habitum, quæ in hac materia non mediocrem dubitationem faciebant.

Cap. XV.

Quomodo Galenus aliquando recenseat scopos octo, & aliquando decem.

Ne quid in disputatione relinquatur, quod aliquam facere dubitationem possit, in hac postrema parte doceamus, cur Galenus interdum octo scopos, & interdum decem ad sanguinis detractionem desideret. Libro enim nono de Methodo medendi, cap. vlt. meminit scoporum octo, cum ait: Sane erunt in hac quoq; detractione multi scopi Medico spectandi. Natura ab initio, consuetudo, ætas, locus habitationis, anni tempus, cœli status, ad hæc ægritudinalis, quem curamus, affectus, aliaq; ratione ante hunc, laborantis vires.] Hæc ibi Galenus. At libro de sanguinis detractione decem enumerat scopos, hisce verbis vsus: De secanda vena consilium inito, præ oculis habens principales hosce scopos: nempe plenitudinis, tum quantitatem, tum qualitatem, & virium robur, & infirmitatem; deinde naturalem totius corporis habitum, tempusq;, & regionem, vitam anteactam, tum an cibi potusq; copia, & præcipue affatim nutrientium, qui sic affectus est, sit vsus; ad hæc consuetudinem, & res præter consuetudinem actas, quosve motus exercuerit, quas excretiones habuerit, aut præter solitum compescuerit; ad omnia autem hæc num gracilior aut crassior euaserit.] hæc Galenus. Pro quorum intelligentia consideranda sunt hæc: primum, cur tot numero scopos proponat: secundo, cur non vbiq; octo aut decem afferat: tertio, singulatim ostendendum, quam vim habeant singuli. Inprimis non est mirum, tot in medium scopos attulisse Galenum, quia scoporum quidam solam sanguinis missionem demonstrant, quidam vero in vniuersum omnem vacuationem, in qua tanquam species sub genere venæ sectio continetur: ex horum scoporum numero sunt, quos hisce locis prosequitur; neq; enim ad vacuationem in vniuersum quis accedere debet, nisi antea scopos hosce nouerit, quibus tum affectus qualitatē, tum quantitatem cognoscimus, tum statum ipsarum viriū. Priores illi, de quibus superiore capite dicebamus, præcipuam habebant vim significandi virtutē, qui vero in his explicantur, tum hunc, tum affectus indicant, vt exempli gratia: Temperatura ægroti & consuetudo significare potest vtrumq;, ætas, anni tempus, regio, cœli constitutio, potissimum vires indicant, morbus ac virtus sunt vere præcipui scopi; & nota, quod dicit: Aliaq; ratione ante hunc.] quia vires nō sunt considerandæ in sanguinis detractione, vti morbus, sed alia ratione, nempe vt conseruentur, quemadmodum supra dicebamus.

At li-

Ac licet alia etiam hic addi possent, hæc solum octo fuerunt satis in tractatione de sanguinis missione obiter facta: propterea, quæ hic defuerunt, in libro de phlebotomia voluit addere, ad quem librum proprie pertinebat hæc tractatio, id in hunc modum haberē sic inductione breuiter doceo. Ad affectum pertinet plenitudinis qualitas & quantitas, ibi non fecit mentionem morbi magnitudinis, quia agebat de sanis; nam capitibus sequentibus agere incepit de ægrotis, sub plenitudine continetur magnitudo futura, vt ait, in capitis noni principio. Quantitatem & qualitatem eius plenitudinis denotanr hæc, anteacta vita, consuetudo, vitæ studium, vt ars, seu particularis exercitatio, excretiones aut suppressæ, aut effluentes; corporis crassities; ad vires autem referuntur hæc: Corporis habitus, anni tempus, regio, vita anteacta, secundum aliam rationem, vacuationes immoderatæ, ars, qua dissoluatur maxime ipsum corpus, vt fabrilis, vitriaria, nimia exercitatio, coitus immoderatus, gracilitas corporis. Habes igitur syndromen signorum omnium indicantium, contraindicantium, secundo loco indicantium, & contraindicantium: quæ considerari debent in omni vacuatione. Hæc ita sese habere, præterquam quod ratio ipsa persuadet, Auicenna Galeni & imitator & discipulus perbelle docet in quarta sectione primi libri, dum sic ait: Ea, quæ rectum in euacuatione moliendā ferunt iudicium, decem numerantur: plenitudo, vires, temperatura, corporis habitudo, accidentia superuenientia,] & quæ sequuntur. Vidi plura huius generis ex Galeno, libro secundo de ratione curandi ad Glauconem, capitulo duodecimo, primo Aphorismorum, secundo commentario, libro decimotertio de Methodo medendi, ac passim alibi legito, quæ scripsimus libro primo de ratione purgandi. Ego enim singula prosequi hoc loco non debeo, quod ad tractationem institutam non pertineat, satis mihi est hoc ipso capite docuisse, cur ad vacuationem plura desiderentur: cur octo alicubi, & decem aliàs proposuerit, & quam vim singula possideanr. Atque tandem huius disputationis primæ de scopis, atq; huiusce libri hic finis esto.

HORATII AVGENII A MONTE SANCTO DISPVTATIONVM DE RATIONE CVRANDI PER MISSIONEM SANGVINIS, ex Galeni sententia;

LIBER SECVNDVS.

DISPVTATIO SECVNDA.

An indicatio sumpta à magnitudine morbi sit distincta ab indicatione petita ab ipso morbo, eiusve causa.

SVMMA DISPVTATIONIS.

Indicationem orientem à magnitudine morbi ab indicatione sumpta à morbo, differre duntaxat in eo, quod magis ac minus.

Cap. I.

Disputationis occasio, & qui ordo in eius dilucidatione teneri debeat.

Quoniam videor superiore libro diligenter explicasse magnitudinē morbi, vel à sanguinis plenitudine, vel motu proprie sanguinis missionem indicare, quo illustrior tractatio reddatur, expedit considerare quoddam, quod hac nostra ætate iam primum de hoc eodem argumento emersit paradoxum; imo vero, vt rectius dicam, cacodoxum. Quidam enim insignes ac primatii medicinę professores arbitrantur, non solum omnem morbum magnum generatim sumptum venæ sectionem admittere, quod etiam alii celebres viri antea docuerunt, sed etiam morbi magnitudinem indicationem re ipsa habere diuersam ab ipso morbo, eiusq; causa, quæ sane opinio, quia maxime periculosa est humano generi, contra Galeni, Hippocratis, Auicennæ, ac vt verbo dicam, omnium Medicorum sententiam excogitata fuit, exstirpari funditus debet, quia in hisce rebus conniuere & assentiri maxime impium, atq; detestandum duco. Hanc autem extitisse causam, cur in hunc modum opinentur, illi potissimum scribunt: quod scilicet Galenus lib. 4 de Methodo medendi, capite sexto, in fine hæc habeat verba: Nec illius oblitus, quod aliquid interim ex eis, quæ vlceribus accidunt, indicationem propriam suggerat, veluti & magnitudo.] Quibus verbis admodum præclare significare videtur Galenus, magnitudinem ipsius morbi propriam habere indicationem, quemadmodum etiam alia quædam, quæ ipsis accidunt vlceribus. Considerantes porro, quænam sit hæc propria magnitudinis morbi indicatio; Dixerunt, esse vacuationis, ita vt quælibet magnitudo proprie vacuationem indicat, quod ita Galenus statuat, statim post verba superius posita ita scribens: Dictum autem & de vlceribus est in libro, qui hunc præcedit, vbi vlcerum differentias omnes, & quot, & quæ sint, & quæ sit vniuscuiusq; indicatio, exposuimus; Præberi autem vacuandi indicationem ab ipsa ægritudinis vi in eo libro non

non dixi, propterea quod & longiorem demonstrationem requirebat, & totius corporis curam in eo non coniunxi. Hic autem exsecutus sum, quantum ad rem præsentem erat vtile.] Quia vero ipsa vacuatio est duplex: vna, quæ fit per sanguinis missionem: alia, per pharmacum purgans, propriam indicationem magnitudinis morbi volunt esse vacuationem, vel per purgationem, vel per sectionem venæ. Atq; tandem contendunt, vacuationem hoc modo consideratam, semper ac proprie indicari à quacunq; magnitudine morbi, hucusq; ipsius indicationem differre ab indicatione, quam suggerit morbus magnus, admiranturq;, neminem in hunc vsq; diem extitisse, quod tamen illi sciunt, vel ex quamplurimis, qui de Methodo medendi, ac de indicationibus tot & tanta scripseruut commentaria, qui non conniuentes somno oculos habuerit; imo vero, qui non turpiter fuerit hallucinatus: sic igitur statuunt, indicationem à magnitudine sumptam specie differre à morbi magni, & causarum eiusdem indicatione, quam opinionem multis probant exemplis, de quibus parum postea loquemur diligentius. Verum, quoniam hoc magnum est paradoxum, vt supra diximus, quod nulla ratione posse consistere arbitror, illud hoc libro examinabimus, diligenter ostensuri secundum Galeni omniumq; Medicorum doctrinam esse falsissimum. Vtq; ordo aliquispiam disputationi statuatur, primum docebimus, quid supponat hæc disputatio; deinde, rationibus ipsis ex Galeno petitis, conabor demonstrare falsitatem opinionis huius: tertio, Galeni verba explanabo ex 5. & 6. cap. lib. 4. de Methodo medendi, in quibus consistit vis & summa totius reprobationis: postremo loco, si quæ rationes illorum erunt, eas diligenter considerabo, atq; persoluam.

CAP. II.

Quæ supposita ponat hæc tractatio.

QVIA debent ędificiis fundamenta iaci firma, & scaphis poni idonea carina, si quis ædificandorum pangendorumq; in iis futurum est firmum: supponere hoc loco oportet quædam pro dissolutione dispositionis institutæ omnium maxime necessaria. Ac primum inueniendus est verus propositæ quæstionis sensus. Quæstio sit: An indicatio, quam suggerit morbus, eiusq; causa sit eadem cum indicatione, quam magnitudo morbi indicat, supponitur, morbum, ac eius causam, habere indicationem suam, eandem etiam habere ipsam magnitudinem, & in hac re, quatenus indicant conuenire; quæritur autem, an istæ duæ indicationes inuicem differant, atq; si differre illas statuamus, an differant solum in eo, quod magis ac minus, an re ipsa, seu specifice, vt dici solet.

Secundo loco ponamus, magnitudinem à magno inuicem non aliter distingui, quam abstractum à concreto, vt albedo, & album. Abstractum quidem significat rei formam in communi, quatenus determinatum subiectum non denotat. Concretum vero subiectum ea forma præditum. Porro, cum magnitudinem dicimus, morbi magnitudinem solam intelligimus, non quamcunq;, siquidem hæc inuestigatio ad curationem refertur; quod autem curatur, morbus est. Videtur autem idem mihi, quantum pertinet ad propositam disputationem, idem significare morbi magnitudo, quod morbus magnus. Si enim, quod curatur, ipsum concretum est, non abstractum, vtputa corpus magno morbo obsessum; non autem magnitudo ipsius morbi, quatenus talis est: propterea dixi, magnitudinem morbi significare idem, quod morbus magnus.

Tertio statuamus, omnem indicationem deduci ab aliqua natura indicante, quia quodcunq; indicat, pro sui natura indicat, vt priore libro ex Galeni doctrina abunde dictum mihi fuit. Atq; pro varietate naturæ indicantis rei varias nasci indicationes. Hoc igitur vnum ex communi omnium Medicorum consensu ponendum est principium, nullam scilicet indicationem esse, quę pro fundamento naturam indicantem non habeat.

Rursus aliud etiam ponamus verissimum principium, omnem indicationem, quæcunque ipsa sit, ab aliquo primo exordiri, ac progredi, postea ab eo

per intermedias differentias ad alias minus communes, & ab iis ad proprias perueniendum.

Progressus igitur hic indicationibus inuestigandis ad medendi Methodum proprie pertinere, hancque semper Galenum, præsertim vero in construenda medendi Methodo, obseruasse constat. Nam statim iactis vniuersalibus fundamentis in duobus prioribus libris, incipit in tertio docere vniuersalem, ac certe primam indicationem, quam suggerit morbi natura; cum absurdum sit aliud esse, quod curandi rationem præscribat, aliud, quod curetur. Est autem eiuscemodi indicatio ablatio morbi, quæ tamen indicatio, vt est prima omnium, & initium indicationum, à quo excitatur Medicus ad aliorum, quæ vulgo incognita sunt, inuentionem: sic quidem non est ars tota, neque magna eius pars, sed omnium minima. Siquidem Methodici in suis communitatibus inhærentes, nolebant aliud inuestigari ab eo, quod erat commune: at rationales Medici non quiescunt in communi contrarietate, sed ad particularem accedunt ac indiuiduam, quæ amplius recipere sectionem non possit; statuuntq; vniuscuiusq; morbi propriam esse contrarietatem, vt Galenus dicebat lib. 11. Methodi medendi, capite secundo, propterea inuestigandum, quid singuli morbi dictent, vt exempli gratia; soluta vnitas vnitionem postulat, intemperies alterationem, magnitudo paruitatem; ac alia sigillatim omnia suum contrarium, non generatim quidem, sed proprium, atque determinatum: quia, vt recte dicebat Aristoteles, non fit actio à quocunque in quodcunq;, sed à determinato contrario in determinatum contrarium. sanatio autem ipsa quædam est actio facta à contrariis, vt à remediis ipsis in contrarium affectum, nempe in morbum; ostenderem ego pluribus hanc esse veram medendi Methodum, si habere alquam difficultatem suspicarer, ideoque sit mihi hoc suppositum; Methodum medendi perfici ex indicationibus, exordiendumq; ex communibus, & primis, ac per medias differentias peruenienduni ad vltimas, ac indiuiduas in eodem genere. Haud abre additum fuit in eodem genere: quia non potest fieri recta inuestigatio indicationum, si de genere in genus transcendamus: nec potest fieri curatio morborum, nisi propriam inueniamus in eo genere contrarietatē: statuito luxationem adesse crurum, huius contrarium determinatum non est alteratio, quæ calido sit frigido, humido, sicco, sed repositio, & recta constitutio articulorum in loco suo, nec potest quispiam sanare illam particulam alterando, imo vero si quispiam ita tentaret, dubio omni procul ludibrio foret omnibus. Statuito summam plenitudinem, qualem in bono athletarum habitu sibi proponit Hippocrates, huius contrarium erit summa inanitio. Quis ad tantam veniret dementiam, vt huic aut summam caliditatem aut frigiditatem opponat? aut vstionem, aut membri amputationem, aut aliud eiusdem generis quidpiam? Itaq; semper in eodem genere inueniri debet contrarietas determinata. Dicet fortasse quispiam, in morbis non complicatis nullam facere difficultatem, quod diximus: at si complicati fuerunt, pro varietate affectuum variæ debent inueniri indicationes, atq; si affectus fuerint contrarii, contrarias indicationes adhibere expedit: vt exempli gratia, febris & hydropis. Quamobrem hic, velimus nolimus, opus est de genere in genus transcendere. Sed qui hoc modo dubitat, non recte assequitur quod dicimus; id vero profitemur, siue affectus existant simplices, siue complicati, semper indicationum inuentionem fieri debere in suo genere: si duo sunt affectus, in his duobus fieri inuestigationem in vnoquoq; seorsum eadem obseruata Methodo, siq; contrarii sint affectus, habebunt etiam contrarias indicationes, quibus ex arte inuentis postea in illarum executione iudicium adhibere debet Medicus, ea eligendo remedia, quæ magis vrgenti indicatione respondeant, aliis interim minime neglectis, iuxta Methodum à Galeno sæpe explicatam. Hæc aptentur nostræ disputationi. Quæstio est, an indicatio sumpta à magnitudine morbi in eo quod magis ac minus duntaxat, an autem essentialiter differat ab indicatione, quam suggerit morbus magnus. Hic inquam standum est in proprio genere, hoc modo, an scilicet indicatio magnitudinis morbi dif-

bi differat ab indicatione eius morbi cuius est magnitudo. Absurdum enim esset considerare magnitudinem morbi in alio genere, quam in eo cuius est magnitudo, imo vero, vt rectius dicam, non potest alio modo intellectu concipi eiusmodi quæstio, nam qui dicit magnitudinem morbi, hic supponat morbum necesse est, cui addita sit tanquam differentia magnitudo, aut paruitas. His igitur in hunc modum statutis positisque principiis, ipsam disputationem aggrediamur.

Cap. III.

Magnitudinem morbi semper indicare magnum auxilium.

QVEMADMODVM morbus generatim remedium, atque sui ablationem indicat, sic paruum morbum, ac magnum, paruum magnumque pro sui natura insinuare dicimus remedium. Sed hactenus solum fere initium indicationum habemus, nisi enim vlterius progrediamur, similes erimus Methodicis, qui in solis communitatibus consistebant, à quibus quam deceat maxime rationales abesse Medicos, Galeni monumenta apertissime testantur. Hoc fundamentum ab Hippocrate inuentum, ac inter Aphoristicas positum dictiones, cum dicebat, extremis morbis extrema remedia optima sunt, distinctione adhibita, generi humano fit vtilissimum, citra distinctionem, perniciosissimum euadit. Magna remedia multa sunt, vstio, amputatio membri, frigidæ potus, narcoticorum vsus, vacuatio vsque ad animi deliquium, aut venæ sectione, aut forti pharmaco administrata, vehemens calor, magnum frigus, atque ne singula curiosius prosequar, alia fere sexcenta eiusdem generis. Cum igitur dicimus, magnum morbum indicare magnum præsidium, aut in vniuersum de omni loquimur materia, aut de aliqua; de omni loqui non possumus, quia cum de remedii sanantis natura loquimur, opus est propriam & determinatam habere contrarietatem, cum eo morbo, qui curandus est; at omnia eiuscemodi contrarietatem non habent, inquirenda est igitur natura propria morbi magni, quæ vnum magnum, non alia postulet remedia, ne promiscue, inutiliterque, imo vero periculose omnia omnibus administrentur ægrotis remedia contraria. Sed ne de singulis loquamur (non enim id nostræ tractationis postulat propositum) inspicere oportet, qui morbi vacuationem exigant, & qui venæ sectione aut purgatione sanentur: quandoquidem hæc duo magna remedia sunt in vacuationum genere, venæ sectio semper, purgatio nonnunquam, vt dicebat Galenus libro secundo Aphoris. com. 29. Generatim omnis morbus, qui à materia fit, vacuationem illius indicat, siue sit illa materia malus succus, κακοχυμίαν Græci vocant, siue sanguinis multitudo, quam πληθώραν καὶ πλῆθος appellitant, vt Galenus docuit ex proposito, libro de venæ sectione, capite 4. At inuento scopo vacuationis, non protinus aut purgandum, aut sanguis mittendus est, sed interdum sufficit purgatio, interdum venæ sectio, interdum administrari debet vtrumque, interdum etiam leuiora vacuationũ genera sufficiunt, vel quod virtus validiora non ferat, vel quod ipsius non postulet morbi natura, vt idem auctor tum ibi, tum quarto Methodi medendi dicebat: Propterea vbi morbus sese offert magnus, qui à materia ducat originem, cum alterutrum adhiberi debeat remedium, distinctionem afferre oportet, an vnum, an aliud conueniat, vt admirabilis Galenus libro primo Aphoris. com. 23. & libro de venæ sectione demonstrauit, capite octauo. Iam igitur videant, quomodo indicatio sumpta à magnitudine morbi, ab indicatione sumpta à morbo, cuius est magnitudo, differt: solum in eo quod magis, ac minus. Materialis morbus postulat vacuationem, exiguus morbus à materia exiguam vacuationẽ, magnus vero magnam, at vacuatio à vacuatione magna & parua differunt in eo quod magis ac minus: in summa, indicatio morbi magni semper est cum indicatione proprii morbi connexa, sola intensione ab illo segregata, & diuersa.

CAP. IIII.

Magnitudinem morbi generatim sumptam non indicare sanguinis missionem aut purgationem.

PRIMVM quidem, si morbi magnitudo generatim sumpta, per se indicat purgationem, aut venæ sectionem, omnis magnitudo aut vtramque, aut alterutram indicaret. Atqui hoc omnino falsum esse, ipsa ostendit inductio facta circa omnem magnitudinem morbi, à Galeno quarto de Methodo medendi proposita. Sit magnus morbus ratione præstantiæ partis, vt in cerebro, corde, iecinore, omnis harum partium morbus, quicunq; sit, sanabitur aut purgatione, aut venæ sectione, vt infiniti propemodum sunt, qui neutrum exigunt. Omnem certe superat absurditatem, dicere, cerebri morbos omnes, cordis, & iecinoris omnes alterutrum ex hisce remediis, aut vtrumq; postulare. Deinde vrget, quod nobilitas & præstantia partis, quantum sit merito sui, nihil aliud ex propria indicare potest natura, quam conseruationem propriæ substantiæ, cum maxime vtiles sint vitæ, atque a Galeno appellentur principia; imo ab illis facultates præcipuæ dependeant corpus vniuersum gubernantes, hasque ipsas conseruare, sit conseruare vitam, vt Galenus ait libro nono de Methodo medendi. Porro, pugnat è diametro hæc indicatio cum ea, quæ vacuationis est: nam quæ vacuant per se, ac propria ratione, imbecillas reddunt facultates, vt Galenus dicebat libro secundo de ratione victus in morbis acutis, commentario quadragesimoquarto. Ergo indicatio vacuationis in parte nobili, vel accidit propter nobilitatem illius, vel propter morbum, ob nobilitatem non conuenire iam diximus; ob morbum vero qualemcunq; hanc suggeri indicationem adeo falsum est, quam quod falsissimum. Amplius morbum considerans in sua essentia magnum, affirmare audeo, non adesse indicationem venæ sectionis aut purgationis. Nam inter ipsas intemperies calidas nulla maior, febre; at quis aliquando tam peruerso erit iudicio præditus, qui audeat in omni febre mittere sanguinem? qui audeat decretum Erasistrateorum Romæ degentium denuo reuocare, à Galeno reprehensum? qui audeat non Galenum modo, sed omnes Medicos de febrium curationibus scribentes, tam aperte redarguere? Quis in magna intemperie frigida, humida, & sicca, audeat dicere, vigere indicationem vacuationis per venæ sectionem, aut purgationem? Quis confundere decreta nostrorum patrum, imo peruertere totam rationalium Medicorum artem audebit? Quæ ista sunt, inquies, decreta? Alterandum, inquam, in intemperie simplici; vacuandum & alterandum in ea, quæ cum materia consistit: ita profecto vides, hanc sectam confundere artem totam à Galeno, maioribusque nostris institutam. Quid dicam de magnitudine morbi, ratione cacoethiæ? an concedendum in hac adesse indicationem de alterutra vacuatione? minime vero concedam, quia, quod vnum semper suapte natura indicat, id alterutrum indicare non potest: cacoethia proprie oppositam illi, ac determinatam bonitatem indicat. vt vero cum cacochymia interdum confunditur, solam purgationem, sanguinis aut emissionem, quod ad suam pertinet naturam, nunquam indicat. Dicet fortasse quispiam, Galenum dixisse, propriam suggeri indicationem à magnitudine morbi; hanc vero solum esse de vacuando corpore, aut per venæ sectionem, aut purgationem. Huic dubitationi occurrens, dico, recte Galenum dixisse, propriam a magnitudine sumi indicationem, sed docebo postea, quomodo locus hic debeat explicari, nunc solum contendo illis ostendere, eam auctorem nunquam somniasse propriam indicationem magnitudinis morbi sic in vniuersum ac generatim sumptam, vt illi dicere, ac suis scriptis sumere, videntur mihi: existere de secanda vena, aut de purgando corpore. Omnis indicatio sumitur a natura indicante. Hæc propria indicatio est: naturam igitur habebit proprie indicantem. Scio, illos hanc mihi daturos demonstrationem. Tunc interrogemus, quæ sit propria hæc natura indicans alterutrum remedium? eritne morbus, vt morbus, vel morbus, vt magnus,

gnus,

gnus, vel morbus ſpecifice ſumptus? non quidem vt morbus, quia ſui ablat onem duntaxat atque remedium inſinuat, Galeni teſtimonio, libro tertio de Methodo medendi, immo etiam communi animi notione ſic demonſtrante, non vt magnus, quia hic ſolum magnum aliquodpiam remedium, non hoc aut illud ſpecifice indicare poteſt. Ergo ſi magnitudo morbi propriam indicationẽ promit, debet eſſe propria, determinata, ac ſpecifica: minime vniuerſaliter ſumpta. Alioquin axioma deſtruetur medicum, a Galeno propoſitum tum libro de optima ſecta ad Traſibulum, tum nono Methodi medẽdi, capite 12. nempe quod ab vno vnum perpetuo indicatur, & non plura, ſimplex aut compoſitum, prout fuerit natura eius quod indicat, ſiue ſimplex ſiue compoſita. Sed fient hæc longe dilucidiora in ſequentibus.

CAP. V.

Indicationem ſumptam a magnitudine morbi differre ab indicatione ſumpta a morbo in eo quod magis ac minus.

IAM cominus congrediamur cum illis; quod vt facere commodius valeamus, perpendamus rationes, quibus moti in hanc opinionem peruenerunt: videntur autem mihi omnes originem habere ex intelligentia verborum Galeni, quæ tum pro variis morbis curandis, tum ſpeciatim pro curatione vlcerum affert. Examinare conuenit ſingula diligenter, vt conſtet omnibus adeo abſurdam opinionem exiſtere, quam quod abſurdiſſimam. Primo igitur loco de Galeni ſententia id equidem dico, & profiteor, nunquam in eius libris inueniri ſcriptum, indicationem ſumptam a magnitudine morbi, differre ab indicatione ſumpta a morbo magno ſecundum eſſentiam: neque in eo capite ſexto id ipſum dixiſſe, vt illi profitentur: ſolum habet, Indicationem magnitudinis morbi illius, de quo ibi ex hypotheſi agebat, indicare aut venæ ſectionem, aut purgationem. Deinde in vltimis fere verbis, eiuſdẽ capitis ait: Quod magnitudo morbi interdum propriam indicationem habet ab indicatione vlceris diſtinctam, quæ concluſio Galeni fuit maxime neceſſaria, vt puta quæ ſupponat magnitudinem morbi cauſatam a multitudine, vel a cacochymia: quorum affectuum curatio eadem eſſe non poteſt cum vlcere, quatenus vlcus eſt. Viderint illi, quam bona ſit eiuſcemodi conſecutio: magnitudo morbi addita vlceri, vt quidpiam ab eius natura diſtans, interdum communem cum vlcere, interdum propriam habet indicationem. Ergo omnis indicatio magnitudinis morbi ſpecie diuerſa eſt ab indicatione morbi magni, quaſi quod hoc modo liceat inferre vniuerſalem contra omnem logicam veritatem. Cogit me hic locus in gratiam iuniorum, quos potiſſimum inſtituere deſiderò, paulo diligentius Galeni ſententiam docere allatis primum eius verbis, quæ ſic ſeſe habent:

Illius interim (inquit) in omnibus his non immemor, non eſſe vlceris, qua vlcus eſt, vllam id genus curationem, ſed vel vitioſi, qui coniunctus eſt, ſucci, vel redundantiæ vel phlegmones, vel herpetis, vel eius generis alterius. Sed nec illius oblitus, quod aliquid interim ex iis, quæ vlceribus accidunt, indicationem propriam ſuggerat, velut magnitudo.] Hæc ille.

Quorum ſententia eſt. Primum eorum, quæ accidunt vlceri, aliquid habet indicationem propriam, ab vlceris indicatione ſeiunctam, vt cacochymia, plenitudo, phlegmon, herpes, eryſipelas, alii ve eius generis affectus cum vlcere complicati. Horum enim curatio non eſt vlceris, qua vlcus eſt, ſed illorum propria: ſiquidem vlcus, vt tale, poſtulat vnitionem ſolam; annexa autem illi venæ ſectionem, purgationem, reuulſionem, deriuationem, repulſionem, refrigerationem, diſcuſſionem, aliaque eius generis exigunt remedia. Neque arbitrari oportet hanc in ſolis vlceribus conuenire doctrinam, quia certe communis eſt in omnibus affectibus complicatis. In animum inducito tuum, hanc eſſe vniuerſaliſſimam regulam: pro cuius dilucidatione proponentes febrem cum Galeno ita nobis liceat inferre. Eorũ quę quæ accidunt febri, quædã propriã ha-

bent indicationem a febris indicatione separatam, vt si contingatur putredo, prohibita transpiratio, obstructio, plenitudo, viscidítas, crassities, atq; humorum affluxus, horum enim vnumquodq; habet indicationem propriam, quæ differt ab ipsius febris indicatione. Hæc enim solum dictat refrigerandum, & humectandum. Annexa vero, vacuandum per sanguinis missionem, per pharmacum purgans, per vrinas, per sudores, per vomitum, concoquendum humorem putrefactum, obstructiones aperiendas, aut vacuantib. aut incidentib. aut detergentib. aut simul omnib. quæ longissime differre a curatione febris, vt febris est, nemo nescit. Secundo dicamus etiam cum Galeno, quod considerando magnitudinem morbi, qui accidit vlceri, ac in vniuersum cū aliis omnib. complicatam affectib. aliquando communem habet indicationem cum vlcere, atque cum iis morbis, quibus cum facta fuit complicatio. Sit vlcus in particula admodum humida: humidæ intemperiei, & vlceris curatio eadem est. Deinde sit vlcus cum putredine summa. Exsiccatio communis erit vtriusque indicatio. Sit febris putrida à flauæ bilis incendio procreata, vt febris exigit refrigerantia, & humectantia: eadem postulat, qua sit a flaua bile, vt Galenus dicebat primo ad Glauconem capite de curatione tertianæ. Hæc scio admittent omnes, tamquam vera, & Galeno digna; at falsissima sunt omnino, illiusque doctrina indignissima, quæ illi tanto applausu, & verborum apparatu afferunt: Nempe indicationem magnitudinis morbi differre ab indicatione sumpta à morbo magno: siquidem eadem est indicatio secundum speciem vtriusque solum euarians in eo quod magis ac minus: nā fluxio addita vlceri postulat reuulsionem: magna fluxio magnam reuulsionem, humor acris refrigerationem: maxime acris, summam refrigerationem. Plenitudo vacuationem, magna plenitudo magnam vacuationem. Cacochymia mali succi vacuationem: at magna, purgationem pharmaco purgante faciendam. Sic admirabilis Galenus nō semel dicere consueuit: Plethoricam dispositionem indicare vacuationem: quantitatem autem ipsius, quantitatem insinuare vacuationis. Quia vero rursus dicam de eodem argumento parum postea, sufficiant hæc: quibus demonstratum esse volo, aliud Galenum sentire ab eo quod illi imponitur, nec aliquando somniasse magnitudinem morbi præbere indicationem specie distinctam magno morbo, cuius scilicet morbi magnitudo erat. accedo ad reliqua.

CAP. VI.

Supradictæ explanationis veritas ex Galeni verbis probatur libro quarto de Methodo medendi, capite quinto, & sexto.

QVI ex iis Galeni verbis, quorum in superiori capite posita explanatio est, deducunt ipsum agere de magnitudine morbi in vniuersum, longissime decepti sunt: siquidem cum ille auctor loquatur ex suppositione, est omnino consequens, eam intelligere magnitudinem, de qua loquitur. Atqui loquitur de materialibus morbis, qui vel à cacochymia, vel a plenitudine, vel ab vtroq; gignuntur: idcirco in iis duntaxat magnitudinem morbi considerauit, tamquam indicatricem venæ sectionis, aut purgationis. Ne gratis loqui videar, exponamus rē diligentius principio facto ab iis, quæ capite quinto libri quarti de methodo medendi scribit, a quibus ad sextum facilis postea progressus fiet.

Propositum illius fuit docere Methodum curandi vlcera maligna, quæ cum alio affectu, aut partis, aut totius corporis complicata sunt. Methodum autem hanc esse dicit, vt prius sanemus affectum partis, aut totius, mox autem sanemus vlcus ipsum. Ideoq; inquit idoneam esse curationem, vbi tantum eæ partes quibus vlcus insedit, ita sunt affectæ, si has sanaueris: vbi totum corpus vitioso succo abundat, si hunc vacuaueris.] quæ verba aperte indicant Galenum loqui de affectu materiali: quod etiam parum postea repetit dicens: Signum quidem ipsa diuturnitas, affectus, succi vitium, curatio eius euacuatio,] ac parum postea quibusdam interpositis ait: Non itaque curationem indicante

vetustate,

vetuſtate, ſed ſanguinis vitio, quippe ipſe mox ſubiicit: prohibet namque maxime quidem eiuſmodi vlcera ſaneſcere: poſt vero etiam reliqua omnia, putredo ſanguinis, & ſi quid ex ſanguinis tranſmutatione eſt ortum;] hæc quidem cum aliis, quæ proxime ſequuntur adeo euidentem demonſtrationem habent, quod de morbis à materia ibi ſermonem inſtituerit, vt nequeat excogitari euidentior: in ſumma docet; Hippocratem in libro de vlceribus explicuiſſe, omnia pertinentia ad curationem vlcerum, tum quatenus vlcera, tum quatenus complicata ſunt cum aliis affectibus, vt cacochymia, phlegmone, eryſipelate, herpete, ac aliis, quorum cauſa purgandum totum corpus iubet. Concluſio autem totius capitis, in qua propoſitum adeſt illius, continetur his verbis: Videtur autem is (nempe Hippocrates) non ſolum vlcerum, quæ citra alium affectum conſiſtunt ſanandorum rationem inueniſſe, vt quæ in ſiccando conſiſtat, ſed etiam priuatim per ſpeciem affectuum cuiuſque. Nam aut vitioſus ſuccus ad partem cui vlcus inſedit amplius non fluit, aut etiam fluit: ac ſi non amplius fluit, ipſi tantum quod laborat, ſuccurendum eſt; ſiquidem vel liuidum, vel nigrum, vel rubidum conſpicitur, ſcarificando, ac ſanguinem emittendo: mox (vt ipſius verbis vtar) ſpongiam ſtatim ſicciorem, quam humidiorem ſuperimponendo,] ac poſt pauca ſequitur Methodum cum ait: Ad eundem modum, & cum ex toto corpore humor confluit, totum purgare iubet.] Hæc ille, quæ ad noſtram faciunt diſputationem: nam alia pertinent ad Methodicorum reprehenſionem dicentium, indicationem faciendorum ſumi ab ipſius morbi tempore: at etiam quod illi non quærebant indicationes immediatas, ac proprias, ſed in ſolis communitatibus inſiſtebant. Hactenus ex quinto capite declarauimus ipſum Galenum ſupponere vlcus malignum factum à fluxione, aut à malo ſucco, huicque neceſſariam eſſe euacuationem, aut à parte affecta per ſcarificationem repetitam, aut à toto corpore pro natura humoris fluentis. Nunc ex ſexto capite demonſtrandum Galeni ſuppoſitum. Dicit eo in capite Hippocratem vſum fuiſſe magnitudine morbi, tamquam indicatrice alterutrius vacuationis, aut venæ ſectionis, aut purgationis: ipſumque etiam laudandum, quod inuentor extiterit indicationis huius quam ignorarunt Methodici, Empyrici prope modum omnes, & ex rationalibus multi: explanabimus autem ſequenti libro Galeni verba diligenter: nunc ſolum colligo Hippocratem per magnitudinem affectus, aliam non potuiſſe intelligere, quam, quæ fuit à Galeno ſuperiori capite propoſita: Eius inquam affectus, qui ab humore fit, aut iam confluxo in particula vlcerata, aut confluente adhuc, vel etiam confluxuro, atqui iſti ſunt affectus a materiei vitio aut abundantia procreati; ergo per magnitudinem morbi intelligere oportet magnitudinem materialis duntaxat, minime vero cuiuſcumque morbi: propterea Galenus conſiderando vtrumque remedium vult tam venæ ſectionem quam purgationem conuenire ob reuulſionem, & ob vacuationem, habita indicatione à magnitudine morbi, vel a fluxione, vel a materia fluxa concitati. Confirmo hanc rationem ex eo, quod eadem indicatio viget vacuationis, idem remedium poſtulat, quod ſuperiori capite vitium propoſitum a Galeno fuit, atque hoc de quo agitur ſexto capite, id autem remedium eſt ſanguinis miſſio & purgatio. Porro maxima neceſſitate coactus fuit Galenus docere hoc loco magnitudinem huius morbi indicare vacuationem: quia licet omnis morbus materialis poſtulet vacuationem, non tamen omnis poſtulat vacuationem per ſanguinis miſſionem, aut ex pharmaco purgante, ſi malorum ſuccorum copia non fuerit: ſi non admodum pernicioſi, ſi morbus non vrgeat, ſanari facile poterit cibo exiguo, in contrariam diſpoſitionem inſtituto, clyſteriiſque, aut leniter digerentibus pharmacis, neque enim omnis cacochymia ſtatim exigit pharmaca expurgantia. Sic etiam neque ſtatim ſanguinem mitti eſt neceſſe, ſi plenitudinis adfuerit affectus, imo alii ſatisfacit inedia, alii cibi parcitas, alii ſoluta aluus, vel purgatio, vel frequentius balneum: alii ſola exercitatio, vel multa frictio abunde fuit. Hoc ſane Menodotus Empyricus minime diſtinguebat: ideoque morbi magnitudinem ſpectare oportet, aut igitur is fit a materia fluente, aut

à materia non fluente. Si à fluente vel fluxuro, fiat purgatio, est venæ sectio tuto administranda, etiam si nullus cacochymiæ, nullus plethoræ affectus adsit, solum id remedium indicante magnitudine morbi à fluxione fientis, aut incipientis, aut proxime futuri, si vero non fit à materia fluente, id remedium indicabitur à magnitudine morbi causati à plenitudine, aut cacochymia. Sed de hac re differemus etiam sequenti libro diligentius.

C a p. VII.

Perpenduntur quæ ab aliis de missione sanguinis in lethargo dicuntur, vbi multa contra illos disputantur.

PORRO, vt ostendant harum indicationum diuersitatem, afferunt rationes multas à curationibus morborum petitas: quarum vna est, quod Galenus in lethargo sanguinem mittit, non sane propter morbum, quia frigidus est, sed ob solam magnitudinem affectus; in qua re ab illis dissentio. Siquidem libro quarto de ratione curandi per sanguinis missionem, aliam docui causam longe diuersam, ob quam ad hoc remedium accedendum est in lethargo. Eandem nũc, vt verissimam recipio. Causa est, quod humor ad cerebrum fluens, siue sit biliosus, siue pituitosus, siue mixtus, repellendus est, vt Galenus ait libro decimotertio de Methodo med. c. 2 1. atque vt repelli debet, sic etiam reuulsione indiget, fluente sanguine ad cerebrum pituitoso, aut bilioso, aut mixto, maxime accommodata est venæ sectio, præsertim quod excalefacta particula ad sese traheret sanguinem acrem, & tenuissimum cum pituitoso: huic enim parat ille vias, vt in pleuritide pituitosa contingere omnes norunt: sic profecto tumor ille œdematosus mixtus fieret, quem recte œdema phlegmonode, aut erysipelatode vocaremus. ergo vt ab hoc incommodo præseruemur, optimum censuit Galenus mittere sanguinem. Cæterum quando dicunt in lethargo mitti sanguinem solum ob magnitudinem morbi, potest sane recipi à nobis, recte etiam potest negari. Recipiendum est omnino sanguinem mitti ob magnitudinem futuram, ac imminentem, vel etiam fieri incipientem ratione fluxionis ipsorum humorum. tunc enim etiam si nulla in toto corpore subsit plenitudo, nulla etiam cacochymia, vrgente plurimum particula fluxione tẽtata, venam incidimus, & aliquando purgamus, ac interdum vtrumque administramus præsidium. At vero negari omnino debet sententia, si dicere velint, sanguinis missionem adhiberi ob solam magnitudinem in vniuersali consideratam, nullo scilicet habito respectu ad humorem fluentem, vel non fluentem: hoc enim ego in ipsius Galeni doctrina consistere non posse minime ambigo. Nostra igitur hæc sit in hoc argumento thesis. In lethargo magno (ita enim loquuntur illi) sanguinis missionem fieri, ita indicante particula à sanguinis fluxione tentata. Nunc illorum considero argumentum. Venæ sectio non satisfacit indicationi sumptæ à morbo, quia lethargus affectus est frigidus; at non conuenit eiusce modi remedium in affectu frigido. Dico primum adesse hic æquiuocationem, quia non fit bona, & accommodata in hac re comparatio, quia missio sanguinis per se est remedium vacuatiuum: neque debetur intemperiei, vt intemperies est, sed solum humoribus peccantibus, aut in motu & fluxione, aut copia, citra fluxionem. In lethargo itaque non indicatur remedium, vt frigida intemperies est, sed vt ea intemperies habens fluxionem, morbum rheumaticum generat: cuiusmodi est in principio lethargus fere omnis. Nos dicamus hoc pacto: morbus omnis rheumaticus postulat reuulsionem: qui vero magnus est in eo genere morbus, magnam reuulsionem indicabit. Reuulsio hæc venæ sectione exercetur interdum. Quid sequitur? indicationem magnitudinis morbi defluxorii, non differre ab indicatione magni morbi defluxorii, nisi ratione quantitatis, vel, vt illi dicunt, in eo, quod magis, vt minus, quod in hoc morbo demonstrauimus, idem in reliquis iudicium fore adhibendum, audient, cum infra de vlceribus loquemur. Postremo non admitto lethargum esse morbum frigidum, nam si

febrem continuam consideramus, calidus est. Si putredinem, non erit frigidus. At materia pituita est, hæc frigida: Fateor, sed ista vt frigida non facit lethargum, sed vt calida putrefacta scilicet, vel in tumore existens, si tumorem statuamus existere lethargum, vel cerebri substantiam irrigans. Venæ autem sectio solum adhibetur ratione fluxionis indicantis reuellendũ vel deriuandum. Sunt hæc plenius explanata in libris de curatione morborum secundum locos.

CAP. VIII.

Perpenditur locus Galeni libro secundo de compositione medicamentorum, per locos de dolore capitis ex vulnere, & contusione, ostenditurque alios non bene sentire.

QVamobrem ego prorsus nequeo concedere; quod vbicunque morbi vigeat magnitudo, illic statim nascatur indicatio, aut secandi venã, aut dandi medicamentum purgans; sicut e contra, concedimus omnino, si amoueatur à morbo magnitudo talem indicationem esse prorsus superuacaneam, in omni vlcere magno protinus, aut sanguis mittendus est, aut purgandum. Summoueatur ab vlcere magnitudo, talis indicatio prorsus euanescit. Etenim potest ulcus esse paruum, vt in carbunculo contingit, in punctura alicuius nerui à telo aliquopiam acutissimo, vt etiam ab acu; tamen necessaria est venæ sectio, aut purgatio non ob præsentem magnitudinem illius vlceris, considerando ipsum vt vlcus est, sed ratione fluxionis imminentis, aut iam incipientis; solumq; hic respicimus magnitudinem morbi futuram, at illi solum præsentem contemplari videntur. At pone magnum esse morbum actu, quis non adhibita distinctione admitteret protinus adesse indicationem de venæ sectione, aut purgatione? cur non etiam indicare poterit magnam aliquampiam alterationem? ergo si de materialis morbi magnitudine loquamur, præsente, aut futura, aut imminente, nulla penitus erit inter nos controuersia. Sed hæc satis. Nunc alium examinemus locum non minoris momenti pro confirmatione opinionis nostræ, licet illi id non credant. Dicunt Galenum in secundo libro de compositione medicamentorum localium, agentem de dolore capitis ex vulnere, & contusione indicatione sumpta à sola magnitudine morbi sanguinis missionem consuluisse; nã ibi aiunt, ponit scopos plures; vnum ex vulnere, alium ex cõtusione, tertium ex dolore, quartum ex magnitudine morbi, ad quos omnes sigillatim, ac separatim illa accommodat præsidia, quæ ab vnoquoq; indicantur: venæ autẽ sectionem magnitudini opponit morbi, his verbis vsus; ergo (inquit) si tota affectio incurabilis redditur, & periculum ingens ac præceps imminet, optimum fuerit in his, nisi ætas prohibuerit, & nisi vitalis facultas debilis appareat à sectione venæ initium curationis facere.] Hæc illi. Ego autem dum considero Galeni verba tantum abest, vt recognoscam eam, quam Galeno tribuunt sententiã, vt profitear totum contrarium deduci, & hunc locum nobis vel maxime fauere: pro cuius rei dilucidatione affero prius totam Galeni dictionem, mox, etiam si sit clarissima, à nobis explanabitur. Sic igitur se habet.

Verum operæpretium est nosse nos eiuscemodi affectionem nullam aliam, quam inflammationem esse, quæ non ex plaga solum, aut casu, sed citra etiam manifestam causam, iuxta omnes corporis partes propter humorum influxionem fieri consueuit; siquidem igitur plaga vulneris, aut contusionis causa extitat, plures scopi erunt ad remediorum inuentionem; vnus quidem in vulnere, ad quod glutinantibus, & inflammationem arcentibus pharmacis vti oportet, postquam vlceris labia fibulis impositis constrinxerimus. Alter vero in contusione: Tertiusq; in doloribus, qui quandoq; in ipsis solis percussis partibus fiũt: plerumque vero etiam ad vicinas partes extenduntur. Etenim membrana, quæ caluam ambit, & cutis, quæ forinsecus circumtenditur, vtraque propriam substantiam continuam habet per omne caput extensam, & ob id sane sæpe ipsum vniuersum dolere contingit, præsertim, si vsque ad membranam os caluæ am-

medendi Methodo capite sexto cum inquit: Dicamus communem omnium phlegmonarum curationis indicationem esse vacuationem. Quæ vero adhuc in generatione sunt, in iis prior vacuatione est confluentis ad affectum locum sanguinis inhibitio] ecce quam bene Galenus sibi concors venæ sectionem reuulsionis causa administratam, voluerit primam esse in opere Medico, eamque a fluxione indicari. Debuisset certe hic locus præclarissimus admonere illos, vt relicta magnitudine morbi in communi ad propriam, & specificam venissent. Præterea demus illis Galenum in iis verbis: Si tota affectio incurabilis redditur, & periculum ingens, ac præceps imminet] magnitudinem audiuisse morbi: cum ea verba potissimum, immo solum intelligantur de inflammatione membranarum cerebri, & de sanguine extra venas illabente ad substantiam cerebri. Dicant quæso mihi, an venæ sectio ob solam hanc administrabitur magnitudinem? excludenda igitur est sanguinis missio inflammatione pericranei quæ quoniam sanabilis est, neque præceps aliquod ingens ve periculum imminet, magna, illorum sententia, dici non debet, si verbis supradictis magnitudinem intelligit morbi, at hoc re vera maxime absurdum est; si quidem in omnibus inflammationibus imminentibus, aut incipientibus citissime ab affecta particula reuellere oportet, atque si leuiora non satisfaciunt remedia, ad venæ sectionem protinus accedendum, etiam si affectio sit facile curabilis, nullumque ingens, ac præceps immineat vitæ periculum. Sed satis circum hunc locum, quem illi tanti faciunt, digressi sumus. Propono iuniorum Medicorum gratiam alios ex eodem libro depromptos de compos. Medic. secundum locos.

Scribit in putridis febribus sanguinis emissionem esse vtilem, si dolor capitis facit negotium, nulla mentione facta magnitudinis morbi, sed solum plenitudinis. Hæc sunt illius verba: In doloribus capitis, qui a principio cum febribus irruunt, vena secanda est post primam, aut secundam remissionem, nisi quid impediat, & præsertim in corporibus bonæ habitudinis, & multo sanguine redundantibus.] Hic certe venæ sectio duplici conuenit de causa: vna est, vt fluentem ad membranas sanguinem, a quo fit dolor, in contrarium diuertamus, siue secundum corpulentam substantiam, siue vaporosam eiusce modi contingat fluxio, hæcque particularis est magnitudo morbi, venæ sectionem postulans pro reuulsione, etiam si nullus in corpore plenitudinis affectus conspiciatur. Alia causa est, multitudo sanguinis, de qua dicit, præsertim in corporibus bonæ habitudinis, & multo sanguine abundantibus] dixit autem, præsertim] vt ostenderet multo tutius administrari venæ sectionem, si vna cum fluxione plenitudo totius adsit; tamen etiam sine plenitudine tuto mittitur. Alter locus est nec minus dilucidus, in quo agens de cephalea hæc scribit.

Siquidem igitur humorum, aut vaporum multitudinem reperetis causam, siquidem propter totius corporis repletionem facta sit, vniuerso corpore vacuato, dolorem capitis sanabis] vides hic solum mittere sanguinem ratione plenitudinis, ipsa scilicet indicante, venæ sectionem tanquam vacuatiuum præsidium. Neque putes reuulsionis fuisse oblitum, nam eius etiam meminit cum inquit: Si vero velut debile existens caput, ad se sublatos humores, aut vapores susceptet, materiam reuellere oportet in totum corpus, atque ita particulæ mederi] ac tandem proposita indicatione reuulsionis materiam medicam docet hisce verbis: per clysteres itaque reuulsio fit, & deligaturas extremitatum, & pluribus extremarum partium confrictionibus, interdum etiam sanguinis ex cubito detractione.] Consideratione dignum videtur, cur dixerit, interdum] quia certe, si soli vapores sine sanguinis copia a toto corpore ascendunt, leuiora sufficient reuellentia, si vero adfuerit sanguinis abundantia, ex cubito extrahendus: atque si abundantia magna fuerit ex cubito detraxisse non sufficiet, sed oportebit etiam secare venam narium, vt ille dicit. Quod si amplius sanguis redundare videatur etiam ex naribus aperta vena, & quantum sufficere videtur sanguine vacuato] hæc Galenus. Velim ego explicari mihi a nouæ huiusce sectæ institutionibus: cum propositus affectus magnus existat ob præstantiam partis: magnus

ob propriam essentiam doloris: cur Galenus tot dil inctiones adhibet? cur non statim dixit, mittendus illico sanguis est ob morbi magnitudinē? aut cur prætermissa morbi magnitudine ad solā confugiat plenitudinem? Postremo, dolorem capitis ex flauabile procreatum curare docet, cum ait: Euacuandus item biliosus humor per ctemorem absynthii, aut per aloem, & ipsam picram antidotum per se datam, & modico addito scammonio, vel per catapotia ex aloe confecta.] hæc si vera sunt, cur venæ sectionem prætermittit, magnum alioquin remedium, ac tutum in omnibus morbis magnitudinem habentibus? cur eandem prætermiserunt omnes Græci, Arabes, & Latini, qui Galeni doctrinam imitantur? Deficeret me dies si alios eiusdem auctoris locos hac in re celebres, aliis in libris scriptos, recensere vellem, neque de iis mentionem fecissem, nisi ex eo libro occasionem sumpsissent illi suam opinionem confirmandi. Nunc tempestiuum est accedere ad alia.

Cap. IX.

Indicationem sumptam ab vlcere magno, & a magnitudine vlceris differre, in eo, quod magis, ac minus.

NOn mediocriter displicent mihi in iis exemplis, quibus probare nituntur dilucidioris doctrinæ gratia, magnitudinis morbi indicationem differre ab indicatione sumpta a morbo. Exempla duo sunt. Agam singulatim de vtroque, ac ne videar aliquid illis imponere, referam, quæ scribunt. De primo exemplo, sic loquuntur: Atque vt ne a proposito exemplo discedamus, finge vlcus magnum in crure dextro, illud sumpta indicatione a morbo indicat præsidia valenter exsiccantia: sumpta vero indicatione a magnitudine morbi, indicat sectionem venę, aut purgationem: itaque si omnium primum fecerit vena dextri cubiti, hoc pacto corpori vniuerso prospicitur, simulque retrahitur humorum fluxio a parte laborante, quæ propterea redditur libera ab inflammatione, & dolore, adeo vt cum ratione, tutoque possit admittere valenter siccantia medicamenta.] Hactenus illi.

Hæc & obscure dicta videntur, & non bene distincta, obscurum est, quod dicunt indicatione sumpta a morbo, vlcus ipsum indicare valde exsiccantia, quia, si per morbum intelligunt vlcus, vt vlcus est, hoc non indicat propria natura, nisi exsiccantia, non valenter, vt illi dicunt, siccantia, si vero magnū vlcus audiant, ita, vt sit magnus morbus distinctus ab ipso vlcere, cum velint magni morbi indicationem differre ab indicatione magnitudinis morbi, adeo obscure loqui videntur mihi, vt fere credam eos ipsos propriam ignorare vocem, & ego sane (ita sum hebeti ingenio) non plane assequor, quid animo concipiant, vtcunque tamē res habeat, sic disputo. Cum magnitudinem morbi dicunt, petierim, cuius morbi magnitudinem intelligant, an vlceris, quod hic nomine morbi significare videntur, an alterius cuiuspiam morbi cum ipso vlcere coniuncti, aut tandem eius, quem illi imaginatione sibi confingunt, si vlceris intelligunt magnitudinem, quæso quid absurdius dici aut excogitari potest, quam dicere indicationem magni vlceris differre ab indicatione magnitudinis vlceris? Non cognosco differētiam, vt cum Medicis ex vsu artis loquar, inter magnum vlcus, & magnitudinem vlceris, nisi eam fortassis adesse dicas, quæ est concreti ad abstractum: q; ad ipsam rē, de qua agitur, nihil confert. Si vero per magnitudinem morbi intelligunt, incrementum vlceris a causis impedientibus eius curationem, vt puta fluxionem, cacochymiam, plenitudinem, phlegmonem, erysipelas, herpetem, ac alios eiusdē generis morbos, rectissime quidem illi sentient; quia ita sentire Galenum demonstratum iam mihi in superioribus fuit. Digna certe viris doctis sententia est, vt in Galeni doctrina exercitatis, at non bene, quod ad propositum attinet, nec distincte loqui videntur, quia indicatio hæc sumitur a fluxione, ac ab aliis annexis cum vlcere, minime quidem proprie sumitur ab vlcere, nec ab illius, quatenus vlcus est, magnitudine. Eiuscemodi indicatio venæ sectionē necessario nō postulat, sed alternatim, aut venæ sectionē, aut purgatio-

gationem: ex qua re clarissime constat, Galenum non loqui de magnitudine morbi in communi, sed solum de materiali morbo. Quomodo igitur, si aut hoc aut illud indicat rei natura, vnam venæ sectionẽ semper indicare pronunciant? cur principium curationis magis à phlebotomia, quam à pharmaco purgante faciunt? necessarium est, velint, nolint, discedere illos à communitate magnitudinis, & cominus accedere ad propriam aliquampiam magnitudinem, quę ita venæ sectionem indicet, vt non purgationem, aut magis, quam illam: aut vtrumq; remedium simul: nesciunt sese extricare ab hoc nodo, qui in Galeni doctrina parum versati sunt. At, qui in hoc clarissimo omnium disciplinarum fonte, & medicinæ solidissimo fundamento inhærescunt, cognoscunt, venam duntaxat pro reuulsione esse incidendam, cum fluxerit sanguis: pro vacuatione autem cum idem vicerit (placet verbis vti huius admirandi hominis) purgationem adhibendam, si fluxerit bilis, aut pituita, aut melancholia, aut serum. ergo magnitudo morbi à materia semper vacuationem illius materiei indicabit; at vero speciem vacuationis indicabit species affectus; vt cacochymia, aut plenitudo: quantitatem autem eiusdem quantitas, vt Galenus libro de ratione curandi per sanguinis missionem docuit: sic profecto indicatio sumpta à morbo in proprio genere, non differt ab indicatione magnitudinis morbi, nisi in eo quod magis aut minus. Magna profecto vis est veritatis; nam illi Methodum hanc dilucidare conantes de indicatione magnitudinis vlceris, ita dicunt. Itaque si omnium primum secetur vena dextri cubiti, hoc pacto corpori vniuerso prospicitur, simulque retrahitur humorum fluxio à parte laborante, quæ propterea redditur libera ab inflammatione, & dolore.] dum enim ita scribunt, non amplius quidem considerant magnitudinem absolute & in communi; sed solum magnitudinem vlceris dolorosi, propter inflammationem à fluxione concitatam: huius ipsius causa conuenit venæ sectio statim in principio, anteaquam fiat inflammatio, vel si fieri incepit, ne augeatur; in hunc modum fluxio, & magna fluxio, quoad remedium pertinet, non distant, nisi vt vacuatio à magna vacuatione, & reuulsio à reuulsione magna; sic idem est remedium morbi magni, & magnitudinis morbi, quod est remedium ipsius morbi. Reuertor ad vlcus. Posito, vlcus solum existere, sola siccatio illius remedium est magis ac minus pro varietate eius naturæ. Si coniunctum cum fluxione, prius auertenda, ac reuellenda; atq; si corpus fuerit plethoricum, sanguine fluente sanguinem mittimus repetitis vicibus ex crure opposito; idemq; remedium exercerem etiam si totum corpus non sit plethoricum, si tamen fluat ad particulam affectam sanguis. Si vero mali duntaxat humores fluxerint, pro diuersitate illorum purgandum est, vt Galenus docuit libro quarto Methodi, cap. 5. & 6. Ex iis videor abunde ostendisse indicationem vlceris, & magnitudinis vlceris, non differre, nisi in eo quod magis, ac minus. Et hæc circa primum exemplum sint satis.

CAP. X.

Exemplo febris ardentis ostenditur, indicationem sumptam à magnitudine morbi non differre ab indicatione sumpta à morbo.

SECVNDVM exemplum est de febre ardente, de qua hàc ipsa verborum serie scribunt: Febri ardenti quatenus pertinet ad indicationem suggestam à morbo intemperie calida remedium plane contrarium, ac proinde conueniens est refrigeratio, quæ pro rata portione caliditati respondeat: exempli gratia largior frigidæ portio. Si vero altera consideretur indicatio suggesta à magnitudine, est inanitio & prouisio totius corporis, sine qua & aqua frigida & alia huiusmodi accommodata remedia temere administrantur.] Hæc illi.

In hoc exemplo non magis mihi satisfaciunt, quam in superiori. In primis, cum febrem ardentem afferunt, arbitror ipsos hoc nomine vti proprie, ideoq; supponere febrem acutam, magnam, & continentem, ac vt vno verbo dicam, febrium omnium maximam, quæ cum ita sint, non est alia inquirenda magnitu-

do in hac febre, ab ea, quam ex propria possidet natura. Ideoq; mirum videtur, quod isti aliam magnitudinem admittant. Porro febris ardentis natura duo continet: vnum est caloris summa efferuescentia, à qua ardens nuncupatur Latinis, καῦσος Græcis ab incendio perpetuo: aliud vero, humorum copia in venis omnibus, aut saltem maximis, quæ sunt inter alas, & inguina, atq; eorundem ebullitio, putredini coniuncta, qui humores omnium calidissimi sunt, vt bilis flaua, & sanguis tenuis, & biliosissimus. Huic duæ indicationes insurgunt: à calore vna, ab humore alia. Calor alterandum per contrarium indicat; humoris copia, vacuandum. Refrigeratio vero & humectatio quatenus febris, indicatur, vt magna febris, magnam; vt maxima omnium postulat maximam refrigerationem; nulla vero maior neq; magis accommodata excogitari potest, quam aquæ ipsius frigidæ ad satietatem potus. Videant hic progressum indicationum, ab alteratione ad refrigerationem, dein ad magnam, postea maximam. Videant indicationem à morbo deductam, non differre ab ea, quæ deducitur ab ipsius magnitudine considerata penes essentiam. Idem statuemus omnino de altera indicationis parte: nam quatenus hæc febris ab humoribus dependet multis, & maxime ebullientibus, vacuationem postulat: quatenus multi sunt, & multum agitantur, desiderant, quæ subito & affatim vacuant, aut venæ sectione, aut purgatione. hic etiam conspicuum est, indicationem sumptam à morbo materiali, non differre ab indicatione magnitudinis eiusdem morbi materialis: in his quidem consistere Methodum curatiuam non ambigo. Cum igitur in febre ardente alia nequeat excogitari magnitudo, atq; in iis consensus magnus adsit indicationum, vt explicui, videre nequeo, quo modo illi aliam imaginentur magnitudinem; nisi fortassis ob complicationem aliorum affectuum, qui ex accidenti componantur, cum hac febre magnitudinem definiant, vt de vlceribus superius dicebamus. Quod autem dicant, largiorem frigidæ potum esse indicationis à morbo petitæ, materiam non admitto, primum, quia qui dicit, febrem ardentem esse morbũ, hic quidem admittit intemperiem cum materia, à qua duplex emanat indicatio: vna ab intemperie, à qua refrigeratio: alia à materia, à qua vacuatio: falsum igitur est dicere, frigidæ potum esse materiam remedii indicari à morbo: quia indicatur ab vno morbo, non ab alio. Deinde, quia largior potus à potu frigidæ distat, vt magis ab eo quod minus: idcirco ad magnitudinem referendum. Illud etiam mirum videtur, ne falsum dicam, à magnitudine fugeri indicationem inanitionis: quia inanitio non est contrarium magnitudinis cuiusuis, sed eius duntaxat, quæ fit ab humorum copia. In putridis omnibus febribus indicatio vacuationis depromitur ab ipsis humoribus, vt à multitudine & cacochymia. Hæc quidem statim vacuanda per aluum, per vomitum, per vrinas, per sudorem, Galeno auctore lib. 11. de Methodo medendi, cap 8. & 9. & 13. illa autem venæ sectione curabitur, vt idem ait lib. eod. cap. 10. & 14. & lib. 8. cap. 4. Ergo pro vacuanda multitudine semper venæ sectio, si leuiora non sufficient, administranda: pro cacochymia autem purgatio sufficienter adhibetur.

Cap. XI.

Non semper mittendum esse sanguinem in ardenti febre, vehementissimis doloribus, inflammatione omni, ac in hydrope, etiam si vires valeant, & magni sint morbi.

Cogor hic ego quædam repetere, quæ meis libris de ratione curandi per missionem sanguinis, copiose enarrata sunt, quo disputationis huius explicatio dilucidior euadat. Dico igitur ac profiteor, magnitudinem morbi materialis proprie, ac per se non indicare phlebotomiam, sed alternatim, aut hanc, aut purgationem, vtra vero ex his eligenda sit, docere humorũ affectum, à quibus tota omnino pendet eiuscemodi consideratio, vt nunc exemplo febris ardentis, dolorum vehementissimorum inflammationis, hydropisque manifestum facere decreui. Duorum esse generum ardentem febrem constat ex iis,

quæ

quæ docui ex Galeno libris de febribus, nam quædam ardens est vnicam accessionem habens: quædam suos circuitus continet tertianarios, illa fit ex efferuescentia putredini iuncta sanguinis biliosissimi, aut flauæ bilis excrementitiæ mixtæ sanguini in venis maioribus consistentis, ideoque nulla est corporis pars quæ non sit læsa, hæc autem accidit ex flauę bilis excremẽtitiæ putredine in aliqua determinata corporis parte, quæ vel attrahit, vel suscipit, vel generat, vel expellit excrementa. Vtraque motbus est magnus ratione præstantiæ partis, vtraque magnus ob propriam essentiam, quia caloris magna & fere summa intentio est, non tamen in vtraque semper adest indicatio de vena incidenda, in priori quidem semper adest, in posteriori non semper: etenim synochus illa biliosi sanguinis abundantiam indicat, validasque vires cum nunquam in corporibus imbecillibus accidat Galeni testimonio vndecimo libro de Methodo medendi. Tertiana vero siue continua siue intermittens, fit sine multitudine sanguinis plerumq́; ideo magis purgatio illi conuenit: imo vero quia bilis turgere solet aliquando, vbi id contingat à sanguinis missione abstinendum prorsus fuerit. Adde etiam, quod, vt fit ab excrementitia bile, sic etiam spuriam fieri à pituita salsa, ab Hippocrate scriptum fuit, & à nobis in artis operibus confirmatum, in qua febre saluberrimum duxerim abstinere à venæ sectione, ac vti medicamentis expurgãtibus pituitam, nisi fortassis contingat in corpore plethorico, tunc pet mistam pituitam cũ multo sanguine, quis non auderet aperta scalpello vena euacuare? Sed de hac re in vltimo libro harum disputationum, quædam etiam dicemus huic argumento satis opportuna. Quod vero ad dolores vehementissimos pertinet, nemo ausus erit negare illos non esse affectus magnos, neq; posse sanari, si ab humorib. fiant sine vacuatione affectu digna, quam vsque ad animi deliquium definiuisse Galenum scimus: sed quidem non debet statim fieri secta vena, sed distinguendum iuxta regulas in superioribus traditas, an mittere sanguinẽ, an purgare oporteat, quemadmodum Galenus primo Aphor. com. 23. declarauit hisce verbis:

In maximis vero doloribus nullum maius noui remedium ea vacuatione, quæ ad lypotomiam vsque fiat, cum ea tamen distinctione, vt intelligatur, phlebotomia ne an purgatione ad defectum vsque animi vti conueniat, quam rem demonstrauimus in commentariis, de phlebotomia] Hæc Galenus de vehementibus doloribus. Hic idem auctor eo in libro de missione sanguinis admodum aperte, & clare in ipsis inflammationibus non semper phlebotomiam adhibendam, sed aliquando exercendam purgationem docuit. Contextum ac omnia verba illius non grauabor afferre, quia funditus horum opinionem destruunt, ac etiam declarant, quæ dixerat in vltima parte commentarii 23. Capite igitur eius libri octauo ita scribit: Eadem ratione in iis, quibus pars quæpiam grauiter icta est, aut vtcunque aliter incipientem habet phlegmonem, eam si magnam fore suspicamur, curationẽ ab inanitione auspicamur, aut purgatorio medicamine exhibito, aut vena incisa, prout nimirum alterum altero magis conuenire iudicamus] & parum supra eodem capite. Merito igitur (dixit) his curandis scopus est non vacuatio, sed corporis totius roboratio, quamquam tamen curationis initium illis à missione sanguinis oriatur, ac si excrementa prauam etiam qualitatem habuerint, vna adhibeatur purgatio] hæc ille. ex quibus arbitror me iam docuisse incipientes inflammationes non semper venæ sectione indigere, cuius rei causam videtur mihi tradidisse eodem libro capite septimo, cum ait, sed illud prius videndum quod sit quod in illis coaceruetur, siquidem nonnullis amaræ bilis succus plus cæteris colligitur, quibusdam bilis atræ aut pituitæ, aliis ex æquo omnes, in quibus sanguis abundare dicitur. Hos ergo omnes vacuabis sicuti etiam podagricos, & arthriticos Veris principio exhibito, videlicet aut medicamento purgante, aut sanguine diminuto.]

Proponebamus hydropem postremo loco, morbum equidem magnũ tum ratione partis affectæ, tum ob propriam essentiam, deberet semper vena incidi in hoc affectu, si nihil aliud, quam magnitudo debeat spectari, vt quispiam ex

ai te generosum hoc adhibeat præsidium. Sed nemo vnquam curare ausus est venæ sectione, nisi fortassis hyposarcidem, quæ in primo sit principio, atque solum, cum originem habet à suppresso sanguine menstruo, vt Galenus dicebat libro quarto acutorum com. 111. vbi habet. Nempe solus hic cum incipit eget interdum sanguinis detractione, cum scilicet ex retentione, vel hęmorrhoidum, vel muliebrium, vel ex quapiam, quæ ita plethorica sit, causa inceperit. Tympaniam vero & ascitem, nullus per sanguinis missionem sanare est ausus.] Fortassis dicent phlebotomiam non esse in hoc affectu conuenientem, quia vires validæ non sunt, ita enim mihi aliquando respondit Franciscus Gorochus Fulginas Medicus citra omnem controuersiam praclarissimus, sed hanc responsionem non admittit Galenus, qui libro quarto de Methodo medendi dicebat virium robur, magnitudinemque morbi desiderari in omni vacuatione tam per sanguinis missionem, quam per pharmacum expurgans. Porro nullum esse constat morbum, in quo vehementoria pharmaca exerceãtur à Medicis quam hydrops, vt antimonium præparatum, pilulæ ex elaterio, ex euphorbio, ac aliæ eius generis sexcenta.

Cap. XII.

Cur Galenus indicationem à magnitudine morbi tanti fecerit, atque Hippocratem eius indicationis auctorem laudauerit.

Restant duo mihi explananda, vnum est, cur Galenus tam magnifice de hac indicatione ab Hippocrate inuenta sit locutus, alterum vero, an recentiores dubitationib. recte satisfaciant. De vtroque dicamus. Cum itaq; Galenus Hippocratis diligentiam ac diuinum ingenium tantopere admiretur ac præ cęteris inuentionem scopi à magnitudine morbi sumpti, ipsum fuisse inuentorem dicat, quærunt nonnulli, cuinam tanta conueniat admiratio, & commendatio. Respondent certè non conuenire indicationi, quæ sumitur à morbo. nam quod morbus magnus indicet idem remedium, quod morbus, sed valentius, censent per se esse euidentissimum, neq; aliquem fuisse ex omni secta, ac tempore, qui id nesciuerit, aut negauerit. Etenim si quis intelligit vlcus indicare siccationem, quomodo non ille statim fateatur à magno vlcere magnã indicari siccationem? Quamobrem inuentio, & ex cogitatio huius indicationis alioquin apertissimę, & euidentissimæ, tanto apparatu, & labore non indiguit, neq; tã illustri præconio debuit celebrari. Qualis ergo (interrogant) fuerit scopus tã admirabilis? est qui proponitur à Galeno quarto Methodi c. 6. hisce verbis. Nunc illud volo docere morbi, siue robur, siue magnitudinem, quis velit appellare, scopum nobis esse constituendum detractionis sanguinis, seu purgationis, & Hippocratem omnium primum quos scimus talem scopũ inuenisse. Re vera in hunc scopum omnia quadrant accommodate. Nam à magnitudine morbi indicari purgationem, vel sectionem venæ, non ita facile videbatur recipiendum, & propter rationes iã positas, & propterea, quia multi censeant huiusmodi vacuationes indicari dũtaxat à malitia, vel plenitudine humorũ. Quocirca iure, ac merito inuẽtio istius indicationis indiguit longa, & accurata mẽtis indagatione, lõga & assidua in reb. atq; operib. Medicis exercitatione, id quod prisco illo sęculo, in quo Medicina adhuc rudis erat, nemo præter vnum Hippocratem præstare potuit] hæc quidem de inuentione indicationis huius recentiores scripserunt Medici. Ego vero in iis, quæ ab illis dicta sunt de indicationis huius inuentione omnium maxime dissentio. Siquidem indicationum naturam eam esse censeo, quod magnam habeant cum iis, quæ sensib. nostris conspicua sunt, & cum communib. animi notionib. quas omnes perspectas habeat, affinitatem, vt puta quæ statim cognita natura rei, à qua, ceu riuuli à fonte clarissime emanant, elucescant, sine analogismo, siue ratiocinio, & sine experientia. ideoque Galenum rectissime scripsisse recordor libro de optima secta ad Thrasybulum indicationem esse comprehensionem iuuantis, simul cum comprehensione nocentis

aduenietitem, sine analogismo, & ratiocinio, cuius definitiones, quod pertinet ad postremam partem, causam videtur mihi idem auctor declarasse satis diligenter eodem libro cap. 10. Placet eius verba afferre in medium, vt studiosi iuueties assequantur ex admirabilis Galeni doctrina eius rei veritatem, quam profitemur. Ita (inquit) & iuuantia quidem per indicationem patefiunt, simul enim cum indicantib. obuiam fiunt, nulliusq; cogitationis ope indigent. Hanc .n. ob causam, & animantia ratione carentia, æstum, algorem, semelque omnia nocere valentia, quoad eius fieri potest vitare conantur, simul videlicet eo quod iuuat, sese offerente. Paxillo. n. aut aliquo alio in membrum defixo, nullus cogitatione præmissa reuellit: Quare quod in apertissimis, & sine controuersia concessis reperitur (omnibus. n. demonstrationem transcendentibus mens nostra propter euidentiam assentitur,) id nimirum, & in perceptis ex indicatione contigerit. Quædam igitur proportio indicationi cum sensui, intellectuiq; manifestis intercedit, quando. n. cum nocentibus iuuantia pariter occurrunt, tunc neque obseruatione, neque analogismo vtendum, quandoquidem ipsa nocentia, quid expediant, manifestant] hæc ille. Considerent modó docti viri quomodo possint hæc Galeni placita cum illorum decretis conuenire, ita illi dicunt. Quo circa [illegible] ac merito inuentio istius indicationis indiguit longa, & accurata mẽtis indagatione] Galenus vero sic. Quædam proportio indicationi cum sensui, intellectuique manifestis intercedit] ac rursus, quod in apertissimis, & sine controuersia concessis reperitur, id nimirum & in perceptis ex indicatione contingit] ac etiam. Quando. n. cum nocentibus iuuantia pariter occurrunt:] Præterea conferantur hæc illorum verba, indiguit longa, & assidua in rebus, atque operibus medicis exercitatione] cum istis Galeni. Tunc neque obseruatione, neque analogismo vtendum,] ac rursus capite vndecimo, dicebat esse comprehensionẽ sine experientia, & ratiocinio,] at cur excludenda est experientia, si inuentio indicationis petitæ à magnitudine morbi indiguit longa & assidua in rebus atque operibus medicis exercitatione? cur excludere ratiocinium, & analogismum oportebit, si longam, & assiduam mentis indagationem postulauit? Vrgeo ad hæc opinionem hac ratione demonstratiua. Essentiæ morbi cognitio non innotescit experientia nõ longa, & accurata mentis indagine: ergo multo minus indicatio, quæ ab illa exhauritur. Noscuntur morbi ex signis, signa sunt euidentia & sensibus nota, alloquin non essent signa. Are esto, obscura sit essentia, rationali Medico non præbebit indicationem aliquampiam sui, nisi postquam fuerit præcognita (non sit modo controuersus cognoscendi modus, neque id laboro, nec id facit ad rem) quacunque id ipsum accidat ratione: statim succedit inuentio indicationis ipsius naturæ, nulla mentis indagatione præcedente, nulla experientia duce, sed solum ex perceptione ipsius naturæ. Experiantur, qui voluerint id ipsum in omnib. morbis, ac certe habere semper veritatem Galeni hoc, imo vero commune omnium rationalium Medicorum decretum, inueniant. Non faciam inductionem in singulis, ne nimis curiosius videar omnia consectari, sed non possum prætermittere, quod ad institutam disputationem pertinet exemplum, de quo etiam in superioribus potestate diximus, statuamus morbum materialem, sic nuncupo affectum concitatum ab ipsa cacochymia, & à plenitudine, sit plane cognitus nobis generatim, quod ille negotium facit corpori, læditque operationes ob materiæ copiam. Quis statim non cognoscet, eam materiam fore vacuandam? ita Galenus ex hoc fundamento, vacuationis indicationem inuenit libro de phlebotomia, ac passim alibi; sit deinde morbus dependens à materia malæ qualitatis, ex hac natura insurgit indicatio, non vacuandi amplius in genere, sed magis speciatim, vacuandi cacochymiam; sit tertio illa materia biliosa, indicatio magis particularis insurgit vacuandi bilem, hic nondum finẽ habet indicationũ inuentio: nam non solum genus morbi, sed etiam differentia considerare oportet supponito morbum esse paruum, materiam exiguam. e. g. tertianam exquisitam, cuius accessio sex horas non attingat, vacuationis indicatio redditur minor, quia pau-

Huic rationi, meo iudicio ex illorum fundamentis ita responderi posset. Morbum magnum habere vnam naturam, sed non simplicem. (Dicunt enim fateri se, morbum magnum rem non esse simplicem (verũ esse compositam ex pluribus: ideo considerari posse duobus modis: vno quidem, vt morbus est, altero vt magnus. Sed (nisi ego fallor, est omnino extra rem eiusmodi explanatio, vt puta, quæ minime satisfaciat argumento. Nam esto non sit res simplex, ergo indicationem proferet de sui natura nõ simplicem, iuxta Galeni axioma. Quæro ex illis; vt dicant mihi, quæ nam sit illa natura, quia vbi hanc ignorauerimus, etiam opus est ignorari indicationem eiusdem, ignoratis autem iis, etiam ignorabitur remedium. Velint igitur nolint, est necessarium, vt ostendant, naturam propriam morbi magni, quatenus magnus. At mihi consideranti, quæ sit hæc natura, aliam sane minime inuenio, quam recessum magnum à statu naturali, in vnoquoq; morbi genere, circa quod magnitudo visitur: nam, vt recessus à naturali constitutione sensibiliter lædens, morbi naturam complet, sic paruus recessus, parui, magnus vero magni morbi, naturam complectitur. Hæcq; natura omni magno morbo conuenit, quia itaque magnus recessus, magnum facit morbum, indicatio huius naturę, magnum erit remedium huic recessui proportione contrarium. Audierunt iam, quomodo ego sic ratiocinari soleã. Nunc perlustremus, quid alii. Dicunt morbum magnum considerari dupliciter, tum vt morbus, tum vt magnus: fateor id ego quoque, sed hæ duæ considerationes non faciunt aliud, sed alteratum duntaxat, idem est homo Socrates puer, & Socrates adolescens, ac iuuenis. Idem specie morbus est magnus, qui antea erat paruus, quamobrem eædem indicationes specie vigent in vno & eodem morbo, duntaxat diuersæ sola intensione, in eo quod magis ac minus, nam, si refrigerationem postulat morbus existens paruus, vt duo, vbi magnus euaserit vt quatuor, e.g. adauctis gradibus, fiet necessarium augere ipsam, vsque ad quartum gradum, refrigerationem. Hæc ita consona sunt rationi, principiis medicinæ, Galeni doctrinæ, vt plurimum admirer, viros hac nostra tempestate præstantes non animaduertisse, præsertim cum scribant omnes auctores huius argumenti falli plurimum, & conniuentes somno habuisse oculos, vt qui ignorauerint à morbo, & à magnitudine, separatim certam, propriam, ac distinctam indicationem oriri, sed qui in hoc negotio tanti momenti aberrauerint, iudicabunt alii.

Videor ex his demonstrasse magnitudinem morbi absolutè sumptam pro sui natura, de magno duntaxat remedio indicationem præbere. Galenum vero cum magnitudinem considerat ipsam tanquam indicatricem, aut venæ sectionis aut purgationis, non intellexisse quamcunq; magnitudinẽ: sed solũm orbi materialis de quo duntaxat id vere ac necessario enunciari potest. Propterea nostrum hoc fuit, ac vt sentio, indissolubile argumentum contra Curtianam & Giachinam hanc hæresim. Quodcunque indifferenter, & alternatim sese habet ad duo diuersa præsidia, idipsum vnum proprie ac certo per se ac semper ex duobus indicare non potest. Atqui magnitudo morbi à materia proficiscentis sese habet indifferenter, ac alternatim ad duo diuersa præsidia. Ergo magnitudo morbi proprie certo per se ac semper solam venæ sectionem indicare non potest, ita scripsi longe ante Valesium, ac alios, libro primo tractationis meæ capite quarto, vbi etiam eiusdem argumenti plura, & quidem tanti momenti est hoc argumentum, vt quamuis pro dissolutione à Medicis recentioribus excogitentur multa, nihil tamen inueniri hactenus ab illis potuit, quod plane satisfaceret, vt ego sentio; singulorum responsiones afferrem, sed pudet me in rebus omni probaliter carentib. tempus conterere. Circa primum argumentum satis.

Secundum argumentum, vt ab illis proponebatur, hoc plane fuit. Si contraria cõtrariis curantur, quod est apud Medicos axioma vulgare, & minime dubium, qualem contrarietatem licet excogitare inter magnitudinem morbi, & sanguinis missionem? stat vera, & mutua contrarietas inter sectionẽ venæ, &

rum consideranti mihi locum hunc, alium non inuenio, quam in disputatione aduersus Valesium: ibi refert primum sese ad ea quæ iam dicta sunt. Deinde addit: Morbum magnum duas habere indicationes; alteram morbi quam suggerit illius potissimum natura, atque essentia. Alteram magnitudinis, quæ indicat sectionem venæ aut purgationem. Neque absurdum (inquiũt) aut mirum est, magnitudinem morbi indicare speciem remedii, propterea quia indicatur tanquam remedium magnum, & ad omnes morbos accommodatum. Adiiciunt magnitudinem non esse proprium quantitatis, sed magis ad qualitatem pertinere ea ratione, qua dixit Aristoteles proprium qualitatis esse, vt recipiat magis & minus, vt est maior & minor albedo, maior & minor caliditas. Ac fortasse magnum, & paruum non est proprium quantitatis, vt idem innuit Aristoteles in Prædicamentis, aut si proprium est quãtitatis, vt visus est Galenus existimare, transfertur etiam ad qualitatem, forteq; dicitur æquiuoce. Nam cum dicimus magnam febrem, magnam apoplexiã, non significamus quantitatem, & extensionem, sed qualitatem eiusq; vim, ac intẽsionem: & hoc pacto dicitur etiã remedium magnum. Quamobrem & hac ratione morbi magnitudo, nimirum qualitas qualitatem, & speciem remedii iure potest indicare.] Hæc illi. Quæ prolixius fortasse, quam quispiam desideraret, explicasse volui, quia serium hoc negotium, in quo scilicet, vt sæpe dixi, de hominis agitur vita, ex huius fundamenti explicatione, magnam habiturus est lucem. Ostendo igitur hanc responsionem secundum Galeni doctrinam & Aristotelis non esse admittendam, immo vero tamquam rationi repugnantem omnino explodendam.

In primis itaque cum illis conuenit mihi, non esse audiendum solum propriam, & exquisitissimam cõtrarietatem, cum dicimus contraria contrariis curari; sed aliquando hanc, aliquando alias, quæ oppositiones, magis quam contrarietates appellauit cum Aristotele Galenus. Sed siue in qualitate, siue in quantitate, siue in loco, siue per se, siue per accidens contraria sint remedia, in præsentia parum curemus: modo tamen statuamus oportere nos ex ipsa rerum natura inuenire contrarium: discernitur autem, vt cum Galeno loquar, ex hoc ipso quod contraria sunt, quæ sub vno genere plurimum inter se distant. Ergo si in illo genere quod mediocre est intellexeris (nempe quod inter extrema est medium) infinitam quandam contrariarum rerum multitudinem, quę maioris minorisq; ratione inter se plurimum dissideant, inuenies. Ex hac Galeni regula sic insto. Morbus magnus, & vacuatio nulla ratione opposita sunt; quia nullum est medium, à quo æqualiter, aut etiam inæqualiter distent, & cuius collatione nuncupari debeant contraria. At certe vera oppositio est inter pleonexiam, aut repletionem, & inanitionem; quod respiciens Hippocrates dicebat morbos à pleonexia sanari vacuatione, & morbos ab inanitione sanari plenitudine. Horum enim naturæ in collatione ad mediocre in eo genere plurimum distant. Est autem id medium, si humores in toto corpore sint mediocris quantitatis: quod multum excedit, quod multum diminutum est infra medium, eo in genere contraria sunt.

Amplius contraria sunt, quæ inuicem stare non possunt, etiam sese inuicem interimunt, id quidem adeo verum est, vt in omnibus locum habeat. At posito morbo magno in sui latitudine considerato (ita enim illum accipiunt) vacuatio non est illius contrarium: quis vacuatione omnes cerebri morbos, cordis, ac iecinoris, sanari dicet? quis omnem intemperiem magnam? quis omnem luxationem, vulnus, fracturam, sinum? Nam certe quantumuis vacues, nisi propriam illorum contrarietatem adhibeas, numquam sanabis: hoc autem esse Galeni decretum constat, qui in morbis curandis non solum contrarium, & contrarietatem obseruandam esse voluit, sed etiam propriam ad determinatã contrarietatem inueniendam præcipit in libro vndecimo de Methodo medendi c. secundo, quod etiam ipsum præstitisse in tota Methodo constat, maxime in vndecimo libro, vbi de putridarum febrium curatione agens omnes determinatas, ac proprias cõtrarietates antea notatas in capite duodecimo conclusit. Item

illud etiam falsum censeo, venę sectionem omnem magnitudinem morbi minuere, futuram inhibere & prohibere sæpenumero. Qui poterit minui magnitudo citra materiam? Qui minuetur magnitudo à magna siccitate? Si minuetur, cur non omnino tollet morbum? Si morbus sit extra venas, quomodo poterit sanari aut minui venæ sectione. Sit dolor colicus, sit iliacus, sit affectus ventriculi à flatuoso spiritu, à pituita vitrea, quam vtilitatem iis ipsis præbebit venæ sectió? inauditum, & irrationabile, vt sentio, decretum. Sed quæso, si contrarietas est accōmodata inter magnitudinem morbi, & venæ sectionem, explicent mihi, quæ nam sit ista contrarietas: non est exacta, & propria vt confitentur: ergo erit aliqua ex tribus oppositionibus ab Aristotele declaratis. at nulla prorsus est oppositio. Quod inductione facta in hunc modum ex Aristotele persuadeo libentius, quod sciam eos viros doctissimos illius lectione plurimum delectari. Quadrupliciter opponi alterū altero dicitur, vel vt ad aliquid, vt pater filio, Dominus seruo, vnum simile alteri simile; nam hoc ipsum, quod sunt aliorum esse dicuntur. Vel vt contraria siue mediata, siue immediata, vt scientia, ignorantia. Virtus, vitium, calor, frigus, album, nigrum, ac alia eius generis. Vel vt priuatiue opposita, vt formæ, ac formæ priuatio. Vel postremo, vt affirmatio, & negatio, quæ appellantur Aristoteli contradictoria. Magnitudinem morbi, & venæ sectionem non esse ad aliquid adeo certum est, quam quod certissimum. Quis præterea ambigit non existere priuationem, ac formam, affirmationem, & negationem? quæ nam igitur erit hęc accommodata apud Medicos horum duorum contrarietas? Dabitur ne fortassis contrarietas aliqua sine nomine? aut Medici in hac materia dissentient à philosophis, quibus maxime concordes existere, nemo profectò nescit? Ego autem cum Hippocrate, Aristotele, Galeno, nulla existente oppositione inter magnum morbum, & venæ sectionem, dico veram cōtrarietatem esse in hac materia recipiendam, eamq; inter magnum morbum à sanguine, & venæ sectionem reperiri profiteor. Nam sic dicit Hippocrates libro secundo Aphorismorum. Qui à plenitudine morbi fiunt, vacuatione curantur; & qui ab inanitione proficiscuntur, sanantur plenitudine, cæterorumque contraria sunt remedia.] De sanguinis motu quid erit dubium; motus sursū opponitur ei qui est deorsum; intus, extra, ante, retro à dextris ad sinistras, è contra? Aristoteli autem hæc etiam ipsa esse contraria, quis ambiget? etenim contraria sunt, quæ simul stare non possunt, quæue sese inuicem corrumpunt, & quæ in eodem genere maxime distant. Plenitudinem, & euacuationem esse eiusmodi adeo certum est, quam quod certissimum. Galenus porro hanc eandem nouit contrarietatem, cum ita scribit libro vndecimo de Methodo medendi: si copiæ contraria est vacuatio, defectui contraria sunt alimenta, atque quod exuperat, sanat ablatio: quod deficit adiectio. Ergo longè melius est hane contrarietatem certam admittere, quam imaginariam quærere. Præterea, sic insto ex Galeni principiis. Absurdum est, aliud curari, aliud vero indicare curationem, vt ait libro tertio de Methodo medendi statim in principio. Sic absurdum est, aliud vacuari, aliud indicare vacuationem. Atq; in sanguinis missione euacuatur sanguis, aut multus, aut fluens, seu fluxurus. Ergo sanguinis multitudo pro vacuatione, sanguinis motus pro reuulsione insigne hoc indicabit remedium. Hanc rationem ex Galeni principiis petitam, si quis non credat, is legat, quæ scribit libro nono de Methodo medendi capite vndecimo. Ad hæc in eo recipere opinionem nequeo, quod dicunt duas sumi indicationes à morbo magno: vnam à morbo, quæ exhauritur ab illius essentia, & natura: aliam à magnitudine; quis enim quæso hoc admitteret, dari scilicet indicationem aliquampiam quæ à morbi essentia, & natura non sumatur? Galenus passim in Methodo medendi profitetur omnes indicationes sumi a rei natura, passimq; in libro ad Thrasybulum de optima secta idem asserit; quodcunque indicat (ait) pro sui natura indicat. Hoc principium omnes recentiores admittunt tamquam axioma medicum. Gauassettus Patauinus, Sebastianus Augenius cognomento Paparella meus consobrinus, ac alii. Hoc si tollas è medio

prin-

principium funditus ruit tractatio de indicationibus? sed quid hoc dico? cur nõ magis dicam, funditus ruere medicinam rationalem huic principio inhærentem? Iudicatio quæ sumitur à magnitudine morbi, si non exhauritur à rei natura & essentia, à quo poterit exhauriri, sic certè hæc opinio mihi videtur parum consona veritati. Amplius accipio mihi rationem Galeni contra Asclepiadem qui dicebat parum referre, quod quispiam sumat pharmacum, siue bilem flauam, siue pituitã, siue melancholiam vacuet, quia pharmacũ mutat, vertit, alterat, corrumpit (hunc in modum habet Galeni dictio) in sui naturam, qualiscunque fuerit is humor, qui trahitur. Deinde non illam, quæ sequitur vtilitatem in humoris noxii purgatione fieri ait, sed communi ratione vacuationis: refellit hunc quod si qui morbo regio laborat, sumpserit pharmacum purgans pituitam maxime lædetur; contra maxime iuuabitur sumendo pharmacum bilem purgans: sic si leucophlegmaticus potauerit pharmacum ducens bilem, noxam contrahet; iuuabitur, si phlegmagogum biberit. Additq; quod si medicinæ purgantes sola ratione vacuationis iuuant, cur non secamus venas omnium hominum, siue sint tenues, siue crassi, siue morbo regio, siue atra bile laborent? Hęc ratio vrgere illos validissime videtur: nã si venæ sectio iuuat omnes morbo magno oppressos non ratione proprię, ac determinatæ contrarietatis. Omnib. citra discrimen adhibenda esset phlebotomia: frustra exhiberentur medicamenta purgatoria, frustra corporis habitus consideraretur, ac frustra tot distinctiones in hoc remedio adhiberẽtur, quot Galenus pręcipit. Ergo sanguinem mittemus ipso sanguine peccante, aliis autem humorib. à sanguinis natura, & distantib. & separatis, purgante vtemur pharmaco, quod particularem humorem attrahendi vim habeat Galeni testomonio libro 4. de Meth. medẽdi c. 6. Postremo, quæ de magnitudine morbi dicunt ostendentes magnitudinẽ morbi non esse quantitatem, sed qualitatem, ac ita etiam magnum remedium qualitatem vocãt: sicque qualitas qualitatem, & remedii speciem indicabit. Hoc inquam, aut fallet plurimum mihi, aut non consequor quid sibi animo conceperint. Nam si morbus magnus est qualitas; remedium magnum est qualitas, ergo morbus magnus indicabit magnum remedium, sibi contrarium, quod nos in hac disputatione profitebamur. Videant interim hanc esse indicationem inutilem in artis operibus, quia nos non sanamus morbum magnum in genere, sed hunc in specie atoma constitutum. Ars Medicorum rationalium non debet in solis vniuersalibus & communitatibus insistere, vt faciebant Methodici, sed diuisiuæ Methodi beneficio debent progredi à summis generibus ad infimas species, atque inuenire proprias indicationes, contrarietatesq; determinatas, vt in superioribus diximus. Sed hæc de præsenti disputatione atque de secũdo hoc libro dicta sint satis.

CAP. II.

Recentiorum opinionis rationes, fundamentaq́; explicantur.

SI, quæ ab illis scripta sunt, diligenter intueor, in eam opinionem peruenisse videntur mihi, magis ex mala verborum quorundam Galeni intelligentia, quã ex euidenti aliqua ratione ducti. Nam solis inhærent verbis, quæ suo etiam modo interpretantur.

Primum maximam vim putant inesse in iis, quæ tradita sunt ab auctore quarti libri de ratione victus in morbis acutis (quem illi nomine Hippocratis semper citant) nam textu decimonono de hisce tribus scopis, & præclare & diligenter agit, nullam adhibens distinctionem: quem sermonem admiratur Galenus, cur inter sententias aphoristicas minime reposuerit.

Secundo ex Galeno idem probant, qui libro quarto de Methodo medendi capite sexto, ita luculenter scribit. Si valens sit morbus vna cum virium robore, nemo est in artis operibus exercitatus, qui non sanguinem detrahat exceptis tamen à sermone pueris] ac rursus libro de sanguinis missione capite nono. Recte (inquit) admonemur in iis, quę de victu acutorũ proposita sunt, vt sanguinem mittamus, vbi morbus sit magnus, æger florentis ætatis, & illi robur non desit] atque iterum. Tria sunt (ait) quæ continent dignotionem mittendi sanguinis, morbi magnitudo, aut præsens aut imminens, ætas vigens, & robur virium] Hæc (inquiunt) firmissima sunt, atque apertissima, vt nullis sophistarum argutiis redargui possint.

Tertio afferunt exempla ex Hippocrate & Galeno ad exercenda nouitiorum ingenia. Ex Hippocrate quidem Historiam Pythionis initio libri tertii de morbis vulgaribus, quam enarrans nullam venę sectionis mentionem facit. Galenus autem in commentario asserit, id remedium fuisse necessarium: propterea detractum Pythioni fuisse sanguinem, licet in enarratione omiserit. Necessitatem vero illius remedii ex duobus colligere videtur, primum quod Pythion morbo laborauerit periculoso, deinde quod infestantibus magnis morbis semper Hippocrates missione sanguinis vtatur.

Amplius in eo etiam nobiscum disputant, an venæ sectio remedium sit præseruatiuum, an curatiuum, contendentibus nobis semper præseruatiuum esse, cum Galenus eam admittit ob solã magnitudinem morbi citra plenitudinis affectum: Illi vero asseuerãtes semper à sola magnitudine morbi indicari, tũ curatiuam, tum præseruatiuam sanguinis missionem efficiunt.

Quinto, quia nos contendebamus plenitudinem magnam indicare sanguinis mistionem ratione vacuationis: Plenitudinem vero futuram, aut morbum magnum futurum, à plenitudine particulari, disputant accerrimè, contra futuram plenitudinem, asserentes merum existere figmentum, & numquam fuisse à Galeno excogitatum.

Sexto in morbo magno duas indicationes constituunt, quarum vna sumebatur a morbo, vt morbus: alia, vt magnus. Illam sumi à natura rei & essentia, & causis morbi: hanc vero non ab essentia, sed à magnitudine. Atq; hanc perpetuo, & per se indicare sanguinis detractionem: fuisse ab omnibus, qui hactenus de hoc argumento scripserunt, prætermissam, & ex huius ipsius ignoratione turpiter admodum aberrasse omnes.

Amplius de plenitudine disputant longè aliter quam nos ipsi scripserimus libro secundo de ratione curandi per sanguinis missionem. Solum admittentes illam indicare venæ sectionem quatenus indicatur à causa morbi; id est, vt morbum facit; hunc tamen considerando vt magnum, præbere indicationem de sanguine mittendo, núlla plenitudinis affectus facta mentione. Addunt etiam alia, quæ continentur virtute in superioribus.

tium in omnibus febribus conueniebat venæ sectio, quia in omnibus vtilem esse inediam præcipiebat. Erasistratus quod tamen falsissimum esse Galenus demonstrauit, & nos hunc locum examinabimus libro quarto. Immo, quia nullus morbus erat, in quo ille non laudauerit inediam, cōsequens videbatur in omnibus morbis, ex illorum sententia, mittendum sanguinem. Atque licet ita dixerint, non inuenitur tamen in eorum monumentis aliquid illos de hoc Hippocratico inuento litteris commēdasse. Quam ob rem Galenus rectissime in principio capitis huius ita scripsit.

Verum rursus ad Hippocratem reuertor, quem sane diligentiæ nomine admiror: tum in aliis omnibus, tum vero quod scopum, qui Medico ad indicationem non in vno aliove, sed prorsus in omni morbo sit spectandus, non omiserit. Est porro is qui ab affectus magnitudine sumitur; quem non modo Methodici prætermiserunt (est enim id non mirum) sed etiam rationalium plurimi, atque etiam Empirici, quamquam alio modo omnes.] Hæc ille.

Ex quibus verbis iam planum fecisse videor, cur dixerit Galenus Hippocratem dignum esse admiratione in omnibus rebus, præsertim vero quod non prætermiserit scopum, qui Medico ad indicationem in omnibus morbis spectari debet: & quomodo hunc ipsum scopum omnes Methodici, omnes Empirici, & Rationalium plurimi prætermiserunt. Nunc aliorū explanationem prosequor, quæ scilicet ad hanc disputationem dilucidandam faciunt: nam alia, quæ videntur diuersitatem indicationum ostendere in morbo & magnitudine morbi, vt recentiores putant, superiore libro admodum diligenter explanata a nobis fuerunt. Dilucidioris autem & facilioris doctrinæ gratia, verba Galeni afferam omnia, & quoad eius fieri potest, diligenter explanabo.

Cap. IIII.

Verborum Galeni explanatio quarto Methodi medendi capite sexto.

AC primum omnium consideranda sunt verba hæc. Non in vno alterove, sed prorsus omni morbo sit spectandus, non omiserit] statim non contemnendam habere videntur difficultatem. nam si scopus ab Hippocrate inuentus in omni morbo spectandus est, hic autem est magnitudo morbi, consequens est, magnitudinem vniuscuiusque morbi statuendam esse indicatricem aut sectionis venæ, aut purgationis. Sane arguta, & subtilis dubitatio: quam mirer alios prætermisisse. Verum est huic occurrendum, ac demonstrandum, vt eiusce-modi indicatio conueniat ex Galeni sententia omni morbo. Dico intelligi debere hæc verba secundum propositam illius mentem; minime vero absolute in omnibus morbis. Etenim scopus est Galeni tum in hoc, tum in superiori capite, agere de vacuatione: quatenus conuenit vlceribus: cuius indicationem ignorauit Thessalus, vtputa qui à tempore ipsam suggeri profitetur, immo vero, in omnibus morbis agendorum indicationem ab eodem tempore sumebat: Hippocrates vero (inquit Galenus) vlcera quæque siccanda iussit, tum hunc esse finem curationis vlcerum, ipso scilicet affectu indicationem præbente, non tempore. Quod si quis hoc magis etiam sibi persuasum cupit, librum eius de vlceribus totum diligentius euoluat; intelliget enim illud ipsum perspicue, tum vnam esse vlcerum omnium generalem curationem; nempe quam nos proximo libro docuimus: tum vero non minus illud, nullam esse à tempore, nec in vlceribus, nec in phlegmone, nec demum in alio quouis affectu indicationem. Recte autem dixit, nec in alio quouis affectu] siquidem Hippocrates eo in libro, non solum vlcerum, quæ citra alium affectum consistunt, sanandorum rationem inuenit, vt quæ in siccando consistit: sed etiam priuatim per species affectuum cuiusque. Ea propter Galenus agit de necessitate vacuationis in vlceribus: quæ pendet ab ipsis humoribus: vt ostendat neque in hac ipsa indicationem sumi ab ipso tempore. Sic habet tota illius dictio. Nam aut vitiosus succus ad partem, cui vlcus insedit amplius nō fluit, aut etiam fluit. Ac si non

amplius fluit, ipsi tantum quod laborat succurrẽdum est. Siquidem vel nigrum, vel liuidum, vel rubidum conspicitur scarificando, & sanguinem emittendo: mox spongiam siccam superimponendo: post hæc vero etiam siccantia remedia applicando. Ab his, si res postulet, rursus sanguinem auferendo. Ad eundem modum, & cum ex toto corpore humor confluit, totum purgare iuber, nusquam videlicet in his indicationem à tempore sumens.] Hæc manifestum faciunt Galenum loqui de iis morbis, qui conseruantur & fouentur a materia: vel a materiæ fluore adaugentur: vel etiam nondum facti, fieri tamen possunt, illorum generationem fluxione ipsa minitante, vt in iis accidit, qui ab alto ceciderunt. Si quis autem adhuc lucidiorem desiderat tractationem fieri, iam dictis haud plane contentus, is audiat quæ parum antea eodem capite dixerat.

Quin etiam ad noscendum (inquit) quod affectus ipse κακοήθης id est, contumax ad sanandum sit vna cum aliis notis, etiam id quod peractis etiam quæ decẽt omnibus diuturna fiant, aliquam portionem habet: non tamen aut ipsa diuturnitas, aut quod diuturna, & vocentur, & sint, idoneam curationem indicat. Sed ex hoc, quod male affecta sit vlcerata pars, licet colligere: quo inuento, & curationis ratio constabit. Quo inquies modo? nempe, vbi tantum eæ partes, quibus vlcus insidet, ita sunt affectæ, si has sanaueris: vbi totum corpus vitioso aliquo succo abundat, si hunc vacuaueris. At signum quidem vitiosi succi est ipsa vlceris diuturnitas. Inuentio autem eius, quod expedit, non ex diuturnitate, sed ex succi vitio suggeritur] ecce, quod vitiosi succi vel impacti in affecta particula, vel a toto corpore fluentes, inuentionem, & indicationem vacuationis præbuerunt, vel ab affecta particula, vel à toto corpore, ideo Hippocrates dicebat: Tunc ab inueteratis vlceribus confert, vt assiduè sanguinem effluere facias, vtcumque id opportunum videbitur: non vtique curationem, ait Galenus, indicante vetustate, sed sanguinis vitio. Quid clarius dici possit in rem præsentem non video. Sic vrgeo nouatorum hominum dogma hoc absurdissimum, sanguinis vitium indicat curationem. Eiusmodi curatio est illius vacuatio, sanguinis igitur vitium vacuationem indicabit. Legito nostram explanationem ad caput vndecimum libri noni de Methodo medendi. De indicatione porro quæ à toto sumitur, hæc addit. Ad hæc etiam purgationis meminit totius corporis, tum in aliis quibusdam vulneribus, tum iis quibus catiẽ, quam sphacelum vocant, instare est metus.]

Quando igitur Galenus dicit, non in vno altero ve, sed prorsus omni morbo] intelligit non solum in vlcere quod cum alio affectu coniunctum est, quale est malignum & cacoethe, sed prorsus in omni materiali morbo esse necessariam ipsius morbi magnitudinem, tamquam indicatricis artificialis vacuationis. Quod etiam ex eo manifestissimum esse omnibus arbitror, quod vacuatio repletionis, & pleonexiæ humorum remedium est, vt senex venerandus docebat in secundo aphorismorum, asserens morbos factos ab ipsa multitudine sanari vacuatione, & Galenus in eius commentario apertissime docuit, sed in sequentibus hoc patebit dilucidius; recte igitur Galenus ait: Est porro is, qui ab affectus magnitudine sumitur.] Nunc aliorum explanationem prosequor.

Nam vbi in redundantis sanguinis (vt illi loquuntur) syndrome, euacuationem à se obseruatam dicunt, manifeste fatemur, ob nullius alterius eorum, quæ in ægro visuntur, respectum ad vacuationem accedere.]

Refellit solum Menodotum Empyricum, non modo hic sed ferè omnibus in locis, in quibus sese obtulit occasio de hoc argumento agendi. id vero fortassis factum fuit quod Galeni tempestate, in maximo fuerit pretio Menodotus eiusque opinio multos habuerit sequaces. Prætermittit aliquid dicere de rationalibus Medicis, quia libro de venæ sectione aduersus Erasistratum ac alio aduersus Erasistrateos Romæ degentes, copiose contra illos disputauit. Aduersus ipsos Methodicos disseruit in fine capitis quinti, cum dicebat. Nam & ridiculum plane fit adeo multas, ac varias, sæpe etiam contrarias indicationes ab vna communitate fieri] atque libro de sectis multa contra illos. Argumenta-

mentationis igitur ad Empyricos summa in hunc modum habet. Empyrici non accedunt ad vacuationem aliquampiam, nisi vbi plethorica syndromes adest, vt ipsarum verba ostendunt, at hoc admodum absurdum est tribus de causis: prima, quod purgationem, quæ vacuationis quædam est species, adhibemus, quæ non indicatur à redundantis sanguinis concursu, sed à cacochymia, aut vi morbi; hanc rationem Galenus innuit hisce verbis:

Neque hoc dico propterea, quod purgatio euacuatio sit, quam redundantis sanguinis cursus non indicet.] Quasi quod Galenus hoc modo agat in homines. Aberrant Empyrici, ac eorum sectæ præcipuus Menodorus, cum asserit omnem vacuationem indicari à plethorica syndrome: nam, vt prætermittam euidentissimam rationem, quæ conuincit illos: quod purgatio vacuatio cum sit, non tamen indicatur ab eiuscemodi concursu, ob alias duas causas sunt reprehendendi; ostendentes neque etiam missionem sanguinis indicari à concursu illo: quamobrem cum non indicet purgationem, non missionem sanguinis, clare patet vacuationem non indicari à syndrome plethorica. Secundæ rationis vim perpendamus. Eius verba sic habent:

Sed quod etiam tametsi redundantis sanguinis concursus non adsit; ad ipsam tamen sanguinis missionem interdum sit confugiendum.]

Versatur hęc secunda ratio, quemadmodum etiam tertia, circa sanguinis detractionem. Rationis porro vis consistit in natura rei indicantis. Etenim quod indicat pro sui natura vnum, illud vnum semper indicat; vt Galenus dicebat nono & vndecimo de Methodo medendi. Atqui ex Menodoto plethorica syndromes indicat sanguinis missionem. ergo eandem semper indicabit. atqui hoc falsum est: primo quia interdum ad missionem sanguinis confugimus, cum non adsit eiuscemodi indicans; secundo etiam, quia posito eiuscemodi indicante, non semper ponitur sanguinis missio. at vero si concursus hic sanguinis missionem indicaret, ipso absente numquam fieret remedium, & ipso præsente semper. Antea quam vlterius progrediar, sciri velim, non sine causa Galenum in oratione addidisse illud interdum] non enim vult Galenus dicere, magnam plenitudinem, quæ leuioribus sanari nequeat præsidiis, aliquando non indicare venæ sectionē: hoc enim recipit idem auctor parum postea, ac libro de phlebotomia manifestissime admisit: sed in eo refellit Menodotum, quod dicebat, tum omnem vacuationem indicari ab eiuscemodi concursu, tum in specie, sanguinis missionem, semper in hoc certe reprehensione magna dignus est. Vult postea Galenus docere, quando liceat citra plenitudinem sanguinem interdum mittere, cum ait:

Quando si valens morbus sit, cum virium robore, nemo est, qui sanguinem non mittat, qui vtique in artis operibus sit exercitatus.]

Hæc verba sunt, quæ tantas ingesserunt difficultates, quæ tamen iuxta eam explanationem, quam nos ipsi hucusque posuimus, atque nunc etiam dabimus, & quam verissimam esse profitemur, maximeq; Galeno consonam, omni prorsus carebunt controuersia. Aggredior ad rem. Docere instituit, quando liceat interdum citra plethoricam syndromem mittere sanguinem. Licet, inquit, cum morbus sine plethorica syndrome, magnus extiterit cum virium robore: etenim nemo est in artis operibus exercitatus, qui duobus illis scopis præsentibus sine plenitudine interdum ad sanguinis missionem non confugiat. Vt igitur sic locum istum explanem, moueor ex Galeni verbis, quæ proxime & præcedunt, & subsequuntur. Certissimum est hæc verba addita fuisse à Galeno pro superiorum explanatione, in quibus dicebat, quod sine plethorica syndrome interdum confugimus ad venæ sectionem. Confirmat hoc ex Medicorum in artis operibus exercitatorum sententia, qui scilicet sanguinem mittunt interdum in magno morbo cum virium robore. Etenim in iis verbis Galenus aut vult includere plenitudinis affectum, aut excludere. si includit non est ratio contra Menodotum: si excludit, vt Galenus argumentando dixerat, ergo interdum sine plenitudine mittendus est sanguis. Nec aliter exponi posse lo-

cum arbitror, quod ex sequentibus apertissime confirmo. Primum explanans quibus in morbis citra plenitudinis affectum liceat mittere sanguinem, in hunc modum scribit:

Quippe ipsos Empiricos videmus, cum lapsus ab alto quis sit, aut alias plaga aliqua contusas vehementer corporis partes habuerit, ad sanguinis missionem confugere, quamquam idem homo paulo ante sanus fuerat, prorsusq; redundantiæ sanguinis expers.]

Declarant hæc verba, qui sint affectus, in quibus liceat venam incidere, etiam si non adsit syndrome plethorica. Sunt inquit magni affectus imminentes, aut futuri ratione fluxionis ipsius sanguinis, cum scilicet magna vigeat suspicio de futura inflammatione, vel etiam de aliquopiam magno virtutis casu. fieri solet inflammatio eum quis ex alto eeciderit, aut carnes vehementer contusas habuerit, solet etiam fieri sphacelus ob sanguinis multitudinem fluenrem ad locum affectum extincto calore naturali: hic etiam ob vehemẽtem extingui consionem potest, reuulsionis igitur causa sanguinis missio est exercenda, quamuis corpus nullam patiatur plenitudinem; addo etiam idem ob eandem causam conuenire auxilium, si cacochymia laborauerit, si tamen ob dolorem, aut aliquampiam contusionem, sanguinis eiusmodi fiat effluxio, quæ periculum futuræ inflammationis minitetur. Videant quæso Medici recentiores, quam præclare hic locus indicationem aperiat de venæ sectione pro efficiẽda reuulsione. Hanc eandem explanationem ex multis Galeni locis confirmare possem, sed pro multis vnus mihi perspicuus satis facit: is autem est in libro de ratione curandi per sanguinis missionem capite octauo, cum inquit:

Porro, non solum vbi adest plenitudo, siue ea, vt ad vires sit, siue κατὰ τὸ ἔγχυμα mirifice prodest venæ sectio, verum etiam citra plenitudinem initio phlegmonis quæ aut propter ictum, aut propter dolorem, aut partium debilitatem prouenit, quippe cum dolor sanguinem ad se trahat, & sæpe paruũ debilitas phlegmonem absque hoc quod in corpore plenitudo sit, procreat.]

Quid clarius quid pro nostræ opinionis confirmatione accommodatius dici potuit? quis de cætero ambiget, hanc magnitudinem morbi non esse imminentem, aut incipientem à fluxione sanguinis? Quis præterea dubitabit hanc magnitudinem solum indicare sanguinis detractionem tanquam præsidium reuulsiuum? Erat alter casus in quo etiam sine plenitudine immittitur sanguis in quo etiam falsitas opinionis Menodoti conuincitur, vt dicebat Galenus, cum scilicet sanguis extra corpus fluit ita, vt vereamur virium lapsum, tunc enim si corpus adhuc resolutum non fuerit, vt quinto de Methodo medendi ait, venæ sectio pro reuulsione protinus administranda est. Sed iam tempestiuum est reuerti ad contextum Galeni, à quo nec sine magna vtilitate discessimus.

Ex quo patet non hoc esse, quod mittendum sanguinem indicet, sed magnitudinem morbi, ac virium robur, exceptis tamen ab oratione pueris.] Conclusio secundæ rationis in his verbis continetur, ideo dicit: Ex quo] quia eam deducit ex eo, quod cadentibus ex alto, & contusis liceat venam incidere, si carnes habuerint vehementer contusas, licet non adsit plenitudinis affectus. Non esse hoc,] quod scilicet dicit Menodotus, nempe syndromen plethoricam indicare sanguinis missionem. Quid igitur mittendum sanguinem interdum indicabit; si plenitudo eam semper non indicat? morbi scilicet magnitudo imminentis, aut incipientis ab ipsa fluxione sanguinis. Est hoc loco animaduertendum, quod ego hic per magnitudinem morbi ex Galeno non intelligo quamcunq; magnitudinem, siue a plenitudine, siue à fluxione causatam, quia hæc secunda ratio excludit plenitudinis affectum, probante Galeno sine plenitudine mitti debere sanguinem, & concludente. Ex quo patet] id est ex quo exemplo parum supra posito, de casu ab alto sine plenitudine, deducitur tanquam manifestum à plethorica syndrome non indicari semper sanguinis missionem, sed aliquando solum magnitudinẽ à fluxione, Hic igitur accipio magnitudinẽ morbi pressius, omnem scilicet à fluxione, aut imminentem, aut incipientẽ, non cuiuscunque

cumque humoris, sed duntaxat sanguinis seu fluat ad internas partes inflammationem facturus, aut morbum aliquempiam magnum aucturus, siue fluat extra corpus ruinam facultatum omnium minaturus; possunt etiam alio modo explanari hæc verba, de magnitudine morbi materialis in genere tam à plenitudine, quam à sanguinis fluxione, quas duas differentias parum postea explicabit, quia in sanis mittitur sanguis ob plenitudinem futuram magnitudinem minitantem. In ægrotis ob præsentem magnitudinem. De secunda ratione hactenus.

Tertia ratio aduersus Menodotum Empiricum hisce verbis continetur. Nam & alia ratione, si quis etiamnũ sanus, nec adhuc quicquã læsus, in sanguinis redundantis cõcursu sit positus, nõ statim huic sanguinẽ mitti est necessarium, imo aliis satisfacit inedia, aliis cibi parcitas aliis soluta aluus, vel purgatio, vel frequẽs balneũ, aliis sola exercitatio, vel multa frictio abũde fuit. Missio vero sãguinis ne ab ipsis quidẽ Empiricis iis, qui ita se habẽt, necessario adhibetur] Galenus duob. modis argumentatur: primũ ratione, mox auctoritate. Sũma rationis est. Si plethorica syndrome indicat venæ sectionem: eam semper indicabit, ita vt præsente semper, absente nunquam mittere sanguinem oporteat. Atqui non semper affectis plenitudine mittitur sanguis, quippe quia si fuerit exigua, nec aliquod periculum minetur, leuioribus sanabitur præsidiis: at si magna fuerit, certe indicabit sanguinis extractionem anteaquam magnum aliquod malum in corpore committat. Sumptum autem videtur hoc argumentum ex libro de ratione curandi per sanguinis missionem, vbi sic scribit; Igitur cum plenitudo duplex sit (optimum enim fuerit hinc auspicari) & ea quę ad vires refertur, facile in putredinem perueniat, atq; etiam interdum in partes quasdam ingruens inibi tumores præter naturam excitet, & altera quoque, quæ κατὰ τὸ ἔγχυμα appellatur, sæpe in partes decumbat, ac tumores creet, imo & apoplexias moliatur, venarumq; ruptiones, eam celeriter vacuare tentandum prius quam magnum aliquod malum in homine admittat] En ob imminens malum ex plenitudine vtraque sanguis mittitur: exigua autem plenitudo id efficere non potest, ideo capite sequenti, postquam dixerat: Qui res consuetas adhuc factitant, sed princeps illis pars aliqua, aut totum corpus grauatur tenditurue, iis necessaria est vacuatio; porro si ætate nec puerili sint, nec senili, de secanda vena consilium inito] multos enumerat scopos, ex quibus voluit significare, non protinus in omni plenitudine venam fore incidendam, sed tunc solum, cum adeo magna sit, vt sanare illam celeriter leuiora nequeant præsidia. Verum multo antea fuit hoc præceptum ab Hippocrate scriptum libro primo Aphoris. 3. vbi bonum athletarum habitum, cum ad summam bonitatis peruenerit soluendum statim monet anteaquam in deterius decidat, minitante scilicet illo periculum ingens, vt Galenus ait in commentario vel ruptionis vasorum, vel suffocationis natiui caloris. Hæc verba. Si quis etiam num sanus, nec adhuc quicquam læsus, ostendunt plenitudinis affectum non æquale minari in ægrotis, ac in sanis periculum, exigua enim in illis existens perinde existimari debet atque magna in sanis, ideo nisi quidpiam obsit, magis festinandum mittere sanguinem, nullas dante morbo inducias. Missio vero sanguinis ne ab ipsis quidem Empiricis, argumentum est ab auctoritate petitum, quo ostenditur Menodotum à suæ sectæ dogmatibus discedere, quia Empirici in omni plethorica syndrome accedunt protinus ad sanguinis missionem: accedunt etiam sine plenitudinis affectu, adde quod etiam si plenitudo adsit, non semper mittunt sanguinem. Huusque Galenus aliorum opinionem reprobauit.

Cap. V.

Quo duo sint indicantia sanguinis missionem, & purgationem ex Galeni doctrina.

SVAM deinceps opinionem proponit hisce vsus verbis: sed sicut missio sanguinis, vel propter ipsius abundantiam, vel propter magnitudinem morbi, ita purgatio, & propter abundātiam alterius cuiuspiam succi, & propter vim morbi adhibetur.

Quibus admodum perspicue ostendit duo existere, quæ sanguinis missionem indicant, duo etiam quæ purgationem. illa autem duo sunt hæc, sanguinis missionem dicit indicari, vel à plenitudine, vel à magnitudine morbi. Purgationem rursus, vel ab abundantia alterius succi à sanguine distincti, vel à magnitudine morbi, ita quidem apparet, duo speciatim, & in particulari esse indicantia vtrumq; remedium, tum purgationem, tum venæ sectionem, cacochymiam, & plenitudinem. Magnitudinem morbi à cacochymia, & à plenitudine. Facies autem vnum indicans genere magnitudinem scilicet materialis morbi, qui vere indicans est hoc generosum auxilium, vt iam primo harum disputationum libro demonstratum abunde fuit. Adeo dilucida videtur mihi hæc sententia pro meę opinionis, imo vero pro ipsius veritatis confirmatione, vt admirer, quod eam non animaduerterint, qui contrariam opinionem sustinent. Repeto quædam iam explanata in superioribus, vt locus hic nullam omnino, etiam apud ceruicosissimos homines, habere difficultatem valear. Vtraque plenitudo cum magna fuerit sanguinis detractionem indicat tanquam vacuatiuum præsidium. Magnitudo morbi imminentis, aut incipientis à defluxione sanguinis, idem remedium significat, tanquam reuulsiuum auxilium. Generatim vero, vt hæc duo complectitur, magnus morbus à sanguine hanc indicationem præbet. Purgationem indicat copia, (inquit) alterius succi, id est à sanguine differentis, hic autem succus malus est. ergo cacochymia indicat purgationem pro vacuatione, magnitudo morbi defluxorii à cacochymia indicat purgationem reuulsionis causa. Magnitudo autem morbi in genere vt complectitur malum humorem fluxum, & fluentem, quie scentem, vel qui monetur, indicat purgationem generatim. Duo colligant studiosi adolescentes (quorum eruditionis causa hæc potissimum scribo) ex hoc discursu: primum nostræ explanationis veritatem, dicebamus enim supra, plenitudinem non semper indicare sanguinis detractionem, sed interdum, ac etiam magnum morbum sine plenitudine non semper, sed aliquando hanc indicationem præbere, quod in præposita verborum serie luculentissime declarauit Galenus. Alterum colligant, quod quando Galenus dicit magnitudinem morbi citra plenitudinem interdum indicare sanguinis detractionem, semper ibi intelligit morbum defluxorium, ac venæ sectionem pro reuulsione exercendam, cuius rei signum est euidentissimum, quod in hoc ipso scribitur cōtextu, & quod exemplo eorum, qui ex alto ceciderunt, & carnes vehementer habent contusas, suum confirmabat aduersus Menodotum argumentum, tum hic, tum libro de ratione curandi per sanguinis missionem. At quando magnitudinis morbi absolute meminit, nulla facta comparatione illius cum affectu plenitudinis, ibi intelligit morbum magnum à sanguine in communi, sanguinisq; missionem accipit indifferenter tam pro vacuatione, quàm pro reuulsione.

Cap. VI.

Recentiores Medici quomodo explanent proposita Galeni verba.

RECENTIORES Medici longe diuersam explanationem verbis afferunt Galeni, quæ non debuit dissimulari, cùm locus hic maxime illos vrgeat: sitque præcipuum fundamentum opinionis, quam tanto labore promulgatunt. Conferentes studiosi duas hasce explanationes poterunt vtra melior sit, de cætero ferre iudicium.

Dicunt

Dicunt Galenum duabus rationibus vti aduersus Empiricos, qui volebant in vna plenitudine, ac syndrome plethorica venæ sectionem fore obseruandam: Altera quod nonnullis interdum venã secamus, in quibus nulla apparet huiusmodi syndrome, & plenitudo. Altera quod ea præsente venæ sectio omittatur sæpenumero. & quatenus pertinet ad primam, afferunt solum Galeni verba, in quibus ex Empiricorum sententia dicit in iis qui lapsi sint ab alto, aut aliter vehementer contusas corporis partes habeant, venam esse incidendam, concludique indicari hoc remedium non à plenitudine, sed à magnitudine morbi: hanc illi conclusionem ostendunt, primo quod sanguine vitiosam qualitatem duntaxat habente venę sectio conuenit ex Galeno libro nono de Methodo medendi capite vndecimo. Secundo ex Auicenna libro primo suæ medicinæ fen. 4. capit. 20. vbi dicit phlebotomiam conuenire ob sanguinis virium. Denique ex aliis omnibus quas citauimus rationibus, libro primo capite septimo, quæ non sunt hic inutiliter repetendæ. Horum sane probationes eo tendunt, vt suis persuadeant tyronibus, Galenũ ibi locutũ fuisse de magnitudine morbi à cacochymia, cum eam excipiat, quæ à plenitudine fit: proptereaq; solam considerari debere magnitudinem morbi reliquis omnibus exclusis. Perpendentes postea secundam Galeni rationem, ita habendum esse de Galeni sententia contendunt, plenitudinem quocunque tandem modo eam quis velit interpretari, venæ sectionem indicare, quatenus morbos reddit magnos, atque in morborum magnitudine continetur, nec alia ratione: quam rem probant Galeni verbis libro de sanguinis missione capite decimo: cuius capitis summa est, quod homines, qui vtriusq; plenitudinis habent notas, atq; etiamnum solita obeunt negotia, vel magno alicui morbo sunt obnoxii, vel nihil tale antea perpessi sunt, omninoq; corporis partium inculpatam habent constitutionem. In illis missio sanguinis tamquam præsidium necessarium, nullo modo est omittenda, in his autem rursus distinctione est opus. Etenim si idem homo in victu fuerit intemperatus, omnino missio sanguinis adhuc cẽsenda est oppertuna, & necessaria. Sin autem fuerit temperatus, iam licet venæ sectionem prætermittere, ac leuioribus agere præsidiis, frictione, balneis, ac aliis id genus. Itaque Galeni mens est apertissima, plenitudinẽ eatenus sanguinis missionem indicare, quoad potest magnos morbos efficere, vt contingit parum temperatis, & qui malam habent in partibus constitutionem. Quod etiam illi confirmant ex Galeni verbis eodem libro capite nono, & ex Hippocrate & Galeno primo, commentario tertio, habitus athletarum exemplo. Subinde etiam admonent notatione dignum esse, quamplurimos morbos à Galeno numerari, qui aliam nullam secum ferunt indicationis de secanda vena rationem, quam magnitudinem; cum sint maiori ex parte morbi frigidiores, orianturque ab humoribus frigidis, & crassis, & quos crudos appellant: quibus alioquin, multi existimant non conuenire sanguinis emissionem. Ac denique concludentes propositum suum, ita dicunt. Quippe in omnibus sectionem venæ præsidium fore necessarium, nulla præterea vel humorum, vel aliarum rerum adhibita exceptione, præterquam virium & ætatis. Hæc quidem illi de tota hac re scriptis mandarunt.

Cap. VII.

Impugnatio explanationis huius.

Porro in hac explanatione multa quidem egregie, & eleganter dicunt: quædam vero nec ad propositum contextus Galeni, nec admodum vere dicta videntur mihi. Consentio in primis, quod pertinet ad eam partem rationis postremæ, scilicet, multitudinem ipsam sanguinis emissionem non indicare, nisi morb. cum illa extiterit magnus, aut immineat, aut incipiat; ideoq; multitudinem ipsam per se, qua ratione multitudo, suapte natura non indicare aliud quã vacuationẽ, vt Hippocrates Galenusq; docuerunt, eam vero, quæ fit sanguinis

detractione, indicare non potest, nisi magna fuerit, ita, vt leuioribus sanari nequeat præsidiis; eiusmodi magna plenitudo vel cum præsenti morbo, vel cum imminenti connectitur, vt dictum mihi fuit libro secundo de ratione curandi per sanguinis missionem, vbi de plenitudinis curatione tractaui, & de eo quod indicat venæ sectionem siue pro vacuatione, siue pro reuulsione. Supponantur igitur hæc tamquam vera, & firma.

Illud vero primum displicet, quod magnitudinem morbi generatim sumptam omnem scilicet, quam cogitatione consequi possumus, magnitudinem complectentem, colligant ex hoc loco vsurpari à Galeno pro indicatrice sectionis venæ; id enim habere veritatem non posse, prior harum disputationum liber demonstrauit, in quo magnitudinem morbi à sanguine generatim hãc præbere indicationem demonstratum fuit. Deinde nunc vrgeo sic ex verbis Galeni. Cum hic dicit, sanguinis missionem indicari vel à plenitudine, vel à magnitudine morbi aut proponit duo indicantia, aut vnum duntaxat: certum ac indubitatum est, duo proponere indicantia inter se plurimum distincta, ergo sola magnitudo non indicat. hic indissolubilis est nodus. Mox quando Galenus in hoc ipso contextu mentionem facit magnitudinis contra distinctæ à plenitudine; vel eandem intelligit magnitudinem, quam efficit plenitudo, aut diuersam; si eandem intelligit, præterquam quod non sunt duo indicantia, sed vnum, ineptus esset loquendi modus, ridiculus, nugatoriusque, quod admitti nulla ratione potest: at si diuersam intelligamus, iam quidem vt duo sunt indicantia, duæ erunt naturæ indicantes, duo indicata. Magnus inquam morbus à multitudine, magnus morbus à fluxione indicantia sunt: indicatum, sanguinis missio vacuans: sanguinis missio reuellens. Sanguis supra veterem natiuamque proportionem adauctus: sanguis nimium effluens naturæ rerum indicantium censẽtur: sic omnia inuicem concordant. Ob hanc causam nostra maxime firma videtur explanatio: qua contendimus per magnitudinem morbi seclusam à plenitudine solum esse intelligendam à fluxione sanguinis magnitudinem determinatam, minime autem vagam, atque confusam.

Præterea displicet etiam quod dicant Galenum in eo capite decimo de phlebotomia, mentionem fecisse quorundam morborum, in quibus indicatio alia non viget, quàm quæ sumitur à magnitudine, id ego arbitror ex communi omnium medentium consensu non posse consistere: qui in podagricis, artriticis, vertiginosis, epilepticis numquam ad sanguinis missionem accedunt, si sanguis superabũdare non videatur. Inductione facta in singulis id conarer demonstrare, nisi nimiam operis huius prolixitatem vererer. Sed quod nequeo prætermittere, est Galeni sententia eodẽ libro capite septimo, in quo adeo apertè quã quod apertissime docet in hisce morbis considerandum, quis humor coaceruetur, ac pro varietate illorum aut sanguinem mittendum, aut purgandum. tota illius dictio habet in hunc modum: Sed illud prius videndum, quid sit, quod in illis aceruetur. Siquidem nonnullis amaræ bilis succus plus cæteris colligitur: quibusdam bilis atræ aut pituitæ, aliis ex æquo omnes, in quibus sanguis abundare dicitur. Hos ergo omnes vacuabis, sicut podagricos, & artriticos Veris principio, exhibito videlicet aut medicamento purgante, aut sanguinis diminutione.] Hæc ille. Quæ etiam parum postea repetit. De secunda ratione satis.

At valde quidem dissentio in examine prioris. Ac primum quod illi duas rationes contra Menodotum, Galenum attulisse scribunt, cum re ipsa sint tres. prima enim circa purgationem versatur, quæ cum vacuatio sit, non indicatur a sanguinis concursu. Non debuit hæc ab illis prætermitti ratio, cum certè sit magni momenti, atque maxime illorum opinionem arguat, nam si purgationem indicat magnitudo morbi eadem, quæ sanguinis missionem, parum omnino, imo vero nihil referet in morbis, aut venam incidere, aut purgare, sed omnibus promiscue sanguinem mittemus, ac omnibus purgans pharmacum dabimus, rem ita habere ostendit ista ratio, indicans præcise idem. ergo indica-

indicatum debet esse idem; ita quidem tota peruertitur medicina,& dogma Asclepiadis reuiuiscit. Dicent, fortassis, Galenum non curare hanc rationem, cum eam paruipendere videatur hisce verbis: Non propterea hoc dico, quod purgatio vacuatio sit quam redundantis sanguinis concursus non indicet,] sed hæc non sunt verba rationem negligentis hominis, sed solum iis ipsis demonstrare volentis, quod non solum arguuntur ob purgationem, sed etiam ob missionem sanguinis, de qua proprie contra illos instituta erat disputatio, sensus est; non propterea ita loquor, quod solum purgatio; cum sit vacuatio quædam, Indicari non potest à sanguinis concursu, sed etiam quod neque semper indicetur sanguinis missio.

Secundo admiror plurimum, cur illi hæc Galeni verba afferre prætermiserint, quæ immediate præcedunt, quæ ab illis citantur, sermo Galeni sic habet:

Sed quod etiam tametsi redundantis sanguinis concursus non adsit, ad ipsam tamen sanguinis missionem interdum sit confugiendum.]

Quibus verbis continetur summa rationis, vt explanauimus: eá vero consistit in hoc, quod magnus morbus, sine concursu plethorico, indicat aliquando venæ sectionem, sanctum quidem & perpetuo obseruandum à Medicis decretum. Videant quæso, quam à Galeni doctrina manifestissime discedant. Galenus dicit in magnis morbis sine concursu plethorico interdum] mittitur sanguis, illi vero dicunt in omnibus magnis morbis sine plenitudine, sanguis semper mittendus est. Cur vero dixerit interdum sequentia declarant verba, siquidem si valens sit morbus & c.] vide indefinitam propositionem, non vniuersalem proponi, de qua libro, qui hunc sequetur, quædam dicemus.

Propterea aberrant vniuersalem propositionem ex indefinita constituentes, ac ita putantes in omni magno morbo id remedium cõuenire. Quod attinet ad confirmationes ex Galeno petitas, & ex Auicenna, quam perperam illas afferat priori libro explicuimus diligenter, vbi caput vndecimum libri noni de Methodo medendi considerauimus. Galeni sententiam ex octauo libro de Methodo medendi cap. 4. propria disputatione dilucidaui. Ad rem maxime confert sanguinis fluor, cum sit ad hanc rem explanandam accomodatissimus, quia Galenus agens de iis qui ab alto cadunt, & corporis partes vehementer contusas habent, agit de morbis rheumaticis, siue fluxio intra corpus ad aliquam affectam particulam terminetur phlegmonem factura, siue extra corpus fluat: hocque constat non mediocriter fauere nobis. Postremus locus de reiectatione sanguinis à pulmonibus ob erosionem causata mihi huic ipsi tractationi dicato libro vbi de cacochymia tractabo, considerabitur: interim statuatur remedium esse reuulsiuum, hocq; deberi fluxioni humorum, ideo fluente sanguine acri, sanguis mittitur, ac simul fluente acri bile, aut pituita salsa excedente, purgatio administranda est. Postremo neque hoc prætermittendum est aberrare illos toto cœlo, quando dicunt profitenturque ex Galeno venæ sectionem præcepisse illum in cacochymiæ affectu, quod scribat sine plenitudine interdum mitti sanguinem. Nam vt plenitudo non adest, sic etiam potest non adesse cacochymia in iis qui ab alto ceciderunt. Habet studiosus lector duas explanationes ad eundem Galeni locum diuersas: suum erit iudicare, vtra magis satisfaciat.

CAP. VIII.

Galeni verbis ex libro de ratione curandi per sanguinis missionem, duplicem esse magnitudinem morbi ostenditur, vnam à sanguinis copia, alte[r]ã fluxione.

CIRCA explanationem verborum Galeni libro quarto de Methodo medendi capite sexto satis multa dixisse videor: nunc igitur consideremus, quę illi afferũt contra opinionem nostram ex libro de ratione curandi per sanguinis detractionẽ capite nono. Magnã habere vim illa ad veritatis explanationem

oſtendam, quæ à Galeno dicuntur ibi, ſummumque complecti artificium quod ab aliis fortaſſe, qui ſeſe oculatiſſimos profitentur, nõ fuit animaduerſum. Quale id ſit, Tyrones docere aggredior. ſtatim Galenus in capitis eius ingreſſu ſcoporum ſummam affert, dum hoc modo loquitur.

Recte ergo admonemur in iis, quæ adiecta ſunt libro de ratione victus acutorum, ſanguinem mittere, ſi morbus ſit magnus, & æger florenti ſit ætate, ac robur adſit.] Hæc ille.

In quibus primum obſeruo Galenum eam ſententiam quarti acutorum recipere tanquam ſpuriam additam ſcilicet legitimis libris, propterea cum hoc ipſo in capite quater faciat ſententiæ huius mentionem, nunquam voluit eam ad Hippocratem referre, vt ad proprium auctorem. Forte (inquit) negligentius in iis quæ adiecta ſunt libro de victus ratione acutorum, expoſita videri poſſit vna ætatis particula,] ac rurſus ait: Dicemuſque minus perfecte poſitam ætatis dignotionem ab eo, qui ſcripſit ea, quæ adiecta ſunt libro de victus ratione acutorum.] Debuiſſent profecto diligenter conſiderari hæc verba. Adiecta ſunt libro acutorum, & ab eo, qui ſcripſit ea, quæ adiecta ſunt] ac rurſus, negligentius.] Denique minus perfecte] à viris doctis, qui eam ſententiam non ſolum Hippocratis germaniſſimam eſſe contendunt, ſed paſſim ſub illius auctoris nomine inculcant, quod facere Galenus nunquam voluit, ſed ſatis hic admonitum. libro enim qui hunc ſequitur quarto harum diſputationum ex propoſito examinabimus omnia.

Poſitis itaque tribus ſcopis hæc addit: Perperamque Menodorus in ſola ſyndrome plethorica ſeruari venæ ſectionem inquit] ſi Menodorus Empyricus dixiſſet venæ ſectionem interdum indicari ab ipſa plenitudine, recte dixiſſet, nec habuiſſet Galenus occaſionem aliquãpiam reprehendẽdi, quia vt explanatum iam fuit, ſine ſanguinis concurſu interdum ad ſanguinis miſſionem confugiendum eſt de ipſius Galeni ſententia. Verum quia ille in ſola plenitudine ſeruari hanc aſſerebat indicationem, ac etiam quia ad omnem vacuationem in communi neceſſariam exiſtere profitebatur: Merito, ac iure hoc loco & alibi frequentiſſime à Galeno reprehenditur, quod ex eius opinione prætermittitur ſanguinis emiſſio tanquam reuulſorium præſidium, nec ſufficienter etiam ac dilucide idem præſidium, vt vacuatiuum conſiderauerit, quia purgatio vacuatio quædam eſt, quam ſanguinis concurſus non indicat. At ex Menodoto indicare neceſſe eſt, quia ſi omnem vacuationem inſinuat, purgatio vero vacuatio quædam ſit, hanc etiam conſequens eſt, indicari à plethorica illa ſyndrome. Neque ſufficiat ad hoc, quod ſanguis inculpate mittatur vacuationis cauſa, quod adſit plenitudo, ſed opus eſt conſiderare, an poſſit ſanari leuioribus præſidiis, vt contingit in ſanis, nulloque præſente morbo, aut imminente, cum ſunt in ratione victus temperati, tunc vero leuioribus emendare illam non licet remediis, cum ægrotat homo, aut cum ex plenitudinis conditione magnus aliquiſpiam immineat morbus, idcirco animaduertendum eſt Galenum dixiſſe, in ſola ſyndrome plethorica, non autem abſolute, in ſyndrome plethorica, quia falſum eſt omnino in ſola ſyndrome contineri indicationem de mittendo ſanguine. Veriſſimum autem eſt in plethorica ſyndrome (liceat mihi nunc loqui verbis Menodoti) interdum hanc ſeruari iudicationem. Proſequamur explanationem. Contra enim prorſus ſanguinis mittendi ſcopi, primum in ſe plenitudinem non comprehendunt, ſed cur hi ſcopi non comprehendunt plenitudinem? quia (inquit ſecundo Aphoriſmorum commentario vigeſimonono,) ſanguinis miſſio ſemper magnum eſt præſidium, aliquando autem purgatio: Plenitudo autem non ſemper eſt magna illi proportione reſpondens, cum plerumque parua exiſtens facile corrigatur, ac magna exiſtens, magnum, ac celere poſtulans auxilium, magno immintente, aut etiam iam incipiente morbo, venæ ſectionem ſemper, atque neceſſario indicabit, & hoc dicere voluit Galenus cum ait: Primum in ſe plenitudinem non comprehendunt,] quia non indicat plenitudo, vt plenitudo eſt, vacuationem per miſſionem ſanguinis:

guinis: sed euacuationem in genere, vt dicebamus ex Hippocrate, atque ex ipsius rei natura in superioribus discursibus: at solum indicat quatenus magna, quatenus eius causa morbus fit, aut imminet magnus. Deinde nō complectuntur primum plenitudinem, quia etiam sine plenitudinis affectu mittitur sanguis: semper enim quomodocunque mittatur sanguis, magnitudinem adesse conuenit, vel ab vtraque causa, vel ab alterutra. Idcirco adiecit sermoni dilucidissimus auctor.

Sed sicutis (vt sic dicam) passionis suspicionem, nam si eam magnam fore apparet, omnino sanguinem mittemus.]

En igitur, magnam plenitudinē omnino indicare sanguinis missionem ceu vacuatiuum præsidium: omnino] inquit: Quasi dicere velit, nulla amplius adhibita distinctione, ac sine mora sanguinem mittemus, nisi vires repugnent. En magnum morbum à plenitudine genitum indicare sanguinis emissionem, vt primo libro docebamus. En, quam recte dixit in Methodo medendi, indicationem de sanguine mittendo sumi aut à plenitudine, aut à magnitudine morbi sine plenitudine. Hactenus itaque Galenus contra Menodotum disputans, plenitudinem, vt plenitudo erat, non indicare sanguinis missionem, efficacissime demonstrauit: sed solum cum magna est. Nunc relinquitur, vt hac disputatione relicta, doceat, quid ex illius sententia sit sentiendum; ideo concludit.

Cæterum primi, principesque mittendi sanguinis scopi sunt morbi magnitudo, & laborantis robur, & hanc primam dicendum est syndromen, non plethoricam, in qua seruata sit sanguinis missio: in illa enim & hæc comprehenditur, vt puta quæ morbi magnitudinem adaugeat.]

Dilucidissima dubio omni procul doctrina est: conueniensque totius disputationis conclusio. Duo sunt inquit primi principesque scopi hoc indicantes remedium. Magnitudo morbi, & virium robur. Hic vides Galenum prætermittere ætatem, quemadmodum etiam capite decimotertio. Verum quia posset dubitare quispiam, qualem intelligat ille magnitudinem morbi, voluit id explanare diligenter, cum ait: In illa enim & hæc comprehenditur] eam, inquit, audio magnitudinem morbi, quæ sub se ipsam complectitur plenitudinem. Vide quomodo morbus magnus à plenitudine sanguinis missionem indicet. Ergo magnitudo morbi sub se duos affectus complectitur ex Galeni sententia: tum eum, qui fit à plenitudine, tum alium qui sine plenitudine contingit. Vtraque magnitudo indicat venæ sectionem. Illa tamquam vacuatiuum, hæc autem tamquam reuulsiuum præsidium, vt ex Galeni docuimus verbis nono libro de Methodo medendi, capite vndecimo. Quæ vero magnitudo non habet plenitudinem coniunctam, hæc quidem, vt indicat sanguinis emissionem, ab ipsa fluxione pendet. Quando autem Galenus in postrema eius capitis parte dicit: Tria sunt, quæ continent dignotionem mittendi sanguinis, morbi magnitudo, aut præsens, aut imminens, ætas vigens, & robur virium] non intelligit tres existere scopos vere primos, ac principes, vt supra dixerat: sed quod tria sunt, ex quibus Medicus in cognitionem venit mittendum esse sanguinem, in quorum numero duo, magnitudo morbi, ac laborantis robur, primi ac principes: ætas vero nec primus est, nec princeps scopus: sed virius principis scopi, ipsarū scilicet virium, signum. Idcirco hic dicit dignotionem] quia ætatem addidit. at supra dum eam excludit, ait primi, ac principes scopi.] Hæc quidem firmissima sunt, & apertissima, vt nullis sophistarum argutiis argui possint.

CAP. IX.

An venæ sectio remedium sit præseruatiuum, an curatiuum.

QVÆ vero ad Historiam Pythionis pertinent, quam illi ex Hippocrate afferunt, & in qua multum sibi placent, nihil hoc dicendum est loco, quia libro primo disputationū capite vndecimo diligēter admodum, nisi fallimur, hāc explicuimus. Illud igitur sequitur, vt edisseramus an venę sectio remedium sit præ-

seruatiuum, an curatiuum, in qua re haud mediocris controuersia est. Affero prius, quid sentiant alij.

Dicunt à morbo magno præsenti duas sumi indicationes, aliam tamquam à morbo, quæ vere curatiua est: aliam à magnitudine, quæ tametsi videri posset mixta tam ex curatione, quam ex præseruatione, proprie tamen potius præseruatiua, quam curatiua est. Indicationem de morbo præsenti orientem re vera esse curatoriam putant à nemine in dubium reuocari. Quod vero ad aliam conclusionem pertinet, cum indicatio, quæ à magnitudine morbi præstatur, sit instituta, vt rationem totius corporis habeamus, morbique causam imminuamus, vt ex Galeni verbis colligitur in vltimis verbis capitis sexti libri quarti de Methodo medendi: merito quidem hoc ipso nomine venæ sectio remedium erit præseruatiuum. Potest tamen hæc eadem venæ sectio ex accidenti nuncupari curatiua, quatenus non solum causam, sed etiam morbum è medio tollit: quemadmodum accidit in synocho sine putredine in qua venæ sectio Galeni testimonio libro nono de Methodo medendi adhibetur ad animi deliquium: hæc enim refrigerando totum corporis habitum, febrem remouendo, licet ex propria natura id non efficiat, curare dicitur: quatenus vero multitudinem sanguinis educit, præseruare, ac magnitudinem morbi remouere statuerur; hoc igitur modo per se præseruatiua, at ex accidenti curatiua nuncupabitur.

Cæterum in morbo magno, in quo nulla adhuc agit causa, veluti in corporibus sanis, nulla plenitudine, nullo humoris vitio laborantibus, vt in iis accidit qui ex alto cadunt, vnica sese offert indicatio mittendi sanguinem, nimirum sistendi, ac inhibendi morbi magnitudinem. Etenim licet in huiusmodi corporibus nulla adsit humorum vitiositas, quia tamen ad partes male affectas iamquam debiles ex instituto naturæ solent humores fluere, inflammationes excitare, ac morbum maiorem reddere, sectio venæ minuens talem causam, morbi magnitudinem sistit, ac inhibet tamquam remedium præseruatiuum. Quam rem confirmant ex Galeni verbis libro decimotertio de Methodo medendi capite quinto, cum ait: Sane vacuamus totum corpus non modo cum in redundantia succorum est habita, sed etiam cum mediocritatem succorum continet, si magnitudo suadeat; Siquidem dolor, & calor membri, in quo phlegmone sedet etiam si purum ab excrementis totum corpus sit, fluxionis causæ fiunt.]

Ex his colligunt phymata, dummodo sint magna, postulare venæ sectionem, vt eorum magnitudini occurramus: occurri autem minuendo, ac reuellendo humores ne illi fluant ad partem affectam; ac tunc esse remedium verè præseruatiuum. Colligunt etiam in errore versari aduersarium: qui tamquam absurdum, ac repugnans naturæ morbi dicere videtur: indicationem sumptam à magnitudine morbi imminentis non esse curatiuam, sed præseruatiuam: cum in hac re demonstret se parum esse in Galeni doctrina versatum: confundens indicationem sumptam a magnitudine morbi, cum indicatione sumpta à morbo. Hæc alii de hac materia dicunt.

Ego autem cum iis partim conuenio, partim autem maxime dissentio. Conuenio venæ sectionem indicatam à magnitudine morbi imminentis, esse præseruatiuam, quia, vt supra satis superque demonstrauimus, eiusce modi indicatio sumitur ab humorum fluxione ad particulam phlegmone tentandam, a qua, quo ad eius fieri potest, citissime reuellendum est, facta prius diligenti consideratione, quinam humores ad imbecillam particulam fluant, aut fluxuri sunt; si enim ex æquo omnes fluant, mittendus illico sanguis est. at si in fluxione is non vincit, sed alii humores ab eius natura segregati, sanguinem mittere non est opus, sed purgante pharmaco vtendum, quod humori fluenti, aut fluxuro proportione respondeat, vt Galenus ex proposito demonstrauit libro 4. de Methodo medendi cap. sexto, & libro de ratione curandi per sanguinis missionem, ac primo Aphorismorum commentario vigesimotertio. Dignum

autem

autem consideratione existimo, quod ab illis circa hoc propositum dicitur. Nã pro exemplo proponunt, qui ab alto cadunt: exponentesque causam cur in iis necessaria sit phlebotomia, dicunt, vt occurramus magnitudini morbi: huic vero dicunt occurri reuulsione, ne humores fluãt ad debilem particulam. Etenim eiusce modi explanatio adeo vera est, vt verior excogitari nequeat, quid enim aliud docuimus, cum de hac indicatione supra loqueremur: in summa quidem ita habendum est, indicationem sumptam a magnitudine morbi, quatenus eam à plenitudine Galenus excludit, semper reuulsionem indicare, quia eam ipsam magnitudinem semper cum fluxione annexam contemplamur: atque ita profecto fit, magnitudinem morbi a fluxione sanguinis præbere indicationem de reuulsiua venæ sectione; vt ex Galeno demonstrauimus superiore libro, & in annotationibus in medendi Methodum.

Dissentio autem, quod in hac ipsa magnitudine morbi citra plenitudinem, ac in sanis corporibus illi profiteantur, semper de Galeni sententia conuenire sanguinis missionem. Nam, si eam concitatura est fluxio vitiosi humoris, qui a natura sanguinis alienus existat, omnino a venæ sectione abstinendum præcipit Galenus quarto de Methodo medendi, capite sexto, vbi dicit magnitudinem morbi, & cacochymiam indicare purgationem, vt etiam de plenitudine, ac magnitudine morbi, indicare sanguinis missionem, addebatque postea purgationem ratione reuulsionis adhibendam, atque libro de phlebotomia, quem locũ citauimus etiam supra, in rheumaticis affectibus pro reuulsione, tum purgandũ, tum aliquando venam incidendam esse præcipit. Quamobrem ex huius auctoris sententia vena incidenda si fluit, aut fluxurus est sanguis, purgandum in magno morbo, si fluit, aut fluxurus humor vitiosus.

Secundo dissentio, quod hæc ipsa magnitudo morbi, quam indicare dicunt reuulsionem, non potest esse eadem cum illa, quæ sanguinis emissionem indicat, vt vacuatiuum præsidium. Nam eadem existente magnitudine, idem remedium foret omnino semper necessarium, atque ita solum mitteretur sanguis ratione reuulsionis, quod est contra doctrinam Galeni nono libro de Methodo medẽdi, cap. 11. & libro de phlebotomia quarto, ac decimotertio de Methodo medendi, secundo ad Glauconem ac passim alibi, ac ideo segregato inuicem duo hæc indicãtia dicebat, venæ sectionem indicari, vel a plenitudine (magna scilicet, vt idem Galenus se ipsum explanat) vel a magnitudine morbi. Hoc certe maxime vrgere videtur mihi horum hominum opinionem.

Tertio admittere non possum ex decreto Galeni, imo vero, nec ex decreto alterius Medici rationalis, aliam indicationem præberi a morbo, aliam a magnitudine morbi, quæ specie differant inter se, de qua re in disputatione secunda abunde tractauimus. Egõ quidem prætermissa eiuscemõdi controuersia, quod attinet ad propositum disputationis huius, dico fere nullam venæ sectionem in quocunque morbo solum esse curatiuam, sed quandam vere præseruatiuam, quandam vere mistam, id persuadeo hac ratione vsus. Venæ sectio in synocho putrida ex Galeno est duntaxat præseruatiua, vt colligitur ex eius verbis libro vndecimo de Methodo medendi, capite decimoquarto: Etenim exercetur illa solum propter plenitudinem, non propter febrem, quia febris vt febris non postulat vacuantia, sed in contrarium statum alterantia. Dicet hic fortassis Montanus Vicentinus adhiberi ipsam pro sanatione morbi, nam febrem putridam dicet existere morbum a materia, ac ideo materiam illam putrefactam esse morbum, putridamque febrem. Ego nolo nunc disputare contra hunc hominem an materia putrida sit [illegible] putrida, vt sentit libro secundo, de morbis capite trigesimosexto, & ad [illegible] Th[illegible]mam E[illegible]astum disputatione quarta, nam in tra[illegible]latione de causa coniuncta satis dixi de hac re, sed in præsentiarum volo singillatim admittere omnia, quæ dicit, & ex concessis, positisque ab homine, sic argumentari volo. Illud remedium in synocho putrida dicitur curatiuum, quæ sanat putredinem. Atqui venæ [illegible] in ea febre administrata, non sanat putredinem, ergo venæ sectio ad[illegible]strata a Galeno in synocho putrida, non est

curatiuum remedium. Hic apponamus totam dictionem Galeni, vt ex ipſo Galeno omnia, vt fuimus polliciti, explicemus.

Etenim ſi neque obſtructio ſubeſſet, nec putredo, ſed ſola ſuccorum redundantia, protinus a ſanguinis miſſione, pro naturæ modo ſe habere.]

Ecce, quod primo loco propoſui in ſynocho putrida ſanguinem mitti ratione plenitudinis, ſequitur poſtea quod ſecundo propoſui, cum ait:

Verum, quoniam nec obſtructio, nec putredo curari per ſanguinis miſſionē poteſt, vt quæ alia remedia (ceu prius eſt demonſtratum) deſideret.] Quid clarius in confirmationem dici poſſit non video. Idem fieri debebit iudicium de aliis putridis, ſed de miſſione ſanguinis in putridis febribus tractabimus accurate libro quinto harum diſputationum. Statuamus itaque præſeruatiuam eſſe duntaxat in febribus putridis. At vero quādo ſanguis mittitur ratione deriuationis, vacuareque tentamus ſanguinem in phlegmone contentum, quo vacuato tumor protinus ceſſat, aut maxime diminuitur, tunc eiuſmodi remedium eſt primo præſeruatorium, at poſtea in fine eſt curatorium, vt in pleuritide cum ſanguis niger educitur, vt dicebat Hippocrates libro ſecundo acutorum, commentario decimo, & Galenus iam in eo commentario, quam libro de ratione curandi per ſanguinis miſſionem: antea quam autem niger effluat ſanguis, prǽſeruatorium nuncupabitur. Cæterum non agam pluribus de hac re, quia videor omnia diiucidaſſe, quæ pertinent ad diſſolutionē quæſtionis huius magnę in ea diſputatione, qua inquiro, an curationē indicet morbus, an cauſa morbi, quæ doctos viros reddidit plurimum ancipites: quæ igitur hic deſiderantur, ibi cumulatiſſime inueniuntur.

Cap. X.

Futuræ plenitudinis, & particularis quando ratio haberi debeat.

PORRO de plenitudine futura contra nos ita diſputant. Eam primum non eſſe admittendam, quod Galenus nihil reliquerit ſcriptū de huiuſmodi plenitudine, cum veriſimile non ſit hominem ſolertiſſimum ac diligentiſſimū oſcitanter prætermiſiſſe, quemadmodum certe non prætermiſit, rationem fore habendam morborum, ac virium non ſolum pro præſenti, ſed etiam pro futuro tempore.

Secundo quærunt, cum Galenus dicit lib. 4. Methodi medendi, cap. 6. mittēdum ſanguinem, etiam ſi plenitudo non adſit, modo tamen nec ætas, nec vires diſſuadeant, magno exiſtente morbo, an mente conceperit hanc plenitudinem futuram? nam ſi mente illam conceperit, qualis vis rationis huius extitiſſet? nā Empiricus Menodotus alteram obiicere illi poſſet plenitudinem futuram, quod eſt contra Hippocratis, & omnium Medicorum ſententiam, qui negarunt a plenitudine ſumi eiuſcemodi indicationem de mittendo ſanguine. Vt Galeni verba teſtantur.

Poſtremo (addunt) finge hominem (quod eſt Galeni exemplum) qui exerceatur quotidie, & omnes, quātum ſatis fuerit, ſolitas habeat excretiones, qui moderate comedat, adeoque nullius indigeat vacuationis, ex alto lapſum fuiſſe, victus ratione, cæteriſque opportune inſtitutis, quæſo, an quis poteſt vllam futurā plenitudinem imaginari? fluente ſanguine præter modum aliunde, an eſt aliquis ita pertinax, qui contendat plenitudinem aliquo deinceps tempore futuram eſſe? Quoniam vero nos etiam dicebamus, plenitudinem particularem conſiderandam etiam eſſe ad hoc opus, & hoc ipſum itidem ſubuertere conantur, cum ita dicunt: Nam ſi altera, (inquiunt) plenitudo, in qua vel vnicus ſanguis, vel ſimul cuncti redundant humores, & quæ totum occupat corpus, quam plethora ſimpliciter dicimus, per ſe non poteſt venæ ſectionem indicare, quod modo (niſi fallimur) ſatis monſtrauimus: an nō communi loco dialectico facile vnuſquiſque poteſt colligere, multo minus alteram id poſſe præſtare; quæ minus vere, neque ſimpliciter, ſed cum additamento dicitur plenitudo pituitæ, bilis, melancholiæ,

vel quæ

vel quæ haud totum corpus, sed vnam duntaxat partem occupat? Hæc illi.

Sed certe videntur mihi in hac impugnatione, nodum, quod est in prouerbio, in scirpo quærere, quod nunc in gratiam veritatis, ac tyronum, quos in Galeni doctrina instituo, vt breuiter, sic dilucide explicabo. Ac primum admiror, cum ita interrogant. Quis non iniuriã miretur, cur Galenus nihil omnino de futura huiusmodi plenitudine scriptum reliquerit? quasi quod id verum esse nequeat, quod non sit expressis verbis a Galeno dictum. At vero si ita illi censent, cur quæso scribunt, humores turgentes sanguinis missionem postulate, quod nedum a Galeno non est dictum, sed neque, vt alibi demonstratum mihi fuit, a nemine concessum? immo vero neque, vt libere dicam, somniatum? cur pariter dixerunt magnitudinem morbi specie, aut genere diuersam præbere indicationem a morbo, ab eius causa, ab eius natura? explicent locum Galeni, credemus illis, immo vero fortassis illorum acquiescemus sententiæ, si forte vnum aut aliũ ex probatis auctoribus ostendent nobis, quid scripserint: licuit igitur illis hæc afferre figmenta, & non licebit mihi, quod maxime Galeni doctrinæ consonum est, & affine, promulgare? illud vero sic habet. Vt, magnus morbus indicans sanguinis emissionem, intelligitur præsens, imminens, & futurus, vt ille auctor sæpe dixit, sic plenitudo, quam etiam interdum indicare venæ sectionem dixerat, intelligenda est, & præsens, & futura. Sic etiam vires audire validas, licet & pro præsenti statu, ac pro futuro. Quid habent pronunciata hæc mea, quod non sit omni ex parte consonum doctrinæ illius? & sane si consonum est, cur non recipitur? quænam causa tantæ admirationis? dicent fortassis, oportuisse hominem diligentissimum illius meminisse. Sed quid, si in hac re paulo negligentiorem fuisse diceremus? eritne id eiuscemodi, vt non contigerit etiam aliquando aliis grauissimis auctoribus? Audiant aliam causam. Non meminit, quia non oportuit meminisse: quod enim & suapte natura erat notissimum, & quod virtute in aliis continebatur, potuit sine auctoris vitio prætermitti. Quis enim non cognoscit in corpore nullam hodie plenitudinem habente, generari posse post vnum, aliumque mẽsem ex suppressis hæmorrhoidibus, aut menstruis plenitudinem totius corporis? nonne hoc frequentissime apparet in artis operibus? Tunc quidem præseruationi incumbentes ob periculum futuræ plenitudinis Medici omnes, sanguinem mittent ex poplite, aut malleolis, hæmorrhoidales venas, & sanguinem ex vtero prouocantes ipsos ægrotos reddent omnino tutos. Inflammatio fit omnis ex confluxu sanguinis vberioris quam ipsi parti ex vsu sit: omnisque phlegmone necessario continet plenitudinem, non quidem vniuersalem, loci propriam. In iis, qui ab alto ceciderunt, caputque fregerunt, aut carnes vehementer contusas habuerunt, cur mittitur sanguis? ad impediendam dicent magnitudinem futuri morbi: recte quidem respondebunt. atqui futurus morbus est inflammatio: omnisque inflammatio habet plenitudinem. ergo futura inflammatio esse nequit sine futura plenitudine, quam suggerit fluxio. hæc sane Galeni doctrinam referre adeo verum est, quam quod verissimum. Propterea non debuit amplius meminisse huius, cum satis meminerit, quando dixit, indicationem de sanguine mittẽdo sumi a magnitudine morbi præsentis, imminentis, ac futuri. Satis de primo argumento.

Secundæ instantiæ pari modo, & per concessionem, & per instantiam Græcorum consuetudine respondemus. Cum enim illi rursus interrogant. An Galenus mente conceperit plenitudinem hanc futuram: Respondeo, quod siue conceperit, siue non conceperit, id quidem parum debet existimari, modo tamen verum sit in primis, quod dicitur deinde illius doctrinæ consentaneum. At certe quidem hanc animaduertisse concedamus, & quid hinc sequatur consideremus: Putant Galenum non recte concludere contra Menodotum; qui refugeret ad plenitudinem futuram, cum enim instat; auctoritate omnium qui sunt in artis operibus exercitati, sine plenitudine mitti sanguinẽ in magno morbo cum virium robore: & eandem confirmat opinionem Empiricorum sentẽtia (inter quos vnus erat Menodotus) eorum qui ex alto cadunt exemplo, respõ-

deret Galeno quod illorum opinio erat vera de plenitudine præsenti, minime autem de futura. Egregia certe hæc fuit horum virorum imaginatio, quæ solos nouitios, ac eos, qui in Galeni libris versati non sunt, facile posset decipere. Etenim Menodoti opinio hæc erat: vt vacuatio omnis indicaretur a concursu signorum plethoricorum, nempe a plenitudine præsenti: atq; ne quis putaret aliud fortassis excogitasse illum a plenitudine, addidit, solam syndromen, quem locum supra explanauimus. Est autem hæc syndromes, rubor, tensio, venarum tumor, carnis amplitudo, grauitas, ac si quæ sunt alia a nobis explanata, lib. 2. de missione sanguinis. Hæc si vera sunt, quomodo poterit respondere Menodotus, sese futuram etiam plenitudinem considerare? Equidem consideratio futuræ plenitudinis solius Galeni fuit: qui vt hæresim hanc Menodoti funditus euerteret, non solum præsentem considerari debere morbum asseuerauit, sed etiam futurum, vt puta qui iam antea determinauerat duplici solum de causa mitti sanguinem, nempe ob vacuationem & ob reuulsionem, illam indicari a præsenti morbo, hanc autem a futuro.

Quantum porro aberrent a scopo in vltimis verbis, cum dicant esse contra Hippocratem, & omnes Medicos asseuerare a plenitudine futuræ suggeri hanc indicationẽ, ea sane manifestissimũ faciunt, quæ tota hac disputatione diximus, & quæ sequenti libro de Hippocratis opinione dicemus. Interim admoneo, nihil esse in arte medica, quæ de hominis vita decernit, detestabilius, quam de nominib. litigare, cum parum referat, hoc an illo vtaris, proprio aut improprio nomine, vt Galenus dicebat 11. de Methodo medendi c. 11. Idcirco idem sunt apud me in præsenti materia quam tractamus, plenitudo magna, & magnus morbus, præsens, aut imminens a plenitudine: idem futurus morbus magnus sine syndrome plethorica, quod morbus magnus a fluxione sanguinis cõcitandus: postremo idem morbus magnus a fluxione factus, atque magnus futurus a plenitudine loci phlegmonem patientis: hanc particularem voco plenitudinem, quę anteaquam fiat, est futura: ergo vt hæc futura est, sic morbus ab illa concitandus futurus est. Quia vero scio horum nominum vsum esse in medicina frequentissimum, rei naturæ maximopere conuenientem, recipio liberrime, vt etiã olim recepi lib. 2. 3. & 4. de ratione curandi per sanguinis missionem. Vtãtur alii quibus voluerint, modo in rebus nobiscum conueniant, non curabimus, hac tamẽ lege, vt quibus nominibus quispiam vsus fuerit semel eorũdem significationem perpetuo retineat.

Postremo illorum argumento, nihil est, quod respondeamus, vt puta quod ineptum admodum est, atque iam a nobis hac disputatione frequenter explicatum. Illud discutiendum superest, quod de plenitudine particulari dicunt. Verum, vt tyrones assequantur, quid ego de hac plenitudine dixerim, & quib. machinis meam opinionem euertere conentur, ex meis lucubrationibus quædam breuissime, & cum vtilitate addenda sunt. Libro 2. de ratione curandi per sanguinis missionem, capit. 20. docui in quib. mea distet sententia ab opinione Menodoti Empirici: atque demonstratum mihi fuit, me ab illo dissentire multipliciter. Quia vero audio quosdam insignes nostra tempestate Medicos obiicere non raro mihi solere, quod opinionem Empirici illius prorsus imiter, non grauabor hic totam afferre, vt ibi scripta fuit, dictionem: quod eo facio libentius, quod fortassis ad eorum, qui hunc disputationum legent librum, manus, alter de ratione curandi per sanguinis missionem non peuenerit. Sic igitur scribo, de tota re, & de plenitudine particulari.

Cæterum merito Empirici refelluntur, quia in mittendo sanguine fuerunt temerarii. non enim sufficit, vt commode sanguis mittatur, plenitudinem adesse. Sed amplius venit distinguendum, an maioribus, vel minoribus auxiliis vtendum, quæ res innotescit nobis ex varia plenitudinis differentia, vt supra declarauimus. Deinde vero quia scopum non attigerunt, reprehendendi sunt. si enim res hoc modo haberet, sanguis nunquam mittendus esset, nisi habentibus plethoricam syndromen, quod tamẽ falsissimum esse, nemo est, vel tantillum in

arte me-

arte medica exercitatus, qui nesciat; nos vero, qui plenitudinem esse verum scopum significamus, longe diuersi sumus ab horum hominum sententia, nam hi in sola plenitudine, quo ad vasa mittendum esse sanguinem consuluerunt. Nos vero non solum in hac, sed etiam in altera, quæ vires respicit, illi in omni plenitudinis differentia, quo ad vasa, generosum hoc admiserunt præsidium: nos vero in sanis ægrotisue vtimur cum magna est plenitudo, quæ scilicet facilioribus nequeat sanari præsidiis. Empirici citra plenitudinem, nunquam sanguinem mittunt. Nos vero in plenitudine quidem admittimus gratia vacuationis, citra plenitudinem autem reuulsionis ergo, vt supra docuimus. Empirici solam plenitudinem in actu considerandam duxerunt, nos vero eam etiam, quæ futura est. Tandem Empirici solam admittunt vniuersalem plenitudinem, nos vero vniuersalem, & particularem necessariam esse tradimus. Rursus autem, quemadmodum morbus magnus, tum apud Galenum, tum apud alios auctores dupliciter dicitur, vel actu, vel potentia: actu, cum omnes partes corporis sanguinis abundantia turgent: potentia vero, cum vniuersum corpus, aut eius determinata particula recipere multitudinem debet, vt puta cum retento sanguine, qui e mariscis, aut ab vtero fluere consueuit, veremur ne totum corpus plenitudine laboret, aut cum propter calorem, & dolorem ad aliquampiam sedem confluit sanguis inflammationem facturus.] Hæc ego ibi.

Videor igitur me ipsum ab hac recentiorum Medicorum calumnia expurgasse. Nunc vero ad disputationem de plenitudine particulari cum nostro antiagonista reuertor. Primum doceo, Galenum hanc ipsam admisisse admodum euidenter, mox meam non redarguere opinionem, quæ ab illis dicuntur. Quod itaque ad primum pertinet, Galenus libro de curandi ratione per sanguinis missionem cap. 4. docuit, qui affectus vacuationem desiderant. Atque primo loco mentionem facit vtriusque plenitudinis, tum scilicet eius quæ ab Erasistrato nũcupatur πρὸς τὸ ἔγχυμα, tum alterius quæ πρὸς δύναμιν id est, ad vires. Deinde vero, ne quispiam arbitraretur in toto duntaxat corpore fieri plenitudinem, minime vero in determinata particula, apertissime docet, quod vtraque plenitudo consistere potest, etiam in singulis partibus, illius verba habent hoc modo:

Quandoque autem, & in partib. totius corporis, non in tota mole, indicia existunt affectionum illius in partibus consistentium, similium iis, quas in toto corpore consistere propositum est.] Hæc ille.

Qui etiam exemplo capitis, iecinoris, lienis, ventris, costarumque, manifestissimum facit. Nec dubito alibi idem dixisse, sed hic præ multis locus clarissimus, satisfaciat.

Dicebam ego in omni inflammatione adesse plenitudinem in actu particularem, illius nempe, quæ phlegmonem patiebatur particulæ, antea quam autem illa fieret, plenitudinem pati non dicebatur pars, sed de futura verẽdum instante fluxione, aut particula nimium calida, & dolore affecta, existente. Illi vero instant sic. Licet mittere sanguinem in omni morbo magno cum virium robore sine plenitudine totius corporis, ergo multo magis licebit sine plenitudine particulari, nempe biliosa, pituitosa, & melancholica, in primis ego nõ admitto antecedens illud tanquam vniuersale, vt illi, sed tanquam indefinitum, vt explanatum mihi fuit. Deinde non loquor de illa plenitudine nota, quæ magis est quædam cacochymia, vt ex Galeno explanauimus, quam exquisita plenitudo. Mox vero tandem concedo quidem sanguinem interdum mitti debere sine plenitudine vniuersali, sine plenitudine particulari, vt cum reuulsioni intendimus, & indicationem sumptam a particula fluxione tentata explemus. Hoc tamen minime prohibet, quin plenitudo particularis postulet aliquando vacuationem, & aliquando reuulsionem per venæ sectionem, cum aut actu fuerit, aut potẽtia, sed satis hæc. Ad ea progredior, quæ de plenitudine dixerunt.

CAP. XI.

Quid de ipsa plenitudine sit ex auctore sentiendum.

CÆTERVM plenitudo est, cum omnes humores veteri seruata proportione adaugentur: aut cum solus sanguis. Humorum autem nomine intelligimus eos qui nutrire humanum corpus possunt, & qui pro eiusdem generatione a natura destinati sunt. Constat autem antiquam opinionem fuisse, quam etiam Aristoteles confirmauit, ex solo sanguine tum fuisse genitum a principio animal, tum vero postea enutritum. Neque arbitrari debemus, sanguinem simplicem, ac vnius modi intelligendum, cum hic in ipso corpore nunquam reperiatur, sed eum ex suis partibus constantem, haud secus, quam lac, & mustum atque aliæ res compositæ, accipimus: hæ partes proprie naturam sanguinis ac etiã fibras, colorem, odorem, saporem, aliasque proprietates, exacta ratione continent, ideoque nutrire etiam possunt, haud secus atque pars in tota massa, admodum temperata. Porro cur partes istæ sanguinis vocentur, pituita, bilis flaua, bilis atra, alibi docuimus, propterea putauerim longe rectius nomine sanguinis pituitosi, biliosi, & melancholici appellandas. Neq; enim profecto recipiendum est, plenitudinem constare ex incremento bilis, melancholiæ, & pituitæ excrementitiæ, quandoquidem solum [illegible] affectus est eorum succorum, qui sanguinis nomen & naturam habent: siquidẽ aliis abundantibus, qui ab illius natura distant, exquisita plethora nõ sit, sed vel cacochymia, vel plenitudo cacochymiæ permista, vel cacochymia plenitudini, si citra sanguinis incrementum in venis mali succi exuperant, cacochymia duntaxat venarum est, aut si extra venas continentur, nullam patiente sanguine ex mixtione labem, earundem partium cacochymia nuncupabitur. At si vna sanguis adauctus supra mediocritatem existat, simul cum bile flaua, aut melancholia, aut pituitæ incremento, aut putredine, aut alia id genus qualitate mala, certe plenitudo erit cacochymia. Rursus vero, si maior extiterit malorum humorum portio, atq; minor sanguinis accretio, ab eo quod in mixtione vincit, a me solet appellari cacochymia plethorica. Quod autẽ attinet ad sanguinis partes ita statuendum est, si vna cum temperatissimæ partis augmento contingat biliosum sanguinem duntaxat, aut pituitosum, aut melancholicum increscere, plenitudo etiam dicitur, sic etiam si duo augentur: at vero si citra sanguinem moderatum, solus vnus augeatur humor, etiam plenitudinem vocabo, sed non ita exacto sermone, verum cum additamento sanguinis biliosi, aut pituitosi, aut melancholici, atq; si aliquando ex veteri consuetudine dicere voluerimus, plenitudinem bilis, pituitæ, melancholiæ, non reclamabimus, modo rerum natura, vt iam mihi exposita fuit, teneatur, neque enim de nominibus litigandum est. Hæc pauca volui recensere de hoc argumento, vt admonerem Medicos iuniores, ne humores intelligerent excrementitios, qui scilicet neque nutrire, neque generare quicquam possunt, constituere plenitudinem, cum aliquando legent, constare illam ex omnium humorum incremento. Alia ad hoc argumentum pertinentia sunt mihi diligenter explanata in libro de plenitudine, ad quem studiosos lectores remitto.

Libri tertij disputationum de missione sanguinis, Finis.

HORATII AVGENII A MONTE SANCTO DISPVTATIONVM DE RATIONE CVRANDI PER MISSIONEM SANGVInis, ex Galeni sententia;

LIBER QVARTVS.

DISPVTATIO QVARTA.

An pueris ante annum decimumquartum, tuto sanguis mitti poßit secta vena.

SVMMA DISPVTATIONIS.

Pueris ante annum decimumquartum interdum tuto secari posse venam ex Galeni decreto.

CAP. I.

Summa opinionis Augenii de mißione sanguinis in pueris, & cur tandem repetat disputationem.

QVOD vero ad ipsam ætatem pertinet, de qua post aliorum explicationem hoc loco dicendum est, ita quidem sentio. Pueris ante annum decimumquartum aliquãdo sanguinem tuto mitti posse secundum Galeni principia. Duplex est assertionis huius fundamentum. Primum stabile, & valde firmum, quod ratio ipsa cum experientia coniuncta, omnino sic fieri debere suadear. Deinde vero, quod inter cæteros authores profitear, hanc medendi rationem non esse a Galeni doctrina alienam, quod quamuis nostratibus quibusdam medicis hactenus in medicina inauditum videatur paradoxum: quia tamẽ verissimum esse docebo, & quia vtilissimũ humano generi, dissimulandum non fuit. Atq; licet scripserim olim de hoc argumento lib. 1. de ratione curandi per sanguinis missionẽ cap. 7. hic tamen duxi eandem opinionem denuo confirmare, & hanc veritatem paucis cognitam, diligentius docere. Atq; in Tyronum gratiam quorum vtilitati faueo, faueboque donec viuam, ostendam quam fuerint decepti Medici recentiores, qui nouissime idem tractarunt argumentum. Deinde vero quod hodie mihi seni rationes longe validiores sese offerant, quam fuerint eę, quib. in iuuenili ætate ad id probandum sum vsus. Has ipsas in hac disputatione, vel omnino supponam, vel certe si quando ita cogat sermonis continuitas, & sententiæ meæ dilucidatio, leuiter attingam. Primum itaq; rationes afferam, quib. meam opinionem cõfirmabo. Deinde experientia, & Galeni verbis fidem faciam. Postremo dubitationibus omnibus occurram, difficilesque Galeni locos dilucidabo.

Verum, antequam ad ipsas rationes aggrediar, supponere prius quædam placet ad quæstionis huius explicationem maxime necessaria. Iam igitur prima disputatione explicui, ętatem considerari propter vires, ac ad eas ipsas referri. Senectus enim vltima ad imbecillas redigitur, aliæ vero senectutes intermedię, vt vires, mediocriter habent imbecillas, ita mediocri quodam modo ferunt eiuscemodi vacuationem; ipsa iuuentus, & florens ætas cõsistensque, vt puta validissimæ omnium sanguinis vacuationem admittunt fere citra distinctionẽ. Adolescentia vero & pubertas pueritiæ proxima, cum adhuc corpus ad perfectũ

non peruenerit in cetementum, hocque ab ipsius sanguinis vbertate fiat, cũ præmeditatione aliqua temedium admittentes non tam copiosam vacuationem quam in subsequentib. ætatibus fiendam suadẽt. Infantia omnium minime postulat sanguinis missionem; post ipsam veto infantiam ad pubertatem vsq; plerumq; vites ferendo non sunt ob natiuam dissolutionẽ humidæ substantiæ, quæ magna contingit ob temperamenti humiditatem caliditati coniunctam, & ob corporis habitum difflabilem. Fert tamen aliquando vacuationem temperatam ob causas a nobis proxime explicandas. Sit ergo Hypothesis nostræ disputationis, ætatem indicate propter vires, vel quatenus refertur ad corporis habitũ, vel ad humidum calidumque temperamentum; atq; admittere vel non admittere generosum hoc remedium, quod vites aut ferre, aut non ferre possunt.

Cap. II.

Rationibus ostenditur pueris ante annum decimumquartum tuto sanguinem mitti posse.

PROPOSITVM igitur ex ipsis rationibus ostendam. Primo quidem ex natura ipsarum indicationum. Secundo ex natura habitus corporis. Tertio ex proportione & compatatione purgationis cum venæ sectione. Quarto ex vacuatione, quæ fit per inediam. Liceat igitur mihi in primis in hunc modum argumentari. Primi atque ptincipes scopi indicant mittendum esse, aut non mittendum sanguinem, sed ipsa ætas non est primus ptincipalisve scopus; ætas igitur ipsa non indicat mittendum, aut non mittendum sanguinem. Nullam omnino difficultatem habet prima in oratione a nobis accepta propositio. Constat enim primis hisce scopis & indicandi secundum se, & contraindicandi principaliter facultatem esse attributã. Minorem vero Galenus comprobat libro de missione sanguinis cap. 9. & 13. Siquidem explanatum abunde fuit supetiote libto, primos ac ptincipales mittendi sanguinis scopos duos esse duntaxat, magnitudinẽ morbi, ac virium robur. Quæ cum vera sint, quis dubitat ætatem non esse scopũ primo indicantem, vel impedientem sanguinis missionem, sed solum adhiberi tanquam signum quoddam indicans ipsarum virium conditionem, vt ex Galeno demonstrauimus commentario 45. primi acutorum. Deinde veto aliud etiã constat idem fieri debere iudicium de ætate quod de tempetamento fit, ac de habitu corporis, quæ non indicant primo ac ptincipaliter, verum mediantibus ipsis viribus & secundo quodam loco: quamobrem cum venæ sectio prohiberi videatur ob hasce causas, aut ob aliquam ex his, statuendum est non prohiberi p se, sed ob virtutem imbecillam, cuius signum existat ætas, temperamentum corporis habitus. Porro quod temedium secundo loco indicat, aut non indicat, id quidem habebit vim coindicandi, aut quantitatem, aut modum, aut locum, aut tempus. Certissimum est autem neque locum, ex quo mitti sanguis debeat, neq; tempus coindicare: igitur aut modum, aut quantitatem. De modo Galenus loquitur libto de phlebotomia cap. 11. dum agit de mulieribus albis, ac algæ modo tenetis, in quibus ob suppressos menses scarificationem admittit solum eturum, minime venæ sectionem. At contra iis, quæ nigram, duram, densamque carnem habent, venæ sectionem non scarificationem esse necessariam contendit. Idem docuit libto nono de Methodo medẽdi, capite vltimo, quem locum postea etiam citabimus, & simul considerabimus. Quatenus vero ad quantitatem pettinet, libto de ratione curandi per sanguinis missionem cap. 14. ita locutus est. Proinde minus detrahimus, quam plenitudo commouet, quo ad ætates quidem in pueris, quo ad corporis habitum attinet in candidis, & quibus mollis teneraque est caro, quales Galli sunt] ex iis igitur concludo, ætatem, quantitatem, & modum ipsius vacuationis indicate magis quam remedium.

Nunc consideremus corporis habitum seorsum ab ipsa ætate. Dico igitur habitum complecti mollitiem, & duritiem Galeni testimonio libto 4. acutorum commen-

commentario 25. albedinem,& nigredinem,vt de mulieribus, & Gallis ex eodem authore proxime diximus. Raritatem,denſitatem, vt cõſtat ſecunda parte artis medicinalis,vbi agit de corporis habitu. Hæc ipſa cum habitu cõiuncta inſeruiunt nobis tanquam ſigna multæ aut paucæ vacuationis. Nam albus,mollis, tener,rarus ex cutaneis meatibus magnam fieri vacuationem indicat. Exiguam vero denſus,durus,niger. Quibus ita conſtitutis oſtendo pueris aliquando mitti poſſe ſanguinem ante annum decimumquartum. Quia in ea ætate idcirco remedium hoc ſuſpectum eſt,quod a natura vt molles,humidi,calidi, habent inſitam vacuationem ex cutaneis partibus inſenſibilemque,& continuam, quæ licet in aliis etiam inueniatur ætatib. tamen tanta non eſt,quanta in pueris,ea propter impedimẽto eſt,ne alia vacuatio artificialis adhibeatur. Atq; hæc fuit ſumma ratiocinationis Galeni,quam infra examinabimus. Oppoſito modo ſeſe habent ſenes,quod attinet ad hanc vacuationem,quia ob ſiccitatem, duritiẽ,denſitatem habitus corporis exiguam habent difflationem, & quantum ad hoc ipſum ſpectat,certe validas ſuſtinent purgationes. At virium imbecillitas prohibet?legito quę Galenus ait de ſenum difflatione,lib. 4. de morbis acutis cõmentario 25. Statuamus modo puerum colore nigrum,ſtructura corporis & cõpoſitione denſum,duramq; & muſculoſam habere carnem, ſint prætereа illi venæ latę multo ſanguine abundantes, tenſæ, tumeſcentes,ſitq; hic quem fingo puer, plene ac liberaliter educatus,degatq; in regione temperata,aut etiam frigidiori, in conſimili cœli ſtatu, & anni tempore, cur huic magno & acuto adueniente morbo,non audebimus anno decimo,aut octauo,aut etiam ſeptimo ſanguinem mittere?quid,quæſo poterit eſſe impedimento?Quis inſenſibilem vacuationem cauſabitur?Ergo,ſi veriſſimũ illud eſt, quod ceſſante cauſa,ceſſat effectus, cum ex cute denſa,& dura,& nigra impediatur difflatio cutanea magna ex parte,quę vacuatio ex rara, molli, alba, vt plurimum promouetur, conſequens eſt illam admittere artificialem vacuationem.hanc autem non poſſe. Breuiſſimis autem verbis ita colligito rationem meo iudicio efficacem. Viribus validis exiſtentib., ac vacuatione naturali per meatus cutaneos pauca,aut certe admodum temperata, vrgente morbo,artificialis vacuatio fieri poteſt per ſanguinis miſſionẽ. Atqui pueri denſo,nigro,duroq; habitu prędíti,anno 8. aut 9. vires habent validas, cum exigua,aut admodum temperata vacuatione, & morbus aliquando vrget, poſtulatq; remedium.ergo pueri in hunc modum diſpoſiti,anno 8. interdũ ferẽt artificialem vacuationem per ſanguinis miſſionẽ. prior equidẽ propoſitio quo ad omnes partes videtur euidens;nam primum vires validę contra indicant hoc remedium;vacuatio cutanea exigua ſignum eſt validarum virium: morb. magnus vere indicantis rationem habet. minor autem propoſitio eſt adeo euidens,vt nullam probationem exigat.

Tertia ratio, id remedium cæteris præponendum eſt, quod tutius,citius, & iocundius ſanare poteſt ægrotum. Atqui venæ ſectionis præſente indicatione, hæc ipſa tutius,ac citius,& iocundius ſanare poteſt,quam alia vacuãtia remedia: ergo venæ ſectio cæteris omnib. in pueris tanquam ſecurior præponi debet. Pro dilucidatione rationis huius ſciri quidem velim, ſupponere me puerum octauo ætatis anno,aut paulo grandiorem,aut minorem,eius temperamenti & habitus, cuius in ſuperiorib. memini pati febrem ardentẽ ex putredine ſanguinis biliosi in venis maiorib. procreatam:huic certiſſimum eſt conuenire venæ ſectionem, ac etiam purgationem:ponamus,non poſſe fieri vtrumq;,ſed oportere alterutrũ eligere. Quis dubitabit eligendum eſſe ex duob. quod citius,tutius,& iocundius ſanet?Galeni enim ſententia fuit lib. 12. de Methodo medendi,capit. 1. officium Medici eſſe tuto, cito,& iocunde ſanare. Minorem propoſitionem non ſemel Galenus attulit:nam in tractatione de phlebotomia aduerſus Eraſiſtratum, capit. 7. & de ratione curandi per venæ ſectionem,capite duodecimo, aſſerit venæ ſectionem eſſe remedium longe tutius purgante pharmaco: quam rem perſuadet,quod quantitatem ſanguinis vacuandi poſſumus,cum libuerit,ſupprimere, at quantitatem purgationis minime. digito enim impoſito, ſtatim ſanguinem

compeſcimus,at hoc in vacuationibus maximum bonum eſt. Deinde exhibito medicamento purgante,omnia cõtingunt fortuna adminiſtratrice, quia pleruque pharmacom ipſum non mouet humorem expurgandum,& ſi mouet, aliis tormina inducit,doloreſque magnos, atque alii ſuper purgantur adeo, vt ad animi deliquium veniant,alii non ſufficienter purgantur, hæc magni momenti ſunt incommoda, maximè ſi quiſpiam naturam ægroti non exactè nouerit, vt Galenus ait libro ſecundo de ratione vict. in morb. acutis comment. 11. & 2. de humor.b.comm. 21. quorum nullum omnino adeſt in vacuatione facta per ſanguinis miſſionem. Quod igitur ſit tutius remedium conſtat,quod vero ſit citius non habet dubitationem, nam inciſa ſcalpello vena, illico ſanguis effunditur,ac ictu oculi tota vacuatio abſoluitur,iocundius eſſe quis inficiabitur?ſi nullo dolore, nullo incommodo ſtatim ſit, purgationis noxa,& incommodis perdurantibus horis ſex,& aliquando pluribus: rectè ergo dictum fuit venæ ſectionem remedium eſſe longe tutius,& citius,& iocundius purgatione.

Eſt autem hoc loco animaduertendum me duo in hac ratione ſupponere, quorum alterum eſt pueros aliquando incidere in morbos, qui ſuapte natura poſtulant venæ ſectionem,& purgationem,id quod adeo verum eſt, vt qui hac de re dubitet hactenus neminem inuenerim,ſtanteque veritate huius theſis,conferre inter ſe duo hæc generoſa præſidia, atque ſi vnum ex illis duntaxat adminiſtrare cogamur,longe melius eſſe aſſeuero,prætermittere purgationem, quã ſanguinis miſſionem. Alterum eſt ſuppoſitum, arbitrari me pueros ipſos ante annum ſuæ ætatis decimumquartum innoxie pharmacorum purgantium vſum ferre,quod etiamtum quotidiana experientia, tum omnium Medicorum conſenſus teſtatur eſſe veriſſimum. Verum,ſi quiſpiam hac de re dubitet,neque ſatis experientiæ,auctoritatique confidat,is quidem Galenum conſulat,qui omnem illi dubitationem tollet. Quarto enim libro de ſanitate tuẽda inquit: Si quiſpiam ſanguinis detractionem ferre ob ætatem ipſam non poteſt, aut ob timiditatem, aut ob aliam cauſam,largius illi aluus ſubducenda eſt. Scribit etiam in conſultatione pro puero epileptico,quater in anno puerum expurgandum. Aetius l.b. 3. cap. 92. pueros ipſos expurgat ſcammonio, & citriis. Alia etiam huius generis extant teſtimonia, quæ breuitatis ſtudio prætermittuntur, cum hæc ſufficiant.

Poſtremo pueritia ita ſeſe habere videtur mihi ad vacuationem artificialem, quemadmodum ad inediam,tenuemque victum. Etenim inediam ipſam vacuare multitudinem corporis conſtat, ac a Galeno confirmatum eſt libro 4. de Methodo medendi,cap.6. At vero pueri non ferunt inediam: Qui creſcunt, (dicebat Hippocrates) plurimum habent calidi innati, quo ſit vt plurimo egeant alimento,ideoque rectiſſime concludit, ſenes omnium facillime inediam ferre, at pueros cum difficultate, omnium vero minime inter pueros, qui viuidiores exiſtunt. Hęc licet veriſſima ſint, nihilominus tamen accidere non raro conſpicimus,citra damnum pueros, & inediam & victum tenuem ferre, cum ſcilicet graui aliquopiam,& acuto morbo detinentur. Pueros vidi frequẽtiſſime a vetmibus vexatos,qui tribus integris diebus nihil penitus alimenti deguſtarũt, qui vitæ ſuperſtites euaſerunt. Neque id mirum videri debet, quando quidem non tanta eſt ægroto exiſtente corpore cibi neceſſitas, quanta dum ſanitate fruitur, nõ fert ſanus puer citra damnum inediam triduanam, fert ægrotus. Itaque,ſi ita res habet, cur non facile tolerabunt vacuationem moderatam? quæ licet non reſpondeat vſquequaque morbo,ſit tamen viribus conſentanea? ſic ego vrgeo. Qui ferunt inediam, ferre etiam poſſunt vacuationem moderatam artis beneficio factam. At pueri acuto morbo tentati,aliquando tuto ferunt inediam, ergo pueri acuto morbo tentati ferre poſſunt vacuationem moderatam artis beneficio factam.

Qui plura circa hoc argumentum deſiderat, hic legat, quæ ſcripſimus libr. 1. de miſſione ſanguinis,& obiter in diſputatione de ſcopis, cap. 13. neque enim hic omnia inſerenda ſunt.

Cap. III.

Experientia demonstratur pueros venæ sectionem ferre posse.

HANC opinionem non solum non esse experientiæ contrariam, sed etiam ex ea confirmari, nunc breuiter docendum. In primis vere, si naturæ opera consideramus, non dubitabimus. Etenim quotidie pueros ardente laborantes febre, aut phrenitide sanari prouocata a natura fluxione sanguinis ex narib. admodum copiosa pro ætatis conditione nemo nescit. Petierim, si virtus ferre non potest sex vnciarum sanguinis vacuationem secta vena: quomodo tolerabit vacuationem libræ vnius cum dimidia, aut duarum sanguinis e nare sponte effluentis? quam hic possumus imaginari diuersitatis causam? Præterea, sæpe videmus naturam eosdem liberare, per copiosum sudorem: quo vacuatio cutanea interdum, ita quidem augetur, vt deberent ex ea vires ad extremam in illis imbecillitatem venire, at confert, ac facile ferunt: cur non conferet, ac facile fertur tantilla sanguinis vacuatio? Amplius, quis est in artis operib. tam parũ exercitatus, qui non offenderit aliquando pueros ex alto cadentes vulnerari, aut etiam alia occasione in sanguinis fluxionem incisis aut ruptis venis peruenire, qui tamen sanantur? Quam igitur ob causam continget moriturum puerum septem aut octo annos natum, si vncias quatuor, aut quinque sanguinis magno imminente morbo, & maxime vrgente, vacuauerimus? Ego quidem nihil inuenio, quod in huius remedii administratione, modo ex arte fiat, afferre dubitationem possit. Ad hæc memorabile est exemplum Auenzoaris Medici magni Auerrois testimonio, qui filio suo septennali (non autem, vt quidam dicunt trimo) pleuritide laboranti sanguinem misit; videturque Auerroes ab illo non dissentire. Dixi septennali puero, non trimo (quamuis primo libro de missione sanguinis trimum appellauerim puerum) quia certe nemo in ea ætate sanguinem mittere fuisset ausus in tãtillo puero, ob eas causas, quas explanabo postea, quamuis admitteret remedium in prouectiori ætate. Huius viri auctoritas persuadere potest, non esse perpetuum, mitti sanguinem pueris non posse, ante annum decimumquartum. Quam rem in artis operibus frequenter præclarissimis viris placuisse animaduerti, Cornelio Celso, Ioanni Fernelio, Francisco Valleriolæ, quocum summa fui amicitia coniunctus, Francisco Valesio Couarubiano, viro hac nostra tempestate doctissimo, & Philippi Hispaniarũ Regis Catholici Medico primario, atque tandem aliis plurimis, quos breuitatis studio duxi prætermittendos. Ego autem testari possum propemodum infinitos hac vsos curandi ratione, & curasse, & sanasse: inter quos hic recensere volo Iulium filium, cui laboranti ardentissima febre, inuitis etiam aliis Medicis, & contradicentibus, maxime Sebastiano Augenio cognomento Paparellæ, Hieronymo Cordella, qui nunc Pontificius & primarius Medicus est, annum septimum agenti, bis sanguinem emisi, repetita sectione die postero ad vncias quatuor pro vice, tanta felicitate, vt qui antea delirus erat puer, & pessime a feruore torquebatur, ac in ancipiti videbatur constitutus, breuissime fuit sanitatem consecutus, natura vndecima die iudicante morbum per sudorem. Carnosus erat puer, venas habebat latissimas, & sanguine turgidas, habitus vero nec albus nec niger, magis densus quam rarus: maxime viuidus, firmisque viribus præditus; & qui cum in sanis degebat, plurimis & optime nutrientib. cibis vtebatur. Sed de experientia satis.

Cap. IIII.

Ex Galeni verbis ostenditur pueris conuenire sanguinis missionem.

MAGIS fortassis videbitur operosum, persuadere ex verbis Galeni, idẽ remedium conuenire, quod extent quamplures illius loci contrariã sententiã approbantes: quodq; cõmunis sit omniũ fere Medicorũ sentẽtia, qui in illius

doctrina versati sunt, noluisse illum ante annum decimumquartum mitti sanguinem posse. Ego sane, quicquid alii sentiant de Galeno parum curo. Quid ex eo auctore sentiam, dicam libere, aliorum postea sit iudicium. Affero igitur locos plures. Quorum primus sit ex libro de sectis praeclarus quidem, & vere dilucidus: in quo pueros omnes ab hoc remedio non excipit: sed duntaxat recenter natos, qui proprie infantes nuncupari solent: neque excipit senes omnes, sed solum decrepitos. Praestat totam dictionem afferre, & declarare. Verba in cap. 8. sic habent:

Cum experientia didicerint, nec senectute confectis, nec item admodum pueris, etiam si laborent plenitudine, venam secandam esse.]

Notatione digna sunt primum haec verba, nec senectute confectis] deinde alia, quae sequuntur, & admodum pueris] etenim prioribus verbis solum excludit maturos, decrepitosque senes, quorum vires adeo sunt imbecillae, vt nequeant non modo hoc generosum praesidium, sed neque aliud euacuans etiam inferioris in vacuando potestatis, perferre. De his quidem senibus loquutus est in libro de venae sectione capite nono, cum ait: Verum, senum aetas in verbo vnum comprehendi potest: nulli enim qui in ea aetate est, robur inest.] Dicit haec verba intelligenda esse de senib. decrepitis, quia alioquin falsissima iudicabitur. Quomodo enim nulli senum vires validae sunt? si & primis senibus, & secundis, sanguis tuto mittitur? nulli ergo seni decrepito, vel, vt cum Galeno loquar, nulli senectute confecto] vel nulli seni admodum in senium prouecti, hisce enim ille vtitur vocibus: virium robur adest.] Ergo solum hi excipiendi sunt senes. Similiter etiam notari debent haec. Nec item admodum pueris] quibus non excipit absoluto sermone omnes pueros, sed solum eos, qui infantes nuncupantur, suntque admodum proximi ortui, quales recte nuncupabimus anno natos primo vsque ad quintū, aut fortassis parum vltra, ergo inter senes solum decrepiti excluduntur a sanguinis missione: sic inter pueros, quorum aetas vsque ad decimūquartum annum extenditur, solum infantes venae sectionem haud recipiunt. Vtque secundis senib. mittitur sanguis, sic etiam dubio procul secundis pueris. Tandem, vt non est senectus certis annorum numeris limitanda, sed ex habitus corporis varietate, vt tuto possit admittere vacuationem: sic pueritia non debet certis annis limitari pro hoc remedio exercendo, sed corporis habitus, vt praediximus considerandus est.

Aliquando cum Romae publicae profiterer, dum hac de re cum Alexandro Petronio, & Hyppolito Saluiano loqueter, ac multis vltro citroque, vt in eiusmodi fieri solet disputationibus, agitatis, recordor me proposuisse illis hunc locum, qui licet respondere conarentur, ex tempore tamen responsionem afferre vllam non poterant, quae tum illis (ita enim dicebant) tum mihi satisfaceret. At sequenti die perlustrato ab illis diligenter loco, me conuenientes in Academia, dixerunt, sese nouisse in iis Galeni verbis non contineri decretum aliquod in fauorem opinionis nostrae, sed Galenum instare contra Methodicos, qui indicationem ab aetate sumptā spernentes, dicebant nihil conferre vnum in quauis aetate exercere auxilium: at contra ipsos Methodicos Empirici argumētabantur ad homines, hoc modo: Si consideratio aetatis nihil refert, cur vos ipsi numquam sanguinis missionē exercetis in decrepita senectute, & in puero admodum paruo: cum igitur vos ipsi aliud remedium in diuersis aetatibus administretis, & numquam in infantibus, & decrepitis mittatis sanguinem, fit profecto distinguendam esse aetatem in hisce operibus artis, quod vos non facitis. Doctissimi igitur viri asserebant, non posse ex hoc loco demonstrari, secundum dogmata rationalium Medicorum, puerilem aetatem admodum teneram inter pueros, solam impedire venae sectionem, vt dicebamus. Ego vero adhuc instans sic interrogaui illos, (atque primum omnium admittens illam argumentationem esse ad homines, nempe Empiricorum ad Methodicos) an ex omnium Medicorum sententia vera esset ista propositio. Pueris admodum paruis, & senibus decrepitis, etiam si laborent plenitudine, venam non esse incidendam.

Oportet

Oportet quidem confiteri, hoc esse placitum tribus sectis conueniens, Methodicæ, Empiricæ, & rationali: quia dicit parum postea, neq; vos neque quispiam alter mittere est ausus] cum dicit neque vos] intelligit Methodicos, cum addit, neque quispiam alter] intelligit dogmaticos, & Empiricos, atque cum hac ipsa suppositione veritatem babet argumentum Empiricorum contra Methodicos, alioquin, vt constat, nihil concluderet. Quod autem hoc existat decretum Medicorum rationalium, in quorum numero Galenum esse adscribendum nemo dubitat, eius auctoris verba eodem libro capite tertio manifestum faciunt, quæ sic habent: Sin imbecilla sit virtus, ætasq; aut pueri natu admodum parui, aut senis in senium longe prouecti, regioq; aut frigore algeat, qualis Scythia est, aut calore exusta sit, qualis est, quam Aethiopes incolunt, anniq; tempus vehementer, vel frigidum sit, vel incalescat, nemo est, qui venam scindere audeat,] hæc ille eo capite, in quo ex proposito scribit dogmata Medicorum rationalium, vt legenti totum id caput manifestum fiet. porro quia hæc videntur mihi dilucidiora, quam vt longiorem tractationem postulent, ad aliorum locorum considerationem mea sese transferat oratio.

Alium igitur locū (quē libro primo tractationis huius me dilucidaturū promisi) affero huic proportionatum, ex libro de venæ sectione capite decimoquarto, in quo sic ait de mensura sanguinis detrahendi ex proposito scribens:

Proinde minus detrahimus, quam plenitudo commonet, quod ad ætates quidem pertinet, in pueris, quod ad corporis habitus in candidis, & quibus mollis teneraq; caro est, quales Galli sunt, quod ad tempus subcane, similiter etiam in regionibus, & constitutionibus.]

Quæ verba licet videantur mibi dilucidare, quod quærimus, nihilominus non desunt bac tempestare obstinati quidam longe secus, quam nos hunc locum interpretantes. fatentur enim eum locum fore intelligendum, non de sanguine mittendo, aut non mittendo, sed solum de quantitate, verum dissident in verbo pueris,] quia dicunt intelligendum adultos, id est qui proxime iam decimumquartum ętatis annum transierint, dicunt enim nihil impedire, quin pueri vocentur. Sed certe hæc explanatio nimis dura est, & Galeno indigna, qui semper maxime dilucidus esse in suis operibus consueuit; at vero non potest meo iudicio absurdior excogitari interpretatio quam explanare pueros] id est, adultos. Volo hic in gratiam tyronum docere quid animo concipiam. Considerandum est, quam ob causam Galenus in capite decimotertio egerit de mensura sanguinis vacuandi in pueris post decimum quartum annum, dicens, primo die cotylam vnam vsque, alio vero sequenti rursus dimidiam. Rursusque agere voluerit de eadem quantitate in eisdem post annum etiam decimumquartum admonens, minus esse mittendum sanguinis; quod attinet ad ætates in pueris, frustra enim facta videtur mibi tam breui linearum spatio eiuscemodi repetito, illud minus] petierim ad quod refertur, si dixeris referri ad mensuram supradictam, cotylæ vnius cum dimidia, ita vt sit sensus, transacto anno decimoquarto minus cotyla vna & semis educere sanguinis oportet, cōtradiceret suæ doctrinæ breuissimo verborum spatio, ac admodum confusam reddidisset: dices, illud minus] referri ad plenitudinem, id est, minus detrahendum quam plenitudo postulet. Sed hoc non tollit dubitationem, quia cotylæ vnius cum dimidia vacuatio est in pueris minor, quam postulet plenitudo. Quamobrem non est possibile tantam inconstantiam in Galeno inueniri posse: ego itaque putauerim capite decimotertio, loqui de puberrate; in ipso decimoquarto de veris pueris. Qua igitur ratione debeat hic locus explanari nunc doceo. Transacto decimoquarto anno, cum iam incipiant pueri ingredi pubertatem, magna vrgente necessitate (quæ semper intelligi debet, cum sermo fit de boc generoso præsidio) viribusque validis existentibus, mitti sanguis debet vsque ad vncias tredecim, aut quatuordecim in duabus vicibus. Verum quia aliquando contingit in pueris ante annum decimumquartum vehemens

morbus, cum virium robore, quod cognosces ex temperamento ficciori, ex habitu corporis denso, ex carne nigra, tunc quidem accedendum est ad executionem huius remedii, sed diminuere quantitatem oportet, ideo minus sanguinis extrahendum in pueris quam in puberibus & in adultis. hanc puto veram huius loci explanationem, quicquid alii dicant.

Postremum affero locum adeo perspicuum, quam qui maxime: habet Galenus hæc verba libro nono de Methodo medendi capite vltimo, in quo indicationes curandi prosequitur petitas ab ætate, & viribus. Ergo (inquit) puerorum substantia omnium facillime digeritur ac dissipatur, proprerea quod est omnium humidissima, nulla vero frigidior. Quo minus vacuantis præsidii eget, cum habeat ex se ipsa vnde naturaliter vacuetur. sit autem & propter calidam, siccam ue regionem, & tempus æstiuum, & statum cœli impense calidum, & siccum, notabilis per cutim vacuatio. itaq; etiam huius causa iis, qui sanguinis detractione egent, aut prorsus venam non secabimus, aut parum detrahemus. Egregius hic locus docet in pueris interdum mitti posse exiguum sanguinis. Quia dicit, quo minus] quasi dicere velit: Licet pueri insitam habeant à natura vacuationem, ac vt plurimum in illis non conueniat sanguinis detractio, aliquando tamen minorem vacuationem admittunt. pueri igitur indigent minus vacuantis præsidii, quam ætates subsequentes. ergo prorsus verum non est, illos nunquam indigere vacuatione. Notari postea debet eiusce modi conclusio, itaque etiam huius causa, qui sanguinis detrahendi egent.] nam supposita vacuatione cutanea, tum à natura, vt in pueris, tum ab ambiente aere, siue illa adsit sola, siue sola hæc, siue ambæ conueniant causæ, vtiq; ob hanc causam (inquit) aut nõ detrahimus sanguinem, aut certe exiguam vacuationẽ facimus. Ecce igitur, quod in pueris aut non mittimus sanguinem, aut certe minus vacuamus, quam in aliis ætatibus.

Concludamus itaque cum elegantissimo Cornelio Celso, quod quemadmodum grauida mulier, & robustus senex tuto venæ sectione curantur, sic etiam puer denso corpore, & nigro colore præditus, sanguine abundans, magno vrgente periculo, non debet generosi huiusce auxilii vsum impedire, sed potius ipsam duntaxat limitare quantitatem remedii.

CAP. V.

Quæ dubitationem faciant contra propositam opinionem.

NVNC, quæ dubitationem faciant, diligenter expendamus. Plerique Medicorum nostræ tempestatis in artis operibus clari, atque in Galeni doctrina versati, contendunt, eum, omnino sanguinis detractionem interdixisse ante annum ætatis decimumquartum: atque id ipsum non ob aliam sanè causam, quam quod innatam pueri vacuationem habentes, minime postulant artificialem. recenseamus dilucidioris doctrinæ gratia Galeni verba: non quę passim scribit, sed quæ maioris momenti sunt, in quibus potissimum causam hanc dilucidasse communi consensu omnes fere affirmant. Libro igitur vndecimo de Methodo medendi cap. 14. sic habet:

At si in pueros incidat, qui quartum decimum ætatis annum hactenus non attigerunt, mitti illis sanguis non debebit, propterea quod rantillis cum præsertim calidi, & humidi sint, plurimum corporis substantiæ quotidie digeritur, ac diffluit, ita, vt quod ex incidenda vena moliendum nobis fuerat, id vltrò nobis ex curandi corporis natura præstatur.

Hisce verbis conclusionem affert negatiuam, ac simul eiusdem affert rationem maxime efficacem. addit parum postea:

Quod si corpus quartumdecimum ætatis annum excesserit, æstimandum est, qualis nam sit eius natura, num gracilis, & spissa, & dura, & copiosi sanguinis, an contra. Atque ita in priori missionem sanguinis adhibebis; in secunda nequaquam. quin etiam modus vacuandi sanguinem ex eisdem indicantib. sumitur, si

tur, ſi enim, cui mittitur ſanguis triginta annos natus ſit, ſed laſſus, & mollis, & pinguis, & albus, & gracilibus venis: huic aut plane ſanguinem non mittes, aut parum detrahes, & omnino quidem non mittes in tempore æſtatis, & regione æſtuoſa, & cœli ſtatu calido & ſicco, parum detrahes in reliquis tum temporibus, tum regione, cœli ſtatu] hactenus in Methodo.

Libro autem de ratione curandi per ſanguinis miſſionem diligenter quidem agit de quantitate ſanguinis vacuandi, cum inquit:

Hac ratione nec pueris venam tundes vſque ad quartumdecimum ætatis annum: poſt quem ſi multus congeſtus ſanguis appareat, tempusq́; anni vernum fuerit, regioq́; natura temperata, & pueri natura bene ſanguinea, ſanguinem mittes: multoq́ue magis ſi aut peripneumoniæ, aut anginæ, aut pleuritidis, alteriusue grauis acutiq́; morbi periculum incumbat. Detrahes autem primum ad ſummum cotylam vſque: quod ſi poſtea perpendenti vires permanere validæ videantur, dimidium eius adiicies iterata ſectione.

Hi duo loci potiſſimi videntur, qui alios poſtulare voluerit, is legat quæ ſcribuntur libro quarto de Methodo med. c. ſexto. Octauo Meth. c. 4. vndecimo Methodi capite decimo quarto, libro de ratione curandi per ſanguinis miſsionem capite ſexto, nono, atque paſſim alibi. in quibus offendet Galenum deſiderare ad miſſionem ſanguinis magnitudinem morbi, ac virium robur ſemper ab oratione exceptis pueris.

Cap. VI.

Galeni ratio examinatur.

Examinanda inprimis eſt Galeni ratio: quam ſi validam & demõſtrantem inuenerimus, illi prorſus acquieſcendum erit. Sin minus, equidem à nobis interpretanda, ac dilucidanda, atque ita veritatem docentes, Galenum ab omni repugnantia vindicabimus. Ratio igitur illius à nobis hoc plane modo conſtituatur. Illa vacuatione non indigent artificiali, corpora, quæ ſufficientem habẽt à natura vacuationẽ. Atqui puerorũ corpora ſufficientẽ à natura vacuationem habent. Ergo puerorum corpora artificiali vacuatione non indigent. Huic demonſtrationi addamus venæ ſectionem inter vacuantia præſidia, & magni momenti eſſe repoſitam: quo fit, vt venę ſectione pueri minimè indigeant. Maiorem propoſitionem Galenus hiſce verbis affert: Id quod ex incidenda vena moliendum nobis fuerat: id vltro nobis ex curati corporis natura præſtatur] meminit autem Galenus ibi ſolum venæ ſectionis inter vacuantia præſidia; quia de illa inſtitutus fuit ſermo, ad cuius exemplum alias etiam vacuationes artificiales intelligendas eſſe non eſt dubitandum. Minorem propoſitionem probat cum dicit: Propterea quod tantillis cum præſertim calidi & humidi ſint plurimum corporis ſubſtantiæ quotidie digeritur.] Ego autem dum hanc rationem conſidero, vt maxime efficacem cognoſco, ſic etiam profiteor, non eſſe omnino demonſtratiuam. Veritatem habet illa quidem, vt in pluribus, non autem, vt in omnibus. Declaremus diligentius, quod animo noſtro concipimus. Maior illa ratiocinationis quoad omnes partes admitti debet, quia ſane ſi natura morbum perfecte ſanare poteſt, fruſtra artis quæritur beneficium. At alia propoſitio, vt in pluribus concedenda. Vacuatio enim cutanea inſenſibilis in puerili ætate non ſemper eſt ſufficiens pro ratione multitudinis in corpore nigro, in habitu corporis moderate gracili, cuius venę ſint latæ, ſanguine turgẽtes, in carne dura, ſicciori, denſa, nec admodum calido humidoq́; temperamento, præſertim magno aliquopiam vrgente morbo, vt pleuritide, angina, acuta ardentiq́; febre. Humiditas temperamenti caliditati cõiuncta in pueris ſegregat eos ab aliis ætatibus, ſed dum in latitudine puerilis ætatis conſideratur equidem in eo, quod magis ac minus magna ineſt latitudo: erunt enim inter pueros quidam ſicciori, quidam humidiori natura præditi: quidam calidiores, quidam minus calidi: eadem latitudo eſt in corporis habitu, ac omnibus,

quorum supra meminimus. Ergo in omni temperamento, in omni corporis habitu non est vacuatio sufficiens; atque cum non sufficit, necessarium est artis beneficio vti: & ex illa supplere, quod ex curati corporis natura vltro praestari non possit. Atque tanto magis eiuscemodi vacuatio necessaria est, si morbus aliquispiam magnus vrgeat, cuius causa maximum in mora sit periculum, quae enim ex cute vacuatio fit sensum fugiens, ea sane breui tempore summae opitulari non potest necessitati, in qua corpus acuto obsessum morbo, constitutum est: idcirco indigemus auxilio aliquopiam celeriter vacuante, nullum vero hoc in genere venae sectione praestantius, nullum tutius inueniri posse declaratum supra fuit. Pueri igitur, vt plurimum, aut omnino sufficientem, aut parum ab ea distantem vacuationem habent à natura: non vero semper talem habent: illis mittendus sanguis non est; his addere oportet, sed non sine praemeditatione: alias enim circumstantias attendere conuenit. In primis vero consideranda est regio, anni tempus, cœli status: atque si inuentum fuerit, bonam habere temperiem, multo tutius accedemus: sin minus facta omnium inter sese cōuenienti comparatione incumbendū ei, quod magis vrget. Verum ego hic tacitus praeterire non possum, quod si pueris ex Galeni praecepto supra libram sanguinis, vbi annum decimumquartum excesserint, educere liceat, maxime consonum rationi esse, licere nobis à decimo vsq; ad decimumquartum educere sex vncias, atq; à septimo vsq; ad decimum conuenire adhuc minorem vacuationem, vt puta ad vncias quatuor aut quinque. Deinde si viribus non satis firmis haud multum confidimus ob statum futurum, iteratio nos tutos ab omni reddet periculo, quae instituta est, vt alias taceam causas, in remedium virium, non vsquequaque validarum, vt docui libro quinto de ratione curandi per sanguinis missionem. Atque haec mihi satis dilucida explicatio videtur loci huius.

Cap. VII.

Cur Galenus scribat ante annum decimumquartum non esse mittendum sanguinem.

DVBITATIONEM semper apud me non exiguam habuit, cur Galenus voluerit limitare pueritiae aetatem pro exercenda venae sectione: at vero noluerit limitandam esse ipsam senectutem. Vrgere quidem ratio non mediocriter videtur contra eius doctrinam. Vt senectus annorum numeris limitari non debet, cum quidam septuagesimo aetatis anno, ac etiam octuagesimo, ferant sanguinis detractionem; quidam sexagesimo, imo vero quinquagesimo, & etiam quadragesimo non ferant: sed considerandus est corporis habitus, & ex eo limitatio petenda est. Sic neque pueritia certis annorum numeris limitanda, sed ex varietate corporis habitus decernendum: cur enim aliqui anno duodecimo id non ferent remedium? cur non aliis antecedentibus? quę maior in vna, quam in alia aetate varietatis ratio inueniri potest? praestantissimorum Medicorum hac de re iudicium persaepe inquisiui, nec hactenus inuenire potui aliquem qui hunc nodum dissolueret. Ego igitur dicam quid mihi probabilius sentiendum videatur. Itaque putauerim, id à Galeno factum fuisse, vt Menodoti Empirici opinionem, ne dicam, in hac re temeritatem, argueret, ac etiam simul secundum artis praecepta scriberet. Fuit enim sententia illius, semper mitti debere sanguinem, vbi plethorica syndrome inueniretur: atque nullam prorsus adhibendā esse distinctionē, aut anni tēporis, aut regionis, aut habitus corporis, aut anteactae vitae, aut aetatis, in qua re licet ille fuerit Empiricus, nihilominus cum Methodica secta conueniebat, quod non considerabat haec ipsa, sed inhaerebat solū in suis illis cōmunitatibus à Galeno saepissime reprobatis. Ex opinione igitur Menodoti sequebatur, omnibus pueris mitti posse sanguinem, in quaecunq; aetate constitutis, modo tamen plethoricam haberent syndromen. Hunc ipsum Empiricum, quod attinet ad pueros, Galenus refellit, quando tam frequenter dicit, semper ab vsu generosi huiusce remedii excipiendos esse pueros] id est, vt in supe-

in ſuperioribus explanauimus, valde pueros, qui etiam plenitudine laborantes, non ferunt miſſionem ſanguinis: in hoc enim decreto omnes Medicorũ conueniebant ſectæ, vt recte colligitur ex Galeni libro de ſectis capite octauo, in quo ponit argumenta Empiricorum contra Methodicos ætatis conſiderationem prætermittentes. Deinde quia artes ipſæ, ac ſcientiæ ea potiſſimum conſiderant, quæ vt plurimum contingunt, prætermittunt quæ raro, immo vero illa accipiunt, atque ſi ſemper contingerent: propterea Galenus cognoſcens, quod pueri ob humiditatem, & caliditatem temperamenti multum diſſoluuntur, eamque diſſolutionem fere ſufficientem exiſtere pro vacuatione corporis: hâcque magnam diſſolutionem extendi vſque ad annum decimumquartum, qui eſt ſecundus annorum ſeptenarius: poſt quem natura manifeſtam in pueris mutationem facit, degenerantibus in pubertatem: propterea terminum ſtatuit annorum quatuordecim ad hanc ipſam vacuationem artificialem efficiendam: quod eſt dictũ in pubertate, & certe id factum fuit iure, quia ætas illa indiget multo ſanguine humidoque ſubſtantifico, vt conſeruetur, & nutriatur, & augeatur tranſacto anno decimoquarto, non tantum augetur puer, quantum antea, cuius rei id videtur mihi ſignum ſatis efficax, quod in pubertate incipiunt ſemen emittere, vtile quidem excrementum ſanguinis, & humidi vitalis, quo in pueritia deſtituebãtur, quia totus ſanguis cũ humido illo vertitur in ſubſtantiam corporis partim nutriendo ipſum, partim augendo. In pubertate ſane nutrit, ſed non tantum auget. Non tollunt hæc, quæ diximus, quin pueris conueniat ante eum annum venæ ſectio, ſed tamquam raro contingens fuit ibi à Galeno prætermiſſum, ſcilicet explicatum alibi. Meam notaui ſententiam, alij meliorem excogitent. De hac diſputatione ſatis.

DISPVTATIO QVINTA.

An cum virtute imbecilla ſanguinem mittere oporteat.

SVMMA DISPVTATIONIS QVINTAE.

Virtus imbecilla per diſſolutionem & in eſſentia non fert venæ ſectionem; at imbecilla ex oppreſſione interdum fert hoc remedium.

CAP. I.

Explicantur dubitationes, quæ in hac materia contingunt:

VERVM adhuc dubitationi locus eſt: An ſcilicet virtus valida tanquam ſcopus ad ſanguinis detractionẽ neceſſarius debeat à Medico admitti. Multiplex autem eſt dubitationis cauſa. Prima, quod nulla maior inueniri videtur poſſe imbecillitas, quam vbi vires cordis ad extremum languent: nam in ipſis vacuationibus huius potiſſimum robur deſiderari à Galeno libro quarto de ratione victus in morbis acutis commentario decimonono, ac alibi non ſemel ſcriptum fuit. Summum imbecillitatis huius eſt indicium, quod ſumitur à pulſu, quando ſcilicet pulſare nequit arteria. At vero cum non percipitur pulſus, interdum ad venæ ſectionem accedimus, non igitur virium imbecillitas ſanguinis detractionem ſemper deteſtabitur; neque virium robur ſcopus erit neceſſarius. Quod porro in oratione ſumptum fuit, tum auctor libri quarti de ratione victus in morbis acutis, tum Galenus apertiſſime declarant: affero vtriuſq; verba. ille itaque libro quarto particula 23. in hunc modum ſcribit:

Quod autem quis repente obtumescat, id venarum interceptiones, occlusionesq; faciunt, si sano absque occasione, vel forti alia causa id contingat.] Galenus locum in cõmentario sic exponit. Venarum ἀπολήψιας id est, interceptiones appellat, id est oppletiones, quæ à copia oriuntur: cum igitur supra modum oppletæ fuerint venæ, grauari virtutem est necesse, atque in extinctionis agi periculum natiuam caliditatem, quæ ob copiam suffocationi quippiam simile patitur. oriuntur siquidem epilepsiæ, & apoplexiæ & syncopæ cardiacæ,] hæc Galenus. At vero certissimum est, in Apoplexia motu, ac sensu priuari animal, venasque ipsas, hoc est, arterias (ita enim vocat Hippocrates) non pulsare, quod etiam in syncope cardiaca certissimum est contingere. de hoc eodem affectu locutus est eodem libro textu 26. ac 82. cum ait: Lumborum tetanus, atque in melancholicis per venas spirituum interceptiones cum fuerint, sanguinis detractione soluuntur] Galenus vero in commentario, cum (inquit) propter melancholicum sanguinem in venis redundantem, spirituum interceptiones fiunt, sanguinis missio soluit, si interceptionem dicit spirituum, qui in arteriis sunt (nam & arterias, veteres venas appellabant) quæ nam alia fuerit, quam pulsus carentia priuatioq;? quę Græcis ἀσφυξία dicitur.] Ex iis Galeni verbis constat à sanguinis multitudine ita posse intercipi pulsus in arteriis, vt pulsare desinant, periculumq; maximum, ac subitum suffocationis, extinctionisque caloris naturalis immineat. Declarant hæc eadem apoplexiam, epilepsiam, syncopen cardiacam, interdum à sanguinis multitudiue fieri, quod sane admittere nunquam voluit mihi conciuis meus, obstinate contendens, hosce affectus fieri non posse nisi pituita viscida subito cerebri ventriculos impleuerit: sed aberrasse illum constat ex supradictis: constat etiam ex libro de ratione curandi per sanguinis missionem capite quinto. imo vero libro de morborum causis capite tertio, adeo aperte hunc ipsum explanans locum idem declarauit, vt nulla omnino sit dubitatio. Volo totam eius afferre dictionem, vt is aut Galeni sensum explicet, aut acquiescat.

Vltima autem stipatio (hanc enim tertiam frigidiorum morborum causam statuimus) facit graues sopores & veternum, & morbos attonitos, & hoc est, quod dicitur ab Hippocrate, venarum interceptiones corpori officere, quod statim vocem eripiant. ipse namque sicut & alii vetustiores, duo genera vasorum, in quibus sanguis continetur, venas appellant, non vt iuniores alterum tantum quod non pulsat, vbi vero intercipiuntur, quæ sunt in animali arteriæ, hoc est, ita oppletæ sanguine fiunt, vt nullus in ipsis vacuus contineatur locus in quem dum attolluntur, aerem externum attrahere possint, tunc strangulatur, atque extinguitur calor innatus. ac qui ita affecti sunt, subito sensum & motum totius corporis amittunt.]

Reuertor ad rem, à qua sum non extra rem digressus. in hoc ipso affectu nullus adest pulsus. remedium tamen est sanguinis detractio, vt dictum fuit ex Hippocrate cont. 25. & 82. Quamobrem cum imbecillitate facultatis è corde prodenntis aliqnando mittitur sanguis.

Secundo sic dubitatur. Aliquando multa vacuatione est opus, at vires sunt imbecilliores, tunc quidem sanguis etiam mittendus est, vt Galenus admonet, sed duntaxat diminuenda quantitas est: ita.n. scribit libro de sanguinis missione capite duodecimo, nono autem de Methodo medendi capite decimo addebat curationis indigere, qui sic affecti sunt, nuncupatæ per epicrasin. Virtute igitur existente imbecilla, sanguis mittitur, ideoque frustra virium robur inter scopos contraindicantes reperitur.

Tertia ratio. Causa, propter quam repetimus venæ sectionem in hoc exercendo remedio, alia nõ fuit, quam vt vacuaremus eam sanguinis copiam quam morbus postulat virtute existente imbecilla, propterea non confestim, non semel, sed paulatim multiplicatisque vicibus sanguis mittitur, vt ex Galeni doctrina demonstratum mihi fuit libro quinto de ratione curandi per sanguinis missionem.

Postre-

Postremo nulla videtur ipsatũ virium tanta imbecillitas, quæ pro sui ratione non ferat tantillam vacuationem, vt exempli gratia ad vncias duas aut tres, imo sunt qui contendant in corporibus admodum imbecillis hanc exerceri posse, ac debere euentandi causa, à quo munere hanc sectionem vocant euentatiuam, quam in hecticis, & phthisicis tentari videmus à quibusdam nostri temporis Medicis. Hæc igitur contra scopum contra indicantem facere difficultatem videntur.

Cap. II.

Non esse prorsus abstinendum à sanguinis detractione in omni imbecillitate virium.

PRo dilucidatione propositarum dubitationum primo loco statuendum est, non fore prorsus abstinendum à sanguinis detractione, vbi vires quomodocunque sese offerant imbecillæ, siquidem vires possunt duobus modis dici imbecillæ: vno sane, cum nihil adhuc patiuntur in propria essentia, alio autem cum ipsarum substantia compatitur. Ac rursus patitur substantia vel dissoluta, vel oppressa. vbi ergo duntaxat opprimantur, vnicum illarum est remedium, vacuatio. nisi tamen ad extremum peruenerit imbecillitas, grauatæ vires ex vacuatione recreantur, ita vt pulsus ex paruo fiat magnus, aut ex non apparente, manifeste apparere incipiat, atq; tunc sufficientem factam fuisse vacuationem alio in opere explicatum fuit. Primus omnium Hippocrates hāc rationem instituisse videtur libro secundo de ratione victus acutorum cont. 47. cum ait: Neque sane horum ita peritos video Medicos, qui vt oportet dignoscant eas, quæ in morbis contingunt virium imbecillitates, & quæ ob vasorum inanitionem, & quæ ob aliam quampiam irritationem, & quæ ob laborem, & ab acumine morbi fiunt. Quas item natura nostra, habitusq; ue singulis affectuum species omnigenas fabrefaciat, quamuis cognitæ salutem, & mortem ignoratæ ferant.] Hactenus Hippocrates. Galenus vero multas scribit causas in commentario ob quas contingit virium robur dissolui, atque opprimi, quæ euidentes insetuiunt nobis tanquam signa harum dispositionum, quæ signa hic docere nolo, quia non pertinet ad institutam disputationem; legenda sunt quæ scripsi libro tertio de missione sanguinis à capite duodecimo vsque ad decimum quintum, atque in commentariis ad Galeni librum eiusdem argumenti in explanatione capitis sexti.

Cap. III.

Quomodo ex pulsu possit cognosci virtus imbecilla per oppressionem, & per dissolutionem, aliorum opinione reprobata.

SOLVM agam de pulsu, quia res difficilis est, quomodo scilicet ex pulsu harum causarum differentia cognosci valeat. Nam egi alio in opere diligenter, vt ex aliis signis distingui valeat. Putant igitur doctissimi quidam viri, oppressas à languidis, & dissolutis cognosci posse facultates ex solo pulsu, si bene illorum sententiam percipio, cum aliis prætermissis indiciis, solius pulsus meminerint: Hanc vero cognoscendi rationem ex pulsu, Galenum apertissime indicasse asserunt cum libro secundo de causis pulsuum capite tertio in hunc modum scribit: Siquidem in altera grauata, & oppressa natura pulsus mutatur, tum in omnem inæqualitatem, tum maxime in eam, quæ est in vehementia & magnitudine, in altera vero dissipatis dissolutisque spiritibus pulsus perpetuo sunt parui, languidi, ac valde frequentes.] quod etiam repetit libro quarto, de præsag. ex pulsibus, ac de pulsibus ad tyrones. Verum licet hæc Galeni verba vera sint, adhuc tamen aliquam explanationem, atq; distinctionem postulant. primum, quod pulsus paruus & languidus esse potest ex aggrauata virtute, cuius rei argumentum est, quod si potest pulsus reddi intermittens ob eandē causam, multo magis poterit languidus, & paruus fieri, maiorē enim ipsa intermissio indicat

causam. Parui,& languidi pulsus possunt quidem esse æquales,at vero ipsi intermittentes æqualitate carent. Deinde rationi coosonum est, in principio maxime reddi inæqualem in vehementia, & magnitudine, sed postea mutari ad paruitatem ac ad intermissionem aliquam,denique vero ad maiorem intermissionem venire,ita vt tandem appareant aboleri. Quod ego bis adhuc in atris operibus animaduerti,id vero potissimum contingit ob vehementiam, aut paruitatem opprimentis causæ,cum etiam ob summam illius vim possit statim aboleri pulsus,vt quotidie in apoplexia perspicimus. Præterea, pulsus intermissio non semper oppressionem indicat, tum quia potest in propria essentia dissoluta virtus ex mutato ipsius temperamēto facere intermittentem pulsum,tum etiam quia sana quædam corpora eiuscemodi pulsum habere tum a veteribus memoria proditum est,tum ego experientia noui in Ludouico patre,& in Hilario filio natorum meorum validissimo,quem in vtroque brachio hunc habere obseruaui pulsum. Amplius, non videtur mihi hanc explanationem conuenire posse cootextui Galeni, qui in commentario vigesimosexto, & 82. quarti acutorum explaoans quid per ἔκλειψιν intelligat Hippocrates,ait, ἀσφυξίαν intelligendam, id est priuationem pulsus seu careotiam. Etenim longe abest abolitio pulsus à pulsu deficiente,ac intermittente, vt Galeous ait secundo de caus. pulsuum, capite tertio:illa enim significat priuationem pulsationum: at pulsus intermissio dimidiatam quandam amissionem pulsationum indicat. Qui pulsum habet intermittentem, hic quidem, si proprie loqui voluerimus, non dicetur habere priuationem pulsus,at diminutionem quandam.Equidem intermittens pulsus ex Galeni doctrioa,quantum ego tamen obseruare potui,nunquam ἀσφυξίαν denotat,idcirco longe rationabilius est Hippocratem per ἔκλειψιν proprie intellexisse careotiam; quam rem ex duobus coofirmo adeo euidenter affectibus, vt fere inueniri euidentior in rem præsentem nequeat confirmatio. Primus est Syncope cardiaca,quam contingere dixit Galenus in commentario vigesimotertio, ex interceptione spirituum: at certe in hac syncope est pulsus adeo paruus & languidus,vt vix percipiatur,aliquando vero, nec etiam percipitur, vidi eiuscemodi syncopes frequenter, tamen cum pulsu intermittenti nunquam. Alter affectus ex eadem spiritus interceptione cootingens,est Apoplexia,in qua aoimal omni respiratione, omni pulsu priuari adeo notum est omnibus, quam quod notissimum,igitur cum Galeno statuamus ἔκλειψιν Hippocrati & Galeno nihil aliud esse,quam ἀσφυξίαν. Porro hæc ipsa pulsus carentia,signum est virium imbecillium, quæ tum in essentia sint dissolutæ, tum à multitudine oppressæ, cum signum proprium ac inseparabile,quo inuicem hę causę distinguantur, esse nequeat.His addo(& est maxime vtilis animaduersio)quod cum summa hæc virium oppressio,sanari possit à missione sanguinis, dum emittitur sanguis è venis in pulsu,aliquod apparet signum restitutioois virium,si tamen restitui atque reparari valeot.Etenim qui paruus pulsus erat, ac languidus, dum vacuatio fit, seosim mutari solet à paruitate ad magnitudinem, subleuata scilicet natura eo, quo veluti sarcina premebatur,atque si pulsus nullus erat, intermittendum sanguinem apparere incipit. Legat studiosus lector, quæ scripsimus libro quinto de ratione curandi per sanguinis missionem capite vigesimoquinto, dum hæc explano Galeni verba.

Potissimum vero pulsuum mutationi tanquam signo haudquaquam mendaci animus attendeodus est, continuoque quiescendum pulsu alterascente aut in magnitudine,aut in quauis inæqualitate. Nam de mutatione in obscuritatem quid attinet dicere: didicisti enim in hac qualitate certam fieri discretionem firmarum, infirmarumque virium.]

Ex iis igitur quæ hactenus dixi constat, non omnem imbecillitatem virium prohibere sanguinis detractionem, sed earum duntaxat,quæ in propria essentia id patiuntur,languescantque dissolutæ. In oppressis vero non semper prohiberi vacuationem,oisi cum ad extremum peruenerit. Sed habere dubitationem videntur,quæ de intermittenti pulsu supra diximus; quia extat Galeni sententia

libro

libro secundo de præsagiis ex pulsibus, capite quarto, intermittentem pulsum significare pulsum abolitum, quod nos non admisimus, verba Galeni sic habent: Pulsus intermittens in motus alteratione positus est: nam quo tempore pulsus intermittit, tunc arteria nihil mouetur.] Quare comparabat pulsum naturalem sanitati, vitiosum morbo, intermittentem morti, cum priuatio motus quoquomodo speciem mortis referat. Ego autē non ita sentio, quandoquidem pulsum intermittentem non appello pulsum abolitum, ac omnimodam priuationem pulsationis, sed solum hunc ipsum pulsum appello diminutum, & pro aliqua parte priuatum, non tamen omnino, vt dicebam: moueor vt sic sentiam; quia, vt supra dixi, cum intermittenti pulsu stat vita, imo vero interdum sanitas: at cum priuatione absoluta non stat vita. Erit ergo intermittens pulsus ita rarus, vt arteria in quietibus immoretur hoc fere modo, vt vna pulsatio locum habeat trium, aut quatuor, aut plurium pulsationum naturalium, ideo Galenus non dixit, in hoc pulsu nihil moueri arteriam absolute, sed solum dixit pro illo tempore: sic etiam nos dicimus de ipsa ἀσφυξία, quod duplex est, quędam ita confirmata, vt restitutioni locus non sit; quædam vero iamiam incipiens; in illa nemo auderet sanguinem mittere, in hac audebit, qui fuerit exercitatus in artis operibus, & medendi valuerit iudicio: vt exempli gratia; si quis statim atque apoplexia inuadit hominem, occurrat illi, poterit tuto mittere sanguinem, si post horas duodecim, non poterit, multo minus post horas quatuor & viginti. Dixi oportere Medicum esse in hac re iudiciosum, ne dum incumbit remedio, adscribatur illius errori mors ægroti. Equidem sentio cum prædictione mortis futurę, aut saltem magni periculi, debere aliquid moliri circa ægrotantem generosum Medicum. Atque hæc hactenus dicta sufficiant de primę difficultatis explanatione.

C A P. IIII.

Vires validas, & imbecillas dupliciter dici, simpliciter, & secundum quid, & quod valida interdum appellantur imbecilla.

VIRES igitur statuantur validæ, aut simpliciter, aut secundum quid; eadem etiam distinctione vtendum in viribus imbecillis. Validæ semper admittunt remedium, quatenus non prohibent, vt Galenus ait libro de ratione curandi per sanguinis missionem cap. 13. (vocant hoc ipsum recentiorum nonnulli contraindicare) quæ vox significat duo, vt id obiter dicam, scilicet non prohibere, & indicare idē remediū, quod ab alio primo indicāte postulabatur, modo tamen quodam contrario, vt Galeni verba testantur libri 2. acut. commentario 45. quem locum cum aliis multis, quos studio breuitatis prætermitto, miror non animaduertisse illos, qui Altimarum, Fucsium, ac alios temeritatis nomine in eius voculæ significatione accusant. Verum hæc alias. Vires voco simpliciter validas, cum spirituosam, carnosam, & vere solidam substantiam quantitate, qualitate, temperamento sese habere secundum naturam, contigerit. Secundum quid autem, non cum omnes simul, sed duæ ex iis ipsis bene habent. Exemplo id fit manifestum. Habitus Athletarum indicat nobis vires absoluto sermone existere validas, quia nulla in eo spirituum intemperies, aut diminutio, nulla carnium, nulla solidarum partium, inest, imo vero omnium simul incrementum adest. At ponamus mulierem admodum gracilem habere totius corporis habitum, carne nigra, & densa præditam; per quam amplæ excurrant venæ sanguine turgidæ, suppressiq; sint menses: hanc dicemus vires habere validas secundum quid, quoniam carnosa substantia sola ex tribus naturam nostram constituentibus, patitur: idcirco huic mulieri extenuatissima cum esset, Galenus inuitis, & reclamantibus aliis Medicis plures emisit sanguinis libras. Sic imbecillæ vires simpliciter nuncupabuntur, quando tres illæ substantiæ vna læsæ sunt: secundum quid vero, cum duæ præternaturalem statum contraxerunt, tertia in statu naturali permanente. Legito, quæ de hoc argumento

scripsi libro tertio de missione sanguinis capite 12. & 13. Hæc igitur cum ita sint constituta, dico vtilem omnem vacuationem sanguinis continuo postulare vires validas, sed nō validissimas, aut simpliciter validas, vt nos vocauimus. Porro, quæ vires sunt minus validæ, in comparatione ad vires absoluto sermone validas, appellantur imbecilliores, id est, minus validæ, & aliquando etiam imbecillæ; de iis locutus est Galenus libro nono de Methodo medendi, ac libro de venæ sectione, cum docet in vacuando diminuendam esse quantitatem, ac vtendum curatione per epicrasin. Numquam ille de viribus absoluto sermone imbecillis, nec etiam secundum quid, cum diminuendam docet vacuationem, sermonem habuit. Hic non sit lis de nominibus, appellet si placet, vires imbecillas, quæ secundum quid validæ sunt, id enim ego libentissime do illis, modo in rei natura conueniant. Arbitror ex iis, me secundam difficultatem dilucidasse, aggredior ad tertiam.

Cap. V.

Quibus de causis repetitio sectionis venæ fuerit à maioribus nostris excogitata.

REPETITA sanguinis missio instituitur aliquando, vbi facultas imbecillior est, quam ferat necessitas vacuandi sanguinis ab ipso morbo indicata. tunc bis, ter, ac etiam quater sanguinem mittimus duorum aut trium dierum spatio: quemadmodum Galenum fecisse constat in crudorum humorum copia, libro de ratione curādi per sanguinis missionem, capite duodecimo. Huius loci mentionem facio libenter, quod ex eo colligamus duo contra Medicos recentiores, & magni nominis. Horum alterum est, iterationem ipsam tutos admodum reddere ægrotos ipsos imbecilliores, vt puta qui nulla virium iactura, tantam pluribus vicibus patiuntur vacuationem sanguinis, quantam plenitudo postulat. Audiui olim Picenum quendam corrupti iudicii Medicum, acerbe admodum, & atroganter doctum obiurgasse iuuenem eiuscemodi modum vacuationis proponentem; non quidem alio motum argumento, quam quod repetita vacuatio vires facit imbecillas. nō ita quidem Galenus, cuius verba sic habent:

At in sanguinis missione summum id bonum est, vacuationem dum voles posse sistere; ac rursus, quo videatur tempore fluere sinere, quo ad vsque recte habere appareat, quapropter præstat, nisi quid vrgeat, priori missioni minus detrahere, iterumq; eam repetere, immo, si lubet & tertio. Vbi ergo multa vacuatione est opus, verum vires sunt imbecilliores, in his vacuationem partiri expedit, vti nimirum & me fecisse vidisti in iis, quibus crudorū inerat humorum copia.] Hæc ille. Consideranda sunt hæc verba. Multa vacuatione est opus] quia significant complicatum affectum ex magna plenitudine, & crudorum humorum copia. neque enim magna vacuatione sanguinis indigemus, nisi vbi magna eiusdem sit plenitudo. Sed hac de re disserui libro quarto de sanguinis missione. Colligo etiam aliud, hunc modum vacuandi, vires validas supponere, sed non omnino, ideoq; subito & confestim non fore vacuandum, sed per vices. Cæterū, non solū ob hanc ipsam causam instituitur venæ sect. repetitio, sed etiam ob reuulsionem, quæ longe melior repetendo fit, quam semel vacuando, vt Galenus docet quinto Methodi medendi, libro sexto de sanitate tuenda, ac libro de venæ sectione. Fit etiam ad vacuandum sanguinem in phlegmone contentum, cum non liceat aut ob magnitudinem inflammationis, aut eiusdē paruitatem prima vice totum vacuare sanguinem. Deniq;, vt qui sanguis ad venas attractus est, semimalus existēs, è venis ipsis, quo ad eius fieri potest, citissime vacuetur, hancq; vacuationem Galenus vsq; ad animi deliquium maxime laudat, libro sexto de sanitate tuenda. Legenda sunt quę de hoc argumento scripsi libro quinto de sang. missā capit. 15. vsque ad 23.

CAP. VI.

Sanguinis detractionem vtilem numquam fieri viribus existentibus imbecillis.

ERAT postrema dubitatio, qua persuadebatur multis, esse virium infirmarum adeo magnā imbecillitatem, quæ pro sui natura non admittat qualemcunque sanguinis detractionem, pro qua dissoluenda non agam multis, quia id fuit explana tum mihi alio in opere; neque duco repetendum: neminem enim esse arbitror, qui nesciat sanguinis detractionem duplicem excogitari posse, vtilem vnam, inutilem aliam: tantilla sanguinis vacuatio, vt vnius vncia, aut parum pluris, quamuis à natura ferri possit, tamen ceu omnino inutilis reprobanda, cum non habeat aliquam vim tollendi morbum. Illud autem non prætermittam aberrare toto cœlo illos, qui putant sanguinis detractionem euentatiuam, vt illi dicunt, esse huius naturæ, quam scilicet in omni morbo vsurpare possumus, non ad vacuandum, sed euentandum calorem: hoc enim Empiricorum inuentum est, & Bortalicum dogma è Medicorum scholis omnino exturpandum. De virium robore satis hac disputatione dixisse videor.

DISPVTATIO SEXTA.

An Auctor Quarti Libri de ratione curandi in morbis acutis, accuratè, præclarè, & grauissima oratione scopos ad sanguinis missionem requisitos proposuerit.

SVMMA DISPVTATIONIS.

Auctorem eius libri, accuratè, præclarè, breui, & grauissima oratione principes hosce scopos, minime fuisse prosequutum.

CAP. I.

Propositum disputationis huius.

IN iuniorum Medicorum studiosorumq; gratiam, quandam sententiam perpendere, ac diligenter considerare placet, nempe Auctoris libri quarti de ratione victus in morbis acutis, quæ in contextu decimonono hisce habetur verbis: In acutis morbis sanguinem detrahes, si vehemens videatur morbus, floruerit ægrotanti ætas, & virium adfuerit robur.] Quandoquidem hanc tantifaciāt recentiores ac ii quidem doctissimi, nostri temporis Medici, vt putent grauiorem, magisq; præclaram ac dilucidam in eo inueniri non posse argumento. Nos vero in hac ipsa sententia considerabimus quatuor. Primum, quis illius auctor extiterit. Deinde an sit Hippocrate digna. Tertio quas ob causas à Galeno tāti fiat. postremum, vbi magnus Hippocrates egerit de scopo principali pro missione sanguinis obseruando. atque dum hæc animaduertemus, quid alii de hac re sentiant, explicabimus.

CAP. II.

Auctorem eius sententiæ non extitisse Hippocratem.

TRES libros de ratione victus in morbis acutis scripsisse Hippocratem constat: nempe vsq; ad eam partem, quæ de balneis agit: quandoquidem non Galenus modo, sed antiquiores, atque recentiores vnanimi fere consensu, ita sentiunt. Quartum vero legitimæ huic tractationi, tamquam spurium additum

fuisse, rum res ipsa manifeste indicat, tum præ cæteris omnib. Galeni testimonium cõfirmat, qui in iudicandis Hippocraticis tractationibus iudiciosissimus fuit. Etenim iudicare nemo non potest, in hoc quarto eam non adesse theorematum integritatem, verborum, sententiarumq; grauitatem perspicuitatemq; orationis, ac proprietatem (si quispiam inductione facta in singulis æquus voluerit esse iudex) quæ senex ille venerandus, ac ante omnem philosophiam natus. vt aliquando dicebat Galenus, in legitimis operibus adhibere solet. Euidens postea est Galeni testimonium, qui cum de hac re ageret, ita scriptum reliquit. Quæ in libro de victus ratione post eum, qui de balneis est, sermonem, scripta sunt, iure optimo plerique Medicorum Hippocratis non esse sunt suspicati, nam à superioribus, & vi interpretationis, & theorematum ἀκριβεία (integritatem diceres) longo discedunt interuallo.] Hæc ille. Ex quibus nullam habere difficultatem constat, spurium esse hunc librum. Verum quia non sunt omnia indigna Hippocrate, quæ in eo libro continentur, siquidem horum quidam Hippocraticam doctrinã referunt, propterea putarunt nonnulli aliquem ex discipulis Hippocratis auctorem extitisse huius libri, qui mentem præceptoris optime animaduerteret; idcirco licet omnino Hippocratis non sit liber, digna tamen Hippocrate quædam adsunt. Propterea Galenus in explanatione huius libri conatur docere, quæ illius referant, aut non referant doctrinam. Cumq; eorum, quæ hoc libro scripta sunt, quatuor, vt quispiam dixerit, species reperiantur, quarum vna & dictione, & sententia sese præbet dignam Hippocrate, altera, quæ sola dictione, tertia, quæ sola sententia, postrema eorum, quæ neq; dictione, neque sententia illa digna sunt, inuestigandum mihi est, in quo numero debeat reponi sermo propositus, quem sane, vt Galenus dignum statuit Hippocrate, sic non docet, quo ex illis modis censeatur dignus, quod si fecisset ille, nobis id nunc explicandi non incubuisset negotium. Ex iis quæ diximus, constat in errore versari illos, qui semper eam sententiam sub nomine Hippocratis nobis proponunt; nam ab ipso Galeno manifeste discedunt, qui nunquam quod sciam, eam retulit sub illius nomine: nã semper contineri eam dictionem scribit in iis, quę adiecta sunt libro de ratione victus in morbis acutis. atq; licet sexcentis locis eius libri mentionem faciat, nunquam tamen est ausus Hippocratem eius libri facere auctorem, imo vero agens de hac ipsa, quę nunc in controuersia versatur, sententia, auctorem eius libri negligentiæ accusat, ac damnat, quod parum recte scripserit, vt postea explicabo. Quando vero Galenus antecedentium librorum, qui vere germani sunt mentionem facit, semper quidem facit Hippocratem. Atque ita præclare loqui solet, sicut indicauit Hippocrates in libro de acutorum victu, quãdo de pleuritide verba facit,] ac postea: Proinde Hippocrates (inquit) de pleuriticis in hunc modum scripsit.] Hæc vero in secundo ac tertio acutorum tractantur, videat vnusquisq; differentiam scribendi, quam facit Galenus, dum citat quæ continentur in quarto, ac in aliis libris antecedentibus. Verum quia fient hæc longe dilucidiora ex iis, quæ mox dicentur, ad aliorum explanationem nostra properet oratio.

Cap. III.

Eam sententiam dictione ipsa indignam esse Hippocrate.

STATVAMVS itaque sermonem dignum esse Hippocrate, & inquiramus an sit dignus sola sententia, an sola dictione, an dictione & sententia simul. sed certe, vt breuiter satisfaciam, dignus est sententia, indignus dictione, quã rem antequam doceam, admoneo quosdam reprobasse hanc sententiam, eo potissimum argumento, quod omnis morbus acutus magnus sit, quos quia redarguimus libro quarto de missione sanguinis capite decimosexto, illorum opinione prætermissa, hic aliis rationibus, quod proposui, conabor demonstrare, igitur circa dictionem Hippocraticam solent à Galeno, atq; aliis considerari tria: vocum proprietas: deinde perspicuitas, tertio breuitas, grauitasq;. Omnis sermo

hisce

hiſce conditionibus inſignitus, erit Hippocrate vere dignus. Examinemus, quæ hic dicuntur. Auctor ſtatim impropriis incipit vti vocibus, cum dicat, in acutis morbis ſanguinem detrahes, ſi vehemens morbus videatur:] nam quæſierim, an ꝓprie acuti morbi nomine vtatur, an improprie, ſi dixerit, proprie vſum fuiſſe, fruſtra additur in oratione. Si vehemens morbus videatur,] ſi vero improprie locutus eſt, oratio impropriis vocibus conſtituta Hippocrate digna nequit cenſeri. Deinde indicatio de mittendo ſanguine, non modo locum habet in morbis vehementibus, ſed etiam aliquando in diuturnis, vt in quartana, elephantiaſi aliiſque diuturnis accidit, in quibus aliquando mitti ſanguinem conſpicuum eſt. Neq; aliquid facit Galeni in hac re excuſatio, cum in cōmentario ſcribat, nō eſſe vitio vertendum auctori, ſi ita ſcribat, quia propoſitum eſt agere de morbis acutis, non de diuturnis, ſiquidem auctor eius quarti agit etiam de diuturnis, quia de hydrope anaſarca, in qua vtiliter adminiſtrari venæ ſectionem dicit cōmentario 111. at hic non eſt acutus morbus. Adde, quod Galenus interpretatur in commentario 19. per acutum, & vehementem] morbum magnum, at lōge breuior eſt ſermo, qui dicit, in magnis morbis ſanguinem mittas,] quam ſi q ſpiam addat, ſi vehemens videatur,] ideo Galenus totam eam dictionem complectitur ſola magnitudine. Amplius, ſi proprie loquendum eſt, vehemens morbus omnis re ipſa magnus eſt: at non reciprocatur, vt omnis magnus, vehemens exiſtat validuſq;: cum enim tribus modis morbus dicatur magnus, certiſſimum eſt, quodcunq; genus non comprehendere vehementiam, quam rem inductione in ſingulis facta docerem, ſi dubitationem habere iudicarem: cum ergo in omni morbo magno conſentientib. reliquis venæ ſectio adhibēda ſit, nec omnis ſit vehemens, fruſtra & improprie ſcribitur ea particula. Præterea, quia Galenus ait morbum magnum, tum præſentem, tum futurum in ea oratione audiendum, falſum eſt ac ab omni alienum ratione, ſolum conuenire morbis magnis vehementib. futuris venæ ſectionem: quia imminentis morbi, & futuri ſunt quamplures venæ ſectionem poſtulantes, qui non habent vehementiam, ſi proprie loqui volumus, vt quartana, elephas, interdum reiectatio ſanguinis, hydrops, ac alii eiuſdem generis.

Cap. IV.

Quid recentiores Medici ad hac reſpondeant, eorumque impugnatio.

HÆc quidem licet manifeſte oſtendant, Hippocratis loquēdi modum propoſitam dictionem minime redolere, non tamen deſunt hac noſtra tempeſtate, qui ad pauca reſpicientes, aliud ſentiant, quorum hoc loco breuiter afferēda ſunt argumenta. Dicunt Galenum hanc recepiſſe tanquam germaniſſimam, ac eam adeo præclaram ſententiam exiſtimaſſe, vt non ſatis miretur, quamobrem in Aphotiſmorum numero non fuerit repoſita. Addunt vocem hanc ὀξὺ apud Hippocratem & Galenum non ſemper idem ſignificare: ſpeciatim vero morbos dici acutos ſæpenumero, qui celeres ſunt, citove iudicantur ad diuturnorum differentiam. Dixit enim Hippocrates: Sunt autem acutiſſimi, maximi, grauiſſimi morbi. Acutiſſimos (inquit in commētatio Galenus) appellat eos, qui pauco tempore decernūt: maximos, validiſſimos, grauiſſimos, qui cum periculo ſunt coniuncti.

Confirmant præterea ex pleuritide, quæ cum ſemper ſit acutus morbus, non tamen ſemper eſt vehemens, vt ex Hippocrate, & Galeno colligitur ſexto Epidem. ſect. 3. commen. 44. quam ob rem cum morbi acuti non ſint ſemper vehemētes, maxime decuit Hippocratem ſtatuere, dogma ad vitam hominis ſi quod aliud neceſſariū, plane, & perſpicue loqui, & omnem ambiguitatē auferre. Hæc illi acute, & ingenioſe reſpondent. In quib. adſunt multa, quæ mihi minime ſatisfaciunt. Atq; certe in primis illud eſt, quod ſi concedimus, quæcumq; dicunt, adhuc nō oſtendunt illi, vſum nō fuiſſe auctorem nominib. impropriis: etenim

si venæ sectio conuenit acuto morbo, quatenus est vehemens, frustra in oratione additur in acutis morbis, sufficerent enim hæc, in vehementibus morbis] atque si ita statueres, (quod omnino necesse est) includi in hac ipsa sententia proprie nequeunt diuturni morbi. Deinde nescio videre, quomodo asseuerent Galenū hanc recepisse tanquam germanissimam, quia neq; admittere potest vt germanam, spurio existente eo libro, si auctor eius libri extitisset Hippocrates, vtique Germana illius dici posset sententia. Admiratur Galenus cur eam inter Aphorismos nō reposuerit, cum in paucis verbis magna vis reperiatur: quia significatio, & sententia sermonis huius digna est Hippocrate, sed ipsa dictio, & formatio sermonis non est illo digna, atque licet pauca in toto sermone sunt verba, tamen longe paucioribus & dilucidioribus senex in Aphorismis fuisset vsus. Quæ illi de significatione acuti morbi dicunt, admitto libentissime, vt puta qui eam in libris ad Glauconem frequentissimam esse sciam, sed, quod dixi supra, abusum fuisse hac voce hoc ipsum manifestissimum facit.

Quam rem facile confirmo & Galeni commentario, nam dū explanat hunc locum, ne verbum quidem facit horum verborum: in acutis morbis] sed solum dicit, per vehementes magnos morbos intellexisse, audiēda sunt eius verba. Nūc vero summam ipsam in paucos tandem relatam scopos audi. Sanguinem etenim primum detrahes si magnus tibi videatur morbus: tali enim remedio vtitur propter vehementes affectus, quod a qualitate desumitur. Neque refert si aut vehementem, aut magnum morbum dixeris.] Hæc ille. Si liceret mihi percunctari Galenū cur verba priora sine aliqua explanatione prætermiserit, quid (quæso) respondebit aliud, quam quod ea vox impropria est, atque ibi superfluat? Reliqua prosequamur.

CAP. V.

Auctorem quarti acutorum improprie vti nomine florentis ætatis, in eaque sententia diminutum, ac etiam supernacaneum esse.

EA in dictione, hæ subsequuntur verba. Vigeatq; ægrotanti ætas] perpendamus quam proprie, quam dilucide propositum explicent. Ætatis florētis nomine auctor ille, aut intelligit ætatem proprie florentem, aut omnem intermediam inter pueritiam extremamque senectutem. Si propriam intelligit significationem, sententia omnino falsa est: quandoquidem nemo in artis operib. exercitatus, admisit aliquando venæ sectionem in sola ætate florenti conuenire: quod, si quispiam diceret illum inclusisse florentem ætatem, sed non exclusisse alias, quæ subintelligi possunt, quia in ea maxime venæ sectio, atque citra omne incommodum, exerceri soleat. Dicerem ex hoc sensu insequi, eam sententiam insufficientem existere: quia in pueritia, in adolescentia, & pubertate, in iuuentute, in primo senio, & secundo sanguis mittitur, tamen proprie nemo diceret omnes istos esse in florenti ætate constituros: quamobrē insufficienter explicant, quod intendunt, aut etiam non explicant eiusmodi verba, suntq; omnino impropria. Ideo Galenus id animaduertens, verbis multo magis dilucidis, ac propriis dicere haud raro consueuit, sanguinis detractionem indicari a magno morbo, cum virium robore, exceptis tamen ab oratione pueris. Siquidem senes ipsi sub verbo virium continentur, atq; alio in loco dicebat, inter has ætates nempe senectutem, & pueritiam generosum hoc remedium conuenienter administrari. Ex iis, quæ hucusq; diximus, constat, nomen florentis ætatis in eo contextu vsurpari admodum improprie pro omni ætate intermedia inter pueritiam, & vltimā senectutem, ergo rectissime dictum supra mihi fuit, hunc auctorem neque propriis, neq; dilucidis verbis fuisse vsum: Quod neque etiā Galenus dissimulauit quem aliquando ita locutum fuisse memini. Forte autem negligētius in iis, quæ adiecta sunt libris de ratione victus acutorum, exposita videri possit, vna ætatis particula. Neq; enim florentem duntaxat dixisse, recte habet, sed addenda est, quæ

quæ

quæ illam præcedit,& quæ ſequitur,vti videlicet duæ tantum eximantur, nempe puerorum & ſenum.] atq; rurſus etiam ait: Dicemuſque minus perfecte poſiram ætatis dignotionem ab eo, qui conſcripſit ea, quæ adiecta ſunt libro de ratione victus acutorum.] Hæc ſi vera ſunt, quomodo noſtræ ætatis Medici tantū agnoſcunt in ea ſentẽtia ſplendoris? Me quidem non fugit, quid alii vt oſtenderent hunc auctorem non fuiſſe in errore, hac de re ſcribant. Quæ admitto ſigillatim omnia,neq; enim ego in hoc potiſſimum laboro, cõtendoque haberé bonum non poſſe ſenſum illorum verba. Sed,quomodocũque interpreteris,quod profiteor eſt, ſermonem illum non eſſe dignum Hippocrate ratione dictionis q̃ ille conſtruxit ex vocibus impropriis, parumque dilucidis, ac longe pluribus quam oportuiſſet pro more,& conditione ſermonis Hippocratici: ſi enim hoc modo ſcripſiſſet,longe melius fuiſſet, ac magis referret maieſtatem Hippocratis. In vehementibus morbis ſanguinem mittes, ſi virium adfuerit robur, exceptis pueris.] Hæc debebant conſiderare Medici recentiores, qui eum ſermonẽ tanti faciunt,atque ſimul recordari admirabilem Galenum præ cæteris profiteri, in legitimis libris Hippocratis ne ſyllabam quidem ocioſam inueniri, vt dicit libro de Comate cap. 3. Cæterum nondum finem attigimus, alia enim adhuc ſuperſunt explicanda non minoris momenti: Galeni teſtimonio eiuſcemodi ſententia deficiens eſt: vt puta, quæ non complectatur omnia ad hanc indicationem neceſſaria,in fine illius commentarii addit hæc verba: Verum, ne aliq̃d deſit,adiiciam & eum,qui ab ambiente nos aere deſumitur,ſcopum,cum fuerit admodum calidus,& ſiccus, ita vt cito ab eo corpus euapotetur: nempe tunc a ſanguinis miſſione abſtinemus,etiam ſi morbus magnus fuerit, vigenſque ætate homo.id ergo auctor ſolum prætermiſit,reliquis ſcopis,atq; etiam patientis ipſius corporis habitum. Verum procedente oratione & mentionem habitus facit,qui & ætatis differentias in ſe comprehendere poteſt,vt oſtendam.] hęc Galenus,quæ hoc loco de induſtria afferre placuit in medium , vt, quoniam circa horum intelligentiam verſatur diſputatio, benignus Lector poſſit æquum ferre iudicium. Ex hiſce verbis manifeſtiſſime colligo in hoc ipſo contextu minime explicari ſufficienter ſcopos ad ſanguinis emiſſionem pertinentes ſecundũ Galeni explanationem, qoia prætermittit eum,qui ab aere ambiente deſumitur,& ab habitu corporis,quorum vterq; maxime neceſſarius eſt, quamuis de habitu corporis mentionem faciat tex. 25. Quæ ſi vera ſunt, explicent quæſo mihi cauſam,ob quam ſcribũt Hippocratem perfecte,accurate,ac præclare,in textu 19. grauiſſima oratione principes omnes ſcopos propoſuiſſe.

CAP. VI.

Quid in hac controuerſia dicant recentiores Medici, eorumque impugnatio.

RECENTIORES Medici ita ab hoc modo ſeſe extricari poſſe putant: quod ſcilicet ſcopi duorum ſunt generum, quidam enim horũ ſunt primarii, quidam ſecundarii. Aeremq; ambientem inter ſecundarios reponendum eſſe cenſent, qui magis quantitatem indicant,quam ipſius remedii genus. Addunt, Galenum ſolitum eſſe confundere hoſce ſcopos, idcirco libro de ſanguinis miſſione capite ſexto, decem conſtituiſſe venæ ſectionis ſcopos, eoſque primarios vocaſſe: at nono de Methodo medendi octo conſtituiſſe, & alibi quidem quatuor duntaxat complexus eſt. Neq; id mirum, aut inconueniens eſſe dicũt: quoniam vbi ex propoſito de vna re tractat, ſemper Galenus vno & eodem modo loquitur, continuo tres efficiens ſcopos, nunquam plures, & nunquam pauciores: cũ vero veluti aliud agens de eodem tractat argumento , non ita bene,& accurate ſcribit. Hæc ſummatim illi. Ego vero in eorum gratiam facile recipio, non Galenum modo, ſed Ariſtotelem, alioſq; in vniuerſum probatos auctores agere de vno argumento variis modis, pro eius, quem ſibi ipſis præfingunt, ſcopi va-

rietate. Sed quod pertinet ad præsentem disputationem, non parum ab illis dissentio. Ac primum quod attinet ad decem scopos, seu octo, quos considerari debere in ipsa venæ sectione recte exercenda præcipit, quid ego sentiam, in primo libro harum disputationum capite vltimo explicaui: neq; conuenit dicere Galenum confundere scopos primarios, cum secundariis. Quam rem Auicenna etiam confirmat, qui eosdem scopos profert tamquam communes ad omnem vacuationem, minime vero tamquam proprios venæ sectionis duntaxat, vt eius verba manifestum faciunt, quæ sectione quarta primi libri in hunc modum habent, statim in principio capitis tertii. Ea, quæ rectum in euacuatione molienda afferũt iudiciũ, decẽ numerãtur: plenitudo, vires, tẽperatura, corporis habitudo, symptomata concurrentia, ætas, tempus anni, regio, vacuãdi consuetudo, & ars.

Hæc enim si contrarium vacuationis faciendæ indicauerint, euacuationem impedient] Legat studiosus Lector, quæ scribuntur li. 2. ad Glauconem cap. 2. & lib. 13. Methodi. Neq; conturbet quod vocauerit primos, quia vt diximus alibi, via originis vere primo sunt loco a Medico animaduertẽdi euacuationem aliquãpiam facturo. Deinde, quod spectat ad aerem nos ambientem, etiam euidenter dissentio. Quia in Galeni doctrina vnus duntaxat est scopus vere indicãs sanguinis missionem. Duo vero indicantes illius executionem, vnus indicans, alter contraindicans: indicans, morbi magnitudo, contrarium indicans, virtus, quæ vt valida primo admittit, vt imbecilla primo remedium prohibet. At ætas numquam in Galeni doctrina fuit scopus primarius: sed loco secundo indicans, quatenus refertur ad vires mediante habitu corporis: atq; ideo demonstratum mihi fuit priori libro, non esse tres scopos præcipuos indicantes, neque ætatem inter hos numerandam: De qua re etiam plenius egimus lib. 3. harum disputationum. Tu vero animum mihi adhibe ad ea, quæ secundum Galeni doctrinam nunc doceo. Scoporum, quos auctor quarti acutorum proponit duo sunt præcipui, morbus magnus, virium robur. Vnus ex Galeno, non est præcipuus, ætas. at quid ex Galeno inquam? ex eodem auctore melius fuisset dicere, quia in comm. 25. pro ætate ipsa substituit corporis habitum. Etenim ætas indicat sanguinis detractionem, vel faciendam, vel non faciendam, tamquam signum virium: eandem vim habet aer nos ambiens, quare videtur mihi Galenus hoc potissimum modo ratiocinari. Eo modo in eiuscemodi indicationib. habet ætas quo sese habet aer ambiens, & corporis habitus: atqui illa indicat tamquam signum virium quæ aut validæ, aut imbecillæ sunt: sic etiam ambiens, & corporis habitus indicabunt: quia vero hic auctor solum mentionem facit ætatis, minime vero ambientis aeris, habitusque corporis merito venit redarguendus mihi, quod scopos sufficienter non posuerit, ego vero ne aliquid desit huic orationi adiiciam & eũ, qui ab aere nos ambiente sumitur, scopum, & ab habitu corporis hic prætermissos, quamuis de habitu meminerit in contextu 25. sic profecto omnia bene sese habent, & consona sunt Galeni principiis. Fortassis hęsitabit quispiam, putans, ætatem primarium esse scopum, quod prohibeat remedium, vt Galenus ait lib. de phlebotomia ca. 9. his verbis: Ex morbo, ætate, ac viribus quod mittendus sit sanguis cognoscitur, quantitas vero vacuationis non solum ex istis, sed ex aliis deprehenditur: hæc autem sunt plethorica vocata syndrome, ambientis nos aeris temperatura, in tempus, & regionem diuisa.] Sed facile est huic dubitationi respondere Non est scopus primario indicans, aut impediens remedium: quod vel admittit, vel prohibet: Verum, illum appello scopum primario indicantem, qui rem aliquampiam indicat suapte natura, ac per se, minime vero in relatione ad aliud: cognoscitur ex ætate decrepita, & ex infantia, non esse mittendum sanguinem: Cognoscitur ex ætate intermedia mittendum; at, nõ vt ætas hanc significandi potestatem habet, sed propter corporis habitum, virium dissolutionem, aut firmitatem manifestissime indicantem. Cõsiderari debent hęc Galeni verba. Aeris temperatura in tempus, & regionem diuisa] quia ostendũt nobis, quomodo aer indicet sanguinis missionem eiusue quantitatem. Galenus, quando hæc tria in vnam naturam conspirant, anni tempus, regio, particularis constitutio ae-

tio aeris: vocat cœli ſtatum: finge anni tempus temperatum, vti Ver, regionem ab omni fere exceſſu immunem, conſtitutionem conſimilem, tum vires validas demonſtrabunt, tum copiā ſanguinis, ideo indicabunt alterius interuentu. Ponito regionem calidiſſimam, vt Æthiopiam, Libyam, Apuliam, anni tempus æſtiuum, puta ſub ipſo Cane, atq; particularem cōſtitutionem prætorridam, certe nemo erit in artis operib. exercitatus, qui ſanguinem mittere audeat, his ipſis impedientibus, ac manifeſte indicantibus vires ex ambientis iniuria diſſolutas. Aperui Galeni mentem in eo commentario, quam plurimum admiror neminem hactenus animaduertiſſe.

CAP. VII.

Significatione duntaxat, per quam dignum eſſe Hippocrate, ſermonem quarti acutorum.

ARBITROR me ſatis euidenter demonſtraſſe eam dictionem non conuenire maieſtati & grauitati Hippocratis, verborum vim cōſiderando: at ſi perpendere voluerimus rem ipſam, equidem ſtatuemus, quod pertinet ad ſententiam, intelligentiamque Hippocrate vere dignam. Sententia enim huiuſmodi eſt. In morbis magnis ſanguinem mittito, ſi virium adfuerit robur, ætaſq; non prohibuerit. Admonemur hac ſententia, non eſſe ad hoc generoſum remedium temere accedendum, quemadmodū faciebant Empirici, Methodici, & pleriq; Rationalis ſectæ profeſſores. Etenim in primis nūquam venæ ſectionē exercebimus niſi morbus extiterit magnus, ſiue quod actu, ſiue quod facultate talis re vera ſit. Et hoc quidem decretum eſt Hippocraticum. Nam in legitima parte librorum de ratione victus acutorum, dolorem lateris optimum eſſe aſſeruit fomentis, ſi fieri poſſit, ſanari; ſi vero non ſanetur illis, ad venæ ſectionem accedendum. at certe quādo pleuritis exigua eſt, ſperamus remediis exiguis curari poſſe. Eſt etiam conſimilis ſententia ſenis venerandi ſexto Epidemiorum, ſectione tertia, contextu vltimo, cum ait: Impedimenta cruenta inſpuentib. tempus anni, phlegmon lateris, bilis] quam lib. de humorib. ſect. 3. repetit Galenus in vtriuſque loci commentario, inter explanandum (inquit) quendam ægrotum intuitus ſum, qui me, vt ſanguineo ſputo vexatus, accerſiuit, ſed cruentum ob lateris dolorem expuebat. Sputo ego conſpicatus, ipſum interrogaui, num aliquē dolorem in coſta ſentiret, ipſe vero exiguum ſe percipere fatſus eſt. Talis autē erat eius habitus, atque vires, vt, ſi ſanguinem expuiſſet, quoniam neceſſarium eſſet ſecandæ venæ auxilium, ad ipſum accedere auſus eſſem. Sed cum morbus lateris mitis admodum foret, neceſſe non erat: ideoq; neq; id genus remedii adhibuimus, atq; euidenter hominē hunc lateris morbo laborare cognouimus, quod & aliis huic morbo congruentib. remediis citra venæ ſectionem leuatus eſt. Mitiſſimi enim ſunt illi lateris morbi, in quib. cruenta ſputa eiiciuntur. At Methodici omnino a methodo, protinus miſſionem ſanguinis adhibuiſſent: quia cū ſit remedium quoddam χαλαστικὸν, id eſt, relaxatorium, vt illi dicunt, omniſq; inflammatio morbus adſtrictus: iure ac merito in omni inflāmatione debet neceſſario exerceri, eo quod cōtraria contrariorum remedia ſunt, ſed poſito Theoremate Methodicorum de inflammatione, quod ſit morbus adſtrictus: quodq; venę ſectio ſit laxatorium auxilium, non tamen protinus in omni inflammatione exercenda eſt venæ ſectio, quia determinata contraria ſunt determinatorum cōtrariorum remedia, inflammatio cum fiat ex præſentia humoris copioſioris, quam parti ſit ex vſu, illius vacuationem indicat, ſi exigua ſit humoris quantitas ſatisfaciet fotus cum paucitate cibi: morbo enim magno, magnū, paruo paruū remedium ſatis eſt. in hunc locum referēda ſunt, quę Galenus lib. 4. de Methodo medendi cap. 6. ex ſententia Hippocratis demonſtrat in morbis magnis ipſum venę ſectionem, & purgationē exercuiſſe: Huc etiam pertinent, quæ idem auctor lib. 3. Epidemiorum ſcribit in Hiſtoria Pythionis, ſemper Hippocratem in legitimis

operib. in magnis morbis sanguinem detraxisse. Præterea, est maxime digna Hippocrate sententia, quod non modo sit doctrinæ Aphoristicæ similis, sed in ipsa virtute contineatur. Scribit enim in prima sectione: Extremis morbis extrema remedia optima sunt. Sententia huius quarti libri acutorum ab illo duntaxat differt, quod particularis existat illa vniuersali existente, ac fortassis, si de me quæsieris, cur inter Aphorismos Hippocrates hanc non scripsit dictionem, responderem satis conuenienter, id factum fuisse, quod virtute contineretur sub eo Aphorismo, omnis enim generalis regula specialem complectitur: ideoque venæ sectio conuenit magno morbo, quia magnum est remedium, vt Galenus ait secundo Aphor. comm. 29. Videtur autem mihi eadem vis sententiæ, extremo morbo, extremum: magno morbo, magnum debetur remedium. Tandem vero si dicerem eam inter sententias Aphoristicas fuisse constitutam, haud absona dicerem, de qua re capite sequenti edisseram, neq; cõturbet nos quod Galenus dicat, inter Aphoristas sententias hanc non fuisse constitutam, quia sic debet intelligi, in Aphorismis, inquam distincte non contineri, aut eisdem verbis, quib. est vsus auctor quarti acutorum. Ad hæc digna est Hippocrate, quod meminerit indicationis sumptæ a magnitudine morbi, quæ Medico non in vno alterove, sed prorsus in omni morbo spectanda est, & quam omnes Medici prætermiserunt, non Methodici modo, atq; Empirici, sed etiam Rationalium plurimi. Cum igitur hic auctor magnitudinem morbi ad venæ sectionem desideret, fit quidem, vt maxime consonum illius sententiæ sermonem scripserit: cæterum quomodo hunc scopum ignorauerint omnes Medici explanaui abunde capi. 3. disput. 4. Hactenus explicuimus sermonem 19. contextus quarti acutorũ Hippocrate dignum existere; nunc pergamus docere reliqua.

CAP. VIII.

Hippocratem in legitimis operibus huius præcepti meminisse.

NVNQVAM igitur Hippocrates lib. 4. de ratione victus in morbis acutis, scopos pro missione sanguinis obseruandos accurate, & præclare, breui, & grauissima oratione, docuit, sed vbi quæso de iis pertractauit in legitimis eius operibus? ego quidem licet sciam a nemine hactenus id fuisse explanatum, dicam tamen quid sentiam, hac potissimum lege, vt si minus assecutus videar veritatem, virorum doctiorum studium atq; diligentia suppleat. Duobus itaq; in locis potissimum de hac indicatione tractasse diuinum Hippocratem putauerim, nempe in Aphorismis, & in libris de Vlcerib. De vtroq; dicamus loco, ac primum statuendum est, affectus, qui ex humorib. fiunt, & vacuatione indiget, duos existere, cacochymiam, & plenitudinem, de quib. Galenus agit cap. 4. libr. de phlebotomia. Plenitudinem ibi distinguit in eam quæ vasa, & quæ vires respicit, in vniuersalem, ac particularem, in præsentem ac futuram, distinguitq; etiam cacochymiam eodem fere modo. Tandem vero vtriusq; affectus curationem docet hisce verbis:

In omnib. itaq; istis modo propositis tum humorum, tum vaporũ euacuationes eius a pathematis, id est, passionibus liberant, nõ tamẽ vena secta prorsus est opus, sed sufficit purgatio, frictio, balneum, & inunctio, cum digerente medicamento.

Hæc Galeni verba de industria citare volui, quia nobis inseruient pro inuentione eius quod quæritur, supposito cacochymiam, & plenitudinem vacuationem postulare. Quia igitur Hippocrates declaraturus vtriusq; affectus sanationem, voluit exordiri a cacochymia in secundo Aphorismo, in tertio de plenitudinis curatione pertractat exemplo boni Athletarum habitus, qui cum ad extremum bonitatis peruenerint, nec possint amplius in meliorem statũ deduci, necessarium est decidere in deterius, siquidem summa ipsorum plenitudo periculum minatur maximum, aut ruptionis vasorum aut fluxionis repentinæ ad ali-

quam partem, aut tandem subitæ suffocationis calidi innati. Ne igitur hæc adueniant pericula, hunc bonum habitum statim soluere præcipit adhibita venæ sectione. Sane ex hoc Aphorismo deducitur indicatio de sanguinis missione, quatenus euacuatiuum quoddam præsidium est: nam indicari ipsam dicit a plenitudine magna; quæ scilicet leuiorib. nequeat sanari præsidiis, huius affectus magnitudinem significauit hisce verbis: cum ad extremum bonitatis peruenerit,] ac etiam cum dicit: neq; possit proficere in melius.] quib. indicat plenitudinem maximam. Huic opponit suum remedium euacuationem, non quãcunq; sed magnam, vt puta quæ subito, & confestim eam e medio tollat, ideo dicit: eã subito soluere oportet.] quasi dicat; non quoduis auxilium opitulari potest huic morbo, sed magnum; quod illi proportione respondeat, quale solum venę sectio est. Ecce igitur quomodo venæ sectionis indicatio a magnitudine morbi pendet ratione vacuationis. Pendet etiam idem remedium a sanguinis fluxione, quatenus reuulsiuũ est, vt in superioribus, ac alibi sæpe admonui. Quod vero ad summam pertinet plenitudinem; certissimum est; hanc non posse vacuari, nisi venę sectione. celeri enim indiget auxilio ob imminens periculum; nullum vero celerius vacuare multitudinem venæ sectione constat, & a Galeno dictum fuit lib. 4. comm. de ratione victus acutorum: propterea Oribasius, & Philoteus Aphorismũ exponentes; qui continetur in his verbis: His de caussis bonũ habitũ statim soluere expedit.] rectissime interpretãtur venę sectione solui hũc habitũ. Primũ igitur scopũ habes ex Hippocrate, nempe morbi magnitudinem a plenitudine non tamen præsentem, nec incipientem, sed imminentem, quæ magnitudo est eiusdem rationis cum præsente, ac incipiente, vt pertinet ad euacuationem ipsam; Neque prætermisit alium scopum Hippocrates sumptum a viribus, sed eum apertissimis verbis exprimit in eo Aphorismo, cum dicit: sed qualis natura fuerit eius, qui debet perferre, ad hoc ducere oportet.] & Galenus in commẽtario: per naturam] interpretatur vires corporis, in omni vacuatione vires oportet attendere, & donec tolerant, & nondum laborant, tentandum est humorẽ exuperantem educere, cum vero hæ dissoluuntur; etiam si restent superfluitates, cauere oportet ab earum vacuatione. Porro Hippocrates merito magnam plenitudinem sibi proponit pro scopo indicante sanguinis missionem, eo quod plenitudo, vt plenitudo est, non postulat, nisi inanitionem, vacuationemque, minime vero determinatam vacuationis differentiam, quæ peti debet a differentia plenitudinis, vt ex Galeni verbis colligitur lib. 4. Methodi medendi cap. 6. vbi disputans cõtra Menodotum Empiricum, qui in sola syndrome plethorica seruari venæ sectionem dicebat, iure asserebat non protinus accedendum esse ad sanguinis missionem in plenitudinis affectu, sed quibusdam satisfacere inediam aut paucitatem cibi, quibusdam medicamentum digerens, & frictionem, aliis purgationem, quod etiam alibi sæpe repetit. satisfaciunt hæc pro sananda plenitudine exigua, quæ etiam dat inducias, at magnam, summamq; celeriter sanare non potest, nisi venæ sectio, vt prædiximus. Hoc fuit primum principium inuẽtionis remedii huius, quod fortassis occasionem dedit errandi Menodoto Empirico, qui venæ sectionem per se vacuare plenitudinem cognoscens, putauit syndromen illam suam indicare generosum hoc remedium, profitebaturq; nũquam ad illius administrationem accedendum citra plenitudinem; cum tamen Galenus, etiam testimonio Empiricorum vsus, dicat frequentissime, mittẽdum sanguinem aliquando sine plenitudine, quod si Menodotus distinxisset, vt sæpe distinguere solet Galenus, venæ sectionem in vacuatiuam, & reuulsiuam; dixisset illam duntaxat indicari a summa plenitudine, Galenum haud habuisset contradictorem, quia id omnino admittit, præsertim vbi dicit, venę sectionem indicari, vel a plenitudine vel a magnitudine morbi.

Cæterum, duo faciunt in hoc argumento difficultatem; alterum est, quod auctor quarti acutorum ætatis mentionem facit, in hoc Aphorismo nulla ætatis fit mentio. Deinde vrget, quod venę sectio non solum vacuatiuum est remediũ, sed etiam reuulsiuum deriuatiuumque, ex eo Aphorismo non deducitur, nisi

ſcopus vacuationem indicans. Reſpondeo ad primum, quod non oportuit hic meminiſſe ætatis, quod in vltimis verbis ſuperioris Aphoriſmi id cumulatiſſime fecerit, cum ait: Proinde & regionis, & temporis, & ætatis, & morborum habẽda eſt ratio, pro quib. talia conueniat vacuari, nec ne. quibus verbis vniuerſalẽ contineri in omni vacuatione regulam, nemo eſt, qui neſciat: fruſtra autem in hoc tertio eadem vſus fuiſſet repetitione. Poſſumus etiam alio modo occurrere, dicentes, non oportuiſſe in eo Aphoriſmo mentionem ætatis facere, aut aliorũ, quæ primo, ac principaliter non indicabant venæ ſectionem, ſatis enim fuit ſolos ſcopos docuiſſe primarios, nempe magnitudinem morbi ac virium robur, quos ſolos ſufficere demonſtratum in prima diſputatione fuit, maxime quod ętas ipſa reducitur ad vires, propterea Hippocrates aliquando meminit ætatis, aliquando ſilentio inuoluit, vt ex Galeno declarauimus quarto acut. comm. 25. & ſecundo acutorum comm. 45. ſecundæ difficultati ita occurro. Hippocratem ſcil. libro de vlceribus de hoc remedio egiſſe reuulſionis cauſa vt ex verbis illius colligitur, & admodum euidenter ex Galeno lib. 4. Method. med. cap. 6. In quo ex propoſito demonſtrat, purgationem, atq; ſanguinis miſſionem ratione reuulſionis fuiſſe ab Hippocrate in ea tractatione vſurpatam, ac ipſum merito fuiſſe inuentorem indicationis huius. In eo autem Aphoriſmo non curauit agere de venæ ſectione, vt reuulſorio præſidio, quia principaliter de vacuatione agere in animo habuit, ipſaque venæ ſectio eſt per ſe, ac primo ipſius multitudinis vacuatio. Sed hæc ſatis.

DISPVTATIO SEPTIMA.

An Augenius recte explanauerit contextum decimumnonum Quarti Libri acutorum, Libro de Ratione curandi per ſanguinis miſſionem quarto.

SVMMA DISPVTATIONIS.

Eam ſententiam non eſſe Hippocratis, ſupponere vniuerſalium Theorematum doctrinam. Accipiendamque pro indefinita propoſitione, minime pro vniuerſali contra recentiores Medicos.

CAP. I.

Augenii explanatio ad contextum decimumnonum quarti acutorum.

COGOR hic ego repetere, quæ anno ab hinc vigeſimoquinto ſcripſi circa explanationem contextus libri quarti de ratione victus in morbis acutis: de quo proxime diſputauimus quod recentiores quidam, & hac tempeſtate primarii medicinæ profeſſores, meam ſuis diſputationib. opinionem funditus euertere voluerunt: quibus fuit omnino ſatisfaciendum hoc loco in ſolius veritatis gratiam.

Qui ergo arbitrantur tres primarios exiſtere ſcopos, magnitudinem morbi, virium robur, ætatemq; floridam, atque illos nulla prorſus indigere diſtinctione, contendunt, vti prædiximus, prę cæteris omnib. locis, muniũtur verbis cõtextus huius lib. 4. acutorum. Ego pro explanatione illius loci, admittens eum per quã dignum eſſe Hippocrate ſermonẽ, atq; concedens illis (quod falſiſſimũ eſſe ſupra de-

pra demonstraui) authorem eius dictionis extitisse Hippocratē sum duob. modis contextum interpretatus. Ac primum quidem affirmaui propositionē illius auctoris veritatem habere non posse nisi vniuersalib. quibusdam theorematis præsupposit s, hæc vero vniuersalia theoremata sunt, sanguinis missionem nūquam exercendam esse, si morb. originem non habuerit a sanguinis multitudine, vel motu. Quicumq; enim voluerit citra errorem, hoc generosum adhibere præsidium, hic primum contemplari debet, qui sint ii affectus, qui secta vena eurantur, quo habito, neq; statim etiam, vt perbelle Galenus admonuit, accedere oportet, sed tunc quidem cum vehementiam habuerit morbus, & vires fuerint validæ.] & parum postea concludebam. Ergo qui ab Hippocrate scopi proponuntur, non sunt venæ sectionem indicantes, cum vnus duntaxat id efficiat, nēpe vehementia morbi a sanguinis multitudine, aut motu, sed cōnexi sunt ex vere indicantib. & contraindicantib.] ac tandem in fine capitis subiūgebam aliam explanationem hisce verbis. Hinc colligito errorem Medicorum nostri tēporis, qui ex hac indefinita propositione, vniuersalem faciunt: quod scilicet in omnib. magnis morbis, citra eam, quam supra dedimus distinctionem missio sanguinis conueniat: cum in quibusdam faecte id expediat, in quibusdam autem minime. Propositio itaq; illius auctoris vera est vniuersalib. præcognitis theorematis: atque non est vera, vt vniuersalis, sed vt indefinita oratio. Lege lib. 4. cap. 16. de ratione curandi per sanguinis missionem.

Cap. II.

Quid alii aduersus nostram explanationem scripserint.

SED rem ipsam non ita sese habere, quemadmodum diximus, dubitaret forsasse aliquis, recentiorum Medicorum auctoritate monitus. Primum, quod auctor quasi ti acutorum eam proponat sententiam absolute, nulla scil. adhibita limitati ne: Galenus eandem in commentario vt dignam Hippocrate admittit, ac miratur cur inter Aphorismos non reposuerit. Quæso enim, quid est hasce glossas afferre, nisi legitimum auctoris sensum peruertere, & omnem doctrinā contaminare? Namq; si Hippocratis sententia non porest veritatem habere, sine communi eo theoremate, hoc est, nūquam sanguinem mittendū esse, nisi morbus originem habeat a multitudine, vel motione sanguinis, tantum abest, vt ea sit Hippocrate digna, perinde vt Aphorismus, atq; vt paucis verbis vim magnā contineat, sicut placet Galeno, vt illa magis inepta, confusa, imminuta, ac deficiens nō iniuria possit videri. An forte omnes acuti, vehementesq; morbi a multitudine, aut motu sanguinis generantur: vt hac ratione iis venæ sectio conueniat? aut, si id nec verum est, nec ab ipsis demonstratum, num corrigenda est Hippocratis sententia, immo vero explodenda tamquam falsa? Præterea isti, nonne tamquam principium assumunt, quod est maxime dubium, & in controuersia positum: quodq; ipsum antea & demonstratum, & probatum esse oportuit: vel, vt verius dicam, quod est per spicue falsum: sanguinem non mitti, nisi adsit plenitudo, aut sanguinis motus? quod, quam Galeno cum aliis multis, tum hoc ipso loco aduersetur, quā a bonis theorematibus, & ab omni ratione abhorreat, sperari fortassis posset ab aliis declarari. Ac mirum sane recentioribus videtur, quo auctore, vel iure hanc ego mihi ipsi interpretandi licentiam arrogem, quo fit, vt quispiam forte fortuna iudicabit meam explanationem multo magis ridēdam, quam refellendam, ita quidem dubitari posset.

Cap. III.

Defenditur veritas explanationis ab Augenio propositæ contra recentiores Medicos.

VERVM ego prius veritatē demonstrabo explanationis meæ, quā ex Galeni verbis euidētissime cōfirmabo: postea vero sigillatim obiectionib. respon-

debo. Pacato igitur audiant animo. Cognitio de scopis in sanguinis emissione obseruandis supponit notitiam affectus, qui per ipsam venæ sectionem sanari solet. Atqui omnium consensu sententia illa est de scopis. Ergo supponit notitiã affectuum, qui curatur per sanguinis missionem. Maiorem propositionem Galenus affert libro de missione sanguinis cap.1. hisce verbis: Qui de sanguinis emissione speculantur, vnum sibi primumq; proponunt, nempe vt quæ corporis affectiones vacuatione indigeant, considerent: ac deinde alterum, quæ nam ea, quæ sanguinis fit detractione:] addit postea causam, cur hoc postremum debeat considerari, cum ait: Nam multi sunt affectus, qui alia quapiam vacuatione quidem indigeant, sed non venæ sectione.] Quam rem etiam eo libro opere præstitit, nam de scopis agit in capite tum nono, tum decimotertio, a quarto autem capite vsq; ad nonum explicat, qui affectus vacuationem exigant, & qui sanentur per sanguinis missionem. Hic addamus Galenum eo libro docuisse venæ sectione curati eos affectus, qui a plenitudine fiunt, ratione vacuationis, & a sanguinis motu seu fluxione ratione reuulsionis, nempe capit. sexto, & septimo, & octauo, in illis quidem de plenitudine: in hoc autem octauo de reuulsione agere per venæ sectionem efficienda, etiam si plenitudinis affectus non adsit. Ex his quidem satis profecto euidenter demonstratum videri potest, sententiam illam de scopis audiendam vniuersalibus theorematis antea suppositis. Vrgeo præterea maxime hosce homines. *Indefinitæ propositiones æquipollent particularib.* Propositio auctoris est indefinita: ergo particularib. æquipollet. Nemo est qui dubitet circa ratiocinationis huius veritatem, quandoquidem omnes Dialectici vno consensu id affirmant. *Inquit ille auctor. In acutis morbis sanguinem mittas, si vehemens videatur, &c.* Quod perinde est, atq; si diceret, in quibusdã acutis morbis sanguinem mittes, & hoc sane verissimum est, sed apposito signo vniuersali fit falsa. In omnib. acutis morbis sanguinem mittito, quia est de materia cõtingẽti; ergo in quibusdã cõuenit, in quibusdã nõ cõuenit. Ampli' ratione ex ipso Galeno cõfirmo, q licet locis sexcẽtis agat de eiusce modi scopis, nũquã vniuersale signum proposuisse obseruaui, quæ res indicium præbet manifestissimum, eam orationem accepisse illum semper vt indefinitam. Postremo Galenus in eo commentario 19. nostram apertissime confirmat sententiam, dum dicit sese in libro de ratione curandi per sanguinis missionẽ omnia explicasse quæ necessaria iudicari possent, atq; lectorem relegat ad eum librũ. Cum igitur a capit. 4. vsque ad 9. de hisce vniuersalibus agat theorematis, merito diximus, sententiam auctoris quarti aeutorum intelligendam esse positis primum vniuersalibus Theorematis.

CAP. IV.

Responsio ad argumenta opinionis contrariæ.

RESPONDEO obiectis. Fateor Hippocratem aperte, ac libere sentẽtiam suam proposuisse primo libro Aphorismorum, tertio. ac libro de vlceribus, at falsissimum quarto acutorum id effecisse: at esto, quid postea? proponit aperte, ac libere, non erit propterea audienda vniuersalib. antea cognitis Theorematis? q̃d facit aperta, & libera pronunciatio ad argumentum propositum? sed quid sibi volunt hæc, concluditque ea verborum circumscriptione, quam res ipsa postulat? an fortassis ea verborum circumscriptio falsam reddit explanationem? quæ verba? impropria, obscura, falsa, superuacanea, deficientia? Neq; id verum, quod de Galeno dicunt, omni ex parte illam suscipere, quia non suscipit illã dictione, & sententia simul, aut sola dictione dignam Hippocrate, cum sit solum digna significatione, & sensu, propterea nouatores isti Medici eam conuellunt, atque perturbant. Putant nostras glossas legitimum auctoris sensum peruertere, & omnem disciplinam contaminare, id certe si ita esset, merito mea glossa non foret admittẽda, sed qa ita esse nõ probant, voluntq; sibi ipsis credi, canunt victoriam de hac re in surdo theatro, in quo ipsi dũtaxat erunt agonetetæ, ac iudices.

Verum

Verum, prætermittere non possum, quod dum meas redarguunt glossas, Galenum, illius glossæ (vt illorum verbo loquar) certissimum auctorem, & Aristotelem arguunt. Addunt, si mea explanatio vera sit, illa non erit digna Hippocrate sententia, perinde, vt Aphorismus, qui paucis verbis rem magnam contineat. Desidero hic illorum iudicium. Si diceremus, secundum explanationem Galeni, in morbis magnis sanguinem mittito, si vires valeant, ætasq; non dissuadeat: cur non erit digna Hippocrate sentẽtia? cur non posset facile reponi inter Aphorismos? cur non magnum complecteretur artificium, quo & Methodici, & Empirici, & Rationalium pleriq; apertissime redarguantur? Somnium mihi narrãt, cum dicunt, meam explanationem reddere illam ineptam, confusam, imminutam, ac deficientem, probandum erat illis, vnde hæc ipsa deducerẽtur: quia vero nullam rationem adhibent, nullamq; coniecturam, aut leue saltem signum, quo incautus etiam credere posset illis, nullam responsionem merentur. Cum interrogant, an omnes acuti morbi fiant a plenitudine, aut motu sanguinis, interrogant extra rem, quia quosdam fieri, & quosdam non fieri asserimus; neq; in omnib. acutis enunciatum illud habere veritatem, demõstratum mihi fuit. Quis præterea Hippocratis sententiam corrigit? quis eam explodit vt falsam? sententiam recipio; dictionem, & verba damno: sermonem dignum Hippocrate iudico ob sententiam. Doleo, quod illi, viri alioquin studiosissimi, quæ de hoc argumento scripsi non legerunt: nam cap. 16. quarti libri retuli hanc existere Galeni sententiam, quam a cap. 14. vsque ad 20. lib. 2. demonstraui, ac euidenter probaui: non id igitur suppono, quod antea probatum non fuerit mihi, sed excusatione digni, quia liber ille meus nuper in illorum manus peruenit.

Præterea cum interrogant, quo authore, aut iure hanc mihi interpretationẽ arrogem: responsionem ex supradictis habuerunt, cum planum feci me ex Aristotele, & ex Galeno in eum explanasse modum. Sed esto, noua sit explanatio, quid tũ postea vir generose? cur mihi id facere non licuit? quis mihi eiuscemodi authoritatem ample concessam negauit? Quod porro contendunt, falsum esse, non mitti sanguinem, nisi in affectu multitudinis, & fluxionis, ego non admitto admirabile illorum iudicium. Sed quid respondebo ad eam partem, qua dicunt meam hanc explanationem magis ridendam, quam refellendam? nihil quidem respondebo aliud, quã quod dicit Galenus de hoc argumento hisce verbis: Neque enim idẽ est falsum aliquid, & ridiculum affirmare,] ac addit, non enim omne quod falsum est continuo etiam deridendum,] ac parum postea. Cum enim (ait) incerta sint dogmata, & rationum argumentis probabilia aliis, aliis absurda videantur, sicut succensendum non est, veras esse opiniones suas defendant, ita concedere, vt alii nobis ipsis contradicant, debemus: at carpere mordaciter, atque irridere, quasi stultum aliquid quod dogmatice in controuersiam venerit, illud quidem est procacis hominis, ac petulantis,] hæc Galenus, interim iudicent alii, ego enim hic finem huic impono disputationi.

HORATII AVGENII A MONTE SANCTO DISPVTATIONVM DE RATIONE CVRANDI PER MISSIONEM SANGVINIS, ex Galeni sententia;

LIBER QVINTVS.

De mittendo sanguine in febribus putridis.

DISPVTATIO OCTAVA.

An in omnibus putridis febribus saluberrimum sit mittere sanguinem in genere.

SVMMA DISPVTATIONIS.

In putridis febribus venæ sectionem conuenire solum propter vacuationem plenitudinis, non ob refrigerationem, aut euentationem, aut obstructionem, aur putredinem, aut reuulsionem.

CAP. I.

De quibus hoc libro sit agendum, & quo ord ne.

POSTQVAM hactenus omnia videor diligenter prosecutus, quæ ad sanguinis missionem generatim pertinebant, nunc duo supersunt d lucidanda, quorum vnum est, an saluberrimum sit in omnibus putridis febribus venam incidere: aliud vero, an in omni cacochymia constantibus virib. idem remedium conueniat. In tractatione de mittendo sanguine in putridis febribus tria examinabimus.

Primum, an generatim in omnibus liceat venam incidere. Secund[illegible], an in omnibus obstructionum causis, nempe in crassitie, & in visciditate hu[illegible]otum conueniat remedium; ipsam enim plenitudinem obstruere nulla dubitatio est. Postremum caput erit sigillatim de putridis differere.

Exordienti igitur mihi a primo, expedit antea diligenter narrare, quæ aliorum sit opinio, & quibus rationibus vtantur. Mox considerabo, & examinabo, quid bene & quid non bene dictum sit, propriamque Galeni sententiam afferam, &, quo ad eius fieri potest, accuratissime explanabo omnes admirabilis huius auctoris locos, qui occasionem dederunt errandi recentioribus Medicis.

CAP. II.

Recentiorum Medicorum opinio de mittendo sanguine in omnibus putridis febribus.

QVI arbitrantur in omnibus putridis febribus mittendum esse sanguinem, Galenum auctorē opinionis huius profitentur, qui multis in loc[illegible] psum

p[illegible]

præclare affirmasse visus est: quos hic afferemus.

Primum atque potissimum omnium fundamentum deducunt ex libro vndecimo de Methodo medendi capite 15. in quo ita scribit:

Saluberrimum est (vt prædiximus) in febribus venam incidere, non continentibus modo, verum etiam aliis omnibus, quas putrescens humor concitat, vbi nec ætas, nec virtus prohibeat, exonerata enim eo, quo veluti sarcina premitur natura, concoquet quod concoqui est habile, & excernet, quod debet excerni.] Præclarus certe hic videtur locus, & in rem præsentem maximi momenti. Addunt etiam alium, non minoris, vt arbitrantur, efficaciæ. Nam octauo libro de Methodo medendi capite quarto agens de curatione febris ephemerę ex obstructione à viscidis & crassis humoribus genitæ, ait, mittendum esse sanguinem etiã si plenitudinis signa non adsint. Conficiunt ex istis in omni morbo magno nulla adhibita distinctione mittendum esse sanguinẽ; siquidem omnes putridę febres à cacochymia fiunt: humor enim putridus vitiatus est, & omnino malus. Dein obstructio, quam efficiunt humores crassi & viscidi, ab humoribus malę qualitatis pendet. Pręterea, confirmant ex eodem Galeno propositum, qui in tertia sectione artis medicinalis agens de ratione curandi putredinem, apertissime significauit, venę sectione vacuari putridum humorem: quod etiam scripserat nono de Methodo medendi capite vndecimo, asserens sanguinem putridum vtiliter vacuari venę sectione. Amplius cum venæ sectio adhibeatur vel pro vacuatione, vel pro reuulsione, ostendere atque persuadere conantur in omnibus putridis conuenire missionẽ sanguinis non solum pro vacuatione, sed etiam pro reuulsione. Etenim libro vndecimo de Methodo medendi capite decimo, indicationes inuestigans pro curatione putridarum necessarias dixit.

Primam indicationem executioni demandandam esse impedire humorum affluxum. Porrò hoc impedimentum optimè fit sanguinis detractione, qua in contrarium humores affluentes reuelluntur, ideoque Galenus ibi dicebat, non esse accedendum ad obstructiones detergendas, nisi prius vacuata fuerit multitudo. Multitudinis autẽ vacuatio venę sectio est. Rursus vbi putredo in vna parte gignitur, cũ fiant febres per circuitus determinatos inuadentes, necessarium videtur in istis febribus humores fluere: siquidem Galeni sententia secundo de febrium differentiis capite vltimo, fiunt circuitus, cum partes mittunt humores, vel suscipiunt, vel attrahunt, vel generant: hæc fieri non posse sine vehementi humorum motu rationi consentaneũ videtur. Adde, quod vna putredinis differentia est, quæ fit in particula inflammatione obsessa, vt Galenus docuit libro vndecimo de Methodo medendi capite 7. atqui inflãmatio sine fluxione humorum fieri non potest: omnisque inflammatio, si vehemẽs extiterit, venæ sectionem pro reuulsione postulat, vt Galenus libro de ratione curandi per venæ sectionem, ac decimotertio de Methodo medendi docet. Item certissimum est in Galeni doctrina in febribus ardentissimis vacuandum sanguinem reuulsionis causa, ne si sanguis feruidus ad partem aliquam principem confluat, vt constat libro de venæ sectione. Verum hoc etiam munus reuulsionis est, vt docuimus libro sexto de ratione curandi per sanguinis missionem. Postremò non solum duabus hisce de causis in omnibus putridis necessarium hoc remedium esse dicunt, sed etiam ob prohibitam transpirationem, & ob refrigerationem corporis totius, quæ res ex Galeno facilè probari posse videtur. Nam octauo de Methodo meden. c. 4. inquit: Quippe nisi vitiosus succus penitus transpiret, necesse est putrefiat. ergo vt transpiret, maiore auxilio est opus. at si quidem vel puer, vel senex sit, sanguinem detrahere non licet, inter has ætates, vbi robur ægro non deest, secanda vena est, etiamsi plenitudinis signa non adsint. [En igitur (inquiunt) Galenum sanguinem misisse vt liberam transpirationem efficeret. Idem etiam potest confirmari ex nono Methodi capite quinto, vbi agens de ratione curandi synochum citra putredinem, aperte scribit sanguinis missionem adhibendam, quo venarũ natura ex transpirando vẽtilandoq; naturalem temperiem seruans, humoribus eo quo inter initia modo, dominetur. Cæterũ quod attinet ad ipsam

refrigerationem, extãt Galeni loci celebres, vnus primo Aphorismorum commentario 23. in quo ex missione sanguinis vsque ad animi deliquium in febribus ardentissimis subito habitum totius corporis refrigerari, & febrem extingui significauit. Alter est cuius parum supra meminimus, ex libro de phlebotomia capite duodecimo, vbi idem omnino scripsit. Colligunt ex istis locis recentiores, venæ sectionem adhibendam in putridis febribus aliquando solius refrigerationis gratia. Hæc sunt, quæ pro confirmatione opinionis huius dici, & excogitari possunt.

Cap. III.

Impugnatio opinionis huius.

Verum quia res ipsa alio modo sese habet, vt sentio, præstat hanc opinionem paulo diligentius excutere, ac inuenire veritatem aliis incognitã, vno prius supposito principio, quod ex rei natura deducitur manifestissimo. Est autem, sanguinis missionem institutam esse, vt sanguis vacuetur, propterea est materia remedii sanguinem vacuantis. Porro omne remedium, & omnis materia, ex aliqua natura indicãte ex necessitate deducitur, idcirco dicitur indicatum. Stante igitur hoc supposito, in primis à nobis inuenienda est natura indicans sanguinis missionem in omnibus putridis febribus, quæ si non aderit, neque etiam indicatum hoc, de quo cõtrouersia est, in putridis locum habebit aliquem. Quæro igitur quæ sit vna natura in omnibus putridis sanguinis missionem indicans, qui solam magnitudinem morbi ad huiusmodi indicationem desiderant? respondebunt esse magnitudinem ipsam, qua præsente semper, absente vero nunquam sanguis mittendus, consentientibus viribus. Verum ego id non facile admiserim. Siquidem sequeretur in omnibus febribus mittendum sanguinem, ephemeris, hecticis, putridisque, quod falsum esse demonstrabimus, id porro sequi constat, quia febris omnis magnus est morbus duplici ratione, tum scilicet ratione præstantiæ partis, tum ratione propriæ essentiæ, siquidem generatio febris est transmutatio natiuæ caliditatis, in corde existentis ad igneum, vt Galenus ait primo Aphorism. 15. & 16. & primo acutorum 18. At non mitti sanguinem in Ephemeris, non mitti in hecticis, satis ab omnibus concessum videtur. Respondebunt fortassis, non esse in hisce febribus hoc remedium vtile, quia vires ferendo non sunt, sed hoc inane subterfugium videtur. Quid enim hoc facit ad naturam rei indicantis quam hoc loco quærimus? non enim quod prohibeat, aut admittat remedium inuestigamus, sed quod indicat: atque vbi hoc fuerit inuentum, considerari postea debebunt, quæ facultatem habent prohibendi, an scilicet cũ re indicante cõsentiant, an ab illa dissentiant, consentientibus omnibus, statim ad executionem accedere debemus, dissentientibus abstinendum, ita monuit Galenus libro de ratione curandi per sang. mis. cap. primo. Hoc etiam supra docuimus, in inueniendis remediis primum locum habere indicantia, in exequendis autẽ contraindicantia. Sed concedamus nostris aduersariis aliquando ante notitiam indicantium, contraindicantia considerari debere, hoc tamen ipsum vim nõ tollit argumentationis huius. Quia in Ephemeris nunquam ostendent vires adesse imbecillas, quæ omnium iudicio adeo validæ sunt, vt indicationes vitales in hac febre non habeãt fere vim aliquam, vt ex Galeni doctrina colligitur libro octauo de Methodo medendi. At fortassis dicent Ephemeram paruum morbum, in relatione ad putridas. Ego sane ita sentio, sed ab istis hoc affirmari nequit, quod igneus est in corde calor. Contendunt quidem magnitudinem morbi indicatricem venæ sectionis complecti magnitudinem ratione partis præstantis, ratione essentiæ, & cacoethiæ. Quamobrẽ virtute maxime vigente, ac morbo existente magno, in omni Ephemera de illorum sententia conueniet venæ sectio. Dicent fortasse in Hecticis non mitti sanguinem quod virtus imbecilla sit, & quidem recte dicent, si de secundo ac vltimo Hecticarũ gradu loquerentur, sed si primum includant, non recte dicunt, in quo facultas vitalis valida est Galeni testimonio lib. 1. de febrium diff.

capite

capite septimo. Scio quid respondebunt, vires valere in principio hecticæ febris in relatione ad gradus subsequentes, non valere in relatione ad putridas, propterea in his non mitti sanguinem.

Sed hæc responsio non bene consistit, quia nulla dabitur hoc modo virtus valida, quæ non habeat in collatione validiorem, vt in relatione ad putridas magis valent vires in febribus intermittentibus, quam in continuis, & in his magis, quam in pestilentibus: sic nunquam in istis mittetur sanguis ob languorem virium, solum in intermittentibus, quod quam falsum sit, neminem esse arbitror qui nesciat. Causa non est cur in Hecticis non mittatur sanguis quod vires habeant imbecillas, sed quod remedium illud à natura febris hecticæ non indicetur, idcirco si fieret, virtus alioquin valida redderetur maxime imbecilla: hoc enim fuit primum decretum oraculorum Hippocratis, si talia purgentur, quàlia purgari oportet, confert, & facile ferunt: sin minus contra. Quod licet particulare videatur, vniuersale tamen præceptum est, vt in commentario eius loci diximus. In hectica febre primi gradus virtus valida est ad proprium opus indicatum ab eius natura, nempe ad refrigerationem, ad humectationem corporis, nutritionemq́; at non est valida virtus ad purgationem, admissionem sanguinis, in vniuersum ad quamcunque vacuationem affatu dignam, à qua virtus reddi posset imbecillior. Legito per ocium studiose lector, quæ scribit Galenus de hac re libello de facult. purgantium medicamentorũ. Eorũ etiam meminisse debes, quæ tum superioribus libris, tum in tractatione de ratione curandi per sang. miss. scripta sunt mihi de valida, & imbecilla virtute. Plura ad hoc argumentum pertinentia docebimus parum infra, dum Galeni locum examinabimus ex libro de missione sanguinis, aduersus Erasistrateos Romæ degentes.

Amplius sic nouatorũ opinionem vrgeo; Sanguinis missio vel adhibetur ratione vacuationis, vel ratione reuulsion is. atqui in putridis febribus non semper viget indicatio vacuandi sanguinem, nec reuellendi, viribus validis existentibus, igitur in omnibus putridis non est saluberrimũ sanguinem mittere. Hæc ratio supponit ex Galeno duplici de causa mitti sanguinem, tum ob vacuationẽ, tum ob reuulsionem, nono Methodi capite vndecimo, & libro de curandi ratione per sanguinis missionem à c. 5. vsq; ad octauum. Quod vero in omnibus putridis non vigeat indicatio vacuandi sanguinem, satis dilucide constat omnibus in artis operibus exercitatis, cum quotidie appareat putridis febribus detineri quamplures sine aliquo plenitudinis affectu, qui vires validas habent, & ab huiusmodi febribus liberantur. Deinde quod neque omnes indigeant reuulsione, sed solũ cum febris adest ex putredine existente in particula determinata laborante inflammatione, aliter quidem in putridis non esse adhibendam reuulsionem per emissionem sanguinis docebimus, cum satisfaciemus contrariæ opinionis rationibus. Dicet autem hoc loco fortasse me supponere vnum quod controuersum videtur, nempe solum ob duas illas causas mitti sanguinem, cum plures ẽt videantur, vt refrigeratio, & euentatio. Respõdeo suppositũ esse verissimũ, vt demonstrabimus cõtra Argenteriũ, & nouatores Medicos disputantes.

Tertia ratio. Quemadmodum sese habet hoc remedium in continuis febribus, sic sese habere debet in aliis omnibus, imo vero iliæ sunt tanquam norma, & mensura huius vacuationis in febribus quæ intermittunt. At in continnis non mittitur sanguis nisi ob plenitudinem, & ob magnitudinem morbi. ergo neque in ipsis intermittentibus mittendus est sanguis, nisi vel propter magnitudinem, vel propter plenitudinis affectum. Pone igitur putridas febres interdum consistere sine plenitudine, vel sine periculo futuræ magnitudinis, vtique sanguinis missio non conueniet. In horum confirmationem affero Galeni verba primo libro de ratione curandi ad Glauconem, cap. 15. quæ sic habent: Sanguis vero & ob morbi magnitudinem, & si rubor multo maior sit, quam naturæ conueniat, & quib. insolitus totius corporis tumor, vel eminentes, atq; extensæ venæ, sane est auferendus, nisi vires, vel ætas, vel aliquid aliud eorum quæ ab initio di-

xi, arceant.] Hæc Galenus, quæ de industria hoc loco afferre volui, quia maxime cum iis conueniunt, quæ dixit lib. 4. de Methodo medendi cap. sexto, vbi ait, sanguinis missionem indicari vel à plenitudine, vel à magnitudine morbi. In continuis igitur febribus venæ sectio fieri debet, si adfuerit plenitudo, quam Galenus significauit per signa propria, & si adfuerit etiam magnitudo morbi sine plenitudine: quomodo autem hoc sit intelligendum, declaratum abunde fuit primo libro harum disputationum, ac etiam declarabitur postea, cum scilicet docebo, quid secundum Galeni sententiam sit intelligendum de hac disputatione. Interim videtur mihi admiratione dignum, cur nemo ex Latinis explanatoribus loci huius explicet, cur à Galeno hic magnitudinis morbi mentio facta sit, imo vero longe magis admiror Stephanum Atheniensem, cognomento philosophum, Græcum auctorem prætermisisse, solum enim plenitudini addictus est. Eius verba sic habent commentario 153. Secare autẽ venam debemus, si scopi mittendi sanguinẽ hoc attestentur, vt tumor corporis venæ exertæ, vires validę, ętas vigens, & quęcunq; alia in sanguine detrahendo quęrere oportet.]

Quæ ita ratio. Sanguinis missio in omnibus putridis febribus, vel indicatur à febre quatenus febris est, vel quatenus putrida. Non à febre, vt febris, quia illius indicatio refrigeratio est & humectatio, absurdissimumque fuerit dicere, in omni Ephemera, & Hectica indicationem adesse de mittendo sanguine. Neq; febris vt putrida indicat id remedium. Quia vel conuenit propter putredinem vel propter causas putredinis. Non indicatur à putredine, quia putredo sanari non potest sanguinis missione. Non indicatur etiam ab ipsa obstructione, quia vel indicatur ab obstructione quatenus obstructio est, vel à causa obstructionem faciente, non primum, sanari enim non potest venæ sectione ipsa obstructio, ceu, quæ alia remedia desideret. Non indicatur denique ab omni causa obstructionis, siquidem non à crassitie humorum, cuius indicatum remedium est incisio. Non à visciditate, quia detersionem indicat. Ergo solum indicatio de mittendo sanguine in putridis febribus indicabitur à multitudine. Quamobrẽ falsum est, ac alienum ab omni ratione, arbitrari in omnib. putridis nulla prorsus adhibita distinctione, venæ sectionem conuenire. Hæc mea fuit ratio, quam scripsi libro quarto de ratione curandi per sanguinis missionem. At nescio quo spiritu ducti recentiores Medici, eam vocare ausi sint, argutias, & mera sophismata, siquidem dum ita loquuntur, non quidem Augenium, sed admirabilem Galenum turpi admodum nota afficiunt.

CAP. IIII.

Recentiores non bene satisfecisse propositæ rationi.

AD me pertinere videtur hoc loco, horum hominum importunitati pro tanti auctoris dignitate, satisfacere, ac postea docere duo: Galenum scilicet illius rationis fuisse inuentorem. Augenium vero in eum modum disposuisse. Multa quidem illi dicunt pro explicatione rationis huius quorum summa in his potissimum continetur. Venæ sectionem ad febrem ac putredinem remedium esse, quammaxime congruens & accommodatum: quamquam non ita forte sit primum ac per se, nihilq; dubitare illos hanc fuisse Galeni mentem, si quando illud ipsum videtur asseruisse.

Prodesse febri probant, quod venæ sectio refrigeret calorem, quæ refrigeratio, quomodocunque contingat, aut per se, aut per accidens, perpetuum est febris remedium. Ideo in ardentissimis febribus saluberrimum esse mittere sanguinem dicebat Galenus vsque ad animi deliquium, quo totius corporis habitus refrigeratur, vt constat Galeni verbis primo Aphor. c. 23. ac nono de Methodo medendi, cap. 4. vbi agit de synocho non putrida in iuuene palæstrita.

Asserunt præterea venæ sectionem non minus esse vtilem putredini. Etenim remediis refrigerantibus, & exsiccantibus putredinem sanari non est dubium. Venæ autem sectionem refrigerare, & exsiccare dicunt authoritate Auicennæ

libro

libro quarto Fen prima, tract. quarto, capite quarto. Secundo idem probant ex Galeni verbis in vltima parte artis medicinalis, vbi agens de putredine hæc habet verba:

Esto, in humoribus putrescentibus accendi febrem. Indicatio in huiusmodi est vacuatio, atque alteratio. Hæc quidem quæ putredinem finiat manente adhuc substantia. Vacuatio vero quæ totam substantiam è corpore educat. Hæc autem fit vena secta, &c.] Hæc ille. Ex quibus constat, de Galeni sententia, putredinem venæ sectione vacuari. Demum vero addunt: Sectio venæ putredinem adiuuat, & strenue sanè. Siquidem cuncta remedia, sine quibus vix illa potest superari, reddit longe efficacissima, & tutissima. Ad argumentum igitur dicunt, sectionem venæ ratione putredinis duplici ratione esse vtilem, tum vt id quod iam computruit vacuemus, tum vero, vt toto corpore vacuato possimus tuto iis vti præsidiis, quæ putredinem, & putredinis causas possint amonere. Hæc illi summatim scripserunt. Verum expedit sententiam hanc paulo plenius ac diligentius cōsiderare, ab eo exorsū, quod primū in ipsa fuit disputatione.

Ego vero illud constare nō posse arbitror, quod dicunt sanguinis missionem conferre febri, quatenus febris est, licet non primum, ac per se. Siquidem quod morbo conuenit ex accidenti, duorum est generum: aliud, quod primum, ac per se obest causæ, & affectui: aliud quod causæ neq; prodest, neque obest per se, etiam si illi prodesse per se appareat. Numquam in artis operibus exerceri debet id remedium, quod causæ ipsius affectus contrarium est. Quod autem illi non est contrarium, aliquando admitti potest, vbi melius, magisque accommodatum non datur auxilium. Rem exemplo illustremus, à materia de qua agimus minime discedentes. Febris ephemera & hectica per se solam refrigerationem exigunt, quia intemperies calidæ sunt sine materia. Quæ vacuant ex accidenti refrigerant, nam sanguine te scilicet calida, è venis deducto, corpus euadere solet plerumq; frigidum. Hoc autem non tollit febrem: tum quia affectus indicat, quæ alterando, non quæ vacuando, per se refrigerant, tum quia hectica febris detracto sanguine statim ad marasmum perueniet, tum denique ephemera ex ardore solis contracta, ex vigiliis, ex inedia, ex ira, ac aliis eius generis causis, in pictcholis terminaretur statim in hecticam, aut torridū marasmum misso sanguine. Sanguinis igitur missio, ac in vniuersum quælibet affatu digna vacuatio, febri, vt febris est, opitulari non potest. Alioquin si quod refrigerat, quomodocumque id faciat, debet pro sanandis febribus administrari, omnibus quidem nulla amplius adhibita distinctione conuenient refrigerantia cuiuscumque generis, per se, & per accidens. Sic profecto in omnibus oportebit febribus vacuare bilem, quod sit humorū calidissimus & siccissimus, ac maximam cum febre habens analogiam: numquam vacuabimus pituitam, numquam melancholiam, quia vt biiis purgatio refrigerat, sic pituitæ calefacit. Omnibus frigidam dabimus, omnes lauabimus aquæ dulcis balneo, imo etiam frigida. Natationem in frigida nulli ægroto negabimus, quia febri contraria sunt refrigerando. Indiscriminatim sanguinem mittemus ex venis, ex cute scatificata, ex hæmorrhoidibus, prouocabimus sanguinem ex vtero, ex naribus? Hæc sane adeo peruersa, adeo absurda est medendi ratio, vt absurdiorem inueniri nō posse putem. Quamobrem pro sanatione putridarum febrium nō est administrandum remedium, quod refrigeret quomodocumque, si per se vim haberet nocendi, affectumq; ipsum redderet sanatu contumaciorem. Amplius, quando duo remedia sunt, quorum alterum contrarium est per se morbo, aliud contrariū ex accidenti, Methodus medendi postulat, vt numquā prætermittatur quod per se ac primum id facit. quod vero ex accidenti idem præstat, si lædit, prætermittendum. si tamen læsio magna sit. si nō lędit, aut adeo parum lædit, vt maior sit vtilitas, noxa vero corrigibilis, non est omittendum. In hoc genere non est vacuatio sanguinis, quæ intemperiei simplici, igneæ, quam Galenus calidam & siccam passionem appellauit primo Aphoris. cōmentario 16. opposita non est, ac per se illam sanare non potest, quemadmodum ipsa potest alteratio, quæ ve-

& humano generi perniciosissimam. Nam Galenus libro vndecimo de Methodo medendi cap. 8. 9. & 13. vacuationem hanc fieri debere significanit per inferiorem aluum, per vomitum, per vrinas, & per sudorem, non autem per sanguinis missionem. Ex Galeni verbis hæc sigillatim explanabimus parum infra.

Putredo igitur iam facta refrigerantibus & exsiccantibus non sanatur, sed determinata vacuādi ratione. quę autem fieri incipit, sanatur concoctione, quæ species est alterationis, faciens cessare putredinem manente substantia moderatis motibus, & expiratione fuliginosorum excrementorum; vt Galenus docuit in vltima parte artis medicinalis: & vndecimo libro de Methodo medendi ca. 8. & 13. Ex hoc opere naturæ artis beneficio excitatæ omnia hæc proficiscūtur.

Memineris putredinem in iis, quæ non viuunt, remoueri, totū quod putrefactum est amputando, reliquum vero aeri frigido & sicco, qualis potissimum est flante Aquilone, exponendo. At vero quæ in viuis putredo est iam incipiens non ita sanari potest, quod obstructio, aut meatuum densitas, & adstrictio illam procreantes incisionem, ac detersionem, in vniuersumque reuulsionem postulent.

Præterea, quando dicunt venæ sectionem exsiccare, affirmare videntur mihi adhiberi illam pro exsiccatione. At Galenus nono Methodi cap. vndecimo asserit, sanguinem mitti pro vacuatione sanguinis. Me non fugit omnes vacuationes exsiccare hoc sensu, quod excrementitiis humoribus vacuatis, corpus sincerius, puriusq; reddatur. Verum hæc non est ea siccitas, quæ tamquam contrarium immediatum, ac proprium putredini opponitur. Deinde venæ sectio refrigerat, calefacit, siccat, humectat. refrigerat, cū vacuatur humor calidus, ex cuius absentia cōtinens refrigescit. Excalefacit, quādo acres & biliosi humores ex venæ sectione trahuntur in cauitatem venarum, existentes vel circa iecur, vel circa habitum corporis. Exsiccat demum, humore humido ex corpore tracto. Humectat, cum ex huiusmodi vacuatione obstructio tollitur, quæ impediebat transitum humorum nutrientium paries: in hunc enim modum remora obstructione graciles particulæ ex defectu sanguinis humectantur, & irrigantur illius affluxu. Atqui dices: Auicenna ait venæ sectionē exsiccare. Ego etiam id dico, quia summa pestilentium febrium erat putredo, vt indicat Hippocrates tertio Epidem. sect. 3. to. 50. quod cum Galenus aliquando præuidisset statim ab initio quæcumq; corpora humida videbantur, omni via exsiccare conabatur, quæ vero sicciora, in iis antiquum habitum conseruabat. At in quibus superfluitates redundabant, hæc purgationibus sanabat. Obstructiones autem foraminum aperire, & abstergere studebat. In summa contendebat, vt corpus ipsum, quam maxime vacaret superfluitatibus. Sic in pestilentia siccanda corpora Galeni imitatione Auicenna præcipit. Hæc si vera sunt, manifestū faciunt, detersionem, obstructionem, apertionem foraminum, venæ sectionem, purgationem, quod corpus reddant ab excrementis immune, exsiccare. Ex hoc autem non debebant illi colligere, venæ sectionem indicari à putredine aut facta, aut incipiente: cum nullius verum ac proprium indicatum sit.

Amplius ex hoc Auicennæ decreto, quo illi confirmare voluerunt opinionem suam, falsam existere illorum opinionem ostendo. Contextus illius series, quam illi totam non afferunt, sic habet: Summa curationis est exsiccatio, & illud cum phlebotomia & solutione ventris, & oportet, vt incipiamus ab ea ad vacuandum. Si autem materia vincens fuerit sanguinea, fiat phlebotomia, si autem humores alii, vacuentur.]hęc ille. Ego autem sic vrgeo. In febribus pestilentibus omnium maximis, & quę excellentem habent putredinem, aliquando sola conuenit venæ sectio, aliquando sola purgatio humoris excrementitii. Ergo in putridis febribus idem conuenict. quod si ita est, venæ sectio non indicabitur semper ab omnibus putridis febribus, vt asserunt.

Postremo loco circa responsionem horum hominum occurrit perpendendū, quod illi dicunt humores putridos vere, & facile duci venę sectione, & postea, venæ sectionem iuuare strenuo putredinem, quod reddat efficacissima & tu-

tissima reliqua remedia, sine quibus vix illa sanari potest. Nam virumque non recte dictum videtur mihi. initio rationibus multis, ac primo sic: si humor putrefactus vere & facile venæ sectione curatur, cur Galenus eius sanationem ex proposito tractans, non solum illius mentionem non fecit aliquam, sed etiam docuit apertissime, quali vacuatione sit opus, per aluum scilicet, per vomitum, per vrinam, & per sudores, imo vero non contentus id docuisse, idem repetit, & quæ de vomitu dixerat, limitat? Qui ergo ait, humores putridos vere, ac facile educi venæ sectione, apertissime contradicit Galeno, qui nō vult hoc modo vacuari. Certe si obiter Galenus ibi tractasset de vacuanda putredine, nec illius generosi, & omnium maxime necessarii, meminisset remedii, fuisset excusatione dignissimus. at tractauit ex proposito de hac re, neque aliter fieri potuit pro instituenda methodo putridarum febrium, prætermittentē tantum præsidium quis ipsum excusatione dignum censebit? quis non accusaret negligentiæ diligentissimum scriptorem? vel potius, quis non accusabit ignorantiæ id prætermittentē, sine quo recta Methodus curādi putridas febres institui nō poterat? Quod si est ita necessarium mittere sanguinem, vt vos viri doctissimi contenditis, cur in vestris lucubrationibus non explanastis hæc Galeni verba? Putredo sanari non potest venæ sectione] vos autem dicitis, Vere & facile sanatur venæ sectione.] Vos nostis enunciationes contradictorias esse istas, quarum si vna est vera, aliam esse falsam necesse est. sit apud vos optio. Vera sit ista: Putredo vere & facile sanatur venæ sectione. Galeni igitur sententia erit falsa, quæ dicit, Putredo sanari non potest venæ sectione. Longe modestius, ac prudentius factum fuerit arbitrari vestram falsam esse enūciationem, (vt re ipsa falsa est) atque Galenum ab omni mendacio immunem constituere. sic enim decere putauerim eos viros, qui in Galeni doctrina exercitati sunt.

Agamus ratione de hoc argumento. Thesis illorum est, putredinem vere ac facile sanari venæ sectione. Antithesis mea habet, putredinem nec vere, nec facile sanari venæ sectione. Hanc ego sic probo. Quod remedium est periculosum, id neque facile, neque verum dici debet remedium. Atqui venæ sectio aliquando periculosum est in putridis febribus remedium. Venę igitur sectio aliquando neque facile, neque verum remedium erit in putridis febribus. Ponito febrem putridam fuisse excitatam ex putredine humorum, qui in habitu corporis continentur, si hanc vacuare per venæ sectionē in animo habueris, oportebit attrahere humorem putridum ex ipso habitu ad venas, quia alioquin aperta vena educi aliqua ratione non poterit. Hoc autem maxime difficile est, quia necessarium erit tibi copiosum mittere sanguinem, vt in carnibus putrefactum ad venas deducas, & fortassis vsq; ad animi deliquium, aut repetere sectionem, & quod primum facere non licuit, secundo efficere, vt corruptum & malum sanguinem ad animi defectionem vsque vacues, vt Galenum factitasse docui libro quinto de ratione curandi per sanguinis missionem. Eritne vacuatio ista facilis? ita Galenus præcipit in lassitudine faciendum, in qua non est sanguis vsquequaq; putridus. at quid cōtingeret quæso in casu proposito, si humor, inquā, à sanguinis natura omnino seiunctus, ac omnino putridus in carnibus putrefactus extiterit? huncne ad venas trahemus tanta facilitate, quātam isti prędicant? Verumne hoc erit remedium, quod ex partibus ignobilibus ad partes nobiliores perniciosum humorem ducit? Cur in transitu non coinquinabit totam sanguinis molem? cur nō erit periculosum miscere cum bono sanguine humorem fœtidum? cur vera Methodo medendi relicta vacuabimus humorem per regionem minime congruam? qui enim in corporis habitu cōtinentur humores omnino alieni à natura sanguinis debent vacuari per cutaneos meatus sudore prouocato, aut insensibili vacuatione, vt in historiæ Simonis explanatione docuit Galenus adhibita prius de toto corpore prouidentia ex medicamento purgante. mihi quidem ita agendum videtur. Demonstraui ex his venæ sectionem non esse facile, nec tutum, nec verum remedium in omnibus putridis febribus. Rursus ponito alienū hunc humorē cōtineri in vētriculo, in intestinis, circa mesenterium,

ſenterium, lienem, & iecur, quis eum ſcalpello aperta vena tuto ac facile vacuari arbitrabitur? ſi expedit humorem putridum procul abeſſe à venis, quia quod tangitur à putrido, vt plurimum putridum fit, longe facilior, ac tutior fuerit vacuandi ratio prouocato vomitu, ſi ad eam partem repat humor, Galeni teſtimonio vndecimo de Methodo medendi capite nono, aut ad inferiorem aluum, ſi aliquid impedimento ſit, quam ad venas tractum educere; Reſtat putredo venarum omnium aut maximarum, quæ ſunt inter alas & inguina, hanc enim fortaſſis quiſpiam putauerit facile ſanari ſanguinis emiſſione.

Verum neq; hanc ipſam vult Galenus ſanari per ſanguinis miſſionẽ. Agens.n. de curatione putridæ febris ſynochæ dicit, humorem putridum per aluum, per vomitum, per vrinas, & per ſudores vacuandum, putredinemq; ipſam ſanari non poſſe venæ ſectione. Deinde vero alibi præcipit, humores à ſanguine natura diſtantes venæ ſectione non eſſe vacuandos. Examinabimus infra hunc locum. Concludamus itaque ſecundum Galeni ſententiam, venæ ſectionem non eſſe humoris putridi, verum, & facile remedium, ſed contra difficile, periculoſum, incertum. Quod porro addunt ex Galeno libro de arte medendi, quem ſenſum habere debeat, explanabimus in vltima parte diſputationis huius.

Nũc breuiter demonſtro argutias illas meras, & merum ſophiſma ſumptum fuiſſe ex Galeni verbis, me vero nihil effeciſſe aliud, quam diſpoſitionem illius ſententiæ ex inductione omnium affectuum, qui cum putrida febre cõiunguntur. Erat prima enunciatio, venæ ſectio non indicatur a febre, vt febris, quia eius indicatum eſt refrigeratio, & humectatio. Galenus hanc indicationem affert libro nono de Methodo medẽdi capite quarto. Omnis (inquit) febris qua febris eſt, refrigeratio humectatioq; remedia ſunt, & octauo libro cap. primo. Nã cum febricitantes (aiebat) ex intemperie laborant, neceſſe eſt, ſanationem quoque eorum intemperantiæ depulſionem eſſe, etenim omnis exceſſus per contrarium exceſſum ſanatur. eſt autem febrilis intemperies exceſſus in caloris abundantia, huic ergo ad temperamentum via erit per id, quod refrigeret, quam rem paſſim eo libro, & aliis repetit. Secunda. Venæ ſectio non indicatur ab humore prorſus putrido, quia indicat ſui expurgationem, cum venæ ſectione ſanari non poſſit. Galenus autem libro vndecimo de Methodo medendi capite octauo, ſic ait: Tanquam igitur in iis corporibus, quæ non viuunt, ac putreſiunt, primum quantum eorum iam computruit, ſeparant, deinde quod reliquum eſt in frigidum aerem ſublato per ſpirationem refrigerantem moliuntur, ita vtique & putredinem quæ in viuis eſt orta ſanabimus, id ſcilicet quod iam corruptum eſt omni ratione vacuantes, quod reliquum eſt moderatis motibus, & refrigerante perſpiratu ad exactam ſymmetriam reducentes. Ac vacuationem quidem illius per vrinam, deiectiones, vomitum, & ſudores moliemur,] quod etiam repetit capite nono. At putredinem ſanari non poſſe venæ ſectione hiſce verbis præclare docet c. 14. Verum quoniam nec obſtructio, nec putredo curari per ſanguinis miſſionem poteſt, vt quæ alia remedia (ceu prius eſt demonſtratum) deſiderent, reponi ſanguinis aliquid ad totius curationis ſpatium debebit, quo minus intempeſtiue nutrire neceſſitate vlla cogamur.] Tertia enunciatio fuit: Venæ ſectio non indicatur ab humore ſemimalo, & ſemiputrido, ſeu ab impedita tranſpiratione, quia indicat concoctionem, moderatam refrigerationem, & dimotionem. Galenus autem hoc pacto, in arte medicinali. Concoctio eſt ſpecies alterationis, quæ facit ceſſare putredinem manente ſubſtantia in vndecimo Methodi, cap. 13. illorum trium ſimul facit mentionem, in octauo capite duorum. Varietatis horum cauſam docui in ſecundo tomo Epiſtolarum Medicinalium. Quarta vero. Obſtructio, quatenus obſtructio, non indicat venæ ſectionem, ſed apertionem, ſeu recluſionem dixeris. Galenus vndecimo Methodi capit. 13. in inſtrumentali morbo, qui eſt obſtructio, contrarium ei eſt Græcè ἔκφραξιν, quã recluſionem (puto) dixeris. Quinta, humorũ craſſities, & glutinoſitas non indicant venæ ſectionem, ſed ſolum attenuationem, ſeu inciſionem, & deterſionem. Galenus eodem libro capite quarto, vbi craſſi, & glutinoſi

sunt humores, tenues eos ac fluxibiles efficies] idem cap. 13. Humorum plenitudo efficiens obstructionem solum indicat in putridis febribus ex causis obstruentibus venæ sectionem, & hæc fuit postrema rationis enunciatio. De qua Galenus hac verborum serie agit locis proxime citatis. Ergo indicabit, (vt prædiximus) præcedentium causarum quælibet proprium aliquid. Multitudo ipsa quæ est ex eorum numero, quæ sunt ad aliquid in prædicamento quantitatis vacuationem] ac capit. quarto. Concurrentibus omnibus causis obstruentibus simul à venæ sectione præcipit exordiendum, & cap. 14. agens de curatione synochi putridæ docet in ea conuenire sanguinis missionem ratione plenitudinis, cum inquit: Etenim si neque obstructio subesset, neq; putredo, sed sola succorum redundantia, protinus à missione sanguinis pro naturæ suæ ratione se haberet.] Hactenus igitur demonstratum mihi fuit ex Galeni doctrina, sanguinis missionem esse materiam remedii vacuantis, hocq; indicari a multitudine humorum propterea aberrare Medicos recentiores profitemur, qui contendunt hanc indicationem præstari ab omni obstructione, ac putredine. Adhuc impugnatio opinionis huius conuenientem non habet finem, idcirco prosequor.

Cap. V.

Renouari opinionem Erasistrateorum Romæ degentium si quis contendat in omni putrida febri citra distinctionem mittendum esse sanguinem.

SI quæ diximus vrgent multum, certe non minus vrgebunt quorum nunc iet mentio. Ac primum, quod ex horum hominum opinione renouari mihi videtur sententia Erasistrateorum Romæ degentium: isti enim in omnibus febribus putridis, imo vero in omnibus morbis, in quibus Erasistratus vtebatur inedia, venam secari debere præcipiebant, quos Galenus reprehendit eodem libro, sic videntur nostrates Medici ad illorum imitationem, a Galeno reprobatam innouare velle sententiam. Verba Galeni in hunc modum habent in capite sexto: Sed qui nostra tempestate cunctas febres in principio venæ sectione indigere putant, non mediocri sane noxa ægros afficiunt] declaremus hunc locum quia maxime opinionem arguit Medicorum, quibus cum disputamus. Meminisse oportet eorum, quæ in principio harum disputationum diximus, nempe duas extitisse opiniones antiquorum circa vsum huius remedii vere contrarias: quarū prima fuit Chrysippi Cnidii, Erasistrati, Stratonis, Aristochenis, Medii, ac aliorum qui Erasistratum audiebant, putantium nunquam venam incidendam pro curandis morbis: quia licet ægri vacuationis indigerent, eam multo melius fieri posse ex inedia contendebant. Contrariam opinionem habuerunt Erasistratei Romæ degentes, qui scilicet longe post Erasistratum viguerunt: sed id potissimum contigit postquam Galenus Romam sese contulit. Etenim eandem cum suo præceptore habuerunt sententiam, vt is capite primo illius libri testatur, at ex disputationibus crebris habitis cum Galeno, & ex lectione illius libri, quem in gratiam Theutræ amici sui conscripsit aduersus Erasistratum, mutarunt illi sententiam, sanguinem mittentes in omnibus morbis admodum temere: atq; ne à præceptore discedere viderētur, dixerunt semper de illius sententia fore mittendum sanguinē, vbi necessarium esse pro vacuatione inediam significauit. Ob hanc sane causam contra illos scripsit librum, in quo docet magis esse absurdam hanc opinionem quam priorem, quæ nunquam mittebat sanguinem. Etenim rectissime ex Platone dicit, minus aberrare eos qui non aggrediuntur ea, quæ non norunt, quam qui tractant ea, quæ nunquam didicerunt. Galenus itaq; disputans contra istos ait, graui noxa afficere ægrotos, qui in principio omnium febrium venæ sectione indigere putant. Videtur autem non potuisse Galenum id asserere iuxta ea principia, quæ recentiores Medici introduxerunt de venæ sectione in putridis febribus. Ego enim ita obiicio. Putrida febris semper morbus est magnus; in principio febris semper vigent vires, aut si quæ non videntur constare, sunt ex oppressione imbecillæ, conuenit igitur in princi-

principio putridæ febris cuiuſcumq; mittere ſanguinem: quod ſi ita eſt, graui noxa non afficiunt ægrotos, qui in omnium febrium principio ſanguinem mittunt. Reſponderent fortaſſis aliqui grauem inferri noxam ægrotis ab iis Medicis, qui ignorabant ea, quæ ad venæ ſectionem recte exercendam requirebantur: at nō inferri noxam, ſi fiat remedium ab artifice perito. Ego vero adhuc inſtarem ſic. In omnibus febribus mittendus eſt ſanguis, ſi vires valeant: in principio omnium febriū vires valent, ergo in principio ſemper mittendus ſanguis. Quæ igitur tam grauis noxa eſt? Dicam quid in hac re ſentire oporteat, pro explanatione loci huius. Increpat Galenus illos, qui non adhibitis accommodatis diſtinctionibus accedebant in principio putridarum ad venæ ſectionem: ſiquidem opus eſt contemplari antea, an febris ſanari poſſit ſine vacuatione, quædā enim ſunt mitiſſimę, quæ trium dierum ſpatio ſponte ſaneſcunt: quod ſi vacuationem poſtulauerint, conſiderandum an eā poſtulent, quæ fit per venæ ſectionem, an quę fit medicamento purgante, an per inediam, vel pauciorem victum, non enim omnes putridæ eandem vacuationis rationem volunt, ſed quædam longe diuerſam ex humorum diuerſitate petitam. Quod ſi quiſpiam non adhibita iſtarum rerum conſideratione aggrediatur temere ad hoc præſidium, graui noxa ęgrotos afficit, etiamſi vires valeant. Hęc quidē eſt cauſa grauis noxę: hæc fuit cauſa cur antiqui tantum aberrauerint. Deniq; hæc eſt cauſa cur noſtra ætatem exercendo hoc remedio nonnulli Medici tantum aberrent, qui ſolam magnitudinem morbi, & virium robur meditantes, aliarum rerum conſiderationem prætermittunt.

Cap. VI.

Quid recentiores Medici reſpondeant, eorumq; impugnatio.

VRGENTEM hunc locum euitare in hunc modum recentiores Medici eleganter conantur. Cum duæ ſint propoſitiones in Galeno, vna eſt: in principio cunctarum febrium venam incidere grauem inferr ægrotis noxam; alia, in omnibus putridis venam incidere, ſaluberrimum eſt, ſi vires & ætas permiſerint. Dicunt huiuſmodi ſententias inter ſe conſentire: namq; nemo eſt niſi plane fatuus, qui omni delectu, & conſilio remoto, ſentiat in omnibus febrib. venę ſectionem congruentem eſſe, cum plurima non deſint exempla ægrorum hominum, qui eiuſmodi remedium perferre nequeant. Siquidem exempli gratia, laboret quis putrida febre vna cum mala ventriculi affectione, vel fluxione alui, huic Galenus omni ſanguinis miſſione interdicit, multos ſe vidiſſe teſtatus, qui ita eſſent affecti, aut interiiſſe, aut ad extremū periculum fuiſſe deductos, cum Medici eos temere vacuare tentaſſent. Sic multa alia paſſim occurrunt, quæ diligenti indigent conſideratione, & examine, anteaquam venam incidas. Sed tamen ita vt omnia ad principes ſcopos ſint perpetuo referenda, ad quem certe modū referenda ſunt modo poſita ſymptomata. Atq; ita tandē concludunt hūc Galeni locū nihil ad rē propoſitam facere. Hęc illi de hac controuerſia ſcribunt.

Verum licet ſatis probabilia, & rationi conſentanea hæc ipſa videantur, mihi tamen non videntur diſſoluere difficultatem: quandoquidem omnia, quæ ab iſtis pro reſponſione afferuntur, ad vnum ſcopum præcipuum pertinent, nempe ad robur virium: neque enim in propoſitis exemplis ſanguis mittendus; quod vires generoſum hoc remedium perferre non poſſunt. At dato, vires validas exiſtere, & morbum remedium poſtulare, quid impedimento eſſe poterit quin exerceatur: hic morbus exigit, quia putrida febris: vires valent, quia in morbi principio plerumq; valent, vel vt diximus, imbecillæ ſunt per oppreſſionem, quamobrem ſemper in principio putridarum omnium conueniet mittere ſanguinem. An fortaſſis dicent Eraſiſtrateos non habuiſſe aliquam conſiderationem virium. Id quidem de illis dici non poteſt, tum quia in toto progreſſu illius diſputationis, tum in cap. illo ſexto aperte conſtat ad vires reſpexiſſe. Addo q; in principio valeat. Si autem quiſpiā adhuc ceruicoſus inſtaret, & nolit admit-

tere illos conſideraſſe vires, quod Galenus dicens grauem noxam inferre ægrotis venæ ſectionem in cunctarum febrium principiis, quod non adnectat hæc verba, viribus conſtantibus] ego vice verſa proponam eiuſdem auctoris verba, in quibus Romanorum Medicorum ſuæ tempeſtatis opinionem recenſet, ac modum medendi in omnibus putridis, quæ ſic ſeſe habent: Qui febricitant, ſi valentes vires ſint, omnibus ſanguinem ab initio mittes, perfuſoque oleo poſt tertiæ acceſſionem vel mulſa, vel alica nutries, vel ſorbitione, deinceps vero alternis cibabis diebus, ſed cataplaſma ex atriplice cum melite prius imponito, ſicubi vero aluus adſtricta fuerit, clyſtere hanc duces.]

Ecce viros iſtos voluiſſe ab initio putridarum omnium febrium, ſi vires ſint valentes, protinus mittendum eſſe ſanguinem. Ecce hanc hæreſim à Galeno manifeſtiſſime reprobatam. Ecce ſimul reprobatam veſtram hæreſim, viri doctiſſimi, qua vultis in omnibus putridis mittendum eſſe ſanguinem conſentientibus viribus, idque paſſim profitemini, & in ſuggeſto docetis. Concludamus itaque iſtas propoſitiones eſſe omnino contradictorias, quarum vna eſt: In omnibus febribus putridis non repugnante virtute ſaluberrimum eſt mittere ſanguinem. Alia vero: In omnibus putridis conſtantibus viribus mittere ſanguinem graui noxa afficit ægrotos. Nam ſaluberrimum eſſe, & graui afficere noxa, contradictorie oppoſita ſunt. Harum ſi vna eſt vera, aliam falſam pronunciare oportebit. Vt igitur Galenum optime interpretemur, ea volo tyrones memoriæ commendare, quæ ſupra diximus.

Cap. VII.

In putridis febribus numquam mittendum ſanguinem, ſi originem habeant ab humoribus, qui omnino à ſanguinis natura ſeparati ſint.

POSTREMA ratio, qua ſolemus vti pro impugnatione opinionis huius, hoc modo habet: Venæ ſectio nunquam debet exerceri pro vacuandis humoribus qui à ſanguinis natura omnino ſeparati ſunt. Atqui huiuſmodi humores aliquando concitant putridas febres. Igitur in putridis febribus aliquando à ſanguinis miſſione abſtinendum. Demonſtrationem hanc ex Galeni verbis libro quarto de ſanitate tuenda fuiſſe ſumptam, dictio eius authoris declarat, quæ ſic habet: Si quidem ſanguis in medio eſt bilioſorum, atque horũ, quorum vtique genus vno vocabulo appellare licet, vel crudum ſuccum, vel pituitam, illi namque ex ſanguine fiunt, vbi ſupra modum eſt: hi vero eo nondum perfecto. Sunt autem vniuſcuiuſque generis innumeræ particulares differentiæ. cæterum quę ab iis, qui in talibus ſunt periti, in numeratas ſpecies iam ſunt deſcriptę. Quarum tamen ipſarum adeo omnium hic meminiſſe neceſſe non eſt, vt etiam ſatis ſit eas ad vnum caput redigere, quod tibi veluti ſcopum agendorum proponas. Nam quoniam alii prius quam ad exactum ſanguinem nutrimentum perueniat, veluti ſemicocti ſunt; alii prorſus incocti, crudique; alii paululum abſunt à ſanguinis forma. Rurſuſque alii ſanguinis faciendi, ſiue, vt ita dicam, ſanguificationis velut vltima pars, qui vtique exceſſu caloris proueniunt (quorũ alii paululum, alii plus, alii plurimum à ſanguine receſſerunt) vbi paululum vel citra ſanguinem eſt reſtitum, vel vltra progreſſum eſt, audacter ſanguis mittendus eſt. Vbi plus, conſideratius agendum, vbi plurimum, in his nullus omnino mittendus eſt. Hæc ſane Galeni regula eſt, quam ſemper in mittendo ſanguine obſeruauit, vt puta maxime rationi conſonã, & ab ipſo venerando ſene deriuatam.

Cap. VIII.

Reſponſio recentiorum Medicorum, eiuſq; impugnatio.

HIc etiam nobis pro conſuetudine moleſti ſunt recentiores Medici, qui maxime vrgentem rationem animaduertentes, ſatisfacere tribus modis conantur. Primum illud afferunt, quod alioquin magni intereſt, nempe hunc lo-

cum,

cum quem ex Galeno citauimus, te vera pertinere ad conseruationem sanitatis, multosque temere præcepta salubria, & curandorum corporum scopos sæpius commiscere, & confundere, siquidem huiusmodi primæ, & maximæ duæ partes artis medicæ, auctore Galeno, sibi officia vendicant non solum inter se diuersa, sed etiam contraria: cum alteri sit propositum statum corporis immutare, alteri illum tueri, atque hæc prima illorum solutio est. Afferunt deinde secundum, dicentes: Deinde & illud non minus vere possem addere, Galenum scilicet hoc loco de ea solum indicatione sermonem habere, quæ accipitur à copia & qualitate humorum, de qua iam diximus, quod satis est.

Postremo in disputatione aduersus Andream Turinum Pisciensem concedit non conuenire sanguinis emissionem, quia imbecillæ sunt ipsæ vires. Considerariq; debere vires tanquam scopum præcipuum ad sanguinis missionem recte exercendam, constare ex omnium Medicorum consensu. Hæc illi.

Iis responsionibus certe acquiescendum nō est, cum manifestissime videam neutrum ex ipsis posse consistere, igitur cōtra primam solutionem in hunc modum insto. Quæ pertinent præcepta ad exactam conseruationem sanitatis, ea quidem non docent vacuanda esse corpora, similibus enim fit, nulla permutatione facta in contrarium, non exacta vero fit moderato contrariorum vsu admodum paulatim, & per ocium. at vero qui iubet purgandum esse, vel mittendum sanguinem, hic neque paulatim, nec per ocium instituit actionem suam, sed statim ob periculum morbi futuri ad magna sese confert remedia. Atqui Galenus in eo capite quarto docens rationem curationis vlcerosæ lassitudinis, magnum morbum imminere indicantis, id quidem non facit ob conseruationem sanitatis sed ratione præseruationis ne in putridos morbos, & magnos neutrum illud corpus incidat. Huiusque ipsius actionis causa regulam illam proponit vniuersalem in mittendo sanguine nunquam prætermittendam. Deduco ex istis rationem ex Hippocrate & Galeno cōtra horum hominum opinionem non exigui vt sentio momenti. Quæ corpora præseruant à futura magnitudine morbi, cuius imminentis euidentia signa apparent, ea certe non dicuntur conseruare sanitatem, sed præseruare & præcauere. Atqui venæ sectio, & purgatio adhibita à Galeno in curatione lassitudinis vlcerosæ, præseruant à futuro morbo, non igitur conseruant sanitatem. Videant modo qua ratione possit consistere, quod dicunt Neoterici de hoc Galeni Theoremate, putantes pertinere ad conseruationem sanitatis. Addamus præterea, quod eadem remedia conueniant pro præseruatione, & pro curatione, nisi quod opus est præseruando non tam celeriter, quam curando faceremus administrare, vt Galenus docuit libro de ratione curandi per sanguinis missionem. Hoc igitur præceptum verissimum est, tum quando præseruare neutra corpora, tum quando curare volumus.

Secunda ēt illorum solutio caret omni probabilitate, quia vt demonstratum fuit superiore libro, indicatio sumpta à magnitudine morbi est eadem cum indicatione sumpta à causa morbi, quæ res licet iam fuerit explicata, nunc etiam rursus ex Galeno in proposito argumento in illorū gratiam dilucidabitur. Docet ibi rationem curandæ lassitudinis vlcerosæ virtute existente valida, admonetq; interdum solo vti debere pharmaco expurgante, interdum vna adhibendam esse venæ sectionem. Si vitiosus humor in carnibus & venis solus constiterit sine multitudinis affectu, purgandum duntaxat, si vero simul adfuerit sanguinis abundantia, vtrumque remedium fieri oportere asserit, nec ob aliam causam id faciendum consuluit, quam vt imminens euitetur periculum: quod si ita est, indicationem hic affert à morbi magnitudine vel à sola cacochymia, vel à plenitudine malo succu permista, pro purgatione exercenda, vel pro missione sanguinis, & purgatione simul, neque vt dixi, remedia hæc generosa admittit in qualibet lassitudine vlcerosa, sed in ea solum tertia differentia, in qua humores non in sola cute, non in carnibus simul, sed in profundo etiam corpore consistunt, de quibus ita locutus est.

Prius vero eius, qui exiguus est, & iuxta cutem curatio dicetur. Deinde eius, qui in carne residet. Tertio ab his loco eius cui totus sanguis impurus excrementosusq́. est.] Iuxta hunc ordinem curationem executus, vbi eius lassitudinis tractationem absoluit, quæ leuis erat, ad grauiorem accedens, ita dicit:

Si ergo iis peractis malum constiterit, ad consuetudinem paulatim rursus reducendus homo est. Sin in posterum etiam diem duret, de valentiore iam remedio est cogitandum,] ac interpositis signis indicantibus magnitudinem futuri morbi, infert.

His enim si vires non dissuadent, duorum alterum, aut sanguis mittendus est, aut purgatio exhibenda, sed discernentibus nobis, vtrum magis expediat, vt mox dicetur.]

Illustris est locus iste, qui nouatorum opinionem extirpat, magnus morbus futurus adest, vires validæ sunt, generosum adhibendum præsidium, sed quod? purgatio (inquit) aut venæ sectio, sed cur non sola venæ sectio? si nulla adhibenda est, vt sæpe illi dicunt, distinctio, magno existente morbo, & viribus constantibus? at vult Galenus hic adhibendam distinctionem, vt etiam primo Aphoris. com. 23.

Audiant modo admirabilis Galeni distinctionem, quam prætermiserunt Erasistratei, vt docuimus, atq; illi semper in attis operibus volunt prætermittere.

Nam virium robore constante, si lassitudo adhuc infestat, æstimandum est cum sanguinisne copia, an cum crudis, ac minime coctis humoribus, an per se solus consistat vitiosus humor, qui lassitudinem creat. Nam si cum sanguinis copia, aut vena incidenda, aut aliquid quod tantundem valet, agendum: sane tantundem possunt hæc, quib. hæmorrhoides sunt retentæ, si has aperueris, si mulieri menstrua consuetudo cessauerit, hanc si prouoces, si quibus horum nihil est, si malleolos scalpello incidas, post hæc aluus & medicamento deiicienda est, quod maxime accõmodatum malo succo sit. Quod si vitiosi tantum succi, iiq; citra sanguinis copiam subsint, purgatio petenda est, quæ infestanti excremento sit accommoda.] hæc Galenus. Ex quibus luce clarius apparet, ipsum supponere in hac curatione futuram magnitudinem morbi ex lassitudine spontanea, proptereaq; de magno, & generoso remedio excogitasse, illiusq́; speciẽ, & qualitatem distinxisse, apertissime docens, solum purgandum, si bilis, aut melancholia, aut sera, aut pituita salsa, aut crassa, aut tenuis, fecerit negotium.

Propterea concludit in crudis humoribus, qui parum à natura sanguinis distant, mitti posse sanguinem, in aliis vero, qui plurimum differunt, nunquam. Cæterum qui sint humores à sanguinis natura multum distantes, docere non expedit hoc loco, vt puta declaratum mihi satis, nisi fallor diligenter, in libro secundo tomi secundi Epistolarum Medicinalium Epistola ad Cateruum. Legito etiam Galenum, libro secundo Aphorismorum commentario 17. & sexto Epidemiorum sect. tertia, com. 43.

Postrema solutio mihi etiam displicet, quia omnino est contra Galenum, & omnem experientiam. nam dicunt illi, missionem sanguinis non conuenire in humoribus, qui à sanguinis natura multum distant, quod vires ferendo non sunt. Galenus autem facta distinctione, quam supra retulimus, in iis purgationem vult exerceri, si vires robustæ fuerint. Præterea, quarto libro de Methodo medendi c. sexto, magnitudinem morbi & robur virium desiderat ad purgationem. Amplius Hippocrates, in primo Aph. 2. dixit: Si talia purgentur, qualia purgare oportet, confert, ac facile ferunt. Experientia vero fidem facit admodum conspicuam, cum videamus quotidie in cacochymia vsurpari validissima pharmaca viribus optime constantibus. Diximus de hac re multa in superioribus disputationibus, ac lib. 4. de ratione curandi per sanguinis missionem. Vt igitur concludam quæ dicta sunt, nunquam conueniet ratione vacuationis mittere sanguinem, vbi humores à natura sanguinis distincti citra illius copiam fecerint negotium.

Quid

Cap. XI.

Quid sentiendum in hac controuersia ex Galeni sententia.

HActenus hanc recentiorum opinionem reprobasse satis diligenter videmur: nunc reliquum est vt doceamus quid sentiendum in hac controuersia secundum Galeni sententiam, quam nunc breuiter affero. Febrium putridarum differentiæ sunt tres: quædam enim sunt quarum vna est accessio à principio vsq; ad finem, quædam vero determinatas habent periodos. Atq; harum ipsarum genus etiam est duplex: Quædam enim vitio partis contraxerunt putredinem sine inflammatione, quædam autem cum inflammatione. Priores vocantur synochi apud Græcos, Latini continentes, aut etiam vere continuas appellant. Aliæ periodicæ seu per circuitum inuadentes dicuntur. Postremæ autem symptomaticæ, seu accidentales. Venæ sectio in synochis administratur ob multitudinem sanguinis Galeni testimonio cap. 14. libri vndecimi de Methodo medendi, non fieri hoc remedium ob aliam causam adeo luculenter declarauit, vt omnino nihil arbitrer hic adesse controuersum. In periodicis porro alia ratio est: nam quatenus fiunt ab humoribus excrementitiis, à sanguinis natura maxime distantibus, suapte natura sanguinis detractione non indigent. At vero propter aliud quidpiam, quod cum eiuscemodi febribus coniungi potest, mittere sanguinē oportet, nēpe si plethora quispiā affectus incidat in eiusmodi febres, id autem admodū frequenter contingere concedunt omnes, qui fuerint in artis operibus exercitati, quod vbi contingat, exonerare statim corpus à multitudine oportebit, ne illius præsentia morbum augeat. Accidit quoq; sine plenitudinis affectu venam in eisdem esse incidendam, cum sæuum aliquodpiam adest symptoma futuram inflammationem indicans, vt modum excedentes vigiliæ, dolor capitis magnus, & continuus. Eadem ratio est in febrib. quæ inflammationis soboles sunt, in quibus omnibus, si vehementes extiterint (quædam enim paruæ sunt, & mitissimæ) protinus ob futurum, aut præsens, aut incipiens periculū mittere sanguinem conuenit, vt autē in priorib. sanguis mittitur ob vacuationem plenitudinis; ita in aliis ob sanguinis motum ratione reuulsionis in omnibus remedium hoc fit, vel propter vacuationem, vel propter reuulsionem, illam indicat plenitudo affatu digna, quæ leuioribus sanari non possit auxiliis: hanc autem vehemens sanguinis impetus: aut magnitudo morbi à vehementi motu sanguinis procreata citra plenitudinē. Sic vides quomodo in omnibus morbis speciatim vero in putridis febrib. continuo Galeni decretum locum habet, quo præcipit sanguinis missionem indicari, vel ob plenitudinem, vel ob magnitudinem morbi, vt in superioribus disputationibus diximus. Quod vero pertinet ad febres putridas, continuarū exemplo idem proposuit præceptum libro primo de ratione curandi ad Glauconem cap. 13. vbi ait, mittendum esse sanguinem, & propter magnitudinem morbi, & propter plenitudinem, quem locum recordor me supra explanasse.

Cap. X.

Explicatur locus Galeni vndecimo de Methodo medendi capite decimoquinto, Medicorumque recentiorum instantia & dubitationes resoluuntur.

DE Galeni opinione hęc sufficiant. Nunc obiectis respondeo, ac primum explanationem affero eorum verborum libri vndecimi de Methodo medendi, quæ potissimum dederunt aberrandi occasionem. Quia vero libro quarto de ratione curandi per sanguinis missionem scripsi de hac re, nunc eadem repeto, quod mihi seni videantur omnino verissima. Duas igitur ad eum locum explanationes dedi: quarum vna est, quod quando Galenus ait: Saluberrimum autem, vt prædiximus, est in febribus venā incidere, nō continuis modo, verum

etiam aliis omnibus, quas putrescens humor conciliat] locutus fuit de putridis febribus in corpore plethorico aduenientibus: nihil enim vetare asserebā corpus multo sanguine prǽditum ex inordinato victu incidere in tertianam intermittentem in quotidianam, & quartanā. Mittere sanguinem in eiusce modi cōplicatione est necessarium, ne multo maior fiat morbus, hocq; remedium fieri ratione prǽseruationis constat: atq; hǽc vna solutio est. Alia vero extitit expositio. Intelligendam sententiam de putridis febribus, quǽ à multitudine sanguinis proficiscebantur obstructionem faciente, minime vero de aliis causis obstruentibus, hoc fere sensu saluberrimum est non in synochis modo, sed omnibus putridis aliquando sanguinem mittere, cum à plenitudine libera humorum transpiratio impeditur: profitebarq; hac ipsa adhibita distinctione in omnibus putridis habere locum siue continuis, siue intermittentibus.

Vtrouis modo exponas, est salubetrimum in omnibus putridis sanguinem mittere sicque non est saluberrimum, vbi eiusmodi affectus desit, sed pro multitudine adfuerit cacochymia, siquidem tunc salubetrimum est expurgare corpus nisi quispiam causa reuulsionis id faciat. Consona est explanatio verbis Galeni, nam reddens causam cur sit salubetrimum, inquit: Exonerata enim natura, eo, quo veluti sarcina premitur, & concoquet, quod concoqui est habile, & excernet, quod debet excerni] quibus verbis adeo prǽclare indicat sese ad missionem sanguinis accedere propter plenitudinem, vt dubitari non debeat. At vero non conturbet quemquam, quod de sola plenitudine quo ad vires loqui videatur, cuius proprium videtur signum grauitas, quia plenitudo quo ad vasa, efficiens obstructionem, grauitatis etiam inuehit sensum, in ea scilicet parte in qua sanguis conculcatus manet, in aliis vero tensionem efficit, tumorem, ruborem, quia iam malus, & semiputrescens redditur, naturǽq; grauis. Dixi locutum fuisse Galenum de missione sanguinis in putridis ratione vacuationis, tum propter rationem quam affert in medium, tum quia de missione sanguinis gratia reuulsionis instituta agit in eodem capite paulum infra, dum de febribus meminit insequentibus viscerum inflammationes, admonetq; venam incidendam, postea vero vtendum repellentibus. Atq; ita profecto nihil reliquit Galenus in hac tractatione, quod fuerit necessarium pro curandis febribus iuxta ordinem propositum capite septimo libri vndecimi de Methodo medendi. Nam a capite octauo, vsq; ad eam partem capitis decim quinti quǽ incipit: Ergo huiusmodi prouidentiā illi duntaxat requirent &c.] egit de putridis febribus cura inflammationem: ibi postea incipit agere de iis, quǽ cum inflammatione consistunt.

Hasce nostras explanationes non facile recipiunt Medici recentiores, non quidem primam, quia in putridarum febrium omnium principio necessum est euacuare totum corpus, vt affluxum humorum inhibeamus, cum periculum maximum sit, non vacuato corpore accedere ad obstructiones detergendas, vt Galenus ait libro octauo de Methodo meden. c. 4 & libro vndecimo capite decimo, idcirco siue adsit in corpore plenitudo, siue desit, semper saluberrimū est mittere sanguinem, vt reuellamus, & vacuemus humorem affluentem. Neque recipiunt secundum, quia contra ipsam disputant hoc pacto. Si Galeni prǽceptum illud intelligendum est, de putridis cum plenitudine duntaxat cōiunctis, Galenus extitisset partim ineptus, partim deficiens. Ineptus quidem quoniam verius statuendum fuerat in febribus ne dum putridis, sed omnibus, & hecticis, & ephemeris, vel potius in cunctis morbis, quicumq; illi fuerint prǽsente plenitudine missionem sanguinis fore saluberrimam. Deficiens vero cum liceat protinus quǽrere adhuc an sectio venǽ sit salutaris cǽteris curandis febribus, quibus nulla est adiuncta plenitudo. Hǽc illi subtiliter contra me, & Christophorum à Vegha Hispanum disputant.

Non video impugnationes istas aliquid operǽpretii concludere: nam quod pertinet ad primam, libentissime concedo illis, nisi impediatur humorum affluxus, vacuando illorū abundantiam, non posse tuto accedere ad obstructiones detergēdas, sed hoc inficior, pro remouendo eiuscemodi affluxu, necessario se-

sandam

secandam esse venam: siquidem si affluxus fiat à multitudine sanguinis, vt venæ sectio maxime salutaris existit, sic è contra si à mali succi abundantia, insaluberrimum est id remedium, saluberrimum purgatio, quia semper contemplandum, qui humor fluat, ac pro illius varietate decernenda sunt remedia, vt Galenus docuit libro de ratione curandi per sanguinis missionem c. septimo, & quarto de Methodo medendi cap. 6. de hac re scripsi quædam in secundo tomo Epistolarum medicinalium libro quarto, Epistola ad Antonium Lobettum Serenissimæ Catharinæ Austriacæ Archiatrum. Viderunt responsionem hanc, ac planè etiam nouerunt amplius instare non posse, quod attinet ad locum Galeni de vacuatione totius antea quam obstructiones detergamus ex vndecimo libro de Methodo medendi: propterea ad alium confugiunt, ita dicentes: Quoniam aduersarii pertinaciter contendunt, Galeni sententiam hunc sensum habere, videlicet nusquam sanguinem mittendum, esse nisi febris atq; obstructio febrem efficiens pendeat ab humorum multitudine, mihi liceat alterum Galeni locum maxima notatione dignum in medium proferre.] Hæc illi. Quæ ostendunt improbari non posse nostram responsionem ad eum locum, idcirco alium citant ex octauo de Meth. med. c. 4. de quo non est mihi differendum hoc loco, quia sequenti libro examinabitur.

Aggredior nunc ad secundam, in qua certe facile ostendam nihil magis profecisse, quàm in prima. in primis videre nequeo, Galenum ineptiæ fore accusandum, si vera sit nostra explanatio. Sermo enim maxime verus, & necessarius, ineptus esse nequit. Mittitur sanguis in synochis putridis solū ratione multitudinis: ergo in aliis febrib. ob eandem causam mittetur. Necessaria est explanatio, quia se ipsum ita explanat. Tertio ita est consequens, quia diuites magis indigent venæ sectione quā pauperes, quod plenitudinis affectui plus obnoxii sunt, & horum potissimum occasione eam propositionē attulit. Dicent ineptum esse, quod non scripserunt, saluberrimum etiam esse in hecticis, & in ephemeris, ac in omnibus morbis mittere sanguinem præsente plenitudine, hoc autem nō est auctorem esse ineptū, sed insufficientem, ac diminutū: Sed ò viri doctissimi, Galenus neq; potuit, neq; debuit ita scribere. Non potuit, quia supponitis falsum, hecticam febrem in corpore plethorico aduenire, vt puta quæ in sicco, in gracili, sanguineue destituto contingat. Ephemerarum quædam solum huius sunt generis, vt quæ ab obstructione, & adstrictione cutis, à bubone, nec omnes harum specierum, & postremo sola synochus non putrida. Dicere igitur non potuit, in omnibus hecticis, & ephemeris præsente plenitudine secandas venas. Secundo non debuit ita loqui, quia fuisset extra propositum locutus. Liber vndecimus solis putridis destinatus erat, non aliis, quippe quoniam ephemerarum tractationem absoluit in octauo, & nono, hecticarum autem in decimo. hunc exitum habent, quæ de ineptia dixerunt. Deficientem porro non extitisse hæc ostendunt. Nam quando dicunt, adhuc licet quærere, an sectio venæ sit salutaris cæteris curandis febribus, quibus nulla coniuncta est plenitudo. Respondeo, hanc quæstionem fieri inutiliter, quia si mittere sanguinem ratione vacuationis solum licet cum plenitudo adest, nunquam igitur mittere licebit sine plenitudine, si ratione reuulsionis mittitur sanguis sine plenitudine ob fluentis sanguinis impetum minitantem magnum aliquempiam morbū, vbi hoc desit periculum, semper ab hoc generoso abstinēdum est remedio. Deniq; locus hic ab insufficientia, admodum infirmus est. nam si admiserimus, certe nō fuit insufficiens in explicando proprio instituto, quod erat agere de curatione putridarum, sed in iis duntaxat, quæ extra rem fuissent ibi exposita, vel potius inaniter admodum repetita.

CAP. XI.

Quo in loco saluberrimum esse in omnibus putridis sanguinem mittere Galenus prædixerit.

IN mea tractatione de missione sanguinis prætermisi docere, quo loco Galenus prædixerit salubertimum esse in omnibus putridis mittere sanguinem: Nam dicit, salubertimum autem, vt prædiximus, &c.] quia non putabam futuros, qui de hac re aliquando dubitarent: nunc autē cū videam controuersum esse apud multos, locum dilucidare hunc etiā, vt mihi videbitur, conabor. Prius autem sciendū est Christophorum à Vegha putasse in capi. nono vndecimi, Galenū id prædixisse, illius verba sic habent libro secundo de arte medendi capite secundo. Proposuerat doctrina quadam resolutiua febres putridas curare, ac prædixerat, febrem qua febris est curari potu aquæ frigidæ, non tamen semper quantum ad alia pertinet, veluti si adiuncta sit obstructio à crassis, & glutinosis humoribus. Ac subiungit: Ponatur antē & cum hac redundantiam in toto esse corpore, tum virtutem non imbecillam,] de hac febre toto orationis progressu loquitur Galenus. Constat autem & in omnibus febribus putridis siue continuis, siue intermittentibus, quæ cum redundantia in toto corpore fiant, siue illa sit plethora quo ad vires, siue quo ad vasa sanguinis missionē conuenire, virib. cōstantib.] Hæc Vegha qui postea suam confirmat opinionem ex Galeni ratione, ob quam dixerit, mittendum sanguinem in omnibus putridis.

Mihi vero consideranti opinionem huius hominis, non videtur iste locus satis accommodatus ad hoc probandum, primum quia Galenus in fine capitis noni, vbi illa affert verba, de venæ sectione non loquitur, sed solum causas obstructionis recenset illas tres, humorum scilicet crassitiem, & viscidltatem, & multitudinem. nam licet verissimum sit mittendum sanguinem in complexu harum causarum, vt idem Galenus asserit hoc eodem libro capite quarto, tamen si recensuisset illas causas propter venæ sectionem, non quidem hanc tacuisset. Deinde plane constat ob aliūd ita fuisse locutum, etenim egit de aqua frigida dicens illam remedium esse febris quatenus febris est, sed non semper, cumq; vtamur ea in potu, & in balneo, docere voluit vtrumq; modum in putridis fore maximopere suspectum, si obstructio adsit humorum viscidorum, & crassorum, simul cum multitudinis affectu, etiam si vires valeant, quamobrem in eo contextu Galenus minime loquitur de venæ sectione, vt iam constat.

Alii putarunt Galenum id prædixisse capite decimoquarto proxime hac antecedente statim in primis verbis, quæ sic habent: Quippe si vires eius, qui ex putredine humorum, vt positum est febricitar, valentes sint, mittendus statim sanguis est, si cruditas ventris non sit statim morbo incipiente, sin vires infirmæ sint, & ætas dissuadeat, incidenda vena non est. Porro dictum supra est eiusmodi febrem, in virtutem imbecillam non incidere, quippe synochos bene habiti corporis ac valentis ætatis propria est.]

Porro hæc opinio, quamuis videatur Galeni verbis consentanea, mihi tamen non admodum probatur. Siquidem in eo capite agit de curatione synochi putridę ex propria intentione, non autē in vniuersali de omnib. aliis putridis (quāuis indicationes curatiuæ sint communes) at vero in eo contextu duo dicit, mittendū sanguinem in synochis, & in omnib. putridis, hic locus optime accōmodatur ad synochos, non autē ad omnes putridas, rem in hunc modum habere ostendit idem Galenus, qui in c. 7. proposuit sese tractaturū de synocho putrida, q̄ repetit postea in aliis capitib. subsequētib. ac pręsertim in c. 13. vbi ita dicebat, itaq; quoniam in continentib. ex proposita stipatione febrib. (neq; enim grauari debemus iterū atq; iterum sermonē repetere, quo nunc saltem Medicorū vulgus veram Methodum condiscat) quoniam inquam septem præter naturā posita sunt &c. Ex quib. euidens est, ipsum de continente putrida sermonem habere. Confirmatur etiam ex hoc verbo, vt positum est] quia certe id posuit in hoc toto libro principium, postremo ista verba, quippe synochos bene habiti corporis, ac

ris, ac valentis ætatis propria est] adeo certe id significant, vt dubitari nequeat. Cum igitur dicunt Medici recentiores in principio huius capitis loqui de omnibus putridis, constat non esse verum, ea enim verba, quæ sic dicunt: Qui ex humorū putredine febricitant,] non sunt interpretanda in vniuersum de omni putrida febre, sed solum de continente putrida, quæ fit ex putredine humorum omnium, vt positum est, nempe ex suppositione quam supra fecerat, sese locuturum de putredine ante alias eiusdem differentias, quæ consistit in omnibus venis, aut saltem maximis, quæ consistunt inter alas & inguina, eiusdem authoris testimonio eodem libro cap. 4. Eiuscemodi autem putredinem supponere totius corporis plenitudinem ex Galeno, adeo certum est, quam quod certissimum, imo vero Galenus hoc ipso capite testatissimū facit, iis verbis, quæ supra citauimus, ostendentes non debere mitti sanguinē in synochis putridis, nisi propter solam succorum redundantiam, ita enim Galenū loqui, supra docuimus.

Egregius certe est locus iste, & nequeo abstinere, quin iterum, atq; iterum repetam, vt veram medendi Methodum doceam auditores meos, quia si de omnib. putridis febrib. in genere agit hoc ipso capite Galenus, cur queso, quando agit de mittendo sanguine in istis febrib. dicit: Etenim si nec obstructio, nec putredo subesset, sed sola succorū redundantia protinus à missione sanguinis prò naturæ suæ ratione se haberet] cur inquā solā succorum redundantiam ait? quis tam parum in reb. Medicis exercitatus auderet dicere, putridas omnes febres comitem humorū redundantiam venę sectionem indicantem habere? Cur si de putridis in vniuersum agit omnib. vires adesse validas in synochis pronunciat? quæ ineptior excogitari posset probatio, in putridis omnib. mittendū sanguinē: quod synochus accidat in corpore, cuius vires valeāt? Prætermitto hic libenter; quod dicat Galenus, neq; putredinem per venę sectionem curari posse, ceu quę alia remedia desiderent, quia in superioribus fuerunt explanata.

Nunc addo aliud, nempe admiratione dignum videri, quod à recentioribus Medicis scriptum fuit, Galenum in 11. lib. de Methodo medendi nullibi mentionem fecisse sectionis venæ in putridis febribus, quam in eo cap. 14. fuisseq́; id remedium repetitum in 15. Nam c. 10. eius operis, asseruit prius vacuandam esse multitudinem, antea quam ad detergendas obstructiones accedamus, atq; licet hunc locum nos aliter ac illi explanemus, putantes in omnibus putridis inchoantibus adhiberi vacuationem interdum venæ sectione, interdum purgatione, atq; ita includimus missionem sanguinis tanquam speciem sub suo genere, tamen illi hāc admittere nequeunt explanationem, cum de sola venæ sectione vacuationis nomen explicent, eundem habes apud Galenum loquendi modum c. 12. & 13. Verum expresse admodum, & clarissimis verbis scriptum habemus cap. 4. vbi hæc scripta inueniuntur. Vbi namque abundantia humorum est, hanc vacuabis. vbi crassi, & glutinosi, tenues eos, ac fluxibiles efficies, si plures causæ aliquando coibunt, omnibus per contraria occurres, siquidem (addit) fieri potest, vt coarctatum corpus sit, & exigui meatus densati, ac multi simul ac lenti humores subsint, in eiuscemodi autē causarum cōplexu, si recte quæ prius sunt cōprehensa meminerimus cępisse à sanguinis missione cōueniet, ac abundātia vacuata tū ad extenuādos humores venire, ab hoc ad remittēda, quæ sunt adstricta & rare facienda quæ sunt densata,] hęc Galenus. quæ docent apertissime cōmunes canones in omnib. putridis exercēdos: fieri (inquit) potest vt omnē causę putredinē efficientes coeant: tū cœpisse à sanguinis missione expedit: ergo in omni putrida cū coeunt, venę sectio administranda. Rursus cū obstructio fit à sola plenitudine in qualibet putrida idē remedium fiet. Verum quia satis circa aliorū opiniones digressi sumus, nunc tēpestiuū est docere, quid ipsi sentiamus.

In capite igitur decimoquinto adhuc versatur Galenus in curatione continentium putridarū, de qua cœpit agere c. 14. Quia vero amethodi illi Erasistrātei in harum curatione, imo vero in putridis omnib. curandis decipiebātur, qui in principio febrium omnium putridarum mittebant sanguinem, ægrotos excruciabāt inedia triduana, & perfundebāt cataplasmatis pręcordia interdū non

vacuato corpore, maxime in diuitibus, qui ob timiditatem, aut delicias, nolebant sibi mitti sanguinem, quo tamen remedio longe magis quam pauperes ob sanguinis abundantiam indigebant, voluit pro sua consuetudine hunc pessimum detestari errorē, omnino pernieiosum esse docēs, præcordia illis cataplasmatis fouere non antea venæ sectione vacuato corpore, vt scilicet hac ratione viscerum inflāmationes impediret, quæ adueniebant propter illorum vsum, & cucurbitulas copioso attracto sanguine ad viscera. ideoq; dicit: Saluberrimum est, vt prædiximus, non in synochis modo sine putredine mittere sanguinē, sed etiam in aliis omnibus synochis, quæ ex humorum putredine concitantur. Illud igitur verbum, vt prædiximus] non refertur, ad ea, quæ hoc libro scripsit, sed ad librum nonum, in quo ex proposito agens de synochis non putridis, in capite potissimum quinto declarauit, sanguinis missionem vnicum esse, & præstantissimum illarum remedium cum potu frigidę. neq; videatur absurdum, Galenum referre sese ad ea, quæ tractauit libro nono, siquidem in capite decimoquarto, cum dicat, Porto dictum supra est in virtutem imbecillam non incidere. Synochus enim bene habiti corporis, & calentis ætatis propria est] nullibi fuerunt diligentius exposita, quam libro nono, cum capite tertio, tum quinto. Quod autem hoc præceptum de solis synochis debeat intelligi, minime vero de putridis omnibus in vniuersum, præter ea, quæ dicta sunt, idē etiam satis euidenter confirmat, quod à principio capitis decimiquinti vsq; ad eum locū: Saluberrimum igitur] semper mentionem facit febrium cum sanguinis abundantia: quæ necessario solas comitatur synochos. Deinde vero, quod postea etiam synochorum meminerit, docēs in synochis ipsis ēt si prouidentia fuerit adhibita eorum, quæ in medio sit corpore, vt illi dicebant, adhuc periculosum esse præcordia caplasmatis fouere, quod deusta & veluti torrefacta viscera immoderato calore adhuc magis deuruntur atq; torrentur: ita vt locus hic, qui tantas apud omnes homines generauit controuersias, iam videatur dilucidissimus, omnique difficultate carens.

Fortassis autem dubitabit quispiam, hæc verba, verum etiam aliis omnibus] non posse conuenire solis putridis continentibus: quia dictio ista, omnib.] non solum istas, sed etiam omnes alias includit putridas: etenim longe clarior fuisset sermo, si dixisset, saluberrimum in omnibus cōtinentibus non solum sine putredine, sed etiam in aliis cum putredine sanguinem mittere. Ego autem respondeo, synochos febres, quæ cum putredine consistunt, esse plures. Etenim vtriusque generis tres differentias existere, iā plane constat, deinde vero, quædam synochus putris est, quæ accidit vitio determinatæ partis, in quā pergrādes sunt venæ & arteriæ, vt cum Galeno loquar, quemadmodū vterus. Tertio quædam est synochus putris, quę admodum excellentem putredinem habet, qualis potissimum in pestilenti cœli statu solet contingere, quædam quæ non ita excellentem putrefactionem continet. In iis omnibus conuenit venæ sectio, non in aliqua duntaxat: ptopterea recte admodum dixit, verum etiam aliis omnibus. Hic autem memineris vbi Galenus ex Linacri versione Latine dicit: In febribus non continnis modo] legendum esse, in febribns non synochis modo] quia ita omnes contextus Græci habent.

Postremo loco admittentes in illorum gratiam eum sermonem maxime vniuersalem, vt dicunt, complecti omnes putridas febres, dicimus intelligendum de febribus, quæ in plethoricis corporibus aduentunt, & quarum obstructio ab vna pendet plenitudine. quæ explanatio, quam sit consona veritati, & Galeni verbis, ea manifestum faciunt, quæ supra diximus. vbi ergo, inquies, id prædixit? prædixit (inquam) in omnib. propemodum locis, in quibus indicatione sumpta à causa faciente obstructionem scriptum reliquit, plenitudinem postulare vacuationem, nēpe c. 4. 9. 10. 12. & 14. vt supra docuimus.

Verum quia videor locum hunc dilucidasse, ad alios accedendum.

CAP. XII.

Locus Galeni in arte medica cap. 89. explanatur.

QVÆ pro confirmatione ex libro octauo de Methodo medendi cap. quarto recentiores afferunt Medici, sequens disputatio abunde explicabit. Quod tertio loco dicunt nũc examinabitur. Putant sanguinem putridum euacuari debere sanguinis missione ex Galeni verbis, tum in arte medica capit. 89. tum in nono de Methodo medendi capit. 11. Affero illius dictionem in arte medica.

Esto enim in humoribus putrescentibus accendi febrem. Indicatio in huiusmodi est vacuatio, atq; alteratio. Hæc quidem, quæ putredinem finiat manentẽ substantia. Vacuatio vero quæ totam è corpore substantiam educat. Sed dicta quidem alterationis species concoctio existit, quam vbi inuenerimus à quibus causis fieri contingat, vtiq; eorum, quæ hoc pacto salubria sunt, scientiam tenebimus. Euacuationes autem fiunt & per sanguinis missionem, & per clysteris vsum, & per vrinæ vias, atq; eam, quæ per cutem fit transpirationem, atq; præterea per eam, quæ fit ad partes oppositas, attractionẽ, atq; ad alias propinquas deriuationem] hęc Galenus, ex quibus nonnulli colligunt, venæ sectionem administrari pro vacuanda putredine, contra nostram sententiam, imo vero addunt etiam nonnulli, ex hoc loco etiam colligi sanguinis missionem dari eradicatiuam, quia Galenus ita inquit.

Κένωσις δ᾽ ἡ ἐκ τ̃ σώματος ἐξάγουσα πᾶσαν οὐσίαν] vacuatio vero, quæ totam è corpore substantiam educat.

Euidentissime, inquiunt, ista verba corruptæ substantiæ eradicationem, & eductionem, non copiæ vacuationem insinuãt, atq; in hac re meipsum arguunt, quod cum de indicante scopo agerem obseruando in missione sanguinis prætermiserim venæ sectionem eradicatiuam, solum contentus euacuatiua, & reuulsiua. Verum profecto quia hæc ipsa non recte dicta mihi videntur, est breuiter satisfaciundum.

Quia Galenus in libro artis medicinalis summa capita, ac quasi conclusiones affert eorum, quæ alibi longiori sermone prosecutus est, proponẽs pro exemplo institutæ Methodi rationem curandi putridã febrem ex suis indicationib. petitam, dixit duas indicationes duntaxat adesse præcipuas, nempe vacuationem, & alterationem. Vacuationem quidem indicant multa, primum humor omnino putridus qui per aluum, per vomitum, per vrinas, per sudorem vacuandus est haud secus, quam in iis, quæ non viuunt, quidquid ipsorum putrefactũ est, prorsus abscinditur, & separatur à sano. Secundo vacuationem postulat, quicquid in transpiratione impedita, & in obstructione continetur vel fuliginosi excrementi vel humorum qui crassi, viscidi, & multi esse possunt. Tertio quidquid impedita transpirationem, & obstructionem ipsam augere potest, quemadmodũ humorum affluxus, qui prius in operibus artis subuenire oportet vacuatione proportionata humori affluenti, vel fluxuro. Mox vero ad detergendas obstructiones accedendũ, vt libera fiat transpiratio, in qua re euaporant fuliginosa excrementa, humores moderate mouentur, refrigeratur affecta particula illorum absentia. Postremo purgandus est humor putridus. Hæ sunt vacuationes in putrida febre necessariæ atq; vacuationum est ordo. Concoctio vero, quæ alterum erat remedium à natura sola fit, quæ tamen iuuatur artis beneficio, vt proxime dicebamus detergendo, ac liberam efficiendo transpirationem. Sic vides, quomodo septem illæ indicationes, quas & accurate & sigillatim Galenus prosequitur libro vndecimo de Methodo medendi cap. 10. & 13. ad hasce duas potissimum reducuntur. Ex quibus nescio, quid aduersus meam opinionem concludant.

Dicent. Galenum docuisse modum vacuandi putredinem, atq; mentionem fecisse missionis sanguinis, ex quo inferunt sanguinem putrefactũ venæ sectione vacuari. Sed hoc non cogit. Siquidem Galenus docet in illis verbis modum

vacuationum omnium, quæ fieri possunt in putridis febribus, tum pro vacuanda multitudine, tum pro cacochymia, isti autem modi sunt. Venæ sectio, clysteres, vrinæ prouocatio, sudoris profusio, reuulsio ad contrarias partes, deriuatio ad propinquas. Venæ sectio, humoris putridi remedium non est, vt dicit Galenus vndecimo Meth. med. c. 14. sed plenitudinis solius. Clysteres, neque plenitudinis, neque febris remedium est, sed solum pro fæcum vacuatione adhibentur. Alia vero promiscue, & ad putridum humorem, & ad semiputridum, ad plenitudinem, & cacochymiam referri posse certissimum est. At fortassis instabunt, in enumeratione horum remediorum Galenum prætermisisse purgationem, occurro dupliciter huic dubitationi, per concessionem primū admittendo prætermisisse. at hoc non est vitio vertendum illi, qui exempla vacuationis proponit, si vnam vel aliam differentiam omittat: nam non hanc modo, sed alias, quæ passim adhiberi solent pro exonerandis particulis omittit, vt quæ fit ex naribus & palato. vt enim clysteres intestina, sic erhinna, & masticatoria cerebrum expurgant: hæcq; non raro in febribus symptomaticis vsurpantur. Occurro deinde per instantiam, quod putem non prętermisisse purgationem: nam si in putridis febribus aliquādo necessaria est reuulsio, & deriuatio, possunt duo hæc remediorū genera instítui purgātibus pharmacis, frictionibus, delig tuetis, balneis, fotibus, cataplasmatis. Cur enim si ex ventriculo affluunt humores pituitosi ad venas obstructionem facturi, non erit species quædam reuulsionis expurgatio facta ex melle rosaceo solutiuo? cur si in iecinoris caua humor cōtinebitur qui per aluum hunc ducit pharmaco non optime deriuabit? vt Galenus præcipit libro septimo de Methodo medendi? vtrouis igitur modo respondens satis dilucide constat, nihil habere quod nobis vere faciat negotium. Quod porro dicunt ex nono Methodi medendi capite vndecimo, colligi sanguinem putridum ex Galeni sententia vacuari detractione sanguinis, quantum aberrent demonstratum mihi abunde fuit libro primo harum disputationum capite octauo, in quo eum Galeni locum expono.

CAP. XIII.

Venæ sectionem eradicatiuam, à vacuatiua natura distinctam, secundum Galeni doctrinam non esse admittendam.

NVNC de missione sanguinis eradicatiua. Sed de nomine prius conueniendum. Arbitror ita ab illis dici sanguinis missionem, quemadmodum ab aliis appellatum olim fuit pharmacum eradicatiuum, quæ scilicet in vacuationis genere maxime à Medico exerceri solet, vt totam materiam euacuandam ducat. Huiusmodi erit fortassis sanguinis missio, quæ fit vsque ad animi deliquium, & quæ in inflāmationibus internis exercetur, donec mutetur sanguinis effluentis color in nigrum, aut liuidum, vt docuit Hippocrates lib. secundo de ratione vic. in morb. acut. tom. 10. & Galenus illius imitatione, tum in commentario eius loci, tum libro de ratione curan. per sang. miss. Quod si ita est, dupliciter aberrare videntur: Primum frustra hanc venæ sectionem introducunt. Etenim recte illud ab Aristotele fuit dictum, frustra fieri per plura, quod potest fieri per pauciora, & æque bene. Eiusmodi venæ sectio instituitur, vt euacuetur sanguis in tanta copia, in quanta excedit limites naturæ corporis, quæ vacuandi ratio non distinguitur ab omni alia vacuatione, nisi ratione quantitatis, non autem ratione ipsius vacuationis. Porro aliud est indicare quantitatem remedii, aliud indicare ipsum remedium, Vacuationem secta vena semper indicat plenitudo affatu digna quæ leuioribus sanari non possit remediis, aut morbus magnus præsens, imminens, aut incipiens ab ipsa plenitudine procreatus. Quantitatem vero tum hæc ipsa pro parte, tum plenitudinis quantitas, & qualitas, ac alia de quibus egimus libro quinto & sexto nostræ tractationis de missione sanguinis.

Equidem

Equidem non arbitror illos negaturos mihi, eiuſmodi vacuationem talem eſſe qualem dixi, quia ita ſenſu ipſo conſtat, non ob aliam cauſam, poſſe inſtitui, quam vt vacuemus tantum, quantum oportet: atque non differt re ipſa hæc venæ ſectio, ab ea quam nos ex Galeno inſtituimus. Amplius opinionem hanc vrget, quod omnis venæ ſectio, vt vacuatiuum auxilium eradicatiua prorſus eſt: ſiquidem rei natura indicans vacuationem tantum vacuandum indicat, quantus fuerit exceſſus læſionem inferens: alioquin non eſſet indicatio pro ipſius rei natura; in hunc modum plenitudo magna, & parua, & mediocris indicat vacuationem magnam, paruam, mediocrem: quæ tamen vacuationes poſtea limitantur in attis operibus ab ipſa virtute. Quorſum igitur ſi omnis indicatio pro vacuatione inſtituta, ex rei natura, non tamen ex opere, eradicatiua eſt, noua eſt venæ ſectio inſtituenda?

Præterea, quod Galenus non admiſerit aliam venæ ſectionem, quam euacuatiuam, & reuulſiuam, eius verba libro nono de Methodo medendi capite vndecimo adeo luculenter oſtendunt, vt certe in hac re aliquis adeſſe non poſſit dubitandi locus. Miror q; ſummopere, quomodo ex eo loco deducant illi dari hanc vacuationem vena ſecta eradicatiuam: cum Galenus duarum duntaxat non trium meminerit. Imo vero in toto libro de ratione curandi per ſanguinis miſſionem, ad quem veluti ad regulam omnia redigi debent argumenti huius, nihil profecto inuenient, quod illis faueat, cum totus verſetur circa vacuationem, reuulſionemque: atque ex vtraq; mixtum opus, quale deriuationem nuncupamus. ergo ſiue rationem ſpectes ipſam, ſiue Galeni verba & progreſſum, inaniter admodum venæ ſectio eradicatiua inſtituitur, diſtinctam naturam habens ab ipſa vacuatiua.

Secundo maximus in eo eſt error, quod illi agentes de indicante natura huius eradicantis remedij, dicant indicari ipſam à ſanguinis putreſcentis, corruptiq; pondere, atque prauitate. ac parum ſupra dixerant, indicari à praua qualitate ſanguinis cuius ope naturæ inutilis redditus eſt. Sunt hæc examinãda paulo diligentius, quia certe admodum pernicioſam, & humano generi vere deleteriam opinionem inuexerunt. In primis vero quærendum ſeſe nobis offert, an illi nomine ſanguinis putreſcentis, & corrupti idem intelligant. Ruſus quid intelligant nomine prauæ qualitatis ſanguinis ipſius. Putreſcens ſanguis dicitur, qui ſemimalus eſt, proxime diſpoſitus ad putredinem, vel qui iam incœperit à propria natura tranſmutari, ſed adhuc tamen tantum non fecerit progreſſum, vt omnino propriam naturam amiſerit, imo potius eiuſmodi ſit, vt facile artis beneficio poſſit priorem ſuæ ſubſtantiæ bonitatem recuperare; ita de hac re ſcribit Galenus libro ſecundo Aphoriſmorum commentario 17. & vndecimo de Methodo medendi capite octauo. Corruptus porro, & putridus ſanguis eſt ille, qui tam inſignem mutationem ſuſcepit naturæ ſuæ, vt amiſerit propriã formam, & officium, ita vt amplius nutrire nõ valeat, quemadmodũ antea, vt idem Galenus teſtatur vndecimo capite libri noni de Methodo medendi. Eradicatiuam ſanguinis miſſionem indicare non poteſt ſanguis priori modo conſideratus: quia adhuc multitudo eſt, ac dicitur ille affectus eiuſdẽ authoritate ſecundo Aphor. comm. 17. At vero recte illi dicunt, quod ſi ſanguis morbũ magnum faciat ob multitudinem, venæ ſectionem indicare quatenus eſt magnum remedium euacuatiuum. Sed ſi intelligant ſanguinem omnino putridum, & corruptum, hanc indicationem præbere à Galeni ſententia recedunt adeo manifeſte, vt nil poſſit dici manifeſtius. Nam vndecimo libro de Methodo meden. capit. octauo, huic neceſſariam eſſe vacuationem, per aluum, per vomitum, per vrinas, & per ſudores, quod etiam repetit capit. nono. Deinde Galenus eodem libro cap. 14, inquit, putredinem venæ ſectione ſanari non poſſe, ceu quæ alia remedia deſideret, vt prius demonſtrauerat. Videant iſti, quam aperte in hac ſua eradicatiua venæ ſectione, cõtra Galeni doctrinam ſcribant, & quam turpi nota ſanguinem putreſcentem, & corruptum inuicem confundant. Sed adhuc vrgeo, vt Galeni doctrinã condiſcant. Quo magis ſanguis vitiatus eſt, minus qui-

dem iuuat venæ ſectio, vt Galenus inquit, quarto libro Methodi medendi cap. quarto, vbi enim humores à ſanguinis natura optimi parum receſſerint, vt quod non exacte concocti adhuc aliqua ex parte crudi reſtent; vel quod magis excocti fuerint, quam poſtulet mediocritas, paruo exiſtente exceſſu, audacter ſanguis mittendus eſt, vbi maior exceſſus in vtroq; genere ſit factus, conſideratius agendũ vbi plurimum, in his nullus omnino mittendus eſt. Hæc Galenus quarto de tuenda valetudine. Rurſus inſpicere etiam quantitatem oportet, ſi bonus ſanguis exiguus ſit, reliquus ſuccus plurimus, in his abſtinendum à detractione ſanguinis, ſin is exiguus, ſanguis vero copioſus, audacter incidenda eſt vena. Hęc idem Galenus. Ex his diſcant, quam pernicioſus ſit error in medicina factitanda mittere ſanguinem, quo is fuerit magis prauus, eo frequentius. Sanguis multum vitiatur aut putredine, aut coctione in pus mutatum, in abſceſſibus, vel in ſedimenti naturam in ipſis venis, quod pueri proportione reſpõdet, eiuſdem Galeni teſtimonio libro primo de febrium differ. capite. 4. Purgatione ſola indiget putrefactus ſanguis, iam ſcilicet in alienam naturam tranſmutatus, vt idem aiebat ſecundo, de feb. diff. c. 12. & ſecundo, de criſibus cap. 9. Pus expurgatur ex abſceſſus ruptione & inciſione, & interdũ diſſoluentibus pharmacis. Quod autem concoctum in venis ſola purgatione, quia concocta medicari, & mouere non cruda iuſſit Hippocrates.

Perpendamus modo, quæ de ipſa qualitate ſanguinis dicunt. Duplicem, vt ſentio, habere poſſunt ſenſum eorum verba, vnus eſt, quod ſanguis alteretur in primis aut ſecundis qualitatibus, alius, quod mutet ſpeciem, ac formam. Etenim qualitatis nomen vtramq; ſignificationẽ habere demonſtratum fuit mihi commentariis Aphoriſmorum, & in primo libro de purgandi ratione. Si ſanguinis alterationem intelligunt in qualitatibus primis, non recte dicunt, huic ipſi conuenire ſanguinis miſſionem eradicatiuam. At dicent, conuenire ſaltem refrigeratoriam. Agemus de hac re parum poſtea. nunc enim de ſola eradicatiua ſermo eſt. Si vero ſecundam intelligunt ſignificationẽ, de qua Galenus in hunc modum loquitur: Fit autem ſanguis naturæ inutilis bifariam, vel cum propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat, nec amplius nutrire, ſicut prius cum vtilis eſſet, poteſt, vel ita multitudine &c.] tunc dico deperditionem formæ ſanguinis nullam omnino ſanguinis emiſſionem indicare, ſed ſolam, vt ſuperius dixi, purgationem. Hic ego miror corruptum horum indicium, qui audeant ſcribere ex iſtis verbis Galenum luculenter ſignificare venæ ſectionem eradicatiuam cum tantum abeſt, vt eam luculenter inſinuet, vt omnino totum contrarium deducatur, quemadmodum primo libro docuimus, eoq; maiori admiratione dignum eſt, quod nouerint, qualitatis nomen ad ſubſtantiam referendum, tamen ita ſcribere voluerint. ſic habent ipſorum verba,

Sed quoniam aliquis fortaſſe pro Augenio dubitandi occaſionem ſumere facile poſſet, contendens dictionem illam, [illegible] ad ſubſtantiam putreſcentem ac proinde eradicante auxilio ſanandam, reduci non poſſe: is Galenum etiam denuo audiat in libro artis medicinalis cap. 89. vbi hæc habet verba.]

Digna certe tantis viris redargutio. Aut enim vera eſt eiuſcemodi expoſitio, aut falſa. ſi vera, quomodo Galenus in iis verbis tam luculenter opinionem illorum confirmauit? aut potius cur tam luculenter illorum ſententiam deſtruxit? vt puta qui ſolum ibi meminerit venæ ſectionis tanquam auxilii vacuantis, & tanquam reuellentis vehementiorum humorum impetum ad contrarias partes vel deriuantis ad proximas? Dicent fortaſſis alios exiſtere Galeni locos, qui faueant ſententiæ. Fabulas narrant mihi. Quid enim ſentiat Auicenna declaratum fuit priori libro. quibus nũc addo quod Galenus vitioſum ſanguinem appellat etiam inutilem, ſiue ex putredine, ſiue quantitate. Quid inquient ad alios locos reſpondendum? Adeo facile eſt, adeo notũ, quam quod facillimum, & notiſſimũ. Senſum docuimus verborum Galeni in vltima parte artis medicinalis parũ ſupra, ita vt nihil dubitari in eo poſſit. Repetent, Galenum dicere. Vacuatio vero, quæ totam ſubſtantiam è corpore educat, hęc fit per venæ ſectionẽ.

venæ

venę igitur sectio eradicat. Ergo vero sic. Omnis vacuatio humoribus noxiis instituta est, vt totus humor si fieri id commode possit per vires, educatur, aut purganti pharmaco, aut venæ incisione, aut aperiendo vomicam, aut alio modo. Sed qui hoc facit, propter vacuationem id facit. Omnis igitur huiusmodi vacuatio eradicatiua, vacuariua prorsus est. Porro id non fieri venæ sectione duntaxat, ea declarant, quæ supra diximus.

Cap. XIIII.

Quid sit sentiendum in Reuulsione in putridis febribus.

ASSERENTIVM in putridis febribus mittendum esse sanguinem duę sunt in vniuersum Medicorum sectæ. Quidam enim dicunt interdum conuenire. Quidam vero semper. Illi quidem nostram opinionem confirmant: hi autem reprobant. Nos enim supra diximus indicari missionem sanguinis à plenitudine, & à magnitudine morbi: plenitudinē remedium indicare vacuationis causa: magnitudinem vero morbi ob reuulsionem: atque ita sumus interpretati Galeni sententiam libro primo de ratione curandi ad Glauconem cap. 13. vbi de febribus continuis agebat. Verum vt cum magnitudo morbi coniungatur cum vlcere, indicatio quam suggerit magnitudo non est communis cum vlcere, sed eius affectus propria, quæ coniungitur cum illo, vt inflammationis, fluxionis, abundantiæ, cacochymiæ. Sic in putridis febribus accidit, quibus cum possunt coniungi affectus aliqui particularem habentes indicationem. Inter quos vnus est inflammatio, quæ vbi contingit, propria remedia desiderat adhibenda partibus affectis, ac in illis repellentia applicamus, ac reuulsionib. vtimur pro magnitudine fluxionis, aut purgatione, aut sanguinis missione, aut vtraq;. Galenus postquam in 11. lib. de Methodo medendi posuit stabilia fundamenta artis huius, inter quę potissimum est, putredinis differētias esse tres: vna quatenus causam habet, vel causa caret. Alia quatenus in vniuersum corpus continetur, vel in particula. Tertia quatenus, vel cum phlegmone consistit, vel sine phlegmone. Docere cœpit primum omnia ad primam differentiam pertinentia in capite octauo, postea vero egit de putredine in omnibus vasis consistente, cuius exemplo etiam curationem explicuit, quæ in vna particula continetur sine inflāmatione in fine cap. decimiquinti tractationem exorditur febrium putridarum cum inflammatione: atque statim proponit præceptum de medicamentis repellentibus, & de sanguinis missione, quæ illorum vsum præcedit, & quamuis ibi non dixerit mittendum esse sanguinem gratia reuulsionis, merito id fecit, quia in libro decimotertio, de Methodo medendi explanare omnia debuerat pertinentia ad curationem phlegmonis. In istis igitur putridis non habet dubitationem reuulsionis causa mittendum esse sanguinem. At vero in aliis omnibus putridis ob exquisitam reuulsionem non facile admiserim. Primum sane, in synochis febribus habere locum non videtur, quia cum in omnibus venis, aut saltem maximis quæ sunt inter alas, & inguina, consistat putredo, determinata nulla pars est, à qua reuellere debeamus, neque demandans aliqua pars est, quam exinanire oporteat. Eam excipio duntaxat synochum, quæ fit ex putredine existente in venis vteri, à quo tum reuellere tum deriuare tuto possumus, quod tum pars vna recipiat, tum demandet, quæ supra positæ sunt: iis igitur exceptis reuulsio in synochis non fit venæ sectione, sed vacuatio. Ideo Galenus libro nono de Methodo medendi capite quinto inquit agens de istis febribus. Siquidem ea, pro vacuatione omnino suscipitur] & libro vndecimo capite 14. asserebat in putrida synocho mitti sanguinem ob multitudinis vacuationem. In aliis porro putridis si plenitudinis affectus non adsit, missio sanguinis exercenda non est, sed vel purgatio vel elysteres, vel vomitus, vel omnia simul interdum sunt ex vsu. Atque cum sanguis mittitur, non fit ratione reuulsionis, sed ob vacuationem, vt ex Galeno diximus.

Soluendæ nunc sunt rationes eorum qui contendunt in omni putrida per sanguinis emissionem reuellendum. Prima ratio in humorum affluxu nitebatur, quem impedire prius oportere scribit Galenus vndecimo de Methodo medendi capite decimo, cui satisfacientes dicimus affluxum humorum impedire proprie iis, quæ causam affluxus è medio tollunt, variaq; remedia conuenire pro illarum varietate, & afficiendi modo. Ponito acrimoniam, aut dolorem, aut multitudinem, aut cacochymiam in causa esse: tunc refrigerantia, mitigantia, vacuantia impedient, ac inter ea, quæ vacuant, inedia, victus tenuis, clysteris vsus, purgatio, venæ sectio, possunt administrari. In putridis porro si sanguinis multitudo efficiat obstructionem, venæ sectio vacuando proderit: si alii humores à sanguinis natura distincti, purgatio sanabit. Ob hanc rem Galenus numquam dixit, hûc affluxum venæ sectione remoueri, sed solum vacuationem fore necessariam antea quam ad detergendas obstructiones veniamus.

Erat secunda ratio sumpta ab ipsarum febrium circuitu, quem contendunt fieri non posse sine fluxione. Huic respondeo rationem insufficientem assignari, siquidem circuitus fit ob dispositionem partis, quæ vel generat, vel attrahit, vel suscipit, vel expellit superfluitates. ex hisce quatuor causis prima caret omni fluxione, cum ipsa particula per se generet determinato tempore humorem à quo fit periodus. Deinde si alias causas consideramus, non quidem postulat reuulsionem omnis attractio, susceptio, & expulsio, sed duntaxat quæ mitioribus remediis sanari nequit, vehemens enim motus ad ipsam reuulsionem requiritur Galeni testimonio nono libro de Methodo medendi capit. 11. Postremo possunt emendari eiuscemodi causæ vacuatione humoris exerementitii, vel contrariis causis.

Tertia ratio, quæ innitebatur in putredine determinatæ partis cum inflammatione, iam in superioribus fuit explicata; postulat enim reuulsionem, vt plurimum quidem venæ sectione, interdum vero etiam purgatione Galeni testimonio libro de rat. cur. per sanguinis mis. cap. 7.

Ad vltimam respondeo, in febre illa, cuius meminit Galenus in libro de venæ sect. capit. 12. adfuisse plenitudinem sanguinis biliosi indicantem sanguinis missionem vsq; ad animi deliquium. potissima igitur causa remedii est vacuatio plenitudinis: cui postea adiungitur loco secundo præseruatio, ne scilicet materia illa raptum habeat ad caput, ita sane vna & eadem venæ sectio vacuatiua est, præseruatiuaq;, & reuulsiua.

Cap. XV.

Sanguinis missionem euentatiuam, & refrigeratoriam non esse admittendam.

Hac postrema huius libri parte docebimus an in putridis febribus vena incidenda sit, solum vt obstructiones tollamus, vel etiam totum corporis habitum refrigeremus: quod recentiorum quidam scriptis mandauerint esse in omnibus febribus vtrumq; necessarium. Expedit hic prius recensere, quæ ab illis dicuntur, mox autem aperiemus, quid pro varietate sentiendum. ac primum dicamus de euentatiua, vt vocant. Omnes febres putridæ alicuius momenti indigent venæ sectione, quod omnes liberiorem postulent perflationem, quam sola præstat sanguinis missio. Hancq; existere profitentur communē rationem, & causam huius remedii, quo putridæ in vniuersum omnes opus habent. Neque in hoc (addunt) spectare debemus aut sanguinis multitudinem, aut aliud quidpiam, nam si in omni habitu huiusmodi febres nascuntur, & communem hæ habent causam ex impedita transpiratione, quod commune est remedium in nullis debet prætermitti. Exemplo intermittentium febrium confirmant: nam sudor, qui sequi solet illas, non sufficit ad perspirationem, quippe cum ebullitio quæ fit in corde, venis, & arteriis, multos gignat vapores, quorum transpirationem nihil tam æque iuuat, quam sectio venæ: nam densæ vaporum tunicæ non præbent transitum illis vaporibus, & humoribus.

Hinc

Hinc per ſectionem venarum patentiorem parare viam oportet, facto veluti quodam camino in corpore, proptereaq́; , niſi in vena amplum fiat foramen, ſanguinis miſſionem in febribus prodeſſe non poſſe ſcribunt. Hæc illi ex Ioannis Argenterii lucubrationibus commentantur.

In eo maximus error videtur mihi, quod venæ ſectionem impeditæ tranſpirationis remedium faciunt. Nam ſupra ex Galeno docuimus, humorem ſemimalum & ſemiputridum moderatam indicare motionem, refrigerationem, cōcoctionemq́;. Hæc autem ipſa quæ partim à natura fiunt, partim ab arte non habere locum, niſi prius impeditam tranſpirationem liberam, expeditamque reddiderimus, id vero fiet (inquit Galenus) adimendo cauſas, inuenta cuiuſq; propriæ naturæ cōtrarietate. Vtiq; ſi ex frigida cauſa ſtipatum, denſumq́; redditum corpus eſt, relaxato eo, omniq́; ratione rarefacto, ſin ex obſtructione ita ſit affectum, hac recluſa. Quod vero recludet hic quoque ad contrarietatis indicationem attentus inuenies. Vbi namq; abundantia humorum eſt, hos vacuabis, vbi craſſi ſunt & glutinoſi, tenues eos ac fluxibiles efficies, ſi plures cauſæ aliquando coibunt omnibus per contraria occurres: hæc ſi vera ſunt, quis ex Galeni doctrina audebit dicere impeditam tranſpirationem Indicare ſanguinis miſſionem aut vacuationem factam venæ ſectione? Eſt enim vacuatio huiuſmodi remedium duntaxat vnius cauſæ ex tribus ad obſtructionem faciendam concurrentibus. Idem frequenter eodem libro vndecimo de Methodo medendi repetit capite octauo, & nono: Decimotertio autem explicans epilogum omnium, quæ ad ſanandam putridam febrem requiruntur quod pertinet ad noſtram tractationem ita præclare ſcribit:

In inſtrumentali autem morbo, qui eſt obſtructio, contrarium ei eſt Græcę ἄνοιξις, quam reuulſionem puto dixeris, ſymptomati vero quod eſt tranſpirabilium retentio, excretio ipſorum cōtrarium eſt, at vero in humorum putredine, & excretio, & refrigeratio, & ventilatio, & ſemiputridorum concoctio ex aduerſo reſpondent.] ecce ex Galeno, remedium obſtructionis eſt reclusio, remedium retentionis tranſpirabilium eſt ipſorum excretio. Cauſarum autem, vacuatio, deterſio, inciſio, ſic enim ait: Ergo indicabunt præcedentium cauſarum quælibet proprium aliquid, multitudo ipſa quæ ex eorum eſt numero, quæ ſunt ad aliquid, in Prædicāmento Quantitatis vacuationem. Lentitia vero & craſſitudo quæ ſunt in Qualitatis affectu ſanationem, quæ per contraria perficitur,] ac parum poſtea: Quippe craſſus ſuccus ex aduerſo oppoſitum habet tenuem,] ac nonnullis interpoſitis ait: Quod ſi glutinoſi humoris natura ſub ea ratione intelligas quod quidquid tetigerit, huic ægre diſſolubilis adhæret, nō immerito arbitror eum, qui nec adhæret, & ea quæ adhærent, detergent, contrarium ipſis ſtatues,] hæ ſunt ipſarum cauſarum contrarietates, ad quas omnes generatim oppugnandas vacuatio locum nō habet, ſed ſolum in particulari pro ſola plenitudine ſananda vſurpari debet; hæc Galeni eſt Methodus, non quam ſibi aut Argenterius, aut recentiores confingunt. Quamobrem ſomnium narrant mihi cum dicunt, commune auxilium ad omnem retentionem tranſpirabilium eſſe vacuationem per ſanguinis miſſionem, quæ omnino propria eſt curatio quorundam non communis omnium. Rationem audiant Galeni. Quod communem habet naturam, id ſolum communem indicationem præbet, quod propriam vero, propriam. Atqui tranſpiratio impedita communem habet naturam, indicatum igitur, ac vtile pro ſui natura commune duntaxat habebit. Venæ autem ſectio indicatum eſt proprium à ſola plenitudine emanans, vt inciſio à craſſitie, deterſio à viſciditate. Amplius quæ de febrib. intermittentib. dicunt magnam difficultatem habēt. Nam ſi in corde, & arteriis, ebullitio, quæ in illarum fit acceſſionib. multos vapores generat, quid continget in cōtinuis, quid in ſynochis, quid in ardentiſſimis? non enim probabile videtur humorem extra venas putrefactum vel in habitu corporis, vel in prima tantam in corde, in venis, in arteriis ebullitionem efficere. Cur eiuſcemodi indigemus camino in corpore quod non euacuat fumum, qui in eo eſt? Cur ſi indigemus camino va-

çuante fumum, sanguinem pro fumo vacuamus? cur si sanguis exiguus est, cum vacuantes, ad summam virium iacturam corpus perducemus? nihil de amplo dicam foramine, quia libro nono de ratione curandi per sanguinis missionē docui quam aberrent. Ego quidem dum horum opinionem considero, fere similes iudico iis, qui in dolio vinum generosum continente, magnum efficientes foramen, sinant illud totum perfundi, vt aerem simul inclusum vacuent, sic qui aliud non habent suæ operationis in febribus intermittentibus cōsilium, quam prohibitam transpirationem, temere perfundentes sanguinem, hominem vel e medio tollunt, fundentes cum sanguine vitam, vel ex intermittentibus continuas efficiunt. Pauca hæc volui contra istos homines dixisse, nam plura libris de febribus fuerunt explicata.

Cæterum pro sola refrigeratione corporis adhiberi venæ sectionē in quibusdam febribus contendunt quidam, quod illis ita sentire Galenus videatur. Siquidem primo Aphorismorum commentario 23. agens de febribus ardentissimis, vsq; ad animi deliquium sanguinis missionem præcipit, non vacuationis, vt putant, sed refrigerationis duntaxat causa: illico enim totus corporis habitus refrigeratur, & febris calor extinguitur: idem ex eodem comprobant libro de sang. miss. cap. 12. vbi Galenus inquit, ex missione sanguinis vsq; ad animi deliquium refrigerationem necessario consequi corporis totius.

Ego vero non ita puto statuendum: quia sanguinis missio non exercetur ob aliam causam, nisi vt sanguis vacuetur, Galeni testimonio nono de Methodo medendi cap. 11. ex ipsius autem sanguinis vacuatione sequitur postea refrigeratio corporis totius, si ille sanguis ob efferuescentiam toto communicauerit calorem igneum. est quidem remedium maxime optandum, quod simul satisfacit indicationibus pluribus, vt in hisce febribus sanguinis missio. nam primum multitudinē vacuat suapte natura, obstructiones etiam tollit, & affluxum prohibet sanguinis. Quia vero totum corpus ex illius feruore incalescebat, eius vacuatione refrigeratio sequitur. At vero nunquam est obseruatum, neq; in Galeni neque in alterius probati authoris doctrina, sanguinem mitti solum propter refrigerationem, quia si hoc verum foret, intemperies omnis non indicaret alterationem ex cōtraria intemperie, sed vacuationem, quæ res primum medendi fundamentum destruit, vt docuimus libro de curanda intemperie, & in adnotationibus in septimum librum Galeni de Methodo medendi. Quod autem ex Galeno obiiciunt primo Aphorismorum, reiiciendū omnino, vt puta quod falsum est, nam ibi non dicit Galenus mitti sanguinē solius refrigerationis causa, sed potius contra, sanguinem vacuat potissimum ob affectum plenitudinis postulantem insignem, ac celerem inanitionem, de qua etiam in contextu ipso loquebatur Hippocrates. Veram esse hanc explanationem cōfirmant eiusdem verba in libro de venæ sectione, quæ miror ab illis non fuisse considerata, cum alioquin sint admodum conspicua, supponit enim ibi acutissimā febrem fuisse concitatam ex plenitudine feruentis sanguinis, ideoq; iubet vacuationem fieri debere vsq; ad animi deliquium, sic indicante plenitudine sanguinis feruentissimi. Non possunt illi ex hoc loco deducere solius refrigerationis causa missum fuisse sanguinem, sed solum hoc recte colligent ex eiuscemodi vacuatione vniuersi corporis refrigerationem insequi. Neq; vnquam ostendent mihi intemperiem calidam aut totius, aut partis sine materia, indicare vacuationem, qualiscunq; sit intemperies, neq; etiam persuadebunt venæ sectionem esse per se, ac sui natura præsidium refrigerans, quia ex accidenti id facit. Hæc de putridis febribus in genere, quod attinet ad missionem sanguinis hoc quinto disputationum libro dixisse sufficiant.

HORA-

HORATII AVGENII A MONTE SANCTO DISPVTATIONVM DE RATIONE CVRANDI PER MISSIONEM SANGVInis ex Galeni ſententia;

LIBER SEXTVS.

De miſſione ſanguinis in febribus putridis in ſpecie. Et de mittendo ſanguine in febre ephemera ex cutis obſtructione ab humoribus craſſis, & viſcidis.

DISPVTATIO NONA.

An in omnibus putridis in ſpecie ſaluberrimum ſit mittere ſanguinem.

SVMMA DISPVTATIONIS.

Solum ob plenitudinem vel magnitudinem morbi mittendum fore ſanguinem.

CAP. I.

De quibus agendum in hac diſputatione, & quo ordine.

NVNC vero poſtulat noſtræ tractationis ratio, vt de particularibus febribus putridis diſſeramus: eas autem proponemus hoc loco examinandas, quarum curationes Galenus ex propoſito docuit: in quibus ſi cōſtiterit eādem prorſus ab illo circa hoc remediū ſeruari Methodum, quam generatim obſeruandam eſſe docuimus ex eiuſdem auctoris doctrina, nihil erit amplius quod aliquam facere dubitationem poſſit. Nullibi Galenus egit de curatione putridarum in ſpecie, niſi in primo de ratione curādi ad Glauconem: vbi cum agat de intermittentibus primum, mox autem de continuis; ego etiam tractabo primum de illis, ſeruaro Galeni ordine. Ergo primum de intermittentibus tertianis, & exquiſitis, & nothis, & de quartanis, poſtremo de continuis tranſigam.

CAP. II.

In tertiana exquiſita non conuenire ſanguinis miſſionem ex Galeni ſententia.

QVIA tertianam exquiſitam flaua bilis omnium humorum calidiſſima, & ſicciſſima per ſentientes corporis partes delata concitat; ac potiſſimum accidit corporibus ſanguine non modo non abundantibus, ſed etiam deficientibus, venæ ſectionem ex Galeni opinione admittere non poteſt. Humor enim vacuationem poſtulans à ſanguinis natura omnino diſtat, ita vt fere maior in genere exceſſus inueniri nequeat à mediocritate ſanguinis diſtantia, propterea purgationem poſtulat pro natura vniuſcuiuſque cacochymiæ. Adde his locum, in quo excurrit: nam per ſenſitiuas corporis partes excurrit, per quas etiam expurgari debere illum rationi conſonum eſt, ideoq; ſanatur, vel per corporis habitum bile inſenſibiliter vacuata ex balneo aquæ dulcis, vel per vrinarios meatus ex decoctione apii, & anethi, vel per inferiorem aluum ex abſynthii coma-

re quæ si vera sunt indicant nullum habere locum venæ sectionem in curatione febris huius, meritoq; Galenum, vbi eam ex proposito curationem tractat, prætermisisse. At vero non sic in aliis intermittentibus facit quotidiana excepta, in quibus interdum sanguinis missionem cōtendit esse necessarium, imo agens de continuarum curatione eius remedii necessitatem explanans, docere videtur apertissime, neq; in iis semper venæ sectionē esse opportunā. Sed hæc paulo plenius, ac diligentius exponantur ab aliorum opinione facto principio.

Cap. III.

Quid alii de sanguinis missione censeant in exquisita tertiana, ac eorundem impugnatio.

Alii vero, qui in omni putrida modo vires valeant, ætasq; non repugnet, venæ sectionē protinus censent esse administrandam, pluribus modis conantur docere causam, ob quam Galenus silentio id remedium inuoluerit. Dicunt primum id fecisse, quod alias communia tradidit præcepta, quę hoc ipsum, & alia multa particularia cōplectuntur. Secundo asserunt, prætermisisse, quod ille nō putauerit tertianam exquisitam magnū esse morbum. Tertio dicunt, librum ad Glauconem, quemadmodum illius initio profitetur, quasi per figuram, & quoddam compendium scriptum fuisse, ita vt accurate omnia tractari non potuerint. Etenim memoriæ decet repetere Galeni institutum cuius frequenter meminit, se nimirum in gratiam amicorum plurima scripsisse, & illa quidem nonnunquā minus accurate, quam si publica futura essent: id quod facere in primis solitus erat, quotiescunq; ad eruditum aliquem virum scribebat, & cum quo de eodem fere argumento alio tempore fuisset collocutus, vt tam exquisita & cumulata tractatione non esset opus. Quare cum Glauco maximus fuerit Philosophus, fortasse etiam Medicus non vulgaris, adeoq; ipso Galeno familiaris, nulli mirum debet videri, si non diffuse adhibitoq; omoi studio, singula fuerint explicata. Hæc illi summatim de hoc argumento scribunt, quæ à nobis in veritatis gratiam consideranda sunt.

Atque primum sic insto. Si prætermisit, quod in communibus præceptis venæ sectio potestate cōtineatur, petierim, cur meminerit in tertiana notha: cur in quartana intermittente? Equidem communia illa præcepta æque cōueniunt omnibus: nec maior vnius, quam alterius ratio esse debet. Et certe mirū hoc iudicari debet, quod cum immediate post curationem tertianæ exquisitę, tractet de tertiana notha, in vna admittat remedium, in alia vero ne verbum quidem faciat: Euidentem hinc ego deduco coniecturam, Galenum venæ sectionem non iudicasse vtilem in exquisita, ac propterea non curasse aliquam illius mentionem facere. Hic igitur nequeunt ad cōmunia confugere præcepta. Amplius scire velim, quænam sint hæc communia, quæ supponat hoc loco: si dixerint esse magnitudinem morbi, vitium robur, ætatem florentem, (nam aliud fere imaginari nequeo) erunt eadē in tertiana notha, & in quartana, vt cōstat: atq; si in virtute communis huiusce præcepti noluit meminisse remedii, cur in continuis febribus, quæ magnæ sunt omnino, & ex consensu omnium, magnitudinis morbi facere mentionem voluit? debebat certe ibi tamquam manifestissimum hunc scopū prætermittere. At esto, prætermiserit in virtute præcepti huius. Cōuenier igitur venæ sectio in tertiana exquisita, quod morb. sit magnus. Sed si id ita habet, cur prætermisisse dicunt, quod Galenus censeat tertianam exquisitam non esse magnum morbum? hæc enim cum illis consentire nequeunt: præterquam quod infra demonstrabimus magnum morbū dici ex illius doctrina. An fortassis per communia præcepta intelligunt quæ à Galeno vndecimo de Methodo medendi dicuntur cap. decimoquinto? quod cum sit hæc febris putrida, vt huiusmodi est, conuenit illi venę sectio. Si hoc commune dixerint, est ambigo, quia, vt prædixi, debebat in omnibus febribus remedium ipsum prætermitti. Postremo, si vniuersalia theoremata hic supponuntur alibi à Galeno declarata, voluntque propterea ipsum non meminisse venæ sectionis; cur admittere

nolunt explanationem nostram ad contextum decimumnonum lib. 4. Acutorum, quando intelligendum esse dicebamus, vniuersalibus quibusdam theorematis antea suppositis? hanc derident explanationem, quam hic tamen libentissime recipiunt. Consideremus nunc secundam solutionem: hæc videtur mihi pluribus nominibus extra rem: primo quia si sanguinis missio magnitudinem morbi supponit, præsentem, aut futuram, in omnibus vero putridis venæ sectio est administranda, vtiq; omnes putridæ sub morbis magnis cōtinebuntur. Tertiana exquisita putrida est, quomodo igitur ille potuit æstimare tertianam exquisitam morbū non esse magnum? Ratio hæc videtur mihi efficacissima. Addo aliam, cuius etiam licet supra meminerim, est tamen hic necessario repetenda. Morbus magnus tripliciter dicitur: ob partis præstantiam, ob essentiam affectus, ob cacoetiā. Putrida febris, vt febris, magnus morbus est in essentia, quia calor igneus, nullusq; inueniri calor potest maior, ideoq; inter calidas intēperies summum locum tenet. At vero in latitudine febrium, maior, ac minor admittitur. Quæ ab ipsa bile coneitantur, primum gradum caloris habent. Rursus magnus est morbus ob præstantiam loci, quia cor læsum est. Cur igitur quæso, non putabimus secundum Galeni doctrinam magnum non esse morbum? Atq; hæc etiam ratio conuincere (si bene sentio) videtur illos, qui morbi magnitudinem absolulte sumptam ad ipsam sanguinis emissionē desiderant: mea vero sententia longissime distat, vt primo libro harum disputationum dixi. Deinde Altimarus etiam hic instaret acerrime, vt puta, qui mordicus defendit tertianam exquisitam vere acutum morbum esse: cuius opinionem licet non admittant multi, tamen probabilem profiteor, ac certe in eo habere veritatem videtur, quod si actu acutus morbus non est, facile potest in vere acutum transmutari, nempe in congenerem continuam, ardentemque: nec ob aliam causam putauerim ipsos sanguinis missionē in tertiana exquisita admittere, nisi ob metū futuræ magnitudinis, quod si ita habet, eadem est ratio magnitudinis morbi futuri quæ præsentis, quantum attinet ad hoc remedium recte exercendum. Postremo, eritnē magnus morbus tertiana notha? quartana intermittens? in vtraq; Galenus sanguinis missionem consulit: si magni sunt illæ febres morbi, cur ab hoc numero excludemus exquisitā? An tertiana notha, quod longior sit, vocabitur magnus; exquisita, quod breuior, paruus? imo quod hæc breuior, vehementior, acutior, quod septē periodis terminetur, lōge maior censebitur. Similiter quartana longe mitior vtraq;. At mittit sanguinem, ergo quemadmodū in spuria tertiana & in quartana mittitur sanguis, quę febres eodem modo magnæ nō sunt, vt exquisita vel ēt longe minores, sic debuisset in tertianæ exquisitæ curatione eiusdem prę sidii meminisse. Nouerunt iudiciosi, & vere prudentes viri, primas illas duas excusationes nullius esse momēti, proprerea addunt, eā tractationem scriptam in gratiam Glauconis Philosophi, esse veluti quoddam compendium, & figuram Methodi medendi, in qua non debent omnia accurate scribi. Responsionem admitto libētissime. Sed sic interrogo. Venæ sectio aut est remedium necessarium pro curatione earum febrium, aut non est necessarium: si primum receperint, instabo Galenum in curatione febris exquisitæ necessarium remedium prætermisisse quod minime conueniebat. Si dixerint non esse necessariū, cur non prætermisit idipsum remedium in reliquis febribus, vt fecit in exquisita tertiana? in tractationibus per cōpendium institutis accurate non scribuntur omnia, sed nihil prætermittitur necessariorum: in iis explicandis summam adhibere diligentiam debemus, qualem Galenū adhibuisse profiteor: Etenim quia in exquisita nō conueniebat venæ sectio, aut certe rarissime, vt explanabo parum postea, non curauit illius aliquam facere mentionem, quia in tertianis nothis frequentius, quemadmodum etiā in quartanis conueniebat remedium, opus illius fuit meminisse. Præterea, nō esse admittendū censeo curationē huius febris nō fuisse accurate scriptā, quia certe Galenus fuit adeo diligēs, adeo accuratus in causis, in signis, in prognostico, in indicationib. in materia medica, vt hac in re aliquid amplius nō videatur posse desiderari. Porro quia Auicēnæ au-

ctoritatem obiiciunt nobis. præstat hic eius dictionem explanare, quæ sic habet: Et quando est possibile, vt phlebotomes, vsque ad tres periodos fac.] iis verbis absolute non præcipit Auicenna venæ sectionem necessariam esse in tertiana exquisita, sed cum conditione, si erit possibile] quasi dicere voluerit, si fuerit necessaria venæ sectio, eam ipsam fieri debere vsque ad tres periodos: minime quidem iis verbis id remedium in omni tertiana administrandum censet, sed quando est possibile] ac certe raro est possibile: quia vt plurimum hac laborantes febre sanguinis carent abundantia, gracile, calidum, & siccum habent corpus, æstiuoq; tempore, aut saltem calido cœli statu in eam incidunt. Aliquando tamen contingit synceram bilē per sensibiles corporis partes excurrere putrefactam in plethorico habitu corporis, atq; tunc post detersionem bilis flauæ ex præcordiis cōmunibusq; viis, ne forte in venas attracta maius efficiat incendium, venæ sectionem adhibebimus. Cur vero præceperit intra tres periodos exercendum esse remedium, explanatū in iis, quæ scripsi de curatione febrium, mihi fuit. Veram esse nostram hanc explanationem, quod pertinet ad Auicennæ doctrinam, est procul omni dubio certissimum, atq; ita tandem secundum Galenum sentiendum, quæ superioribus libris scripsimus, admodum euidenter ostendunt. Nūc vero, vt magis ipsa elucescat veritas, cominus agamus cum recentioribus Medicis. Contendunt illi in omni morbo magno mittēdum esse sanguinem, si admittant vires, & ipsa non dissuadeat ætas: magnum vero morbum protinus etiam periculosum faciunt. Porro in tertiana exquisita vires existere validas nemo ambigit. Ponamus adesse ætatem. sanguis igitur mittitur ob solam magnitudinem morbi. Sed quomodo id statuere debeant, non video. Caret enim prorsus omni periculo non solum ex communi ratione, qua est intermittens, sed ēt qua inter intermittentes breuissima est accessione ad horas duodecim rarissime perueniente, vt plurimū vero horis sex, aut septem finiente. Adde; quod natura eam fere iudicat, aut periodo tertia, aut quinta, vel ex sudore, vel alui profluuio, interdum etiam vrinis & vomitu. Vnde igitur hoc imminebit periculum? Sed de tertiana exquisita satis.

CAP. IIII.

De missione sanguinis in tertiana notha & quartana.

QVÆ à Galeno de tertianæ nothæ & de quartanæ curatione dicuntur, illos, ne eiuscemodi opinionem tenerent, admonere debebant. etenim adeo aperte redarguuntur, vt ausim dicere, nihil inueniri posse euidentius. Experiamur an ita sese res habeat. De tertianæ nothæ curatione ita scribit:

Quod si sanguinis detractione indigeant, nec hoc omittendū est, sed statim à principio (ex iis quæ scis distinctione adhibita) tantum sanguinis effundendum, quantum præsentibus est conueniens.] Hæc ibi.

Quibus verbis nō loquitur absolute in hac febre mittendum esse sanguinem, sed ex conditione, si indiguerint.] At vero, ex illorum sententia semper indigent, quia saluberrimum est in omni putrida mittere sanguinem, & quia in omni morbo magno, quicunq; sit, & à quacunq; causa ducat originē, remedium hoc censent cum vtilitate adhiberi. Proponitur putrida febris magnusq; morbus ex illorum sentētia. semper igitur in principio venā incidere oportebit, quo tempore vires validæ sunt. En quantum hæc ipsa à Galeni dissentiant doctrina, imo vero, ô viri doctissimi, admirabilis hic autor admodum inepte loqueretur. quorsum enim si semper conuenit remediū, absolutā non facit dictionem? cur dicit, si indigeant? ergo nō semper fieri debet si solū fieri debet, cū indigent. Deinde quid sibi volunt hæc verba? adhibita eorū, quæ scis distinctione] num hæc verba referenda sunt ad indicationē de administrando remedio? non quidē. ea enim iā inuenta supponitur, si oportuerit, inquit. oportere antē cognoscimus ex magnitudine morbi. Distinctio igitur petenda à viribus, ab ætate, ab anni tempore, à corporis habitu, ac aliis id genus, quorum meminimus primo hatū

Dispu-

disputationum libro. Statuamus itaq; in tertianis hisce nothis non semper mittendum esse sanguinem: sed solum cum adfuerit eius remedii indigentia. At dicet quispiam, quando indigeant, declarandum. Respondeo, indigere tunc, cum à plenitudine corporis totius facta fuerit obstructio, aut si eam humores crassi, & viscidi concitauerint, corpus tamen multo abundet sanguine, accidit autem admodum frequenter in hoc habitu corporis tertiana notha. Verã existere hanc explanationem, præter quam quod superius dicta confirmãt euidentissimè; Stephanus Atheniensis Græcus auctor, & grauis, in explanationib. eius loci cõfirmat, cuius verba sic habẽt: Indiget enim laborans sanguinis missione, si plenitudo adsit, & ipse ætate sit tutus, præcipueq; si febris ipsi verno tempore aduenerit, poterit enim natura reliquũ facilius superare.] Videant igitur quam aperte doceat, quando mittere sanguinem in putridis febribus oporteat. Merito autem cum hisce circumstantiis mittendus est sanguis, siquidem licet morbus non sit actu magnus, nam febris intermittit, tamen periculum est, ne fiat continua. Adde, quod multæ sunt ex tertianis admodum extensæ, quæ aliquando nunquam intermittunt, & aliquando spatium habent intermissionis breuissimum, in quibus, si plenitudo adfuerit, prorogare non debemus venæ sectionem. De tertiana notha satis. Examinemus, quæ de quartana idem auctor dicit, proposita prius eius dictione, quæ sic sese habet: Deinceps de quartanis dicemus, quas ipsas per initia moderate leniterue tractare oportet, nullũ forte medicamentum exhibentes, nec euacuationem, nisi forte vehementer admodum abundare sanguis videatur, & si secta vena fluens sanguis fuerit niger, ac crassus (maxime vero in lienosis talis conspicitur) audacter vacuandus est, sin flauus & tenuis apparuerit, statim supprimendus] Hæc ille. Videtur mihi locus hic adeo præclarus, adeo illustris, vt censeam nullum amplius nostros aduersarios habere subterfugium. In quartana febre desiderat non solum multitudinem sanguinis, sed admodum vehementẽ: nec cuiuscunq; sanguinis abundantiam, sed solum crassioris ac Melancholici, qua præsente, mitti vult sanguinẽ, absente vero abstinendum. Consideratione dignum est, cur nolit fieri vacuationem in abundantia biliosi & tenuis sanguinis, cur enim hic vacuari non debet, si multitudine facit negotium? Causa quidem est quod in omni vacuatione is humor educi debet, qui peccat, alii cõseruandi sunt. Confert quidem eiuscemodi vacuatio: alia vero neq; confert, neq; facile fertur ab ægrotis. Quia igitur sanguinis tenuis & biliosi abundantia, crassum, & melancholicum excrementum a quo fit quartana intermittens, potest excalefacere, atque attenuare, idcirco vacuandus non est, atq; si vacuaretur, virtus redderetur imbecillior, quẽadmodum etiam idem Stephanus Atheniensis dicit, dum ea interpretatur verba.

Cap. V.

In continuis Febribus quas ob causas, de Galeni sententia, sanguis mitti debeat.

RELINQVVNTVR febres continuæ, in quibus Galenus mittendum esse sanguinem consulit eisdem de causis, quas antea quam explicem, prius operæ precium est videre, quid alii sentiant. Dicunt quidam vacuationem hanc maxime conuenire in continuis, primum ratione euentationis, quæ communiter omnib. conuenit febribus. Deinde vero quia humores cuiuscumq; naturæ sint, in venis continentur, quæ vbi ferro apertæ fuerint, facile emittent foras humorem malum, quamobrem frustra in continuis considerari cacochymiam & plenitudinem, quia vterque affectus vena secta vacuatur egregie, neque sanguis solus, sed aliis humoribus permistus exit è venis, propterea omnibus continuis febribus, siue ex vitioso succo, siue ex plenitudine originem ducant, vtiliter conuenit venæ sectio. Ego admittere nunquam hanc opinionem potui. In primis illud falsum est, at certe ab omni ratione alienum, ob solam euentationem cõuenire sanguinis missionem: siquidem, hoc nunquam à Galeno, nunquam ab aliis probatis auctoribus dictum inuenient, qui venæ sectionis

causam duntaxat dixerunt, euacuationem sanguinis, hanc vero desiderari solum duplici nomine, tum vt sanguinis motum reuellamus, tum vt multitudinem vacuemus. Alioquin, si propter solam refrigerationem sanguinem mitteremus, non solum in omnibus febribus ephemeris, sed etiam in omni morbo calido, siue à materia, siue sine materia generosum conueniret remedium, quod affirmare absurdissimũ docuimus superiore libro. Porro, quod attinet ad malos succos in venis existentes dico eos ipsos vacuari pharmaco purgante, cuius munus est familiaritate substantiæ proprios humores cum sanguine confusos attrahere, atq; sic expurgare ex venis humores vitiosos: alioquin si vna venæ sectio cacochymiam expurgat, frustra purgans exhiberetur pharmacum. Verum sequenti disputatione manifestissimum fiet, quomodo & quando in cacochymia liceat venam incidere.

Prætermissis igitur aliorum opinionibus, dico ipsum Galenum docuisse duabus de causis in continuis missionem sanguinis fieri debere: quarum vna est multitudinis vacuatio: alia vero vt morbi magnitudinem tollamus, aut futurũ aut præsentem augeri inhibeamus: neque aliæ sunt causæ. Harum vna respicit vacuationẽ, alia vero reuulsionem: Verba Galeni sic habent primo ad Glauconem capite decimotertio:

Sanguis vero & ob morbi magnitudinem, & si rubor multò maior sit, quam naturæ conueniat, ac quibus insolitus totius corporis tremor, vel eminentes, atque extentæ venæ sunt, sane est auferendus, nisi se vires, vel ætas, vel aliquid aliud eorum, quæ ab initio dixi, arceant,] Hæc ille; quæ videntur mihi maximi facienda: cum ibi ex proposito curationem doceat continuarum febrium. Memineris autem eorum, quæ tum primo harum Disputationum libro, tum aliis deinceps de morbi magnitudine diximus de Galeni sententia, nempe alio modo sumi quando ipsam contradistinguit à plenitudine: alio quando solam affert magnitudinem. Hic vero finis esto Disputationis huius.

DISPVTATIO DECIMA.

An in febre diaria ex obstructione genita à crassis viscidisq; humoribus venæ sectio conueniat.

SVMMA TOTIVS DISPVTATIONIS DECIMAE.

In febre diaria, quam fecit obstructio ex multis crassis, viscidisque humoribus; vel etiam in corpore plethorico, etsi à multitudine obstructio facta non sit, Venæ sectionem conuenire; alioquin esse maxime perniciosam.

CAP. I.

Quid in hac disputatione difficultatem facit, & quid author sentiat.

EGIMVS in superioribus disputationibus de mittendo sanguine in putridis febribus, prius quidem generatim, mox vero speciatim facta inductione circa singulas febres. nunc vero examinandum restat, an in omni diaria, quæ ab ipsa fit obstructione venæ sectio conueniat. Hoc enim apud recentiores quosdam Medicos ætatis nostræ controuersum, dubiumque videtur. Est autem potissima dubitationis causa quod cum obstructionis multiplex causa sit, nempe humorum crassities, viscìditas, atque multitudo, aut simul omnes, aut plures, variam postulant medendi rationem.

Etenim obstructio, quam sola facit plenitudo, vacuationem sola postulat, quæ si mitioribus nequeat sanari præsidiis, venæ sectione succurendum esse indicat. At vero si fiat ab humoribus viscidis detersio sanatio est, si a crassis, incisio: pluribus autem coeuntibus causis, aut omnibus, per contraria vnicuique subueniendum. Sanè vniuersalissimam hanc esse medendi Methodum constat, quam curando nullo tempore obseruare non oportet: quemadmodum Galenus lib. vndecimo de Methodo medendi capite quarto significauit hisce verbis vsus:

Quisquis igitur propositam sanaturus est febrem (agebat ibi de synocho putrida) hic simul causam eius adimat oportet, simul calorem, qui ab ea in animali concitatus est, refrigeret. Ac quemadmodum quidem ille sit refrigerandus prius est dictum. Causam vero adimi oportebit propria cuiuscumq; naturæ inuenta contrarietate. Vtique si ex frigida causa stipatum densumq; est redditum corpus, relaxato eo, omniq; ratione rarefacto. Sin ex obstructione ita est affectum hac reclusa. Quod vero recludet hic quoq; ad cõtrarietatis indicationem attentus inuenies. Vbi namq; est abundantia humorũ, hos vacuabis, vbi crassi sint & glutinosi, tenues eos ac fluxibiles efficies. Si plures causæ aliquando coibunt, omnibus per cõtraria occurres. Siquidẽ fieri potest, vt & constrictum corpus sit, & exigui meatus densati, & multi simul, ac lenti humores subsint. In eiuscemodi autem causarum complexu, si recte, quæ prius comprehensa sunt meminerimus, cœpisse à sanguinis missione cõueniet, ac abundantia vacuata, tum ad extenuandos humores venire. Ab hoc ad remittenda, quæ sunt constricta, & rarefacienda, quæ sunt densata.] Hæc Galenus. Ac rursus in eodem opere inquit: Et causarum quidẽ genera sunt multitudo, & crassitudo, & lentor humorũ, ergo indicabit præcedentium causarum quælibet proprium aliquid: multitudo ipsa quæ ex eorum est numero, quæ sunt ad aliquid in Prędicamento Quantitatis vacuationem: Lentitia vero & crassitudo, quæ sunt in qualitatis affectu, sanationem, quæ per contraria perficiatur,] quod etiam alibi passim repetit.

Igitur hæc si vera sunt, cum à plenitudine non fit obstructio, à venæ sectione abstinendum. Porro hanc Methodum stabilissimam euertere videntur, quæ in octauo eiusdẽ tituli libro capite quarto scripta sunt, in quo docens curationem febris diariæ ab humorum viscidorum, & crassorum obstructione procreatæ, ad sanguinis missionem confugit. Tota eius dictio habet in hunc modum:

Ergo vt transpiret maiore auxilio est opus, ac si quidem vel puer, vel senex sit, sanguinem detrahere non licet, inter has ætates, vbi ægro robur non deest, secanda vena est etiam si plenitudinis signa non adsint] hucvsque Galenus.

Videtur sane maxime controuersum, quomodo hæc cum supradictis cohærere possint. Absurdũ enim est, ac citra omnem rationem, sanguinis missionem in eiuscemodi febre exercendam, si nullũ adsit indicans: quis enim ambigit magnum à plenitudine nõ adesse morbum, neq; etiam à sanguinis motu, ita vt non indigeat hoc generoso remedio, vel pro vacuatione, vel pro reuulsione? Adde quod adesse videtur, quod contraindicat, obstructio scilicet ab humoribus viscidis, crassisq; procreata, quæ detergẽtia, & extenuantia postulans, ex ipsa sanguinis missione multum refrigerato corpore, & vacuatis spiritibus; adaugeri non mediocriter posset. Quis enim nescit humores crudos à calore naturali concoqui? Quis nescit calorem naturalem à sanguine conseruari, & foueri? Ego quidem tum ob has causas atq; alias, de quibus postea mentionem faciam; in eiuscemodi febre numquã sanguinem mitterẽ indicatione sumpta ab eiuscemodi causis absente plenitudine. Neq; putauerim extitisse Galenum opinionis cõtrariæ, alioquin suis principiis admodum manifeste contradiceret. Quomodo autem locus hic, qui certe maxime controuersus est, & quem plurimi faciunt recentiores Medici, debeat explanari, docebimus paulum postea.

Nam prius recensere volo quid alii sentiant, atq; simul
considerare quid bene, & non bene
dictum sit.

CAP. II.

Recentiorum opiniones.

QVIDAM recentiores, vt dixi opinantur venæ sectionem in hac febre fore vtilissimam. Sed non eadem ratione omnes. Expedit, quo dilucidior fiat doctrina, sigillatim eorum fundamenta recensere. Putant alii incidendam esse venam ob magnitudinem obstructionis; pro cuius rei explanatione pluribus contendunt persuadere Galeni scopum in eo capite, imo vero in toto octauo libro de Methodo medendi aliud non esse, quam docere curandi rationem in corporibus picrocolis, calido scilicet, & sicco temperamento præditis, minime vero in corporibus plethoricis. Totiusq; doctrinæ illius summam existere perpendi debere ante omnia obstructionis modum, atq; magnitudinem. Etenim si illa parua, leuisq; fuerit, nullum alterius accessionis imminere periculum; si vero ea sit maioris momenti, maiori in periculo rem esse. Quod si præterea corpus abundat multis crassis, & glutinosis impactis succis, fieri non posse, vt quæ sequitur febris, intra fines atque terminos febrium diariarum consistat. Namque in temperamētis & naturis mali succi, qualia sunt de quibus agitur, vt febris putrida succedat necesse est. In aliis autem excitari facile potest species aliqua febris continentis citra putredinem. Ob hanc igitur causam, morbo existente magno ob imminens periculum de transitu in putridam consentientibus viribus, & ætate, quamuis nō adsint plenitudinis signa, ad sanguinis missionē accedendum putant, atq; in hunc modum exonerato corpore, postea detergentibus extenuantibusque pharmacis vtendum, quæ admodum calida non sint. Ita quidem illi de hac sentiunt controuersia.

Alii vero, quoniam putant sanguinis detractionem in omni obstructione, vtilissimam, contendunt in ephemera, siue orta sit ab humoribus crassis, & viscidis, siue à plenitudine, mittendum esse sanguinem. Siquidem quāplura faciunt indicantia venæ sectionem. Etenim quædam est refrigeratoria, vt quæ à febribus ardentissimis indicatur, vt Galenus dicebat libro de venę sectione, & primo Aphorismorum. Quædam vacuatiua, quædam reuulsiua, vt idem scribit nono libro de Methodo medendi capite vndecimo. Quædam eradicatiua eiusdem authoris testimonio in arte medica cum dicebat: Euacuatio est, quæ totam è corpore materiam euacuat, atq; parum postea inter istas vacuationes venæ sectionem recenset. Postremo quandam efficiunt venæ sectionem euentratiuam, qua scilicet obstructiones tolluntur, humores, qui liberam transpirationem nō habebant, euentantur, ac transpirant, de hac ipsa dicunt Galenum locutum fuisse in hoc octauo lib. de Methodo medendi præcipientem in obstructione sine plenitudine mittendum esse sanguinem.

Deniq; doctiores nonnulli dicunt, venæ sectionem nō esse administrandam in omni obstructione, sed solum in ea, quam ipsa facit plenitudo, indicatione sumpta in propria obstructionis natura, aliter autem sentiendum, si quis considerauerit obstructionis causas, quatenus facturæ sunt obstructionem. Affluxus enim humorum debet primo remoueri anteaquam ad detergendas obstructiones accedamus, alioquin, inquit Galenus libro vndecimo de Methodo medendi, eas magis impingemus. Affluxus autem tollitur vacuatione, quæ fit venæ sectione. Quando igitur Galenus dixit, in ephemera ab humoribus viscidis sine plenitudine mittendum esse sanguinem, id solum considerauit, quod futurum est humorum scilicet fluxionem, ob quam pro reuulsione venæ sectio non solum est vtilis, sed etiam maxime necessaria. Aliorum opiniones de hoc argumenro sic habent.

CAP. III.

Positarum opinionum impugnatio.

EGo antem ab omnibus non mediocriter dissentio. Atque prius disputo aduersus priores, qui omnia Galeni verbis confirmare consueuerunt hoc pacto. Nullus extat huius authoris locus, in quo significauerit humores viscidos, & crassos indicare venæ sectionem. Nec aliquis etiam extat, in omni obstructione, quatenus obstructio est, venæ sectionem fore necessariam demõstrans, imo vero vbiq; Galenum contrarium semper docuisse constat, vt cum obstructionem asserit venæ sectione sanari non posse, ceu quæ alia remedia desideret, quem locum in disputatione de putridis febribus considerauimus. At inquient fortasse, plane illustrem esse hunc, quem præ manibus habemus, (ita enim illi loquuntur) ita vt quæstioni locus non sit. Verum neq; hic mihi satisfacit, neque probatio sufficiens. Non satisfacit locus, quia obscurissimus est, non plane illustris, vt dicunt, maximeq; controuersus, in quo certe id non dicit, quod profitentur. Hoc enim commune axiomia est in Galeni doctrina, sanguinem interdum mittendum esse, etiã si plenitudinis signa non adsint, nisi vires repugnent, aut ætas: quo axiomate & in Methodo medendi, & in libro de ratione curandi per sanguinis missionem passim vtitur. Neque conuenit commune decretum tanquam proprium accipere. Nemo est profecto qui nesciat, quãtum inuicem distent duo hæc pronunciata, sanguis mittendus est interdũ sine plenitudine, & hæc obstructio à crassis, & viscidis humoribus genita venæ sectionem indicat. dicemus autem de hac infra diligentius.

Amplius omnis magnitudo morbi venæ sectionem indicans, fit vel à sanguinis copia vel ab eiusdem fluore, ac motu, vt primo libro harũ disputationũ demonstratum fuit. atqui in hac obstructione copia non adest, neque fluor: quia humores crassi & viscidi solum faciunt negotium, vt illi supponunt.

Præterea ex iis principiis quæ ab illis posita, & concessa sunt, in hunc modum vrgeo: magnam adesse obstructionem putant, atq; hanc ipsam indicare venę sectionem in eiuscemodi febre. Hoc ego admitto libentissime principium, siquidem fieri non potest, venæ sectionem aliquando administrandam nisi morbus aliquis adsit, vel immineat magnus, vt primo libro mihi dictum fuit. At illi in hoc ipso potissimum non bene sentiunt, quod debebant cognoscere, de qua magnitudine obstructionis Galenus loquatur: Etenim obstructionem triplicem ibi constituit statim in principio capitis illius. Vna est parua, alia mediocris, quam maioris momenti appellamus, alia denique magna est. si fuerit obstructio parua, si quis eam recte deterserit, futuram accessionem vetabit. si vero mediocris extiterit, vtique si quispiam non sit in medendo diligens, periculum transitus minatur in putridam. At si magna extiterit, hæc ipsa certe intra terminos diariarum minime consistet. Magnam vero obstructionem esse quã omnes causæ obstructionẽ efficientes cõcitant, multitudo scilicet, crassities, & visciditas, dubitari non debet. Vbi ergo obstructio magna efficit ephemeram, equidem venæ sectio administranda magnum præsidium illi proportione respondens. Hoc sane videtur mihi, nisi fallor, maximum contra hanc opinionem argumentum.

Nec præterea, quæ illi de Galeni instituto longiori sermone dicunt, aliquid persuadent. Nam plane sentio cum illis, potissimum scopum versari circa corpora cacochymica, præsertim vitioso succo abundantia: nõ tamen ob hãc caussam negari debet, quin admirabilis ille author aliquid obiter, pertinens ad plethorica corpora, scribat, ita enim sæpe facere solet Galenus, cõtinuitate sermonis ductus: imo si bene sum in illius lectione versatus, adeo hoc propriũ videtur mihi eius authoris, vt nullum inueniri librum profiteat, in quo quædam parerga, & obiter dicta non sint: prætermitto volens locos multos: hic ipse, qui nũc in cõtrouersiam venit, manifeste docet id verissimũ esse, in quo agit de genera-

tione ſynochi febris,& corporũ plethoricorũ mentionem facit neceſſitate quadam. Cum enim propoſuiſſet ſeſe docere velle curationem ephemeratum omnium, atq; modum generationis earundem, & præcautionem ne illæ in alias febres degenerent, nempe continentes quidem, de quibus acturus erat ſequenti lib. to, aut putridas, de quibus vndecimo, neceſſe fuit meminiſſe corporum, quæ malis ſuccis prædita ſunt, & plethoricorũ, quia illa facile incidunt in putridas, iſta vero facile, in continentes degenerant. Affero nunc Galeni verba, vt oſtendam, quam vera ſit opinio propoſita; Cum igitur ait: Quod ſi & multi, & craſſi, & viſcidi impacti ſucci ſint, fieri non poteſt, vt intra terminos diatiarum febriũ contineatur, quæ ab hac cauſa cõcitatur febris,] generatim, in his verbis proponit periculum tranſmutationis in alias febres. Poſtea particularem modum tranſmutationis explicat, ac primum degenerationem in putridas, hiſce verbis vſus: Quando ex neceſſitate huic in mali ſucci naturis ea, ex putredine humorum accenditur, ſuccedet] ſecundo declarat degenerationem in ſynochum, cũ inquit. Nam aliis ſaltem temperamentis, quæ in ſequentib. exponam ex tali cauſa poteſt citra humorum putredinem excitari aliqua continentis febris ſpecies,] Hæc Galeni verba oſtendunt, quędam obiter dici interdum ab eo, quæ à primario ſcopo non longe abſint. Cæterum nihil eſt quod illi ad imaginariam magnitudinem confugiant, quoniam lib. ſecundo harum diſputationum, quanti fieri debent, explanatum mihi abunde fuit De primæ opinionis impugnatione hæc ſufficiant.

Secundæ opinionis impugnatio admodum facilis eſt, ſi vera ſunt, quæ ſcripſimus libro primo diſputationum, & ſecundo, ac tertio de ratione curandi per ſanguinis miſſionem, vbi demonſtratum fuit mihi, duabus duntaxat de cauſis mitti ſanguinem, tum vt eius multitudinem vacuemus, tũ vt vehementem impetum ad oppoſitas partes reuellamus, vel per vicinas deriuemus, ideoq; fruſtra quidam recentiores dicunt, hoc remediũ aliquando ſolius refrigerationis cauſa adminiſtrandum, aliquando ob ſolam obſtructionem, atq; aliquando ad eradicandam materiam fuiſſe inſtitutum, ſiquidem Galenũ ita ſentientes negligunt, ex cuius doctrina conſtat, cauſam ob quam inciditur vena, ſolum eſſe, vt vacuetur ſanguis, atq; abſurdum iudicari, aliud vacuari à ſectione venæ, ac aliud eſſe, quod eam indicet. Refrigerat, inquiunt, venæ ſectio, fateor id contingere ex accidenti, at à caliditate indicari per ſe non poteſt. Sed vt refrigerat, ſic etiam interdum calefacit, cum ſanguinem ferueſcentem, atq; ſemiputridum in venis attrahit, quod contingere in phlegmonoſa laſſitudine Galenus commemorat, ac etiam cum bilis excrementitia circa iecur exæſtuans venas repit: idem remedium interdum exſiccat priuando corpus alimento ſalutari: idem humectat, cum languidum efficiat calidum innatum. Hæc declarata ſunt alibi. De ipſa euentatione quid dicam? An admittã omnem humorem conculcatum, in loco calido contentũ, euentari, ac tranſpirare ob ſanguinis miſſionem? non id certe quidem admittam; vt qui ſciam, vniuſcuiuſque obſtructionis remedium eſſe apertionem, vt Galenus docuit libro vndecimo de Methodo medendi, & in vltima parte artis medicinalis. Venæ ſectio non poteſt ſanare obſtructionem, quia ſi craſſi, & viſcidi impacti ſunt humores, non aperit illam, ſed multo magis impingit, at vero omnem ſanãt incidentia. & detergentia, vt explanaui in commentariis artis medicinalis, ſolam obſtructionẽ à multitudine ſanguinis factam, venæ ſectio ſanat. Eradicatiua ſectio venæ, eſt eadem cum vacuatiua, ſolum in eo diſtans, quod quæ vacuat. plus aut minus educere ſanguinis poteſt. Eradicatiua vero ſemper multum, vt in ea ſit, quæ vſq; ad animi deliquium interdũ adminiſtratur. Nunquam profecto ad extremum vacuationes ducendæ ſunt, quæ totam præciſſe materiam educant (quamuis id primum artis inſtitutum eſt in vacuatione) quod vires ipſæ plerumq; non ferant, atq; quod exactè quantitas vacuationis ſciri non poteſt. Extremis morbis extremæ curationes cõueniunt, ſummæ plenitudini ſumma vacuatio debetur, quantum tuto per vires ipſas nobis conceditur.

Ad po-

Ad poſtremam opinionem aggredior, quam video placere multis, qui hodie publice medicinam profitentur, quæ tamen ſi conſideretur diligentius, non eſt magis probabilis, quam quæ ſupra reprobaræ ſunt. Vt enim veriſſimũ eſt, primũ omnium in putridis febribus curandis humorum affluxum impediri oportere, ſiue actu fluant, ſiue fluxuri ſint, (ſic enim ego humorum affluxum intelligo) hocq; opus potiſſimum fieri vacuatione, vt Galenus monet, tum vndecimo lib. de Methodo medendi, tum etiam hoc ipſo capite, quod interpretabimur, ſic profecto falſiſſimum eſt, omnem humorum affluxũ venę ſectione corrigẽdum. conſiderare enim oportet, qui humores fluant, aut fluxuri ſint, ſi fuerit ſanguis, aut ſolus aut aliis mixtus qui fluat, protinus incidenda eſt vena, ſi vero humor à ſanguinis natura alienus purgante pharmaco vtemur, vt Galenus docet quarto de Methodo medendi capite ſexto, & libro de ratione curandi per ſanguinis miſſionem cap. ſexto, & octauo. Declarauimus hoc ipſum ſatis euidenter tum libris de febribus, tum libro quarto ſecundi tomi epiſtolarum medicinalium, ad quos locos lectorem ſtudioſum remittimus. Verum quoniã caput hoc quartum, circa quod præſens verſatur diſputatio, vſq; ad dimidiam fere partem, magnas difficultates habet meorum auditorum gratiam, qui ſummis precibus frequenter poſtularunt, vt explánarem difficilem Galeni locum, & ſententiã maxime controuerſam, id nunc facere decreui, vt etiam in aliis libris feci, ſic enim mirum apparebit artificium authoris huius, atq; in omnibus conſenſus, quæ de hac materia ſcripſit.

CAP. IIII.

Explanatio quorundam verborum difficilium Galeni capit. quarto libri octaui de Methodo medendi.

GALENVS itaq; libro octauo de Methodo medendi cap. quarto de febrium ephemerarum, quas ipſa genuit obſtructio, curatione, in hunc modum locutus eſt.

Etenim ſi propter obſtructionem aliquando (vt dictum eſt) morata tranſpiratio ſit, ſi parua ea ſit, qui eam recte deterſerit, ſecundam fore acceſſionem vetabit: ſin momentanea, nõ poſſis ita promittere. Quod ſi multi, & craſſi & glutinoſi impacti ſucci ſint, quæ hos excipit febris, fieri non poteſt, vt intra fines diariarum conſiſtat.

Explanaturus Methodum curandi hãc febrem, ſtatim tres affert in medium obſtructionis differentias, à quibus curandi petit conſilium, cum ea obſtructionis varietate curationẽ variari contingat. Ex iis differentiis, vnam appellat paruam, aliam vocabit parum poſtea mediocrem, quam hic interpres momentaneam appellat, non tamen recte, vt parum poſtea explanabo. Tertia obſtructio cum ab omnibus fiat cauſis obſtruentibus, merito dicere magnam poſſumus. Si parua (inquit) fuerit obſtructio, qui recte eam deterſerit, ſecundam fore acceſſionem prohibebit. Etenim ephemera ſanabitur, cuius vnica acceſſio eſt, vetabitq; ne de cætero fiat tranſmutatio in aliud febris genus: quæ tranſmutatio fieri non poteſt ſine acceſſionis nouæ aduentu, quam hic ſecundam acceſſionem vocat. Verum mediocri exiſtenti obſtructione, non poſſumus ita de facili promittere: ſiquidem interdum ſuperueniente aliquopiam ſudore bono, aut vapore, aut multa bonæ vrinæ copia, permanet intra terminos diariarum febrium: vt enim incepit illa ephemera, ſic terminatur ephemerarum modo. Interdum vero acceſſio adeo prorogatur citra vacuationem bonã, vt vel in putridam, vel in continentem tranſmutari poſſit. Porro ſi magna extiterit obſtructio qualis eſt quam concitant omnes cauſæ obſtructionem facientes in vnum conuenientes, humorũ ſcilicet plenitudo, craſſities, & viſciditas, vtriq; hæc ipſa, quæ incepit ephemera, manere non poteſt ephemera, vt puta quæ neceſſario mutabitur in putridam, vel continentem ſine putredine. Et id quidem contingit ſecundum propriam illius naturam, non autem ob aliam cauſam, quoniam ſi relinquatur naturæ ſuæ, fieri non poteſt quin aliqua ſubſequatur tranſ-

mutatio; hæc tamen impeditur aliquando ab arte generosum præsidium faciente, quo duce progressus illius impeditur. Ergo ita differunt dictæ obstructionum differentiæ inter sese. Quod parua obstructio ex se facit ephemeram semper. Mediocris interdum putridam, ac interdum continentem facit, ex propria vi eius naturæ, ita vt hæc media sit inter extremas, paruã scilicet atq; magnam obstructionem. Propterea non sempet terminatur vi ephemera, neq; semper in aliud genus mutatur. Magna obstructio semper quod pertinet ad suam naturam facit transmutationem in alterutrum genus, vt proxime dicebamus. Considerandasunt quædam verba: ac primum, quod dicit, Ἀξιολόγου δ᾽ ἐμφραττομένης] Thomas Linacer ita vertit: Sin momentanea.] At meo iudicio nequit ita latine verti. Quia momentaneum proprie significat, quod breuem habet naturã, seu, quod passim dici consueuit, in puncto, in instanti, in momento constitutam. Galenus autem hic non habet hunc sensum: quoniam separat istam febrem ab ea, quam concitauit obstructio parua: sensus autem verborum Galeni est, febrem hanc esse alicuius momenti: quasi dicere ita velit. Febris ex parua obstructione genita non est alicuius momenti, quia soluitur statim, alia vero mediocris, maioris est momenti, quia transmutatur in aliud genus, suamq; accessionem prorogat ad diem secundam, ac interdum tertiam. Quamobrem hæc dictio Ἀξιολόγου] addit gradum quendam magnitudinis supra paruam obstructionem, vt proxime dicebamus. Cum vero inquit: Quod si & multi, & crassi, & glutinosi impacti sunt succi] trium causarum obstructionem efficientiũ concursum indicat multitudinem, seu plenitudinem ipsam vtramq; quo ad vasa, & quo ad vires, cum ait: Et multi.] Humores deinde crassos, cum dicit: Et crassi: postremo viscidos, addens in oratione, & glutinosi.] Dum vero Galenus addit:

Quando ex necessitate huic in mali succi naturis ea quæ ex putredine humorum accenditur, succedet. Nam in aliis saltẽ temperamentis qua in sequentibus exponam, excitari ex tali causa potest citra putredinem humoris aliqua continentis febris species.]

Transmutationis in putridam, vel in continentem febrem causam explicat Galenus hoc loco. Mali succi naturę sunt, quæ malis humoribus, quales potissimum uni qui à sanguinis natura distant, vt bilis, melancholia, & pituita, abundant. Hic vero speciatim agit de naturis picrocolis plurimam bilem amaram coaceruantibus. In iis naturis, quod expirat per cutem, amarum, & acre & fuliginosum existit, quod retentũ facile febrem efficit, ac retinetur propter obstructionem. Febris autem fit duplici de causa: tum quia intus cõtinetur excrementum calidum, tum quod impediatur ingressus aeris pro refrigeratione calidi innati, quod postea mutatur in igneam naturam. In aliis vero temperamentis, quę multo sanguine abundant, quod expirat halituosum est, atq; benignũ, & humidum, quod si retineatur, ob obstructionẽ copia sanguinis augetur, fitq; plenitudinis affectus: in hisce naturis fit synochus, vt in lib. hũc sequẽte docebit. Addit.

Porro capere eiuscemodi sermones omnino nõ potest, qui prius in memoratis operib. nõ sit exercitatus, ac potissimũ, in eo ꝙ de febriũ differẽtia inscribitur.]

Opera hæc sunt à Galeno primo octaui huius libri princ[i]pio proposita. Extat autẽ locus insignis lib 1. de febriũ differentia c. 3. in quo Galenus docet quõ febres generẽtur ex calidi effluuii retentione, & ex obstructione, atq; adstrictione cutis, præsertim in naturis, quæ abundant malis humorib. vel ex proprietate temperamenti, vel ex cibis mali succi, vel deniq; quod frequentib. cruditatib. afficiuntur. De iis autem loquitur hoc loco, qui ignorabant, qui affectus fierent in corporibus nostris à causis calorẽ præter naturam generantib. quarum occasione febricitare contingebat. Erat autem duplex eorundem Medicorum genus, vt eodem lib. c. 2. idem Galenus testabatur. Sed hæc prætermittenda sunt, quæ in commentariis libri illius sunt mihi diligenter exposita. His ita expositis docere vult modum cognoscendi eiuscemodi transmutationem cum inquit:

Nam vbi obstructio quæpiam mediocris est ob quã febr citant, quib. vitiosus est succus, in primi hic, atq; ẽt secundi aliqua parte nullu est in pulsu putredinis

signum

signũ,q̃que vt nec cruditatis in vrina. Protracta tñ inclinatione,nec amplius pro ratione,sicut post sũmũ vigorẽ inceperat,cadẽte, suspectus est affectus. Veluti è diuerso in quib.ad dissolutionẽ festinãt, vel halitus aliquis, vel sudores emanãt, vel multa bona vrina,cũ signis in pulsu bonis,in iis ꝓcul dubio diaria febris est.]

Signa transmutationis ephemerarũ in putridas a duob. potissimũ fontib. sumuntur,quorum vnus est rei essentia, alter autẽ accessionis prorogatio citra salubrem aliquampiã vacuationem. Affectus est obstructio ex cuius natura id petendũ est iudicium. Si parua fuerit,transmutationis periculũ non est,si quispiam recte deterserit:mediocri existente obstructione potest contingere transmutatio non tamen necessariũ est,nam qui non habent humores putrescibiles facile difflantur,eiuscemodiq; periculum euadunt. At vero,si obstructio magna extiterit,fieri nõ potest quin succedat aut putrida,aut synochi aliqua species. Si protrahatur declinatio magis,quam conueniat naturę ipsius rei,suspicari possumus transmutationẽ. Siquidẽ omnis ephemera ex obstructione vsq; ad secundæ diei partem aliquã extenditur, in quo spatio apparebunt omnia fere propria diariarum signa. Distant autẽ inter se,q̃ quæ fit a parua obstructione, numquã extenditur supra secundã, quæ à mediocri, extenditur aliquãdo,quæ a magna gignitur,semper ad tertiã accedit diẽ. hoc autem est , quod dicere vult Galenus hisce verbis :Protracta tamen declinatione,nec amplius pro ratione,sicut post summum vigorem inceperat, cadente.] Intelligo protractã indicationẽ supra diem naturalem quã numquã excedunt sua natura ephemeræ exactæ,de quib: parum postea quædã dicemus pro ratione] vero id est proportione iã explanata. Ergo si transmutari hæc debeat febris in alienam speciem,cognoscere statim incipiemus transacta aliqua parte secundę,cũ adhuc vigeat,nec inclinet febris,debet.n. omnis ex obstructione ephemera , si vt conuenit terminatura est, inclinationis præbere signũ post dimidiã fere partẽ secũdæ. Hoc signũ fuerit transmutationis euidens. At è contra si videbis in principio alterius diei, aut parũ postea euidenter declinare febrẽ,q̃ ille dicit,ad dissolutionẽ festinare] vel halitus quosdã suaues erũpere è cute,vel sudores moderatos cũ bono pulsu,cũ multa,& bona vrina; nullã habere amplius debes de transmutatione suspicionem. In ephemerarũ declinatione vt plurimũ suaues quidam erumpunt sudores, aut halitus è cute aliquando non apparent,sed maxime propriũ signũ in omnib. est vrina bona,qualem descripsit sanorũ similem libris de febriũ differentia,priore ad Glauconẽ & de crisib.atq; nos in cõmentariis eorũ docuimus. Ob hanc cãm alternatiue locutus est. Cũ vero dicit:in iis procul dubio diaria febris est] apertissime ostendit febrem factã à mediocri obstructione, vere dici debere diariam: quia & in ingressu,& in progressu,& egressu,eius febris naturã æmulatur. Porro q̃ sequuntur verba,magnam ac fere inextricabilem habere difficultatem videntur. Sed quæ ex parua oritur obstructione, ea vt dictum est , saltem inter initia similis diariæ est. Protracta tamen inclinatione suspecta redditur.]De febre agit in hisce verbis: diaria à parua obstructione procreata de qua hæc dicit, primo hanc esse similẽ diarię inter initia. Secundo id fuisse ab ipso prędictũ antea. Tertio suspectã reddi si protrahatur inclinatio. Quarto indigere maiore auxilio vt corpus transpirati ne scilicet fiat transmutatio in putridã. Videtur hæc aut omnino falsa,aut certe maxime difficilia Falsum est febrẽ ex parua obstructione similem esse diarię. Siquidem q̃ cũ alio similitudinem habet id quidem cum illo nõ est idẽ. Hęc igitur febris proprie non erit diaria. Atqui diariam esse vere, duplici ostenditur argumento. Primum q̃ qui recte eã deterserit,secundam fore accessionem vetabit. Aliud quod facta ex obstructione mediocri, põt esse proculdubio diaria: Ergo multo magis erit inter diarias reponenda, quæ ex parua gignitur obstructione. Secundo non video,vt possit cõstare hoc verbum, vt dictũ est] nullibi.n. prædixit hanc febrẽ nõ esse diariam: Imo vero contrariũ dixit statim in principio c. huius. Mox si diaria nõ est,cur hoc lib. agit de hac febre,in quo libro solũ propositũ est sermone prosequi diarias. Tertio cũ dicat similẽ esse diariæ inter initia videtur parũ sibi ipsi cõstare. Etenim si secũda accessio nõ fit,si quis recte de-

terſerit,cur dicit,ſimilem eſſe falrem inter initia?hoc enim facit ſimilitudinẽ adeſſe ẽt in fine. Poſtremo mirum videtur, quod dicat maiore indigere auxilio,vt corpus tranſpiret, paruus enim morbus non poſtular maius aliquod auxilium.

Deinde comparationem facit cum dicit,maiori:petieiim,ad quid fiat huiuſcemodi comparatio in febre orta ex obſtructionẽ parua: nihil enim offendes ad quod referri poſſit, ſi recte conſideres. Hi quidem nodi ſunt fere inextricabiles,quos etiam atq; etiam admiror neminem hactenus qui Methodum Galeni illuſtrare conati ſunt animaduertiſſe.

Dicam ego primũ quid ſentiam,mox autem iuxta cõmunem lectionem Græcorum codicũ explanare conabor Galeni ſententiam.Mea igitur opinio eſt,deprauatum eſſe hunc contextũ,deprauationẽq; conſiſtere duntaxar in hac voce: Parua] pro qua ſubſtituendam cenſeo: Magna] potuit autem lapſus cõtigiſſe facilis ex μακρὰν] in μικρὰν] ſi.n.ita legamus,dubio procul omnes ceſſant dubitationes,atq; doctrina redditur Galeni adeo illuſtris, & præclara,vt nihil magis. Verum ne gratis in hanc ſuſpicionẽ videar incidiſſe, expedit afferre cauſas. Multę ſunt apud me coniecturæ prærer eas quas dubitando recenſui,quaiũ quædã ſumitur ab ordine propoſitarum rerũ,quædam à differentia obſtructionis:aliæ ex varia lectione antiquorũ cõtextuũ: alia rurſus ab intelligentia verborũ Galeni. De duab.poſtremis dicam hoc c.de aliis vero deinceps ediſſeram. Quod igitur pertinet ad intelligentiã verborũ Galeni, non video qũo plane poſſint ea verba interpretari de obſtructione parua ob eas ipſas cauſas quas diximus:at cũ maxima facilitate accõmodãtur febri de obſtructione magna procreatæ. Hæc enim ſolum in principio eſt ſimilis veris ephemeris,in fine autem lõgiſſimo diſtat interuallo, quia aut putrida aut ſynochus euadit.In progreſſu ẽt differt,quia tranſacta ſecunda die,nullũ apparet ſenſibile ſignum inclinationis, ſed dum viget in ſuo ſtatu. Idcirco rectiſſime addit illud vt dictũ eſt, quia in principio c.huius ſtatim dixit, fieri non poſſe, vt quæ fit à multis,à craſſis à viſcidis humorib.ſimul intra terminos diariarum conſiſtit,ideo ſolum ſimilis eſt in principio, prima ſcilicet die,in aliis vero differt plurimũ. Deniq; hæc ipſa maiore indiget remedio, quã alię febres:quia cauſa longe maior,ac vehemẽtior eſt. Vides quã bene mutatione vnius voculæ, imo vero vt dicam, vnius duntaxat literæ Græcæ omnia recte conſentiant,omneſq; dubitationes ceſſent. Cæterũ pro abſolutione huius tracta.adnotanda ſunt 4. vnum, ꝙ aliud eſt fieri febrem diariam, aliud vero permanere diariam:ex obſtructione magna febris diaria fit,quia incipit diaria, ſed poſtea non manet intra terminos diariarum,quia neceſſario mutatur vel in putridam, vel in continentẽ,niſi artis medicæ beneficio ſubueniatur. Secundo notari velim veterem interpretem huius loci hanc nouiſſe lectionem, expedit recenſere illius verba,quæ ſic habent: Sed quæ demum per aliam obſtructionem ſimilis quid ephemeris eſt, vt dictum eſt ſecundũ diem primam.] Dixit quidem per aliam obſtructionem,non per paruam obſtructionem,atq; ſecundum diem primam vt id tẽpus ſignificaret,quo eſt ephemera. Tertio cõſidera,quod dicit, hanc febrẽ maiori auxilio indigere,qui loquendi modus refertur ad alias ephemeras:nã obſtructio parua,& mediocris poſtulant incidentia,& detergentia remedia,cum fiant ſolum ab humorib.craſſis,& viſcidis:hæc vero poſtulat maius ẽt auxilium:nã conueniunt eadem incidentia, & detergentia,ſed antea mittendus eſt ſanguis,quod remedium in eiuſcemodi cauſarũ cõplexu debet omnino præponi omnib.eiuſdẽ Galeni teſtimonio lib. 11.de Meth med.c.5. Poſtremo diximus pro eo ꝙ Græce Galenus ſcribit μικρὰν] pro eo nos ſubſtituimus μακρὰν,] nam fortaſſis ita ſcripſit Gale.ſed vel caſu aliquo,vel typographi opera, vel tranſcriptoris facta fuit mutatio vnius literulę, nempe α in ι,ex qua poſtea ſenſus mutatus ſit, nam licet μακρὰν] ſignificet proprie, longam] ſi latine proferre volumus, tamen ſignificat etiam μέγα] apud omnes ſcriptores Græcos. Sed certe, vt audeo meas haſce dubitationes,& cõiecturas afferre in mediũ, ſic non audeo certo pronunciare rem ipſam ſic habere, indicabunt alii de cætero rectius. Dies enim diei eructat verbum,& nox nocti indicat ſcientiam.

Quo-

CAP. V.

Quomodo explanari debeat hic contextus si deprauatus non sit.

NVNC vero experiri placet quō contextus hic debeat explanari, si mendosus non est, conabimur autē quo ad eius fieri pōt, superare difficultates omnes. Primum vero statuendū est ephemerarum febrium differentias esse duas: quædā enim exactæ sunt ephemeræ, quędā vero spuriæ. exactæ sunt, quæ omni prorsus causa carēt, vt fit abq; insolatione, à frigore, ab ira à timore, à curis. Nō exactę autē sunt, q̄ cām efficientem adhuc habent, vt bubo, cruditas, obstructio, adstrictio, & si quæ sunt eius generis. Capere eiusmodi sermones nō pōt qui nō fuerit exercitatus in iis, quæ scribit Galenus hoc toto lib. 8. de Meth. med. & quæ nos docuimus in tracta. de febrib. ephemeris. Ex hoc supposito satisfacio primę difficultati: cum Galenus dicit, ex parua obstructione fieri febrem similem diariis, locutus est In cōparatione ad exactas ephemeras: nā hæc habens cām, est similis illi saltem in principio accessionis, prima. n. dies omnino similis est veris ephemeris, at postea cum prorogatur fit dissimilis. At si cōparatio huius febris fiat ad alias quas efficit obstructio equidē longe verius ista est ephemera, quam quæ fit à mediocri, & parua obstructione. Secundæ dubitationi occurrens dico, Galenum statim in principio huius libri distinctionem adhibuisse ephemerarū in eas quæ causas habent, & quæ causis carent, igitur ad eum locum sunt referenda hæc verba. Ad tertiā dicimus, quod si quis recte deterserit, vetabit fore secundā accessionem, non facit hoc propterea, quod hæc febris sit verē, ac proprie ephemera, nisi in cōparatione ad mediocrē, & magnam obstructionem, at cōsiderata in relatione ad alias, spuria est ephemera, cū causas habeat. Cæterū an ista febris vltra diē naturalē secundā possit ptrahi, & quō maiorib. indigeat remediis certe magnam difficultatem habet. Ego. n. ipsam protrahi sua natura non posse putauerim, neq; sanguinis detractione indigere, quicquid alii hactenus dixerint, idcirco quando Galenus ita loqui incipit: Protracta tamen inclinatione suspecta redditur.] aliud sentit, quod quale sit, nunc doceo.

CAP VI.

Alterius loci maxime difficilis explanatio.

DIARIA omnis febris cum protrahitur, semper suspecta est, quia vel in putridam, vel in synochum, vel in hecticam terminari solet, periculū est transmutationis in putridam, vbi corpora vitiosis humorib. abundant, in continentē sine putredine, si corpus affectum sanguinis plenitudine laborauerit, in Hecticā vero, cū habitus corporis fuerit nimis gracilis calidusq; & siccus. Hoc igitur dicere vult Galenus, qando ait: Protracta tamen inclinatione suspecta redditur.] Verū quia hic de transitu febris huius in Hecticas nō agit, idcirco locus præcipue intelligendus est de aliis, quēadmodum quę proxime sequentur verba manifestū facient. Maxime vero omniū huic transmutationi obnoxia sunt, quæ ex obstructione concitantur quacumq;, magna quidē omnino vt prædiximus hoc periculū minatur, mediocris non semper parua nunquā natura sua, sed aliquando ex accidenti, vt cum quispiam in curando aberrauerit nō recte detergendo. Hanc excludit ab eiusmodi periculo, cui nō conueniunt maiora remedia. Quāobrē præcipue intelligit, nouam aggressus materiam prorogationē accessionis factam vel à magna, vel à mediocri obstructione, cū in vtraq; maiore auxilio indigeamus, vt dicit hisce verbis: Quare nisi vitiosus succus penitus transpiret, necesse est, vt putrefiat: ergo vt transpiret, maiore auxilio iam est opus.] Rectissime quidē ait vitiosum succum indigere transpiratione: vitiosus porro succus adest, quia cacochymia aut simplex, aut cum plenitudinis affectu coniuncta, facit obstructionē, maiore auxilio indiget vt fiat transpiratio, quam cōueniat diariæ ex parua obstructione genitę, magnum præsidium est, aut purgatio aut venę sectio, de qua statim in hūc modum scribit. Ac siquidem puer, vel senex sit, sanguinem detrahere nō licet, inter has ætates, vbi ægroto robur nō deest, secanda vena est, et si plenitudinis signa non adsint. Præstat. n. vitiosi succi maiori parte emissa ad detergendas obstructiones accedere.]. Dixerat maiori indigere au-

xilio febrē diariam à magna obstructione factam, vt humor facilius transpiret: nunc docet, quod magnum sit auxilium pro hac febre administrandū. Duo quidem magna auxilia cum sint, quæ in putridarum febrium principiis ac omnib. acutis morbis fieri possunt, venæ sectio, ac interdum purgatio eiusdem Galeni testimonio lib. 2. Aphoris. commen. 29. meminit solum hic venæ sectionis, quia hac solum vtimur frequentissime. Est autē sententia contextus, maius auxilium adhibendum, maiusq; hoc, esse venæ sectionem, ac ideo eam ipsam statim exequendā, consideratis scopis ad eius vsum necessario requisitis, oportere incidere venam ostendit complicatio omniū causarum obstruentiū: in qua principium curationis fieri debere a sanguinis missione declaratum à Galeno fuit lib. 11. de Meth. med. cap. 5. Scopi sunt vero magnitudo morbi, virium robur, & ætas consistens, hic magnus est morbus, præsens obstructio magna: magnus ēt futurus ob periculum imminens febris putridæ, aut continentis, consideranda est ætas, siquid opus est sp vt alibi docuimus, puerilē excipere ætatē, ac senilē, de qua dicit ac si quidē puer vel senex sit, sanguinē detrahere nō licet,] quia in neutra ætate vires valent. in valde senib. neq; pro statu præsenti neq; futuro, in pueris solū ꝓ futuro desunt vires validæ, vt demonstratum fuit in dispu. de ætate puerili. inter hasce duas ætates tuto mittitur sanguis, quando robur virium adsit. ergo in hac febre protinus mittendus est sanguis omnib. scopis in vnum conuenientib. Hæc autem verba: Etiam si plenitudinis signa non adsint] difficilia sunt, quia videntur cōtraria positis principiis, nempe q̄ venæ sectio conueniat in hac diaria, si non adsunt signa plenitudinis, siquidem positum est magnam obstructionem adesse, & ad hanc efficiendam concurrisse causas omnes, multitudinem sanguinis, humores crassos, & viscidos. Huic multis modis occurrere possemus dubitationi atq; primum sic, vt statuamus hęc nō esse referenda ad febrē, sed ad vniuersale decretum huius authoris, q̄ passim afferre solet in mediū de hoc argumento disputans: nempe quia Menodotus empiricus contendebat semper mittendū sanguinē præsente plethorica syndrome, ea vero absente nunquā. At vero Galenus asseruit, interdum incidendam esse venam ētsi plenitudinis signa non adsint in iis, q̄ ex alto ceciderunt, aut carnes vehementes contusas habuerunt, aut quōcunq; incipientem, aut imminentem phlegmonem paterentur: In iis ēt, in quib. sanguis extra corpus flueret, vel ob illatū vulnus, vel ex vtero, vel ex hęmorrhoidib. vel ex narib. In omnib. istis ēt si plenitudinis adsunt signa, venæ sectio salubriter exercetur pro reuellenda vehementi humorum fluxione ad contrarias partes, & ꝓ deriuanda ad vicinas. Hunc sensum Galenus habuit hoc loco dicens, ētsi plenitudinis signa non adsint.] Hæc explanatio est adeo vera adeo consona principiis Galeni, vt putem reprobari nō posse. Alia ēt neq; minus vera adhiberi pōt explanatio, vt scilicet dicamus, hæc verba de febre ephemera intelligenda, q̄ licet ab humorib. crassis, & viscidis obstruentib. solū fuerit concitata, tamen accidit in corpore plethorico, in quo casu ratione præseruationis saluberrimū est mittere sanguinem, non indicatione sumpta ab humore obstruente, sed dūtaxat ab affluxuro id est, à plenitudine ipsa: quamobrem cū Galenus dicit: Etiam si non adsint signa plenitudinis, intelligi debet de plenitudine obstructionē faciēte, nō de factura. Hanc explanationē recipio libenter, q̄ Galenū sciam consimilem casum scripsisse lib. primo curationum ad Glauconem, c. 14. vbi ait quod corpus plethoricum esse pōt, quod abundet recentib. cruditatib. sic igitur fingito hominem plethoricum cruditates multas congessisse, mox incidisse in obstructionē habitus corporis ob easdem cruditates, quis dubitaret in rem præsentem saluberrimū essē mittere sanguinem anteaquā ad detergendas obstructiones accedamus? Duas hasce explanationes dedi ad hunc locum difficilem, in lib. de ratione curandi per sanguinis missionem quarto, adhuc iuuenis existens, quas nunc senior factus recipio tanquam verissimas. Alias etiam duas addam explanationes in fine disputationis huius, quarum vnam ex variis lectionib. loci huius, aliam vero sumam ex ipsius Galeni verbis. Sed interim prosequamur quæ reliqua sunt tractationis huius.

Cap. VII.

Dubitationes contra explanationes propositas.

AD ipsas nunc aggredior difficultates, quas contra meas explanationes ad difficile hunc locum primarius quidã medicinæ professor nouissime attulit. Ac primum quidem contra secundam explanationem sic acriter instat.

Si isti Galenum legissent attente, atq; obseruassent illum habere sermonem de solis corporibus picrocolis, atq; adeo cacochymis, vt nos monstrabimus, profecto ad has ineptias non abiissent. Hoc enim iacto fundamento, vniuersa ista hæc tractatio, & series orationis redditur adeo perspicua, & certa, vt nullam post hac difficultatem, vel dubitationem possit habere. Secundo ita vrget: His donemus, Galenum loqui de quouis temperamento, quæso respondeant vnde coniecturam faciunt, aut quis illi reuelauit, eum sibi præsupponere hominem plethoricum? Neq; enim vel leuissimum huius rei argumentum apparet, aut concipi animo potest. Imo vero ita plane, & expresse, ut nihil planius & expressius dici possit, contrarium prorsus decreuit, nimirum venam secandam esse, quamquam nulla adsint plenitudinis indicia.

Tertio quod dixerim Galenum nõ loqui de plenitudine communi toti corpori, sed vnius obstructionis, ille hisce verbis reprobat. Ego autem non verebor affirmare huiusmodi nouam interpretationem, ac distinctionem plenitudinis esse alienam, non solum à Galeni mente, sed etiam ab omni ratione. Siquidem puto vix, aut ne vix quidem fieri posse, quin simul cum plenitudine totius corporis altera quoq; adsit plenitudo, ex qua obstructio fieri possit. Ac plane Galeni sententia videtur potius opposito modo se habere, cum paulo superius proponens agendum de diaria, propterea subdit agendum sibi esse de obstructione mediocri parua, quæ scilicet fit ab humoribus non adeo copiosis, aut crassis, à qua fieri potest febris, quæ intra diariæ limites consistat, & iure addit secandam esse venam, quamuis non adsint signa plenitudinis, quasi dicat, sicut supponimus non adesse. Quod si huius loci legitimum sensum, & institutũ velimus animaduertere, admodum verisimile est, Galenum de posteriore potius plenitudine sermonem habere, cum tractet febrem diariam, factam ex obstructione a crassis, & viscidis humoribus, in qua statuit sanguinem fore mittẽdum, tametsi nulla sint indicia plenitudinis, quę altera est causa vnde quęlibet obstructio solet generari. Quamquã nihil prohibet mea sententia, quin ea verba omnẽ plenitudinẽ excludant, cũ vere & aperte Galenus loquatur de sola cacochymia.

Postremo instat ex Galeni ratione: Cum enim ait, præstat maiori parte vitiosi succi emissa ad detergendas obstructiones accedere: Manifeste significat vnius vitiosi succi non plenitudinis vacuationem moliri, ideoq; censet nouam hanc interpretationem nostram esse absurdissimam.

Cap. VIII.

Propositis dubitationibus respondetur.

ANTEQVAM ad alias dubitationes accedam, istis satisfaciundum est; Atq; quod pertinet ad primam, bonas certe doctus hic vir imitatur fęminas scilicet vitio vertens mihi, quod illius proprium esse norunt omnes. Iam dixi in explanatione illorum verborum, Galenum statim in principio capitis multitudinem supponere, cum ait: Quod crassi & viscidi, & multi humores obstructionem fecerint. Cur igitur non erit plethoricum corpus, si à plethorica dispositione fit obstructio? Si agit primo de picrocolis cur secundo quodam loco parergon, necessario tamen agere interdum non potuit de plethoricis? & cur de iis non agit si de generatione synochi meminit? suntne ita conniuentibus oculis Galeni verba consideranda?

Occurrens secundæ dubitationi, arbitror quidem illum animo non concipere veritatem eius explanationis, quia cum sint grauioribus fortasse rebus occupati, animũ adhibere noluerunt, præstat enim sic dicere potius, quã nõ cõce-

pisse, aut ignorasse, quæ certe omnes concipiunt, omnes noscunt, vel mediocriter in Galeni doctrina exercitati. Verumtamen propter nouitios, quibus omnia sæpenumero solent tenebras offundere, neq; isthæc fuerunt à nobis prætermittenda. Decretum est vir sapientissime, eius auctoris, imo vero axioma totius artis, obstructionē fieri à tribus causis, ab humorum viscíditate, & a crassitie eorundem atque à plenitudine. Alia rursus est medicinæ dignitas, plethoricum esse corpus, quod à plenitudine obstructionem patitur. Hæc si vera sunt, maxima admiratione dignum est, quomodo isti non concipiant animo ea Galeni verba corpus plethoricum supponere. Mirum præterea cur differit nullum esse huiusce rei vel leuissimum argumētum, cum apertissimum, & verissimum sit. Audiant quæso quam valida ratione in eam opinionem venerim. Repeto demonstrationes. Prima. Obstructio facta est ex omnium causarum obstruentium concursu, igitur necessario corpus plethoricum est. Secunda. Periculum est ne generetur synochus febris, ergo necessario corpus plenitudine afficitur, Ille si poterit, explicabit hosce nodos. Sed quid sibi volunt hæc verba? Aut quis illi reuelauit? Quid enim reuelatione opus est? Quæ reuelantur obscura sunt, ac lumine naturali percipi nequeunt, hic autem in iis ipsis versamur, quæ luce meridiana clariora sunt, quæ non vidisse doctum & ocularum virum plurimū admiror. Hisce quidem coniecturis, & reuelationibus, vt illius verbo loquar, Augenius ad has peruenit ineptias.

In tertia dubitatione tot errores adesse videntur mihi, quot verba, non prosequor omnia, ne prolixitate sermonis sim lectori fastidio, sed non prætermittam potiora quæ imponere possent incautæ iuuentuti. Atq; primo somniū narrat mihi, cum ait, arbitrari me duas esse in ephemera ex obstructione multitudines, vnam scilicet totius corporis non facientem obstructionem, aliam vero facientem. Quod enim ego profiteor, ab eo quod imponunt, longe diuersum est. Mea explanatio supponit obstructionem à cacochymia duntaxat genitam, à crassis scilicet, & viscidis humoribus, in corpore tamen plethorico. Meam hanc thesin admittent omnes & in artis operibus, & in Galeni doctrina vel tantillum exercitati. Quis enim est qui quotidie id non obseruet? Quis nescit in corpore plethorico exercentibus cruditatib. fieri posse obstructionem; Corpus plethoricum frequenter in tertianā incidere? In iis certe quidem adest obstructio, sed non à plenitudine sanguinis. Quid prohibet corpus plenitudine affectū in lienis, iecinoris, mesenterii, ac aliarū partium obstructiones incidere à crassorum & viscidorum humorum fluxione? Hæc quidem rationi, & experientiæ adeo consona sunt, vt nullum omnino dubitandi locum adesse censeam. Fortassis qui in verba magistri iurarunt, & qui ita male affecti sunt, & instituti, vt nihil verum putent quod non sit verbis confirmatum Galeni; desiderabunt, vt in confirmationem eorum, quæ diximus vnum, aut alium eius auctoris locum afferamus, quibus deesse in præsentia non possum. Quando igitur Galenus libro primo de ratione curandi ad Glauconem agit de curatione quartanę febris, statim proponit eam febrem valido remedio in principio nō indigere, nisi vehemens existat sanguinis multitudo, tunc enim mittendum esse sanguinem præcipit, sed hac adhibita cautione, vt si tenuis sanguis effluat, non vacuetur, si crassus, inceptam vacuationem perficiamus. Hic supponit Galenus corpus plethoricum esse, plenitudinemq; sanguinis vehementem adesse biliosi; atq; tenuis, supponitq; putridam febrem ex obstructione genitam non à multitudine sanguinis, sed ab humoribus crassis, & viscidis. Ideo non vult mittendum esse sanguinem etiam si vehemens plenitudo negocium faciat. Adeo certe præclarus est hic locus, vt putem clariorē fortassis inueniri non posse. Verba Galeni sic habent: Deinceps de quartanis dicemus quas ēt ipsas ab initio mediocriter, ac leniter tractare oportet, nullū forte medicamē, aut vacuationē exhibentes nisi forte sanguis vehementer superabundans appareat. Et si vena incisa, is qui fluit niger videatur, ac crassus, præsertim vero in iis, qui liene laborāt huiuscemodi visitur, audacius mittendus est, q̧ si flauus, aut tenuis apparuerit, statim supprimēdus.] Hæc ille

Præterea

Præterea, in eo aberrare videtur, quod asseueret à præsenti tractatione excludi obstructionem illam, quæ fit ab humoribus multis, lentis & crassis, solumque agere Galenum de obstructione parua & mediocri. Siquidem hoc vere imaginarium est, & secundum Galeni mentem consistere non potest. Etenim omnis obstructio efficere potest ephemeram. In hoc autem inter sese differunt propositæ obstructionum differentiæ, vt supra diximus, quod magna obstructio facit in principio ephemeram, sed quæ postea progressu temporis necessario terminatur in putridam, vel cōtinentem. Quam vero facit obstructio parua, intra terminos diariarū permanet. Mediocris vero obstructio mediocriter habet.

Amplius illud certe admitti non potest, Galenum ibi vere, & aperte loqui de sola cacochymia. In hac enim re inuicem dissentimus, cum profitear agere Galenum de febre ephemera, quatenus fit ab obstructione parua, mediocri, & magna: nemo etenim negabit plenitudinis adesse affectum, vbi omnes causæ obstruentes inuicem concurrunt. Igitur intelligenda est sententia, de corporibus cacochymis duntaxat, & de iis, quæ cacochyma, & plethorica sunt. Non enim debet hoc facere difficultatem aliquam, cum explanatum mihi fuerit sæpe præsertim in libro de plenitudine, dari plenitudinem exquisitam, & nō exquisitam, hanc vero potissimum consistere cum vitiosis humoribus, quæ hoc loco supponenda sunt. Porro concedamus Galenum in istis verbis: Etiamsi plenitudinis signa non adsint] nō agere de ephemera quam multi crassi, & viscidi humores efficiunt: hoc certe nihil ad rem nostrā facit, vt puta quia in hac explanatione nostra supponamus obstructionem non fuisse factam à plenitudine, sed solum à crassis & viscidis humoribus, verū in corpore plethorico, ideo quæ illi afferunt in medium contra nostram hanc explanationem, omnino extra rem dicta videntur, & nihil omnino faciunt contra opinionem nostram.

Postrema ratio, si nullus error in ipso codice consistat (de qua tamē dicemus diligentius parum postea) facilē explanationem habet. Nam vitiosus humor dicitur qualitate, & quantitate, tum etiam qualitate, & quantitate simul. Legito quæ scripsimus libro quarto de ratione curandi per sanguinis missionem, atque explanationem capit. vndecimi libri noni de Methodo medendi, & quæ passim in istis disputationibus scripta sunt. Hactenus satisfecimus dubitationibus contra explanationem secundam, nunc ad aliam aggredior.

CAP IX.

Quæ contra explanationem aliam recentiores afferunt.

PVTANT non minus falsam esse quā primo loco dedimus, dicentes ea verba non esse referenda ad sanguinis missionem in febre ephemera, sed ad commune Galeni decretum, quod passim affert contra Menodotum Empiricum, quotiescunq; sermo est illi de venæ sectione institutus. Illi vero sic inquiunt de hoc argumento.

Neque vero satis intelligo, quid isti hac responsione sibi velint. Etsi enim aliud erat Galeni propositum hoc in loco quam de plenitudine disputare aduersus Menodotum & Empiricos, non tamen laboro, quin voluerit hanc sententiam referre, & accōmodare ad conuellendam insanam eorū opinionem. Quæso autem propterea ne hæc minus vera est illius doctrina, vt paulo ante aduersus Thurinū dicebamus? Præterea si hæ duæ responsiones accurate considerentur, cōparenturq; inter se, vix altera videtur ab altera differre. Namq; prior plenitudinem simpliciter, posterior plenitudinem ad vires asserit esse necessariā. Quæro igitur, qualem isti intelligunt plenitudinē simpliciter, etenim, vt alterutram intelligant, vel vasorum, vel viriū necesse est. Cū autem plenitudinem vasorum nequeant intelligere, quādoquidē illa prorsus excluditur posteriore responsione, necessario concludendū est, eos vbitrobiq; vnam viriū plenitudinem intelligere, adeoq; vtramq; responsionem vnam, & eandē esse. Sed vtrumq; se res habeat, nulli dubium esse debet, quin hæc quoq; responsio & interpretatio sit vo-

luntaria, & omni ex parte à Galeni mente aliena, qui sermonem habens de sola cacochymia qualemcumq; excludit plenitudinem, ac forte magis plenitudinem virium quam vasorum. siquidem illa, vel ipso Galeno authore non ita obstruit ora venarum, vt caloris refrigerationem prohibeat, sicuti altera vasorum, multoq; minus vel carnis vel cutis transpirationem moratur.

Cap. X.

Responsio ad propositas dubitationes.

EGo vero quicquid illi aduersus Andream Thurinũ scripserint, parum euro. quod autem ad me ipsum pertinet, prosequor. Primum itaque Galeni sententiam semper verissimam esse affirmo, & profiteor: siue quis intelligat eam per concessionem, vt superiori explanatione dicebamus: siue per instantiam vt in hac ipsa contendimus. Nec ex meis explanationibus conuellitur, peruerititurque Galeni sententia, sed obscura existens potius declaratur, dilucidaturque. Verum quia illi scribunt, sese non assequi plene quæ diximus, in eorum gratiam dilucidius enarremus, Galeni verbis ita positis, atque expositis.

Vt autem transpiret] magna obstructio, quæ ex crassis, viscidis & multis humoribus proficiscitur. Maiore auxilio est opus] maiore quidem, quam postulet parua, & mediocris obstructio. Magnum vero auxilium cõueniens huic obstructioni est venæ sectio. Hæc subintelligenda sunt verba, quæ à Galeno non ponuntur, quia manifestissimũ erat, in obstructione facta à sanguinis multitudine, venæ sectionem esse vtilissimam, atq; vbi omniũ causarum obstruentium concursus adest, cum alia etiam conueniant remedia, vnam sanguinis missionem præcedere debere omnia, declaratum ab eodem authore fuit libro vndecimo de Methodo medendi cap. quinto. Hactenus de venæ sectione in hac febre, de qua ex proposito dicere cœperat. Cum vero postea inquit:

Ac siquidem, vel puer, vel senex sit, sanguinem detrahere non licet inter has ætates: vbi ægro robur non deest, secanda vena est, etiam si plenitudinis signa non adsint.] Commune decretum proponit conueniens omnibus morbis, quod decretum ita habet: Sanguinem mittendum non solum in affectu plenitudinis, sed etiam sine plenitudine, quæ sententia Menodoti potissimũ syndromen illam plethoricam euertit: ac ita quidem omnia sunt clara, omnia dilucida adeo, vt dubitari non possit amplius.

Quoniam vero nesciunt cognoscere differentiam harum explanationum ego hic breuiter affero. Primo itaq; differunt, quod illa explanatio data est per concessionem aduersario; admittendo, & concedendo Galenum agere de obstructione à crassis & viscidis humoribus, sed tamen in corpore plethorico. Hæc autem per instantiam datur negando quod prior concesserat, siquidem obstructionem à multis crassis & viscidis humoribus genitam intelligebamus. Secundo hæc verba: Etiam si plenitudinis signa non adsunt,] iuxta primam explanationem audiebantur de obstruente multitudine, hoc sensu licet plethoricum sit corpus, obstructionem tamen à solis crassis, & viscidis humoribus in habitu corporis, & carnibus. At vero iuxta secundam explanationem intelliguntur contra Menodotum empiricum, qui nolebat sanguinem mitti sine plethorica syndrome. In summa iuxta alterutram explanationem (si mendosus codex non est) omnino dilucidissimam fecimus Galeni sententiam. Porro, quod de vtraq; plenitudine dicunt, quoad vasa, & vires, nihil omnino ad rem facit, quia videntur mihi errore admodum euidenti confundere plenitudinem quo ad vires cum ipsa cacochymia, siquidem obstructio fit vel a plenitudine, vel à cacochymia, vel ab vtroq; affectu simul: quantum autem differant inter se, declaratum mihi abunde fuit libro de cacochymia, & libro secũdo de ratione curandi per sanguinis missionem. Plenitudo quęlibet semper sanguinis abundantiam supra mediocritatem supponit, cacochymia vero aliorum humorum, vel

copiã vel qualitatis excessum. Somniũ præterea narrant mihi cũ dicũt, primam explanationem supponere plenitudinem simpliciter, posteriorẽ plenitudinem quo ad vires. Nã quando per cõcessionem respondeo, vtrinq; supponens obstructionem à viscidis, & crassis duntaxat humoribus ortam in corpore plethorico, vtramq; intelligo plenitudinem, in sensu tamen diuiso, quia potest contingere obstructio à cacochymia in corpore plenitudine quo ad vasa & quo ad vires affecto: licet ex hisce duob. generib. quoddã magis, quoddã minus efficere soleat obstructionem. Eodem modo per instantiã respondens, vtramq; multitudinem audio. Sed quia satis videor de hoc argumento dixisse, ad aliud transeundum.

CAP. XI.

De variis lectionibus loci huius, ac primum de notatione manu scriptâ.

QVONIAM suspicamur contextum hunc, circa cuius explanationem non sine vtilitate commorati sumus, deprauatum esse, afferamus nunc coniecturas, quibus ducti ita sentiamus. Duplex autem sese offert nobis, vna sumitur ex variis lectionibus, alia vero ex verbis Galeni: de vtraque agamus. Varia lectio duplex, vna manu scripta, quam memini demonstrasse mihi Paulum Aicardum virum doctissimum, in margine notatã in Basiliensi codice, in admirabili bibliotheca Vincentii Pinelli viri quidem tum sanctitate morum, tum scientiarum omnium cognitione, tum deniq; generis antiquitate vere illustri. Alia vero lectio habetur in veteribus codicibus iam editis. De hac varietate lectionum primum tractabimus, à prima sumentes exordium. Manuscripta igitur notatio in hunc modum habet.

Εἰ καὶ τὰ τοῦ πλήθους ἀπείη σημεῖα, καὶ εἰ τὰ τοῦ πλήθους εἴη σημεῖα] quod est:

Et si plenitudinis signa absunt: & si plenitudinis ad sunt signa.]

Dictio hæc, siue coniunctim legatur, siue disiunctim pro alterutra parte, digna Galeno est, quia dilucida, facilis, propria, & quia suis principiis maxime respondet. Nam libro de ratione curandi per sanguinis missionem capite octauo sic inquit: Porro non solum vbi adest plenitudo, siue ea, vt ad vires sit, siue vt ὡς τὸ ἴσχυμα mirifice prodest venæ sectio: verum etiã citra plenitudinem in initio phlegmonis, quæ aut propter ictum, aut propter dolorem, aut partium debilitatem prouenit.] quod etiam cum alibi sæpe, tum vero præsertim lib. quarto de Methodo medendi cap. sexto enunciauit, cum inquit: Sed sicut missio sanguinis vel propter ipsius abundantiam, vel propter magnitudinem morbi, ita & purgatio, & propter abundantiam alterius cuiuspiam succi, & propter vim morbi adhibetur.] Quamobrem etiam atque etiam admiror, qua ratione docti quidam hac tempestate viri, notationem hanc tam apertè detestentur, vt scribant modum hunc loquendi à Galeni locutione alienum esse, putentq; probabiliter ab aliquo Empirico illa verba fuisse adiecta, qui locum tam apertum, & suo dogmati repugnantem æquo animo ferre non potuit. Alioquin (vt Galenus aliquando dixit) si affirmatæ dictis licet negationem addere, hoc modo quiuis omnia placita deprauabit; nullamque veterum sententiam stabilem conseruabit.

Ego autem ab istis longissime dissentio, vt puta, qui asseuerem hanc sententiam Galeno dignissimam esse, ob eas, quas scripsi, causas. Nec facile possum recipere ab Empirico fuisse additam eiusmodi notationem. Quia certe Empiricorum dogma non est, sanguinem mittendum tum in plenitudinis affectu, tum citra plenitudinẽ. Imo vero hoc ipso dogmate vtitur Galenus frequenter, vt Empiricorum dogmata subuertat. Dicent Empiricum esse non totam dictionem, sed solum dictionis partem: ea vero est, quæ dicit, mittendum sanguinem in affectu plenitudinis. Verum in hac etiam te aberrant toto cœlo. Siquidem mittere sanguinem vbi plenitudo sanguinis adfuerit dogmaticorũ & rationalium est Medicorum institutum. Empiricorum vero si contenderetur in solo plenitudinis affectu venæ sectionem, ac semper exercendã. Propterea quod sine ple-

nitudine ſemper conuenit venæ ſectionem exercere, cum aliquando longe minora ſatisfaciant auxilia, vt quarto libro de Methodo medendi cap. ſexto Galenus ait. Rem ſic habere docent Galeni verba libro de ratione curandi per ſanguinis miſſionem, vbi arguens Menodotum Empiricum, dicebat fruſtra illum in ſola plethorica ſyndrome venæ ſectionem fore obſeruandam. Vbi ſane conſiderandum, Galenum non reprehendere Menodotum, quod plethoricã ſyndromem ad hoc remedium iudicauerit neceſſariam. Sed quod ſemper ac ſolam excludendo miſſionem ſanguinis tamquam præſidium reuulſiuum, deriuatiuumq́ue. Idcirco, recte dixit, perperam in ſola] ſed hæc prætermittantur alibi diligentius explanata. Cæterum, quod ex ſexto Epidemiorum ſectione ſecunda commentario quadrageſimo primo affert, non facit ad rem inſtitutam: ſiquidem antiqui explanatores illius loci, qui affirmatiue ſcriptus reperitur hoc modo: Lien. durus nõ ſuperius, inferius rotundus, latus, craſſus, longus, tenuis[legebant negatiue hoc pacto: Inferius rotundus, non latus, non craſſus, non longus, non tenuis] de quibus recte admodum Galenus ait: Nullum ſic decretum non deprauabit: nullam veterum ſententiam integram ſeruabit.] Verum iſta notatio huiuſmodi non eſt, quia non mutat ſenſum, quem Galenus fecit, relinquens vtramq; partem ſine aliqua alteratione: priorem negatiuam, poſteriorem autem affirmatiuam, quę vtræq; veræ ſunt, cũ pręciſe non ſupponãt pro eiſdem, vt boni norunt Dialectici.

C A P. XII.

Confirmatio eorum, quæ dicta ſunt ex antiquo interprete, ex Auicenna, Alexandro Tralliano, & Aetio.

PORRO vt omnem è medio tollamus difficultatem, paulo plenius oſtendamus antiquam eſſe eiuſcemodi lectionẽ, & à probatiſſimis illuſtribusq; auctoribus cõceſſam, prius autem id oſtendo ex vetuſto interprete loci huius, qui ita transfert Galeni verba. Vt igitur tranſpiretur, maiore auxilio eſt opus. Igitur ſi aut puer, aut ſenex fuerit, phlebotomare non adhuc licet, in medio vero ætatum harum robore exiſtente laboranti, venam incidendam, etſi multitudinis aderunt ſigna. En igitur iam conſpicis, veterem interpretem affirmatiue contextum legiſſe, neq; arbitrari cõuenit ſomniaſſe ipſum hanc interpretationem, ſed potius è codice Græco, quem ob oculos habebat, ſumpſiſſe. Perpendamus modo, quid Auicenna ſentiat: dum enim hic Galeni ſummus explanator curationem docet febris Ephemeræ ab obſtructione proficiſcentis, apertiſſime ſcribit, venæ ſectionem duntaxat eſſe vtilem, ſi à copia & multitudine ſanguinis duxerit originem, atq; abſtinendum, ſi obſtructio ſit procreata à craſſis viſcidiſque humoribus. Dictio illius tota ex quarto libro afferenda. Cum cauſa eſt multitudo humorum & repletio, tunc oprtet vt in principio properes ad phlebotomandum, & euacuationem. Hæc ille, qui haud ab re dixit phlebotomiam & euacuationem eſſe neceſſariam, vt oſtenderet vtrumque genus remedii, tum ſcilicet miſſionem ſanguinis, tum euacuationem eſſe neceſſariam, medicamento purgante. Demum quibuſdam interpoſitis addit hæc verba: Et ſi non ſentis multitudinem humorum, imo ſentis oppilationes, & quod ipſæ ſunt accidentes à groſſitudine eorum, & viſcoſitate ipſorum, tunc fortaſſe non indiges phlebotomia ſuperflua, & euacuatione ſuperflua, imo indiges apertione, & apertio quidem eſt cum abſtergentibus medicinis & cibis.] Hæc ibi, quæ admodum aperte dilucidant Galeni verba. Dicent autem fortaſſe recẽtiores Medici, ſeſe non curare quid vnus dicat Auicenna, ſufficere illis Galenũ. Deinde eo in loco Auicennã omnino venæ ſectionem non reprobare in obſtructione ortã ex viſcidis humoribus, ſed ſolum ſuperuacaneam, ita vt moderata venæ ſectio ipſo in caſu conueniat. Ego autem non ita ſentio, Galenum certe maximi facio. Auicenna tamen minime contemno. Imo vero ita recipio, vt profitear obſcuras Galeni ſententias ipſum nõ raro dilucidaſſe vti propoſita eſt. Adde q non poſſunt, neq; debent ab Auicenna diſcedere, vbi manifeſte non cõtradicit

Galeno, imo vero nec etiam vbi contradictio euidens est: siquidem rationibus credendum, non auctoribus. Sed hæc alias. Quod attinet ad rem ipsam, isti elegantiores Medici vt supra demonstratum mihi fuit, ac etiam postea demonstrabitur, non solum sua dogmata Auicennæ verbis probant, sed etiam (ita apud illos potuit nouandi studium) ex Io. Argenterii verbis confirmant, qui Galeni doctrinam, & principia passim subuertere conatus est, quo nomine fere constare vnicuiq; posset hanc Galeni non esse doctrinam. Vt igitur concludam præcipiens Auicenna missionem sanguinis faciendam, si obstructio à multitudine ducet originem, Galeni contextum affirmatiue interpretatur hoc modo: incidenda est vena si plenitudinis adfuerint signa. Quod pertinet ad secundam dubitationē, Auicenna loquitur dubitatiue dicens fortasse, quia indicatione sumpta à materia obstruente non conuenit venæ sectio, at indicatione sumpta à plenitudine totius corporis, conuenire id potest remedium. De Auicenna satis.

Præterea idem deduco ex verbis Alexandri Tralliani libro duodecimo suæ medicinæ capite primo, in quo de hac ipsa agit febre, ibi enim docet longe apertius abstinendum à venæ sectione, si obstructio non fiat ab humorum plenitudine hisce verbis vsus: Febris diaria ex viscosis etiam crassisq; humoribus nascitur, dum nimirū excrementa propter meatus occlusos non perspirant, fiuntque apertiora. Aduertere igitur animum hic, & internoscere oportet, sola ne copia, ac crassities sola, & humorum lentor obstructionem effecerit. Si enim copia pepererit, ante omnia sane per sanguinis missionem vacuatio tentanda est. Deinde sic particularibus vtendum præsidiis, quæ laxare, discutere, & extenuare possunt. Nam si vacuatione omissa laxantibus quispiam, aut discutientibus vti voluerit, malorum magnorum auctor fuerit. Quippe obstructionem multo adhuc maiorem reddet discutientem, ante concoctionem, aut euacuationem vsus remediis. Hactenus docuit necessitatem huius remedii, tandemq; causam affert, quam Galenus octauo Methodo medendi capite quarto, & vndecimo Methodi capite decimo. Refero nunc quæ doceat agenda, si obstructio duntaxat fiat ab humoribus crassis, & viscidis. Ita enim ait: Quod si non copia, sed crassi viscosiq; humores obstructionē procreauerint: sanguis mittendus non est, sed decoctis potius quibusdam vtendum, quæ extenuare possunt, ita vt non calefaciā.] Hæc ille, quæ adeo illustria sunt, adeo aperta, vt neminem esse putem qui dubitet. Videor imaginari quid sint fortassis responsuri, nempe non esse adhibendam Alexandro fidem, licet è Græcorū familia celebri, quia solet hic passim contra Galenum scribere, quem alioquin diuinissimū appellat. Verum hæc inanis foret responsio, quandoquidem hic non contradicit. Mox enim illius est contrariam sententiam habens palam, & expresse enunciatum sese contra Galenum sentire, hoc autem loco nullam Galeni mentionem facit, euidens me hercle argumentum ipsum cum Galeno sentire, atq; idcirco etiam affirmatiue Galeni contextum legendum esse, vt supra commonefecimus.

Posttemo eandem lectionem confirmat Aetius Tetrabili secundo, sermone primo, ca. sexagesimonono, qui auctor summus imitator Galeni magni faciendus est. Is enim adeo dilucide, adeo præclare ostendit, eum ipsum fuisse de sanguinis missione locutum vti adfuerint signa plenitudinis, vt nihil dilucidius, nihil præclarius dici posse putem. Affero illius verba, ne imponere aliquid videar, ac etiam paulo altius, vt omnes nōscant, non Aetium, sed ipsissimum, vt ita dicam, Galenum loqui. Nam in talib. circa primam, & secundam diem aliquantisper non est in pulsu putredinis signum, sicut neq; in vrina cruditatis, dum enim prorogatur quidem declinatio, & non amplius iusta, proportionem remittit, suspecta est affectio, si enim nō transpirauerint perfecte, necesse est putrefactos esse humores vitiosos, siquidem igitur puer, vel senex fuerit ægrotus, venam secare non expedit. In mediis aut ætatibus robore præsente ægroto vena secetur, si sane etiam plenitudinis signa adfuerint in corpore.] Hæc ille.

Cap. XIII.

Ex multiplici significatione verborum Galeni codicem deprauatum esse, suspicari posse.

SECVNDO in eandem opinionem ducor ex multiplici significatione verborum Galeni. Primo loco sese offerunt consideranda hæc verba: Præstat enim vitiosi succi maiori parte emissa ad detergēdas obstructiones accedere, nā in iis causam reddit ob quam sanguis mittendus est in hac febre, sensus autem in hunc modum habet; sanguinis missio cōuenit in febre Ephemera ab obstructione sine signis plenitudinis procreata, quia præstat antea maiorem partem vacuare humoris vitiosi, quam ad obstructiones detergendas accedamus, ne ipsas magis impingamus. Supponit ratio, venæ sectionem esse accommodatum remedium cacochymiæ, huiusq; copiā vacuari venæ sectione: alioquin eiuscemodi causa nullum haberet locum. Verum hoc non solum controuersum est, sed etiam manifeste falsum, vt docuimus libro de cacochymia, & in propria disputatione etiam docebimus, in præsentiarum vero hoc peto & postulo ab aduersariis dari & concedi mihi, humoribus alienis à sanguine, vt cum Aristotele loquar purgationem cōuenire, sanguini autem venæ sectionem, quia causa cur secatur vena est, vt ex vena vacuetur sanguis, vt dicebat Galenus libro nono de Methodo medendi capite vndecimo, ideoq; alio in opere scriptum idem author reliquit: cum sanguis vicit, mittendum esse sanguinem, cum alii humores à sanguine distincti, purgans pharmacum exhibendum. Dicent fortassis cacochymiam notam venæ sectione sanari posse: & de hac ipsa institutum sermonem esse. Non inficior id contingere, si per notam cacochymiam intelligamus plenitudinem cacochymiæ mixtam, at hæc plenitudo est, & iure dicitur, non autē absoluto nomine succus vitiosus, sed vt conuenit venæ sectio, sic multo magis conuenit purgatio, quā prætermittere non debuit. Præterea, non potest hæc explanatio conuenire contextui, cum omnino contraria sit. Etenim ait: Etiamsi plenitudinis non adsunt signa, atqui in reddenda ratione huius remedii supponeret plenitudinem mixtam cacochymiæ, qui affectus esse nequit sine signis plenitudinis. Quamobrem si vitiosi succi nomine, ex propria significatione vtitur, venæ sectio non est illius remedium, si autem nomine abutitur, minime respondet antecedentib. verbis. Vides maximam difficultatem, nodumq; inextricabilem, si codex mendosus non est, propterea nos iure ac merito suspicamur, vnam deesse voculam, quam parum postea explanabo.

Deinde considerando est ipsa dictio, ETIAMSI] quam pro εἰ δὲ] Græca substituit Thomas Linacer, hæc traductio non parum suspecta est mihi, idem enim est dicere καὶ εἰ,] quod εἰ δὲ] nempe, Et, si] duobus dictionibus distinctis, quarum vna disiunctiua est, εἰ] Latine, Si, alia coniunctiua δὲ] Latine, Et,] quę duę voces simul copulant, & coniungunt duo diuersi generis, vt exempli gratia, si dictionem hoc modo statuamus. Purgandum protinus si materia turgeat: & si materia non turgens fluat] hic proponuntur duo, materia turgens, & non turgens, quæ à particula, Si] disiunguntur, & à particula, Et] coniunguntur, quatenus vtrique conuenit idem remedium. Hæc mihi apud omnes gentes loquendi videtur consuetudo. Cum igitur constet Galenum duabus hisce vocibus distinctis fuisse locutum, certe non significat simplicem vnam enunciationem, sed duas, verba Græce sic leguntur, εἰ δὲ τὰ τῦ πλήθους ἀπῇ σημεῖα]quod est: Et si plenitudinis absunt signa, cui enunciationi, nisi aliud quidpiā addatur imperfectū, generat in animo audientis sensum. Adhuc.n. enunciationem audiens ambigit, hæsitatq;, q; hinc sequi debeat, si plenitudinis desunt signa maxime vero facto pūcto post hoc verbū φλεβοτομητέον] phlebotomandū, seu vena incidēda est, perfectus hic dubio ꝓcul sensus est phlebotomia vtendum in ipsis ętatib. intermediis. At vero postea addēs: sed si desūt plenitudinis signa: atq; hic facto pūcto, dubio ꝓcul diuinādū est, q; significare velit. ꝓpter hāc cā necessariū fortasse iudicari posset, aut saltē maxime ꝓbabile suspicari aliquid deesse, ex quo perfectus sēsus eliciatur. Thomas Linacer in Latinis. & Græcis literis versatissimus,

hæc forte

considerans, vt perfectus euaderet sensus, duas hasce voculas, εἰ δὲ] separatas, tanquam coniunctas legit, vertereq́; voluit. Etiamsi,] quę res non deberi illi duplici nomine vitio verti: primum, quia εἰ δὲ] apud omnes Græcos interdum significant, quamuis, etiamsi, licet.] Deinde quia ille, vt erat Grammaticus illustris, vt eius monumenta testantur, sic nullam, aut perexiguam prorsus habuit medicæ facultatis notitiam. Ego autem dico, & asseuero, quod quando hæ duæ voces separatæ scribuntur, multo commodius pro, & si] verti possunt, quã pro etiamsi, quod si ita est, cum imperfectus hic sit sensus: nullamq́; probabilitatem habeat Galenum imperfecte scripsisse, satis rationi videtur consentaneum, corruptum esse codicem, addendumq́; aliquid, vt perfectus euadat sensus. Putauerim itaq; voculam vnam adiiciendã maxime consonam naturæ rei de qua agitur: nempe καθαρτέον id est, Purgandum] totamq́; Galeni dictionem ita legendã censeo. μεταξὺ δὲ τῶν ἡλικιῶν τούτων, ῥώμης παρούσης, τῷ κάμνοντι, φλεβοτομητέον. εἰ δὲ μὴ τὸ πλῆθος ἀποσημαίνοιτο: καθαρτέον] quod est, inter has ætates, vbi robur ægro non deest, phlebotomandum, si vero non adsunt signa plenitudinis, purgandum, cur vero sit purgãdum addit, quia præstat vitiosi succi maiore parte emissa ad detergendas obstructiones accedere. Coniecturæ huius meæ confirmationem affero multiplicem, primam ex Auicennæ, Alexandri Tralliani, & Aetii verbis, quæ in superioribus citauimus. Secundam ex vetere interprete, qui sic in latinum vertit hæc verba: Præstat enim vitiosi succi maiori parte emissa, &c. Melius enim vacuantes, quod plus cacochymiæ ad expurgandam cacochymiam ire.] Rursus Constantinus Monachus in sua Synopsi, ita scriptum reliquit: In illis qui malos habent humores festinanter occurrere cum purgatione. Manuscriptus codex. Longe melius est ante maiorem partem vitiosi humoris purgare. Præterea, non est prætermittendus contextus, quem Iacobus de partibus citat, apertissimus, habet enim in prima quarti tractatu primo capite vigesimoquinto hæc verba: Phlebotomare tamen non audemus si puer infirmus sit, vel senex, si tamen mediæ ætatis, & virtus fortis, incidimus venas: licet nulla significatio plenitudinis in venis significetur. Melius est enim corpus purgari ex illa mala materia.] Vides hic purgationis apertissimam fieri mentionem. Constat etiam ex dictis, varietatem inueniri magnam in hoc loco, ita vt, quid pro certo sit statuendum, vix discerni possit.

Cap. XIIII.

Eorum quæ dicta sunt confirmatio ex Galeni verbis.

Expedit autem, vt illustriora sint omnia, ex Galeni doctrina nostram hanc suspicionem confirmare. Primum constat Galenum magnam supposuisse obstructionem, qualem diximus ex omnium causarum concursu fieri: in hac ipsa constituenda duo affectus cõcurrunt, plenitudo, & cacochymia simul, nam crassities & viscidItas cacochymiam constituunt, sanguinis multitudo, plethoram. Quæ si vera sunt, merito scripsit minari periculum ne febris hæc transmutetur vel in putridam, vel in continentem: in putridam quidem in iis corporib. quæ malis abundant excrementis: in synochis vero in plethoricis corporibus. Ne igitur alterutrum ex istis accidat, saluberrimum est prouidere vtroq; vitio, Venæ quidem sectione in sanguine abundantibus, purgatione in vitiosorum humorum copia. Interdum etiam vtroq; indigemus remedio. Vt prouideret Galenus hisce incommodis, rationi consentaneum est, vacuationem per sanguinis missionem consuluisse ante omnia, cũ debeat in hoc opere præponi, postea vero purgationem etiam admisisse. Rem in hunc modum sese habere facile demonstrãt eiusdem Galeni verba sexto de morbis vulgaribus sectione secunda, commentario trigesimo exponentis hanc sententiam Hippocratis. Latæ pustulæ non admodum pruriginosæ, quales Simon hyeme habebat, qui cum ad ignem inungeretur, aut calida lauaretur, iuuabatur. Vomitus non iuuabant, puto si quis calida fomẽta adhibuisset, vtilitatem percepisset.] Pro huius histo-

riæ dilucidatione sciri velim, pustulas omnes efflorescentes in cute, fieri ab humoribus transmissis ab intimis partibus ad extimas, nempe ad cutem, atq; ad ipsam epidermidem, horumq; humorumq; quosdam contineri intus in cute, quosdam extra & foras erumpere per cuticulam, sanationisq; harũ pustularum Methodum esse per easdem vias vacuare materiam, per quas natura vacuat attrahendo illam ad cuticulam, ac detergendo: eam vero quæ intus continetur neq; erumpit in cuticulam attrahendo foras atque dissoluendo. Ideo Galenus in eo commentario dicit hæc verba: Sed cuti inhærentium succorum curatio prorsus per discussoria, & calida medicamenta præstatur.] Verum quia hæc curandi ratio non est tuta, vbi magna in corpore inest humorum copia, quia si tunc iis præsentibus vacuationem discussoriam ex cute moliremur, multo plus attraheremus quam per cutẽ dissolueremus, vt ibidem inquit: propterea asserit antea purgandum esse, & venam incidendam, quemadmodum docuit in libris de Methodo medendi. Quia locus hic satis illustris videtur in confirmationem suspicionis nostræ, ne videar aliquid imponere, volo afferre in medium totam dictionem Galeni quæ sic habet: Sed forsan me dicere putabis, numquam purgatione per ventrem in talibus vtendũ esse. Ego vero non id dico: nam in libris de arte curandi, in quibus corporibus permulta humorum copia est, iis vtiles esse purgationes didicisti, priusquam enim ita redundantem materiam, aut venæ sectione, aut purgatione quis eduxerit, sic calidis fomentis vtens ipsam discutere conetur, plus attrahet, quam per cutem vacuabit.] Hæc Galenus. Quæ ad propositum nostræ tractationis accommodanda sunt. In hac febre obstructionem habemus in meatibus cutaneis, quam proprie sanatut us eorum pharmacorum, quæ per cutem ipsam expurgant, discutiunt, detergunt. non licet iis vti] inquit Galenus ibi, atque idem in hoc capite quarto, quia multo maiorem efficiemus obstructionem attrahendo succos in alto corpore abundãtes ad superficiem. Ergo in primis illos vacuare oportet, antea quam ad detergendas obstructiones accedamus. Sed qua vacuatione vtendum est? Respondet alternatiue, aut venæ sectione, aut purgatione. Vtemur quidem venæ sectione, si corpus plethoricũ extiterit: purgatione, si malis succis fuerit refertũ, aut vtrũq; adhibemus remedium, si vterq; affectus humorum adfuerit. Igitur vt præseruemus ab hoc periculo, interdum venæ sectio, interdum purgatio, & interdum vtrumq; remedium necessarium est. Consideremus hæc verba. In libro de arte curandi.] Certissimum est eum librum esse medendi Methodum. Inuestigemus modo vbi Galenus id explicauerit. Loci multi sunt in quibus purgationem, aut venæ sectionem adhibendam esse docet in ipsorum humorum abundantia, quos sigillatim referre superuacaneum videtur. At nullibi quod sciam, apertius id facit quam libro vndecimo de Meth. med. c. 10. & in hoc ipso 8. cap. quarto, quod nunc explanamus. Eandem enim vbiq; rationem adfert cur antequam ex cute detergamus, & discutiamus humores, prius necessaria sit purgatio, aut venæ sectio: vtrobiq; idem affectus fere supponitur. Dicit enim in hoc commentario sic: Si calidis fomentis vtens ipsum discutere conetur, plus attrahet quam per cutem vacuabit.] In hoc autem capite ita scribit, alioquin metus sit si obstructionibus liberãdis prius quã vacuaueris studeas, ne ipsas magis impingas.] Addit etiam causam hisce verbis. Periculum vero est etiam ne quæ foras trahunt, vna cum iis quæ obstruunt etiam aliud quippiam attrahant. Idcirco sane rectissime concludat, inanitionem corporis vniuersi esse necessariam.

Postremo adeo inordinata, adeo parum continuata, adeo obscura apparent Galeni verba, vt suspicari mẽdosum aliqua ex parte existere codicẽ rationi satis consonum videtur. In primis .n. cum rectissime in principio proposuerit differentias tres obstructionis, paruã, mediocrem, magnã, debeat ẽt eodem ordine seruato agere de singulis. At prius de mediocri pertractat, mox de parua, prætermissa obstructione magna. Atque postea necessitatem inanitionis explicans prætermissa parua, & mediocri obstructione, solum de magna meminit. Hic duo sunt difficilia contra dilucidum Galeni scribendi modum, primum quod

extra

extra rē agat de parua, quia qui recte deterserit, secundā fore accessionem vetabit. Adde quod ex serie & continuatione verborum de parua obstructione quædam dicit, vt supra explanauimus, quæ illi conuenire non possunt. Aliud, quod cum Galenus explicauerit venæ sectionem fieri ob magnitudinem obstructionis, supponit antea cognouisse quæ pro ratione cognoscendi necessaria iudicari possent. At certe si quæ in principio capitis dixit è medio tollas, ne verbū quidem. Præterea, repetitionem quandam adhibet obscuram breui admodum spacio. Siquidem de mediocri ita scribit: Protracta tamen inclinatione, nec pro ratione, sicut post summum vigorem inceperat cedente, suspectus affectus est.] Tribusq; deinde interpositis lineolis agens de ephemera ab obstructione parua, inquit: Protracta tamen inclinatione suspecta redditur, quamuis putredinis signa in pulsu adhuc non appareant.] Quęro causam repetitionis huius, nam protractio inclinationis signū est necessariū transmutationis, q̄ quidem non habet locum in ea, quā parua concitat obstructio; etenim si mediocris vsq; ad secundā extensa diem vere diariā cōmittit febrē, obstructio parua horarū 24. concitans febrē si quispiā recte deterserit, prorogari nequit. Addeq; cū h.. e sit cōmune signū q̄ de vna efferrur specie, efferri ēt de aliis solet: frustra igitur repetit, si sermo est de febre diaria ab obstructione parua. Si quispiam diceret in illis verbis sermonem haberi de obstructione magna, videat quæso, quam sit durus hic sermo, & quam male cum superiori conueniat. Sed quæ ex parua oritur obstructione, ea, vt dictum est, saltem inter initia similis diariis est. Protracta tamen inclinatione suspecta redditur] dictio illa, tamen] ad superiora est referenda dum magnæ non meminit, meminisse autem debebat, si dilucide, & aperte loqui voluisset. Scio certe ad hūc locum maxime difficilem me non dedisse explanationem aliam quam quæ proxime dicta est: sed profiteor non esse dilucidam: & certe mihi ipsi videtur durior. At vero si pro parua] substituatur alia,] aut magna,] dilucidissimus fiet sermo, & omni carens dubitatione. Repetitio enim illa causam docet huius sententiæ. Saltem inter initia similis est diariis] nam non habet similitudinem in ipsa inclinatione, quę necessario protrahitur multo magis quam in obstructione mediocri. Docui hactenus causas omnes, quæ suspicionem ingerunt mihi deprauari cōtextus. An autē recte suspicer, aliorum sit iudicium. Mihi certe satis sit dixisse quid sentirem, atq; aliorum ingenia ad veritatis inuestigationem excitasse. Interim vero si nullus error subsit, quomodo difficilis explanari debeat locus, abunde dictum mihi in superioribus fuit. Atq; hæc pro præsenti disputatione sufficiant.

Tt 4

HORATII AVGENII A MONTE SANCTO DISPVTATIONVM DE RATIONE CVRANDI PER MISSIONEM SANGVINIS ex Galeni ſententia;

LIBER SEPTIMVS.

DISPVTATIO VNDECIMA.

An pro vacuanda Cacochymia ſanguinis miſſione ſit vtendum:

SVMMA DISPVTATIONIS VNDECIMAE.

Emittere ſanguinem duntaxat ob euacuationẽ Cacochymiæ, non licet. Ob periculum magnitudinis morbi aut præſentis, aut imminentis à ſanguinis plenitudine aut fluxione proficiſcentis, licet.

CAP. I.

Quæ ſuppoſita ponat hæc tractatio, quid ſummatim ſentiant de hoc argumento recentiores Medici, quodq; male Pauli Æginetæ opinionem arguant.

IN hoc poſtremo noſtrarum diſputationum lib. ediſſeram, an pro vacuanda cacochymia ſanguinis miſſio conueniat, quod certo ſciam vires hac ætate celebres, in omni corporis affectu ſiue à cacochymia, ſiue à plenitudine originem ducente, venæ ſectionem admittere, ſi morbi adſit magnitudo, viresq́; conſentiant. In qua re non mediocriter aberraſſe illos licet ea facile demonſtrent, quæ ſcripſimus libro quarto de miſſione ſanguinis à capite ſecundo vſq; ad ſextum. Idem tamen hoc libro dilucidiſſimè (niſi fallimur) explicabimus, in primis ſupponentes, quæ ibi copioſe ſcripta ſunt. Neq; enim temere idem repetemus argumentum, ſiquidem hoc libro conſiderabimus nouas rationes Medicorum noſtri temporis, quas eo in lib. nõ conſiderauimus, quia tunc publice nõ extabant. Verum quamuis ex iis, quæ docui in alio opere, & quæ ſuperioribus diſputationibus dicta ſunt, Nouatorum rationes facilem explicationem habeant: Nihilominus tamen plurimum inſtantibus meis auditoribus, vt ſigillatim vnamquamque rationem ſub examẽ reducam, ac doceam quid bene, aut non bene dictum ſit, in illorum gratiam hunc laborem libentiſſime ſuſcepi.

Primo igitur loco quid illi in genere circa propoſitam diſputationem dicãt, & qua occaſione ducti, Pauli Æginitæ opinionem arguant, ediſſeram: oſtendamq́; dum illi contra eum authorem ſcribunt, Galeni doctrinam funditus euertere. Mox autem rationes illorum in particulari conſiderabo. Aggredior ad rem.

Sic illi ſentiunt de tota re. In quauis cacochymia, vt maxime redũdet humor frigidus, vel calidus ſumma cum ratione, atq; ex ſententia Galeni nonnumquã ſanguinem mittendum eſſe: quod ſi aliter fiat, id propter aliam cauſam non fieri, quam quod ægri tum ſunt debiliores quam vt commode tantum remedium ferre poſſint. Atque addunt, ſeſe probare ſatis non poſſe illorum ſententiam, qui

fatentur quidem in cacochymia sanguinem fore mittendum, si iuncta illi fuerit humorum plenitudo. In qua sententia præter cæteros fuit Paulus Aegineta qui de dolore verba faciens, ita scriptum reliquit: Si vna adsit plenitudo, sanguinem mittendum, si vna adsit cacochymia, dandum medicamentum. Si vtraq; simul coniungatur, primum sanguinis missionem, deinde purgationẽ perficiendam esse. Etenim (inquiunt) adhuc reuiuiscere ex hac opinione videtur dogma sæpius ingulatum, nimirum consilium capiendum esse de missione sanguinis ab ipsa plenitudine. Nec fortassis eiusmodi responsionem ad principalem difficultatem accommodari putant. Nam quæritur generaliter, an liceat in cacochymia sanguinem mittere, nulla plenitudinis facta mentione. At illi fere postposita cacochymia vnam afferunt plenitudinem.

Hoc primum illorum fundamentum est, de quo antequam ad alia progrediamur, dicendum. Sententia ista, in qualibet cacochymia qualiscumq; redundat humor, ex Galeni sententia interdum sanguinem mittendum esse. Si intelligatur de indicatione, quam proprie suggerit cacochymia, dubio omni procul falsissima est, vt in progressu docebimus. Sed si audiamus illam de cacochymia nota vel indicatione sumpta ab affectu aliquopiam complicato cum ipsa cacochymia, aut complicando, absurda non est sententia, imo vero maxime Galeni principiis consona, quia licet mittere sanguinem cum affectu plenitudinis, & sine plenitudine, vt vacuemus, & reuellamus: est autem sine plenitudine corpus, tum quod cacochymia laborat, tum quod ab omni cacochymia liberum visitur, vbi inflammatio futura suspicatur, vt in cadentibus ab alto, interdum saluberrima est venæ sectio. Quæ profecto vt non indicatur à cacochymia neq; à sano corpore, vt actu tale: sic solũ pendet à magnitudine futuri morbi ratione fluxionis præsentis aut imminentis. In qua fluxione si sanguis potissimum vicerit, sanguis mittendus, si alius humor à sanguine purgandum, vt supra ex Galeno libro de venę sectione docuimus. At quoniam isti hunc non audiunt sensum, nos priorem falsum esse ostendamus.

Illud in primis admitti meo iudicio non debet, in omni cacochymia, in qua sanguinis missio non conuenit id fieri, quod sint imbecillæ vires. Quia si purgãs pharmacum ferunt vires cum purgamus malum succum, validas existere oportet. Turgente enim materia continuo purgante vtimur pharmaco, eoque pro morbi cõditione valido: atqui vires valent pro hoc munere exercendo. At sanguinis missionem neq; Hippocrates neq; Galenus, imo vero neq; ex bonis auctoribus alius admisit. Præterea dicebat Hippocrates in Aphorismis, si talia purgentur, qualia oportet, confert, ac facile ferunt: sin minus, contra. Hydropem exempli gratia statuamus Ascitem, pro hac sananda nemo est ex omnibus Medicis, qui non exhibeat pharmaca hystragoga, omnium pharmacorum validissima, atq; ea in curatione non frequenter repetat; at ægroti ita ferunt hanc purgandi rationẽ, vt interdum sanitati restituantur. Cur igitur vires statuentur habere imbecillas? Rursus ita validæ sunt vires in Ascite non mittitur sanguis? cur non in Timpanite? quid hic coniectari potest, quod probabiliter respondeant? morb. magnus adest triplici nomine, ratione partis, ratione cacoethiæ, deniq; ratione magnitudinis propriæ: Vires constant ferentes validissima pharmaca: igitur semper mittendus foret sanguis, si vera sunt illorũ principia. At hoc ipsum admittere nũquam voluit Galenus, nũquam Arabes, nũquam recentiores Medici: quod si quispiã temere ausus fuerit tentare generosum illud remediũ, breuissimo quidẽ tẽpore luet pœnas nefandæ temeritatis ex ęgroti morte. Galenus quidẽ dũ ageret de hac materia, rectissime scriptũ reliquit, neminem ausum fuisse in hydrope affectis Ascite, aut Timpanitide mittere sanguinẽ, sed cur dixit ausum fuisse? quia certe audacia foret maxima, periculosissimaq;, atque omnino lethalis. Dicit fortasse aliquis excipere Galenum Hyposarcitem, in quã vult mitti sanguinem, & bene excipit, sed nõ quamcumq;, nec quocumq; tempore consideranda causa ob quam fit, ac illi suum adhiberi debebit remedium. Considerandus affectus an recens, an inueteratus extiterit, si quidẽ in laborant

tibus hypoſarcite recenti, & quę ſolum duxerit originem à ſuppreſſis menſibus, aut à ſanguine ex venis hæmorrhoidalibus effluere conſueto, præter naturam retento, ſolum conuenit venæ ſectio ad vacuandum multitudinem, non conuenit in aliis cauſis, neq; in alio ſtatu morbi. Ergo cum in ipſa cacochymia non extrahitur ſanguis, id profectò non fit, quod vires ſint imbecillæ, ſed quod non adeſt natura indicans remedium. Nos enim in hac tractatione non quærimus, quid contraindicet remedium. Perpendamus quæſo rationem. Magnitudo morbi in hydrope anaſarca eadem eſt, quę in aſcite, ac tympanite. Imo vero fortaſſis minor, ergo idem in ſingulis exerceri debebit remedium, At non fit venæ ſectio, niſi in prima ſpecie, niſi cum recens eſt, atq; à plenitudine ſanguinis ducit originem, non igitur ratione cacochymiæ mittitur ſanguis, ſed ob copiam ſanguinis coaceruati ex retentione ſolitarum vacuationum. Quamobrem eadem venæ ſectio conueniret in aliis: ſi nihil aliud perpendendum eſſet, quam magnitudo morbi: at Galenus id non vult, id negat admodum euidenter libro quarto de ratione victus in morbis acutis. Porro quod de hydrope diximus, idem etiam dicendum de aliis morbis, in quibus ſola conuenit purgatio, minime autem venæ ſectio. Adhæc vero ex inductione in hunc modum vrgeo. Quando Galenus, Paulus, Aetius, ac reliqui omnes Medici, morborum curationem ſcribentes, ſolū purgantis pharmaci mentionem faciunt, interrogo, an illi morbi magni ſint aut parui. Scio reſponſuros magnos eſſe illos: atqui, ſi hoc ipſum concedent, habebunt igitur vires validas, quia magnitudo morbi atq; virium robur ſunt ſcopi indicantes purgationem, ac etiam venæ ſectionem, vt Galenus ait libro quarto de Methodo medendi cap. ſexto. Sed vnanimi conſenſu in illis non mittunt ſanguinem, cur, quæſo, generoſum remedium, ac maximè neceſſarium prætermittunt? ſic data veritate opinionis horum hominum omnes turpi errore in hac re detinentur. Rem habere hoc modo conſtat, facta inductione in ſingulis morbis à ſummo capite ad imos vſque pedes, quam ego hic afferre ſigillatim prætermitto, vt puta notiſſimam omnibus. Velim hoc loco ſtudioſos, memoriæ commendare, quæ docuimus libro primo de ratione curandi per ſanguinis miſſionem; vires ipſas validas, ac imbecillas dici etiam in relatione ad opus, quod poſtulat morbus; de quibus egit Hippocrates in Aphoriſmis, ac libro de humoribus cum ait: Si talia purgentur, qualia conuenit, confert, & facile ferunt. Si enim morbus poſtulauerit purgationem bilis, validis exiſtentibus viribus, eadem educatur pharmaco, vires ferent. at ſi pro bile purgetur pituita, vel melancholia, vires non ferent. In eundem modum, ſi incidatur vena in eo morbo, qui non poſtulat euacuationem ſanguinis, vires neceſſario reddentur imbecillæ. Quamobrem validas, aut imbecillas facultates exiſtimabimus, in relatione ad opus ipſum à morbo indicatum, iuxta quam conſiderationem contingit validiſſimas vires interdum reddi maxime imbecillas, quod non fiat id remedium, quod à morbo eiuſq; cauſa poſtulatum eſt. Hæc eo pertinent, vt oſtendam in morbo magno à cacochymia genito, non conuenire ſanguinis miſſionem, non quod vires ſint, vt illi dicunt, imbecillæ, ſed quod morbus non indicet. Præſtat hæc Galeni teſtimonio confirmare, qui ita ſcribit libro de facultatibus medicamentorum purgantium.

Is ſimul atq; nouit, me ſola purgatione complures à defluuio capillorum liberaſſe, illico proſequi me odio cœpit, item alius cum incipiens carſinoma, quoſq; elephantes appellant, & depaſcentia, multaq; alia vlcera curatu difficilia, ſanaſſem, & alius, quia ſolis purgationibus oculos obtenebrationem patientes, conualeſcere feceram: & adhuc alius propterea quod inſanientes, comitiales, melancholicos, & nō inſuper paucos diutino ca. dolore vexatos purgando tantum liberaſſem, vt & coxendices, & longis doloribus aliis in partibus infeſtatos, atque hunc nuper, quem tanquam colo vexaretur, tribuſq; iam menſibus Medici tractauerunt, in peius quotidie abeuntem hunc ego omnia, quæ illi impoſuerant, abiicere iuſſi, ac ſolis purgationibus ſanitati reſtitui,] hæc Galenus, quæ ſi vera ſunt, cur quæſo morbis hiſce à malo ſucco genitis vexatos, ſola purgatione non

he non misit ſanguinem? ita oportuiſſet facere Galenum, quia morbi erant magni, ac vires validæ. Ergo eſt falſum in cacochymia cum nõ mittitur ſanguis, id fieri ſolum propter imbecillas vires, ſed longe veriſſimum, quia non adeſt natura indicans id remedium. Progredior ad reliqua. Quæſtio eſt an in cacochymia liceat mittere ſanguinem? Quæſtioni huic nequit reſponderi, niſi nomine cacochymiæ diſtincto. Duplex enim ſignificatum habet: vel enim ſumitur pro exquiſita cacochymia, vel pro non exquiſita. voco exquiſitam ſuccum vitioſum à natura ſanguinis diſtinctum, citra incrementum aliquod ipſius ſanguinis. Non exquiſitam vero, in qua mali ſucci adeſt copia ſimul cum ſanguinis abundantia: illa nomine generis cacochymia vocabitur: hæc autem cacochymia plethorica, nomine indito ab abundanti, cognominé vero ab eo, quod minus eſt. ſic Galenus Eryſipelam phlegmonodem & phlegmonem eryſipelatodem vocauit, at ita dicimus plethoricam, & plethoram cacochymiam affectus ipſos humorum permixtos. Conſtituta eiuſcemodi hypotheſi, aſſeuero in cacochymia exquiſita non conuenire ſanguinis miſſionem, ſed ſola purgatione, ſi leuiori emandari nequeat remedio, opus eſſe, in alia indigere nos vtroque remedio. At non placet recentioribus Medicis eiuſmodi aſſertio ex cacochymiæ diuiſione conſiſtens, quia inquient, reuiuiſcit dogma toties iugulatũ, nimirum conſilium capiundum eſſe de miſſione ſanguinis ab ipſa in primis, ac ſola plenitudine. Bona certe ratio, ſi, vt putarunt, contigiſſet; Quam ſtabili, ac firmo antiquorum patrũ ſententia inhæreat fundamento, de ſanguine mittendo indicatione ſumpta ab humorũ plenitudine, vel à ſanguinis motu, ſuperiorib. diſputationib. docui. Nunc vero, quia reliqua tractationis huius loco ſuo innoteſcent, volo duntaxat oſtendere, quod dum nouatores iſti Paulum Aeginetam arguunt, Galeni doctrinam funditus euertunt. Ab hoc enim vero medicinæ magiſtro, vt alia ꝓpemodum omnia, Paulus ille mutuatus eſt. Poſſem afferre locos plures, ſed pro multis ſufficiat in præſentiarum vnus, qui eſt in lib. quarto de ſanitate tuẽda, vbi agens de laſſitudine vlceroſa, quam à malis fieri ſuccis explicuit, rationem curationis docet petendam eſſe à vitioſi humoris ſinceritate, ac miſceda. nã ſi ille cum ſanguine permiſtus copioſo fuerit, ſanari miſſione ſanguinis, & purgatione ſimul docuit: ſi vero per ſe ſolus faciat moleſtiam, purgatione ſolum opus eſſe! videant hic Galenum eandem afferre diſtinctionem quam Paulus: Etenim ſi quiſpiam de Galeno quæreret, an in vlceroſa laſſitudine mittendus ſanguis, ille diſtinctione adhibita dixiſſet, in exquiſita laſſitudine ſolum purgandum, in permiſta cum ſanguinis copia, venæ ſectionem cum purgatione adhibendam. Dictionem admirabilis Galeni totam affero, ne ab ipſo videar Galeno latum, quod aiunt, vnguem diſcedere. Aeſtimandum (inquit) cum ſanguinis ne copia, an cum crudis humoribus, an per ſe ſolus cõſiſtat vitioſus ſuccus, qui laſſitudinem creat. Nam ſi cum ſanguinis copia, aut vena incidenda, aut aliquid quod tantundem poteſt agendum, ſane tantundem poſſunt hæc, quibus hæmorrhoides ſunt retentæ, ſi has emiſeris, ſi mulieri menſtrua conſuetudo ceſſauerit, hanc prouoces, ſi quibus horum nihil eſt, malleolos ſcalpello incides. Poſt hæc aluus eo medicamento deiicienda eſt, quod maxime accommodatum malo ſucco ſit. Quod ſi vitioſi tantum ſucci, iiq; citra ſanguinis copiam ſubſint, purgatio petẽda eſt, quæ infeſtanti excremento ſit accommoda. Hactenus ille. Ecce igitur, in cacochymia plethorica ſanguinis emiſſionem ſimul cum purgatione, in exquiſitã cacochymia ſolam purgationem adminiſtrãdam. Ecce Paulum Aeginetam veram Galeni ſimiam, recte ſcripſiſſe libro ſecundo ca. 40. Siquidem igitur ſanguinis multitudo fuerit, quæ diſtendit, ſtatim vena magna ſecanda eſt prope affectam partem, vitioſis autem humoribus ſolis infeſtantibus, purgatio fiat, ambobus autem concurrentibus, vtriſq; vacuationibus vtendum eſt, vena prius ſecta. Sed hæc dilucidiora fient in ſequentibus.

CAP. II.

Summa capita, quibus recentiores Medici contendunt, in cacochymia sanguinis missionem conuenire.

PORRO Medici recentiores triplici argumentorũ genere contendunt sanguinis missionem conuenire in ipsa cacochymia. Primum quidem de omni cacochymia disputantes, septem, si bene consequor, generatim rationibus suum propositum roborant. Deinde in specie circa vnamquamq; differentiam mali succi, insistentes, probant, in pituitosa, biliosa, & melancholica Galenum sanguinem misisse. Tandem vero idem confirmant, reprobando quæ ab aliis dicta sunt, non admittentibus in cacochymia missionem sanguinis. Ego singulas partes considerabo, quo ad eius fieri potest, accurato studio, facto principio ab iis, quæ generatim dicuntur.

CAP. III.

Rationes aduersariorum contendentium in omni cacochymia interdum mittendum esse sanguinem.

PRIMA ratio. Tres scopi ad mittendum sanguinem sufficiunt, magnitudo morbi, virium robur, consistens ætas: in cacochymia quandoq; imo sæpius adsunt eiuscemodi scopi, igitur in cacochymia quandoq;, imo sæpius sanguis mittendus est. Certum est adesse duos, magnitudinem scilicet morbi, & ætatem: at in quouis humorum vitio vires vsq; adeo inueniri imbecillas, vt id remedium ferre nequeant, neminem arbitrantur esse, qui asseueret.

Secunda ratio. Causæ præcipuę, ob quas sanguis mittitur, sunt duæ, quarum vna est sanguinis copia: alia eiusdem vitium, Galeni testimonio libro nono de Methodo medendi capite vndecimo, & Auicennæ libro primo sectione quarta cap. 20. Atqui in cacochymia sanguinis vitium includitur, vt constat, itaq; venæ sectio in cacochymia saluberrima est.

Tertia. Omnis magnus morbus ex Galeni sententia sanguinis missionem exigit, vt patet libro quarto de Methodo medendi cap. sexto. Sed inter istos morbos, vnus est malignus, & cacoethe, qui à solis vitiatis humoribus concitatur, ergo morbus magnus à cacochymia sanguinis missionem exigit.

Quarta. In omnibus putridis febrib. conuenit venæ sectio. Atqui putridæ febres fiunt à cacochymia, idcirco in cacochymia conuenit venæ sectio.

Quinta. Quid sibi vult illa partita vitiosi succi curandi ratio, quam vocant per epicrasin, cuius multa sunt exempla in libris Medicorum? quale est apud Galenum illustre, eorum scilicet, qui ex vitiosi succi erosione sanguinem reiiciunt; quique sanguinem habent crassum, vitiosum, ac veluti limum; quibus ille tradit semel, bis, ac sæpius secandam esse venam, illis interea ad Euchimiam, id est, boni succi habitudinem reductis.

Amplius in hunc modũ argumentatur. Mulieri notabili cacochymia laboranti cæteris fere Medicis aduersantibus Galenus sanguinem copiosissime detraxit colore, & crassitudine liquidæ pici similem, vt cõstat sexto Epidemiorum sectione tertia commentario 29. Ergo in cacochymia notabili de Galeni sentẽtia venæ sectio vtiliter administratur.

Postremo in hominibus ictericis, melancholicis, lienosis, elephanticis, Gallicis, & in aliis huiusmodi morbis, quos fere constat ex insigni humorum vitio originem ducere, omnes Medici sanguinem mittũt, ergo in cacochymia interdum conuenit mittere sanguinem. Hæ sunt rationes, quas illi afferunt, in vniuersum probantes, in cacochymia sanguinem mittendum esse.

Ratio-

CAP. IIII.

Rationes contrarium ex Augenio persuadentes.

VT possint, qui hæc nostra legent, facilius ferre iudicium, vtra ex duabus hisce opinionibus melior existat, decreui in studiosorum Medicorũ gratiam, anteaquam sigillatim respondeam rationibus suprapositis, afferre in medium rationes contrarium persuadentes.

Primũ sic insto. Magnitudo morbi, ac viriũ robur, sese indifferenter habent ad sanguinis missionem, & purgationem. Ergo neutrum ex his ipsis ab illis duobus indicari certo, ac semper potest. Illatio notissima est ex Galeni verbis lib. nono Methodi medendi cap. 12 quorum in superioribus facta non semel est mentio: etenim quod vnum indicat, id ipsum semper indicat, quia semper eandem naturam indicantem habet. Antecedens est Galeni lib. 4. Meth. cap. 6. Ex hac hypothesi sic argumentor. Id remedium numquam debet exerceri, quod non habet indicantem naturam: sed purgatio non indicatur à magnitudine morbi & virium robore, ergo purgatio non est administranda, sic indicante virium robore, & magnitudine morbi absolute sumpta, porro idem fiat de sanguinis missione argumentandi modus.

Secunda ratio. Id remedium non est exercendum quod communibus animi notionib. repugnat: atqui in cacochymia mittere sanguinẽ cõmunib. animi notionibus repugnat. Itaq; in cacochymia non venæ sectio, sed purgans medicamentum est exercendum. Pro notitia rationis huius sciri velim, indicationes à Medicis rationalibus magni fieri, quia respondent communibus notionibus ac iis, quæ sensui manifesta sunt, vt Galenus ait lib. de optima secta ad Thrasibulum. Sunt præterea in medicina cõmunes notiones, quæ in animis omnium ita sunt impressæ, vt pro principiis vtantur, de quibus alibi diligentius dicam. Inter istas vna est, quod is humor debet vacuari, qui facit morbum: qui non facit morbum, vacuandus non est, ac sane tanto minus vacuandus, quanto maiorem afferre potest vtilitatem, si non vacuetur, aut toto corpori, aut sanitati introducendæ. Alia est etiam dignitas, mederi oportere, tuto, cito, & iucunde: cuius Galenus meminit libro duodecimo de Methodo medendi. Hæ notiones animi subuertuntur sanguinis emissione in cacochymia, primo quia, cum morbus nõ fiat à sanguine, sed ab humoribus vitiatis, distinctam naturam à sanguine habentibus, non ille quidem vacuandus, sed ii duntaxat. Deinde quia sanguis ad illorum malitiam corrigendam iuuare non mediocriter potest, atq; eo vacuato sequatur virtutis imbecillitas, audite oportet Galenum de hac re ita scribentem: Subiungam nunc id, quod semper asserere consueui, imperitum quemque hisce cauillatoribus meliorem esse, nam si nulla alia in re præstet, communes saltem animi notiones admittit: quas isti longa consuetudine deprauari negant. Nuper itaque homo quidam minime stultus, cum pustulæ ipsi toto è corpore subito erupissent, vlcerosæ, & male coloratæ medicum adiuit, existimans se quam primum purgatum iri. At eo sanguinis missionem protinus iubente, ne desipias, inquit, verisimile siquidem est, vna cum prauis, bona quoque effluxura, &c. hæc Galenus, quibus nihil dici in rem potuit præsentem dilucidius. Originem habebant illæ pustulæ à cacochymia, nẽpe ab humore bilioso, quem expurgandum censebat, retento sanguine, iuxta communem animi notionem, quam ille subuertebat Medicus pro purgatione sanguinis missionem substituendo. Quomodo autem aliud subuertatur axioma, explanabitur postea.

Tertio ex hac opinione omnino vsus tollitur medicamentorum purgãtium, qui vsus est sanguinẽ reddere purũ ab humorib. excrementitiis coinquinantib. eius naturã, de qua re sic dicebat Galenus: Quæ purgant, purgantia nuncupantur, quod sanguinem ab antedictis humoribus purũ cõstituant, mihi autem videtur sic habere, vt in tritico, quod cribro, ab auena, à terra, ac ab aliis inquinamentis expurgatum reddimus, atq; sincerũ. Ergo si humores mali cũ sanguine mixti pharmaco attrahente educi debent, vt sanguis purus in venis remaneat,

nonne totus hic vsus omnino subuertitur, vbi quispiam sanguinem mittat? quomodo enim reddetur sanguis purus? cur quæso sanguinē vacuant, vt tantillam bilem cum eo confusam educant? ego sane aliquam necessitatem nō video, quę hanc inire cogat medendi rationem.

Quarta ratio. Opinio hæc manifestissime opponitur Galeno, primum in libro de ratione curandi per sanguinis missionem: vbi Galenus docet, qui affectus vacuationem postulant: dicit ibi, affectus magnos genitos à plenitudine, aut fluxione sanguinis citra plenitudinem, postulare venæ sectionem. Affectus genitos à cacochymia postulare purgationem, aut ratione vacuationis, aut ratione reuulsionis, quod fuit superioribus disputationibus abunde explanatum. At vero qui in cacochymia exquisita sanguinem mittit, hic eiuscemodi methodum euertit. Præterea quarto Methodi cap. sexto dicit mittendum sanguinem cum is vincit, purgandum cum adsunt humores vitiati. Amplius humores qualitate precantes purgatione, quantitate autem venæ sectione emendari, adeo frequenter in vniuersa eius doctrina inuenitur, vt sane locos afferre pro confirmatione superuacaneum mihi videatur. de cacochymia in vniuersum satis. nūc rationibus aliorum occurramus.

CAP. V.

In cacochymia, & plenitudine vires esse validas, neq; vitium quodcunq; sanguinis, cacochymiam nuncupari.

QVAM fallax sit argumentum à magnitudine morbi vniuersaliter sumpta, virib. validis, & consistenti ętate, quo solo Curtianum innititur dogma, demonstratum abunde mihi fuit libro primo, & secundo tractationis huius, disputatione scilicet prima, & secunda. Nunc autem vere contendo contra hosce auctores, in omnib. morbis genitis à cacochymia, in quib. vna venæ sectione posthabita, Medici, tum antiqui, tum recentiores solius purgationis mentionem fecerunt, supposuisse vires existere validas, alioquin à pharmaco purgante abstinuissent, missionemq; sanguinis fuisse prætermissam, solū, quod morbus eius non indigebat remedii. Est autem ratio rei huius admodum euidens, quod virium robur, atq; imbecillitas consistere possunt cum plenitudine, & cacochymia, neq; concludi posse in sanguinis copia vires necessario validas: in cacochymia necessario debiles, alio in opere explicui. Porro quamplures morbos esse generis huius, quos sola purgatione sanari profitentur vnanimi consensu Græci, Latini, Arabes, longe notius est, quam quod hoc loco explanari oporteat.

Quod autem secundo loco addunt de vitioso sanguine, quem esse cacochymiam arbitrantur, magna indiget animaduersione. Etenim sanguis vitiosus est interdum sine cacochymia. Nam omnis sanguis, qui aliquo modo naturę inutilis est, vitiosus nuncupari potest, nō solum ex Galeni, sed etiam ex omnium Medicorum cōsensu. Illud autem profiteor de illius opinione, quod ad præsentem disputationem pertinet, inutilem sanguinem dupliciter dici, vel cū propriam naturam amisit, ita vt amplius nutrire non possit, veluti antea: vel cum nimia quantitate creuit, quæ aut vasorum cauitatem impleat, distendatq;, aut vires ipsas aggrauet. Inutilem sanguinem appellabo in bono corporis habitu athletico, qui ad summum bonitatis peruenerit, licet substantia nullā patiatur labem. Inutilem, ac vitiosum in vtraq; synocho, non pari tamen ratione: quandoquidem in ea, quæ citra putredinem consistit, sola efferuescentia facit negotium incremento adiuncta, nulla mutatione, existente in eius natura, in alia vero, quam sanguis putrefactus concitat, vtraq; inutilis, & vitiosus est ratione, quantitate, & substantia, quod scilicet, tum creuerit nimium, tum suam naturam amiserit: atq; hic affectus Plethora nuncupatur, mihi cacochymia; alter vero plenitudo simpliciter. Quod si citra copiam suam naturam amittat, cacochymia est. Hinc variorum suggeretur indicatio remediorum: nam omnino corruptum sanguinem Galenus purgat per inferiorem aluum, per vomitum, per vrinas, per sudo-

rẽ multitudinem cacochymiæ mixtam, venæ sectione, & purgatione emendari censet. Plenitudinem sola sanguinis vacuatione curat. Hæc verissima esse, tum rei ipsius natura indicat, tum Galenus passim docet, ita vt non mediocri admiratione dignum putem, quod sanguinem, quomodocumq; vitiosum, putent esse cacochymiam. Sed consideremus reliqua non minoris momenti. Putauerim ipsos toto aberrasse cœlo, quando secundum Galeni doctrinam duas esse præcipuas causas ob quas expedit sanguinem mittere, nempe sanguinis copiam atq; vitium asserunt, quia numquam, quod illi imponunt, dixit. Siquidem nono lib. de Methodo medendi prius docet, causam vnam communem ob quam mittitur sanguis, cum ait: Memineris vero mihi ad ea, quæ dicenda sunt, quorũ causa venæ sectio petitur] dilucidat hanc ipsam causam quando addit: Nam quoniam hæc sanguinis vacuandi gratia adhibetur] igitur vniuersalis phlebotomię causa est sanguinis ipsius vacuatio. Docet secundo loco causas particulares duas: vnam dicit esse copiam sanguinis, quam vacuare oportebit: aliam vero fluentis sanguinis vehementis impetus inhibitionem, quæ reuulsione fit ad partes distantes, vel deriuatione ad propinquas. Ergo particulares causæ duæ: Vacuatio plenitudinis, & reuulsio fluentis. Somnium certe narrant mihi, cum persuadere volunt Galenum eo libro nono de Methodo medendi ob vitiositatem sanguinis, id est, cacochymiam ex sanguinis corruptione factam, missionẽ sanguinis cõsuluisse, quia hoc ab illius sententia tantum abest, quam quod maxime, vt in explanatione loci illius declaratum superioribus fuit disputationibus. Quod vero postea de Auicenna dicunt, adeo facilem habet explanationem, vt neminem esse putem, qui nesciat. Legat studiosus lector, quæ de hac re scripsimus in primo harum disputationum libro: id enim in præsentiarum repetere esset summæ nugacitatis.

Cap. VI.

Morbus κακοήθης seu malignus, quando, & quomodo sanguinis missionem postulet.

NON minores difficultates habet quæ de maligno morbo ab illis dicũtur: tũ quatenus arbitrantur, in morbo magno, & ratione essentiæ propriæ, & ratione partis, ac deniq; ratione cacoethiæ semper sanguinis missionẽ, ac citra distinctionem conuenire: tum vero maxime cum in particulari de maligno morbo sermonem habent. Illud reprobatum sane mihi fuit in hac tractatione, ac primo libro de curandi ratione per sanguinis missionem: hoc autem reprobabitur nunc, quod, vt fieri possit commodius, dilucidioris doctrinæ gratia afferre volo Methodum curandi vlcera maligna ex Galeni doctrina quarto de Methodo medendi capi. 5. & 6. cuius exemplo, quid de aliis sentiendum sit, facile innotescet.

Vlcera maligna nuncupantur, quæ omnibus recte administratis difficilem contumacemque curationem habent. Hoc autem non ob aliam fere causam contingit, quam ob aliquem partis affectum, qui sanationi impedimento sit, ac licet multiplex affectus id efficere valeat, statuamus tamen potissimum intemperiem partis à materia, quæ in loco exulcerato vel fluxerit, vel paulatim congesta sit, aut etiamnum fluat, difficilem curationem reddere. Considerandum quidem hoc in primis est, an vitiosus succus ad partem adhuc influat, vel influxerit: siquidem ab inhibenda fluxione principiũ curationis fieri debet: neque enim fieri potest, vt vel influxum humorem, vel intemperiem sanemus, nõ antea sanata fluxione. Humoris fluentis natura, ac species cognoscẽda, ac locus vnde fluxio incipit, vincit enim aliquando sanguis: & aliquando humores à sanguinis natura distincti, vel à toto corpore, quod vt plurimũ contingit, vel a determinata particula originem fluxionis habent. Reuellendi sunt, quicumq; fluxerint humores, ad partem contrariam si vehemens fuerit fluxio, ac etiã ad partem proximiorẽ deriuandi, si minor fluxionis extiterit impetus. Interdũ ve-

næ ſectionem adhibebimus, interdum purgationem: toto corpore exiſtente plethorico, ſanguineq; fluente, aut ſaltem euincente in fluxione, venam ſecabimus ſemel atque iterum, ac etiam ſi oportuerit tertio, vt omnem prorſus impetum ſedemus. Aliis fluentibus humoribus accõmodata decerni debet purgatio pro illorum ſpecie. Ideo, inquit alio in opere Galenus, videndum, qui humores aceruentur, nam in quibuſdam amara bilis, in quibuſdam atra, ac in aliis pituita affectum fouet, idcirco idoneum medicamentum eligendum eſt. Si vero fluxerint humores, ipſi tantum, quæ recepit particulæ ſuccurendum eſt, quandoquidem, ſi liuidum, vel rubeum, vel nigrum conſpicitur, ſcarificando, & ſanguinem emittendo, mox, vt Hippocratis verbis vtar, ſpongiam magis ſicciorem quam humidiorem ſuperimponendo: poſt hæc applicando ſiccantia pharmaca: ab his ſi res poſtulet, rurſus ſanguinem auferendo, ac mox iterum talia peragendo donec parta omnino ſanitas ſit. Aliam quidem in Galeni doctrina non inueniemus Methodum, qua vlcera cacoethes ſanari debeant. Vt igitur in illis venæ ſectio interdum, atq; interdum purgatio adhibetur pro varietate humorum: ſic etiam in aliis morbis malignis eadem omnino vigebit Methodus; propterea nõ recte concludunt viri doctiſſimi, morbo exiſtente magno ex ſuccis vitioſis, ſanguinis miſſionem neceſſario adhiberi, cum vires validæ fuerint: quia debet illa tuto interdum prætermitti, ſolam purgationẽ adhibentes. Quartum vero argumentum quomodo debeat diſſolui explicatum fuit, tũ in explanationibus lib. 11. de Methodo medendi, tum in libris de febribus, atq; in quarto harum diſputationum libro ad quos locos benignum lectorem relego.

Cap. VII.

Cur partita vacuatio ſit inſtituta; an in ſanguinis reiectatione è pulmonibus eroſis conueniat ſanguinis miſſio.

QVIA quintum illorum argumẽtum de partita vacuatione, quæ per ἐπίκρασιν fit, ediſſerit, atq; tum in ea, tum in Galeni exemplo inhæreſcit, liceat mihi parum circa vtrumq; digredi non inutiliter, quemadmodum cenſeo. Multis de cauſis fit repetita vacuatio: quarũ prima eſt vt virtuti aliqua ex parte imbecillæ ſuccurramus. Secunda, vt tutior fiat reuulſio. Tertia, vt ſanguis in phlegmone contentus vacuetur. Quarta, vt ſanguis ſemimalus prima ſectione tractus in venis ex habitu corporis, repetita ſectione vacuetur ex venis. Scripſi de hac materia copioſe admodum libro quinto de miſſione ſanguinis à cap. decimo ſeptimo vſque ad 25. quæ cum ſic habeant, duæ priores cauſæ noſtro inſeruiunt propoſito. Eſt autem curatio per ἐπίκρασιν ea, qua paulatim, ac determinatis vicib. inſtautamus vires, & morbi materiam vacuamus, inſtituta propter virium conſeruationem, cum ſcilicet illæ tantam vacuationem non ferunt, neque eum vacuandi modum quantam vult morbus: hinc paulatim vacuantes, & paulatim nutrientes, multis vicibus præſtamus, quod ſemel pręſtari non potuit. Statuamus corpus plethoricum in ſynochum incidere putridam, vireſq; nõ eſſe admodum validas, affectus vacuandum præcipit, idq; vel vena inciſa, vel purgatione (inquit Galenus) vel vtroque remedio: Harum autem neutram ferent imbecillæ vires; quoniam igitur in omnib. eiuſcemodi repugnantiis incerta ſuccurrendi ratio eſt, alias inſanabilis omnino affectus relinquetur, alias ſpatio, & ægre: idque ſi magnum nactus fuerit Medicum, ſanari poterit. Oportet itaque vbi indicationes ita inter ſe aduerſantur, & paulatim, quod vitioſum eſt vacuare, & paulatim inuicem, quod ſalubre eſt, pro eo reponere, & hæc proprie à Græcis Medicis ſanatio vocatur ἐπίκρασις. Hæc ſi vera ſunt, mirum profecto videtur mihi, quomodo ex eiuſcemodi curatione deducant in omni cacochymia mittendum eſſe ſanguinem: cũ ego prorſus colligo purgationem duntaxat exercendã. Galenus dicit corruptelam humorũ indigere remedio vacuationis, aut per venæ ſectionem, aut per purgationem, certiſſimum eſt hanc deberi cacochymiæ: atqui imbecillæ vires nõ ferunt purgationem ſimultaneam,

ergo

ergo per vices adhibenda; non igitur ex hoc præcepto deduci potest aliquando venæ sectionē in exquisita cacochymia salubriter exerceri, cum omnino ex natura indicationum, & ex verbis Galeni contrarium deducatur. At vero dicent Galenum dixisse, corruptelam humorum missione sanguinis etiam indigere, corruptela autem cacochymia est. At certe alio modo res habet, quia cum exigua corruptela adhuc sanguis suam bonitatē seruare pōt, affectusq; adhuc dicitur plenitudo, non cacochymia, vt Galenus ait secundo Aphoris. cōm. 17. huic venæ sectio conuenit: at vbi insignis facta mutatio est, vt amplius nutrire non possit, sola purgatio conuenit non venæ sectio.

Aggredior nunc ad explanationem illustris, (vt illorum verbis loqnar) illius exempli de reiectatione sanguinis. Expedit locum hūc diligenter explanare, ac referre, quæ notaui olim in Methodum, in iuniorum gratiam: præsertim, quod mihi haud plane satisfaciunt alii. Summa remediorum omnium, quæ in reiectatione sanguinis ex pulmonum erosione fieri debent, cōsistit in tribus: Nempe in purgatione, secundo in medicamento diaspermato, tertio in prouisione, quæ adhibetur ipsi capiti, hæc tria remedia indicantur à natura ipsius affectus: ac vt alia prætermittam, de quibus nulla controuersia est, purgationem ipsam insinuat mali succi vitium, quod per se purgationem indicat, hanc extitisse Galeni sententiam adeo notum est, quam quod notissimum, in fine postea capitis inquirit, an venæ sectio in hoc affectu conueniat, cuius problematis explicationem hisce verbis affert: Cæterum de mittendo sanguine his scire illud licet: Quicumque parum habere sanguinis videbuntur, iis ad quendam succum probiorem (sicuti prædixi) reductis, detrahere sanguinē poteris, tum rursus reficere, eosdem etiam rursus purgare, ac rursus reficere, deuuoq; si res suadet, sanguinem mittere, potissimum quibus veluti limus, vitiosus, & crassus totus sanguis est. At qui validi sunt, multique sanguinis, iis statim à principio est detrahendus] hæc Galenus. Pro quorum dilucidatione sciendum est, in principio huius affectus, vt plurimum non conuenire venæ sectionem; quia nullius rei æque sollicitum esse oportet, quam vt neque tussiant, neque ex capite aliquid defluat in pulmonibus, quæ res triplici illo fit præsidiorū genere, præsertim vero purgatione haud ab re additum fuit in oratione illud (vt plurimum) siquidem maiori ex parte & imbecilli sunt, & pauci sanguinis, qui in spurum sanguinis ex erosione incidunt, aliquando tamen multum sanguinis habent, validasque vires, atque tunc statim à principio curationis pro vacuatione multitudinis, & reuulsione fluxionis, sanguis mittendus est. Transacto autem principio, atque iam sanguinis reiectatione sedata, aliquem vsum afferre potest venæ sectio ratione præseruationis, sed non quocumque tempore, quia in paucum habentes sanguinem eiusecemodi vacuationem non admitterent, nisi antea instaurato corpore, & sanguine ad quandam probiorem mediocritatem redacto. Tunc per [illegible] sanguis mitti potest, ac simul etiam institui purgatio. Remedia, quæ proponit transacto principio tria sunt, primum instaurandum, ac reficiendum esse ægrotū cibis boni succi, secundū vero incidendam esse venā. Tertium instituendā purgationem. Inquirenda est omnium causa, vt inueniamus an in hoc ipso affectu sanguinis missio conueniat indicatione sumpta à cacochymia, an autem ab alio indicante. Instaurationem indicabat sanguinis exiguitas, contemperationem vero illius acrimonia, purgationem abundantia mali succi, Venæ sectionem indicabit suspicio futuræ eruptionis sanguinis, ex eiusdem ad affectam particulam fluxione(non illa quidem præsenti, quæ inchoante morbo adfuit, & occasionem dedit vlceri, hæc enim fuit humoris acrimonia, quam tum ex purgatione, tum ex diaspermato pharmaco, tum denique ex præuisione capitis, fuisse mitificatam constat,) quæ posset de cætero facere negotium ægroto ob partis imbecillitatem, etiam pauculo collecto sanguine. Posset enim facile natura ipsa eius onere grauata, rursus ad idem malum reuerti. Porro hæc ipsa affectio est quædam species plenitudinis, in relatione ad vires. Veram existere explanationem hanc nostram, ex eodem auctore fa-

cile probabimus, nam lib. de ratione curandi per ſanguinis miſſionem ca. 7. veluti explicans hunc locum ita ad verbum ſcribit:

Porro qui ſanguine ex pectore reiecto in præſens quidem curati, cæterum eã ſortiti ſunt corporis ſtructuram, in thoracis, pulmonisque partibus vt vel pauculo plus collecto ſanguine protinus, aut vaſis alicuius oſculum reſeretur, aut ipſum rumpatur, iis, etiam ſi nullum in corpore etiamnum ſymptoma, extiterit, ineunte tamen Vere ſanguinem mittere oportet,] Hæc ille. Quæ maxime ad propoſitum conferre non dubito, licet hic de præſeruatione ineunte Vere facienda loquatur, in methodo autem fere loquitur de præſeruatione curationi permixta. Fuit ergo ſanguis miſſus præſeruationis, ac reuulſionis cauſa, ita indicante imbecillitate partis ſolitæ tentari à fluxione ſanguinis. Quod ſi aliquam indicationem hic præberet cacochymia, cur non ſtatim ſanguinem miſiſſet? dicent habuiſſe paucum ſanguinis. Fateor. Atqui erant vires validæ pro pharmaci purgantis vſu, maxime quidem validi, & catholici quale ibi à Galeno inſtituitur, ac etiam cruda exiſtente materia, ex coloquintide, bdelio, ac aliis id genus validis compoſito. tunc igitur ſane vrgente cacochymia ſanguis mitti debebat, non autem poſtquam ipſa fuit tum pharmacis, tum victus ratione mitificata. Debebant colligere ex hoc loco, venæ ſectionem à Galeno fuiſſe prætermiſſam, quod ægrotus exiguum ſanguinem habebat bonum; quia ſi in principio quis incidens in hunc morbum, laboret plenitudine, huic ipſi Galenus vult ſtatim ab initio mitti ſanguinem debere, hic certe locus quem tanti faciunt iſti, illuſtris admodum eſt ad impugnandum illorum doctrinam; iam igitur, quia videor explicaſſe meam ſententiam, ad reliqua properandum exiſtimo.

Cap. VIII.

In muliere admodum gracili Galenum ratione plenitudinis ſanguinem duxiſſe.

AFFERVNT ſexto loco hiſtoriam extenuatiſſimæ mulieris, cuius meminit Galenus libro ſexto de morbis vulgari. ſectione tertia cõmentario 29. ſupponentes nullam habere dubitationem, quin illa, cui Galenus copioſum ſanguinem miſit, notabili cacochymia laborauerit, ſane dignum eſt admiratione, cur eam fecerint hypotheſin, quam omnino ſi rei naturam conſideraſſent, non poterant ſtatuere, atque poſito etiam id verum eſſe, magis mirum, quod ex Galeni lectione, in qua exercitati ſunt, non cognouerint, ſanguinem fuiſſe miſſum ob plenitudinis affectum: declaro vtrumque; Carnem habuiſſe exiguam eam mulierem certiſſimum eſt, quemadmodum etiam neminem ambigere ſcio, carnis molem non eſſe plenitudinis ſignum, cum poſſit plenitudo conſiſtere cũ multa, cum pauca, cum mediocri carne, cuius rei extat libro de plenitudine Galeni teſtimonium aduerſus Eraſiſtratum diſputantis, quod etiam in commentario proxime citato idem auctor manifeſtiſſime declarat, vt parum poſtea eius verba & afferentes, & explanantes docebimus. At ex hoc ipſo colligere, quod carnem habuerit exiguam, notabili cacochymia laboraſſe non videtur mihi rationi conſonum: cum enim affectum non facit inopia carnis, ſed excrementorum & humorum à ſanguinis natura diſtantium, tum copia, tum mala qualitas: quorum nulla mentio fit à Galeno in eo commentario: imo vero neque etiam poſſumus aliquid probabiliter coniectari. Sed iam demonſtremus ægrotum plenitudine laboraſſe, quæ res ex verbis illius facile conſtabit:. Primum quidem, ne videretur carere multo ſanguine, quod habitus corporis attenuatus eſſet, declarare ſtatim voluit ceu dubitationem ſoluẽs, corpora gracillima multum habere ſanguinis, cum ita ſcribit: Multi itaque non parum ſanguinis habent, qui tamen maximopere graciles ſunt, quemadmodum alii craſſi quidem nec tamen niſi pauco ſunt ſanguine præditi] hæc Galenus. Quæ certe quotidiana experientia veriſſima eſſe docet, cum videamus, quotidie graciles mulie-

tes longo maiorē sanguinis copiā cumulare, quā quæ crassæ sunt, vt ex amplitudine venarum, tensioneq́; ac ex menstrua purgatione copiosiori facile innotescit. Voluit accommodato exemplo quod dixerat illustrare, hisce verbis: Et equidem mulierem, cui iam per octo menses suppressæ erant mēstruæ purgationes, quæque attenuatissima erat, copioso sanguine detracto, breui tempore ad suum pristinum & proprium statum restitui, nec secus etiam quamplures alias] Huic certe non detraxisset Galenus copiosum sanguinem, si eo non abundasset. Audiant signum aliud plenitudinis certissimum, quod sumitur à tensione, ac tumore. Porro (ait) illi venæ extensæ erant, quæ sanguine videbantur repletæ, liuentes] apposite dixit sanguine repletæ] non flatu, ac rursus dixit: Liuentes, vt ostenderet naturā sanguinis in illis contenti, qui erat crassus, & niger, q. euentus postea confirmauit. Nam secto, (inquit) vase, sanguis atrę pici, tum colore tū cōsistentia similis effluebat: ob id ipsum largius vacuare decreuit, quia certe plenitudine sanguinis melancholici nullum magis accommodatum inueniri potest remedium: quam venæ sectio: præsertim in mulieribus, quibus purgatio destitit menstrua. Etenim Galeni consuetudo est retentis mensibus, si mulieres sanguinē tenuem coaceruent, scarificare crura, si vero melancholicum & crassum eum ipsum secta vena vacuare, vt docuit libro de ratione curandi per sanguinis missionem, & libro primo ad Glauconem. Aliud postremo plenitudinis in ea muliere signum fuit, quod octo iam exactis mensibus destiterit purgatio ex vtero, ex qua suppressione nō modo probabile, sed necessarium omnino fuit plenitudinis affectum generari. Quamobrem, quoniam eorum, quæ à Galeno in commentario dicuntur, nihil prorsus cacochymiam adfuisse indicat, sed omnia in vnum plenitudinis affectum conspirant, recte videor mirari, cur illi in eam opinionem venerint. Cæterum, quæ de ictericis, spleneticis, elephanticis, Gallicisque dicunt, eandem cum superiorib. habent explanationem, nos enim etiam contendimus, atq; profitemur in illis sanguinis missionem interdum conuenire si adfuerit plenitudinis affectus aut sanguinis fluor: at citra alterutram causam omnino abstinendum ducimus: quæ res præter quam quod ex iis, quæ scripsimus, dilucidissima esse potest, in particulari medendi Methodo fuit mihi adeo sufficienter explanata, vt in iis immorari amplius superuacaneum censeam.

Cap. IX.

Quomodo sanguis sit in ipsis venis constitutus.

HACTENVS de cacochymia in vniuersum diximus: nunc vero sigillatim de vnaquaque disserendum specie. quia vero de sanguinis constitutione ex quatuor humoribus, qui tractant hoc argumentum, disserere cōsueuerunt, ego etiam hic, quid sentire mei debeant tyrones, quorum eruditionis causa hæc scribo, nunc breuiter explanabo. Constare sanguinem ex quatuor humoribus non Galeni modo, ac Hippocratis, sed omnium est Medicorū consensus: sunt autem hi humores. Pituita, bilis flaua, bilis atra, sanguis ipse: quibus inuicē recta proportione permixtis resultat natura sanguinis, ita vt tres illi humores sanguinis partes proprię sint, & fungantur eodē officio nutriendi, augendi, ac fouendi naturalem calorem, quo pars illa quarta, quam per excellentiam nomine sanguinis appellamus, fungitur: vt libro harum disputationum tertio explicui, ac etiam, libro de missione sanguinis, ideoq; non distant colore, quia omnes rubedinem habent, non sapore quia dulcedine participant nō fibris, quia tum quarta pars elaboratissima, tum aliæ tres suis fibris ornatæ sunt, atque extra venas locumque proprium concrescunt in grumos, perinde autem habere videtur mihi, atque in vino, in quo hæ quatuor visuntur partes vini appellatione insignitæ. Porro vocantur sanguinis partes excrementitiorum humorum nomine ob similitudinem, quam cum illis habent, vt pars massæ huius tenuior, & pinguior flaua bilis, crassior & fœculentior, atra, crudior, pi-

tuita: ſimilitudo vero conſiſtit in qualitatibus, & aliqua ex parte in colore. Etenim licet omnes partes rubeæ ſint, omnesq́; & forma, & temperie, participent ſanguini: tenuior tamen pars rubedinem habet flauiorem, craſſior nigriorem, crudior albidiorem. Calidam & ſiccam flauiorem: magis melancholicam, frigidam, & ſiccam, humidam & frigidam, crudiorem dicemus, relatione ad quartam partem, quæ in mediocritate conſiſtit: ſed ſi conſiderentur ſecundum ſe totæ, vel in relatione ad humores excrementitios, aliter ſentire oportet: hæc alibi explanata, hic ſint loco ſuppoſitionis. Porro cum Galenus dicit, idem eſſe ſanguinem, quod humores omnes, de alimentariis duntaxat locutus eſt, niſi enim quiſpiam excipiat excrementitios, falſam illius reddet ſententiam, de qua re diximus libro ſecundo de miſſione ſanguinis. Simul cum ſanguine in venis duo naturaliter permiſcentur: ſerum, & cruda quædam ſubſtantia. Serum eſt vehiculum ſanguinis, quippe quia non poſſet aliter permeare vniuerſum corpus. Cruda vero materia eſt chili pars, quæ in iecinore ſanguificationis officium ſubterfugit, quæ non potuit elaborari, vt ſanguis, ideoque cruda permanens in venis, potentiam proximam habet ad tranſmutationem in ſanguinem, quia nō eſt omnino chilus: quod aliquam elaborationem habuit in iecinore, ſed non tantam, vt potuerit tranſmutari in ſanguinem, quia vero proxima eſt materia illius, idcirco ſanguis eſt in potentia. Differt à pituita, quantū chilus differt, qui omnes continet humores in potentia, cum ex ipſo fiant & alimentales, & excremētitii, at à pituita ſolum fieri pituitoſum ſanguinem par eſt, quæ licet vera ſint, non tamen reclamabo, ſi quis veteri conſuetudine humorem omnem crudum appellandi pituitam, & chilum & crudam venarum ſubſtantiam, & ſanguinem minus elaboratum eodem nomine appellauerit, quemadmodum docuimus libro tertio de ratione purgandi. Hæc profecto eſt naturalis conſtitutio ſanguinis in venis, quam qui non diſtinguit, paſſim aberrat. Continentur præterea cum ſanguine humores excrementitii, ſed quidem nō eſt neceſſarium, quia natura, vt fecit venas pro ſanguine, ſic ipſam chiſtim, felleamque veſiculam pro bile. Lienem pro melancholia: ventriculum & inteſtina, ac alias fortaſſis partes pro pituita, vt ſanguis purus, ſincerusq́; redderetur. Ex horum miſtione & confuſione fit in venis cacochymia, cum ſatis magnum incrementum eſt, aut magna illorum malitia (neque enim leuis miſcela hunc affectum facit) vtrumque enim ad illius conſtitutionem interdum concurrit, atque interdum alterutrum. Eſt duplex eiuſmodi cacochymia, ſimplex vna, alia vero non ſimplex: ſi citra ſanguinis incrementum fuerit, ſimplex erit. ſi cum incremento, compoſita, vt libro ſecundo dicebam, de miſſione ſanguinis, nomenque ſumet à materia vincente, cognomen ab alia, vt Galenus affirmabat. nomen vero nondum eſt inditum, ſi fuerit æqualis vtriuſque portio. Iam quidem conſtitutionem ſanguinis docui tum naturalem, tum quæ à natura deflectit: maximumq́; ac vere firmum poſui pro hoc ædificio fundamentum, ex quo aduerſariorum omnes corruent machinæ.

Cap. X.

De mittendo ſanguine in cacochymia venarum, quid ſentiant recentiores.

MVLTI ſcripſerunt de mittendo ſanguine in cacochymia venarum, at nemo meo iudicio diligentius, Ioanne Fernelio, qui libro ſecundo Methodi medendi, hanc materiam dilucidam reddere conatus eſt. Poſtea quidam recentiores eundē voluere lapidē voluerunt. Quid ego de opinione cenſeam Fernelii, videor diligenter explicuiſſe libro quartò de ratione curandi per ſanguinis miſſionem capite ſecundo. Hoc igitur loco aduerſus alios diſputo, at prius expedit afferre illoru ſententiam. Dicunt nō nulli manifeſtum nō eſſe aperta vena non vnicum, atq; ſincerum fluere ſanguinem, ſed omnes humores ſimul cōfuſos & permixtos, vt in eis reperiūtur, atq; Galenum id teſtatū reliquiſſe: huiúſque rei fidem cōparari ex experiētia, quia ſi dictum ſanguinem inſpiciamus eo tempore quo concreſcit, ac ſubſidet, inſpiciemus ſingulorum humorum in-

eſſe.

esse portionem. Cum igitur (addunt) vacuatio per venæ sectionem, proprie, si loqui velimus, verius omnium humorum quam vnius sanguinis vacuatio dici possit, illiq; simul effluant, non magis frigidi, quam calidi, cui potest mirum videri eiusmodi vacuationem morbis tum calidis, tum frigidis prodesse? neque dubitationem facit, quod licet omnes humores educantur, maiorem tamen copiam sinceri sanguinis, quam aliorum humorum educi appareat, quasi quod si cæteri humores reddantur longe deteriores, sequantur q; plurima incommoda. Quia hoc inquiunt, parui faciundum est. Nam detractis omnibus succis seruata inter eos proportione, quam habent in venis, vt natura deinceps vires acquirat, & quod superest melius gubernet, necesse est. Quãuis neq; id forte sit temere concedendum, maiorem semper meri, boniq; sanguinis copiam vacuari, cum ille vel Galeni testimonio primo de hominis natura commentario 30. sit naturæ familiarissimus, & ab ea quam pertinacissime contineatur, id quod præcipue demonstrant nimiæ purgationes, quibus sanguis omnium postremus duci cõsueuit. Hęc quidem illi, quod attinet ad sanguinem permistum cum cacochymia. Deinde vero disputant subtiliter ostendendo in cacochymia crudorum humorum, in alia quæ fit à calidis humorib. interdum saluberrimum esse mittere sanguinem. De quibus omnibus particulariter dicendum.

Cap. XI.

In cacochymia venarum citra plenitudinis affectum, aut sanguinis fluxionem magnitudinem morbi minitantem, sanguinem non esse mittendum.

VT nullam omnino difficultatem habet, interdum etiam si nulla plenitudo adsit, imo vero si corpus cacochymia insigni laborauerit, magno imminente morbo à sanguis fluxione concitando, mittendum esse sanguinem; sic profecto maxime controuersum est, imo maxime falsum, ac perniciosum videtur mihi, in cacochymia citra eiuscemodi periculum venam pertundere. Ac primum certe, prodesse hoc nequit remedium in cacochymia extra venas congesta, quia malus humor non debet misceri sanguini, vt educatur: quid n. prohibebit, quin sua vicinia & contactu labefactet totum sanguinem? hoc fuit Galeni consilium, dum præcepta tradit conseruandæ sanitatis perniciosam esse venæ sectionem, si crudi humores circa ventriculum proximas ve partes extiterint multi: veretur enim illorum attractionem in venis, sed quid, si fuerint acres, si putrefacti, si corrupti, siue alia ratione pessimi? Adde Medicorũ axioma; in vacuando scilicet nõ esse ducendum humorẽ per partes nobiles. Tu vero audebis circa ventriculum, intestina, mesenterium, pancreas bilem flauam, aut atram ducere apertis venis? contaminare totum corporis habitum? Præterea quorsum tentabis eam perdifficilem viam & longissimam, cum breuiorem habeas, facilioremq;? Postremo quam certitudinem habere potes, malum hunc humorem tractum in venis, & iam sanguini confusum vacuari? atq; si retineatur ibi, quanta contingent mala? multo certe quidem deteriora, quam ea sint, quæ reformidare solebat Galenus, de semimalis, ac semiputridis ex corporis habitu sanguinis missione attractis. Porro de ipsarum venarum cacochymia citra plenitudinem sic vrgeo. Venarum cacochymia sanguinem coinquinans emendatur pharmacopurgante: non igitur venæ sectione indiget. ita enim purum, atq; sincerum reddi sanguinem Galenus ipse scribit, vt supra diximus. Amplius, propositum Medici est, tuto, cito, & iucunde sanare. at vero, qui mittit sanguinẽ in eiuscemodi affectu, neq; tuto, cito, neq; iucunde sanat. Tuta non est medicatio, quæ vacuat eum humorem, qui non debet vacuari, & qui magnam toti corpori facit vtilitatem, qui vtilis est ad superandum morbum, & in quo naturalis calor conseruatur: deniq; ex cuius vacuatione vires non mediocrem consequi debilitatem possunt. Iam si sanguis nullam patitur putredinem, si quantitate non facit negotium, cur vacuandus? Dicent fortassis, quia simul vacuatur malus humor, qui cum eo permistus est, & qui nequit alio modo

vacuari. At demus vacuari ſimul vitioſum ſuccum (oſtendemus enim infra eſſe id aliquando impoſſibile, aliquando difficile ac ſemper incertum) quæ ratio medendi eſt hæc, pro vncia, vt ſic dicam, bilis flauæ, boni putriq; ſanguinis atq; aliorum humorum vacuari libram? ſed cur, ſi alia via id fieri poteſt, qua ſolum noxius purgetur humor conſeruato ſanguine, id fieri non debet? Cur, ſi ſemiputrido, ac ſimul multo exiſtente ſanguine Galenus non vult tantum illius vacuari, quantum poſtulat morbus, ſed aliquid vult reponi ad corporis nutritionē cur (inquam) bonum exiſtentem, quo nutriuntur omnes corporis partes, educemus? Sanguis deinde tamquam amicus & familiaris naturæ, tum quatenus conſeruat vires, & ſpiritus, tum quatenus calidum innatum auget, morbi ipſius propulſationem adiuuare nō mediocriter poterit à quacumq; cacochymia fieri ipſum contigerit, ſuo enim temperato calore poteſt vnicuiq; humori malo ſubuenire. Quorſum præterea ipſas vires reddere imbecillas ex ſanguinis vacuatione tentabimus? ergo non ſanat tuto, qui ſanare contendit hoc modo. Addo iis curationem interdum fieri tardam, ac fortaſſis impoſſibilem: ſit cacochymia in venis pulmonum, aut thoracis, aut ventriculi, aut cerebri, quomodo eam venæ ſectione vacuare poterunt? nam antea quam per ſucceſſionem illæ exinaniantur venulæ, oportebit ob diſtantiam non ſemel modo, ſed etiam admodum frequenter ſectionem ipſam repetere: eadem eſt difficultas in inflammationibus internis, ſi admodum vicina ſecari non poſſit vena, cuius rei hoc ſignum eſt, quod ſecta interiori dextri cubiti (quod exempli ſatis dilucidi cauſa propono) vt ſanguinem in phlegmone occupante dextras ſuperiores coſtas, vacuemus, Galeni teſtimonio, prima vice fieri plerumque non poteſt, vacuatio cacochymiæ ibi exiſtentis, cum particulari plenitudine coniunctæ, ideoque ſecundam fieri ſectionem iubet, vt quinto libro de miſſione ſanguinis explicui. Propterea tum Hippocrates, tū Galenus docet, coloris mutationem ſignum eſſe vacuatum, vel non vacuatum fuiſſe ſanguinem in phlegmone contentum ego dico illorum imitatione, ſignum vacuatæ cacochymiæ equidem apparere in emiſſo ſanguine debere: quod tamen non apparere docet ipſa experientia, quæ rerum magiſtra eſt; Cum etenim in artis operibus inſenuerim, atq; inciſionem repetitam non modo bis, ſed etiam tertio viderim, vidi tamen raro eiuſcemodi mutationem coloris, nouiq; paſſim in hac re aberraſſe multos, qui putant, mutationem ex nigro ad rubeum, ex craſſo ad tenuem eam eſſe, cuius meminerunt illi auctores, viſitur autem hæc frequenter, illa aut raro, aut numquam, ſcilicet ex flauo, & rubeo ad maxime rubicundum vel ad liuidum, vt præcipiebat Hippocrates. Idem modo fiat iudicium de cacochymia exiſtente extra phlegmonē: ſi hæc venæ ſectione vacuari deberet, aliquod ſignum præberet vacuationis ſuæ: atqui nemo demonſtrabit mihi colorem bilis flauæ ex illis venulis deriuatum, quantumuis ſectionem repetat. Videbimus quidem interdum flaueſcentem aliqua ex parte ſanguinem, ſerumque ipſum nonnihil eiuſdem coloris oſtendentem, ſed iſta non eſt bilis in venulis cerebri aut pulmonum exiſtentis coniectura, ſed biliosi ſanguinis, aut etiam excrementitiæ bilis in magnis ac in omnibus venis contentæ: igitur ſi viribus exiſtentibus validis, quæ tot ferre poſſit ſectiones, ex illis venulis educi malum ſuccum in eorum gratiam admittamus, illi pariter credo admittent mihi, ſanationis hanc viam eſſe tardam, ac longe citiorem pharmaco purgante inſtitui poſſe. Quid dicam de ipſarum virium futuro periculo? neque enim omnibus robur in eſt idem, ideoque ſi forte prorogatur morbus, ad extremum factæ imbecillæ, vel ſuccumbunt ægroti vel niſi longiſſimo tempore recreati poterunt. Ex iis id ſane concludi poſſe citra controuerſiam video, tutum non eſſe, nec breuem, nec iucundam curationem cacohymiæ ſimplicis per venæ ſectionem. Amplius ſic inſto. Natura venarum cacochymiam ſegregatam à ſanguine vacuat: ergo eandem ſegregatam à ſanguine vacuare debet artifex: conſecutio neceſſaria eſt, quia Medici munus eſt naturā bene operantē imitari, antecedēs probatur ex operib. naturæ, & ex Hippocratis, & Galeni auctoritate. Bilē in venis exiſtentē natura expurgat

per

per diarrhœam, per dysenteriam, per vrinam, per sudorem. non vacuato sanguine, sed ipsum in venis conseruando fieri hosce affectus natura expellente bilem cum sanguine antea permistam in venis, postea vero segregatam; adeo verum, atq; certum apud omnes Medicos, vt nemo sit, qui hac de rè dubitet. Galenus 4. lib. commentariorum in Aphorismos Hippocratis, dũ hanc senis enarrat sententiam. Causone habito, rigore superueniente fit solutio, ita ad verbum inquit: Post rigorem, & alii soluuntur, & sudores, & vomitus biliosi superueniunt: bile igitur, ex qua febris ardẽs habuit ortum expurgata, soluitur febris. Nam febrem ardentem fierì nouimus æstiuo tempore, quando venæ exsiccatæ atros ac biliosos ad se liquores attraxerint] ecce igitur naturam ipsam segregatam bilem, non confusam cum sanguine vacuare. Propterea cum natura à causis morbum facientibus aggrauatur, & humorum adest cruditas, aliquid bene vacuari (dicebat idem auctor) est impossibile: siquidem oportet coctionem præire, subsequi vero discretionem, & postea vacuationem, vt bona fiat crisis, siue iudicium.

Hæc autem ipse docuit Hippocrates. in primo libro Epidemiorũ ita inquiẽs: Coctiones iudicii celeritatem, securitatem salubrem indicant; cruda autem, & incocta ad malos abscessos concursus, iudicationis carentiam, vel labores, vel tempora, vel mortes, vel eorundem malorum reditus. Quæ si vera sunt, quis audebit bilem sanguini permixtam, vt vacuet, simul educere inculpatum & optimum sanguinem cum spiritibus copiosissimis vacuare? Cacochymia igitur venarum sola debet expurgari conseruato sanguine, quem hac ratione dũtaxat, vt ex Galeno dicebam supra, purum atq; sincerum reddimus. Nunc perlustremus, quod à recentioribus dicatur. Aperta vena sanguis protinus siue supra veterem proportionem adauctus, sine motu vehementi agitatus, educitur simul confusus ac permistus cum omnibus humoribus. Hanc hypothesin concedo illis libenter, quia ex hac ipsa non video, quomodo insequatur, in cacochymia venarum, (nam de alia nulla est controuersia) sanguinem fore emittendum. Euacuabitur, inquient, facto emissario bilis simul cum sanguine, & spiritibus, ac ita sanabitur morbus. Egregia deductio. Non debet spectari, quod vacuetur humor morbum efficiens, sed an recte vacuetur, an solus iuxta præceptum Hippocratis, & Galeni, an tuta vacuatio sit, an modo fiat conuenienti. Vniuersale est in omni vacuatione præceptum Hippocratis, inanitionem vasorum talem fieri debere, qualis confert, & facile fertur, vt Galenus ait tum primo lib. tum quarto Aphorismorum, atque admodum egregie libris de facultatibus medicamentorum purgantium, non est vacuatio, recte instituta, non tuta, cum vacuetur sanguis, eiusque partes, ac spiritus, qui non debebant vacuari, deinde quia non fit conuenienti modo vacuatio, etenim sanguinis inquinamentum factum à cacochymia, non potest emendari sanguinis missione, sed purgatione, vt Galenus inquit libro de facultatibus medicamentorum purgantium. Deinde considerare oportebat, non fieri æqualem vacuationem omnium humorum, namque in vacuanda plenitudine æqualis fit, eademque seruatur proportio naturæ conueniens ac salutaris, in hac vero cacochymiæ vacuatione secus habere ostendunt multa, primum educitur exigua quantitas humoris biliosi, magna vero sanguinis vtilis, atque spirituum, deinde ratione quantitatis diminuitur proportio naturæ: supponimus enim sanguinem nec quantitate, nec qualitate præter naturam esse affectum: sed solum pati inquinamentum ex miscela mali humoris. at tu, qui in hoc casu vis sanguinem vacuare, diminuis perperam hanc quantitatem sanguinis, naturæque optimam proportionem deuastans, summam in corpore imbecillitatem inducis. Præterea, quis feret hanc illorum consequentiam, cum dicunt: Cui potest mirum videri eiusmodi vacuationem morbis, tum calidis, tum frigidis prodesse. Mihi certe maxime hoc ipsum videtur mirum, primum quod putem nullam humano generi magis perniciosam opinionem inueniri posse. Deinde vero quod necessarium non habet ex supradictis consequutionem. Ex eo enim quod aperta vena sanguis vacuetur biliosus, melancholicus, pituitosus, & vere temperatus atque me-

diocris, non poteſt deduci, venæ ſectionem vtilitatem afferre frigidis morbis, imo vero potius contrarium ſumma ratione deducitur. Siquidem cum ſanguis ſecundum ſe totus calidiſſimus ſit, excepto corde, ac ſpiritibus, omnium qui in humano corpore inſunt, huius ipſius vacuatio ſimul cum ſpiritibus, qui cum eo ſemper inſunt, vberrimi, magis reſtigerando, & corpus, & humores, frigidis affectibus ſummum inferret detrimentum, ac illius præſentia vtilitatẽ maximam. Exitum conſiderent huius rationis. Sanat venæ ſectio frigidos morbos, ergo calefaciendo prodeſt. cur igitur, vbi de febrib. diſputabatis, contendiſtis, omnem venæ ſectionem refrigerare? Dicent: Conſtat ſanguis ex pituita, conſtat ex melancholia, qui humores frigidi ſunt, & à quib. frigidi morbi fiunt: quamobrem vacuatio eorum ſanare poterit frigidos morbos. indignum eſt hoc argumentũ iis, qui veram profitentur medicinam. Dixi cum de conſtitutione naturali ſanguinis loquebar, pituitam, & melancholiam in ſanguinea maſſa exiſtentes, ſane excrementitios non eſſe humores, ſed ſanguinis habere formam, & vſum, impoſitum vero fuiſſe id nomen ab antiquis à ſimilitudine. Præterea, ſi omnes morbi frigidi in venis conſiſterent, fortaſſis haberet opinio probabilitatem aliquã, at maior illorum pars ex humore fit extra venas exiſtente, quẽ vacuando neq; debemus attrahere ad venas, neq; ẽt plerumq; poſſumus, atq; cũ poſſumus tuta medicatio non eſt. Poſtremo, q̃ pertinet ad eiuſcemodi conſecutionẽ, placet adiicere, quod omnium Medicorum illuſtrium ſententia de morborum frigidorum curationibus omnino ſubuertitur, vt ex eorum lucubrationibus conſtat, ac ex iis, quæ de morborum curatione ſcripſimus, fiet etiam ſequenti diſputatione luciduſſimum. Quædam ex iis quæ diximus nouerunt Medici recentiores incommoda, atque euitare illa conati ſunt dicentes; quod detractis omnibus ſuccis ſeruata inter eos proportione, quam habent in venis naturam vires deinceps aquirere, & quod ſupereſt, gubernare melius. Sed à via longiſſime aberrant. Quia cũ naturæ proportio cõſiſtat & in qualitate, & in quantitate: naturali quantitate remota, qua cum illa ſuas exercebat operationes, non poteſt, niſi maxime reddi imbecilla: præſertim cum vacuetur ea ſubſtantia, quę non debebat vacuari; ideoq́ue quod ſupereſt, putrefiet à natura non gubernatum, vt conueniebat. Eſt etiam magna conſideratione dignum, quod poſtremo loco addunt, non educi è venis ſectis maiorem portionem puri, & meri ſanguinis, quod ille, vt puta naturæ amiciſſimus, retineatur quam tenaciſſime, vt oſtendunt ſuper purgationes. Hoc enim contradicit primum ei, quod poſuerunt fundamento: ſed fortaſſis id non curant. Atque etiam ex illorum ſententia Galeno contradicit, qui omnes humores ſimul mixtos, & confuſos è venis educi voluit: at ſi ſanguis quam tenaciſſime, vt dicunt, retinetur, omnes humores ſimul permiſti, & confuſi non retinebuntur, ſed ſoli humores mali, ſanguine retento vacuarentur. Verum quoddam ſimile ſomnio videtur mihi, quod imaginatione aſſequi aliqua ratione nequeo, cacochymia ſcilicet exiſtente in venis. Solam illam vacuari retento ſanguine. Quis enim quæſo vidit hoc miraculum, rupto dolio non effundi vinum? inciſis venis nõ profluere ſanguinem? inquient, ſanguinem malum ſolum effluere, intus contineri bonum? Sed quis quæſo eſt ſanguis hic malus, cũ ſupponamus totum ſanguinem, & qualitate, & quantitate bonũ permixtione duntaxat flauæ bilis aut alterius excrementi malum, ſola hæc permiſtio remouenda vt diximus. Quis vnquam ſecta vena id animaduertet? non ſunt, quæ ſenſibus, experientiæq́ue apparent euidentia, ſine valida ratione pronuncianda. Quod de ſuperpurgationibus dicunt, quam male cum iſtis conueniant, nemo videt: ſi dederis mihi purgationẽ fieri ſecta vena, dabis etiam velis nolis omnem ſanguinem in venis exiſtentem ex eo orificio deduci. Tandem vero, quam fallax ſit hoc argumentum de vniuerſali vacuatione ſanguinis, & omnium humorum, demonſtratum fuit libro quarto de miſſione ſanguinis cap. quarto, id putem nihil amplius ſupereſſe, quod ſit in hac re controuerſum.

In ſim-

Cap. XII.

In simplici cacochymia pituitosa non conuenire sanguinis missionem.

IN hoc genere duo relinquuntur examinanda: vnum, an in cacochymia pituitosa, & in cruditate humorum sanguis mitti debeat: alterum vero, an in cacochymia illi aduersa, qualis est, quam flaua bilis concitat, idem remedium sit administrandum; De vtroque hic edisseram breuissime: quia alibi, quantũ oportere iudicaui, videor dixisse. Primo igitur loco, quod attinet ad eos morbos, qui à pituita fiunt, quosq; nobis obiiciunt, cuiusmodi sunt apoplexia, epilepsia, vertigo, carus, lethargus, ac alii eiusdem generis, nihil inuenio quod facere difficultatem possit, si legantur, quæ scripsi lib. quarto de missione sanguinis c. 8. 14. & 15. in quibus ex proposito docui, quando in hisce morbis liceat sanguinem mittere: quia vero fortassis non habent omnes eum librum, hic breuissime de singulis repeto, quid sentiam. Apoplexia duplicem ortum habet: tum à pituita admodum viscida; tum à sanguinis multitudine. non conuenit sanguinis missio in priori, sed duntaxat in posteriori, Hippocratis, & Galeni testimonio libro quarto de rat. victus in morbis acutis, comm. 25. & libro de ratione curandi per sanguinis missionem capite sexto. Idem sentire oportet de epilepsia eiusdem Galeni testimonio, eodem libro quarto acutorum, in quo etiam syncopis meminit cardiacæ. Lege quę scripsimus libro quarto harum disputationum, dum de ipsis viribus agebamus, & de ἀπολήψει venarum, vt auctor illius quarti appellauit. De vertigine ab illis etiam dissentio. Nam Galenus libro tertio de locis affectis, ca. 7. arteriarum sectionem admittit, quia dicit non iuuari vertiginosos omnes, sed eos duntaxat, qui ex spirituoso sanguine & feruentissimo (qualem existere arteriosum nemo est, qui nesciat) fluente ad ventriculos cerebri per arterias iugulares exteriores, in vertiginem incidunt, at non iuuari si fluxio fiat per arterias interiores: causa vero ob quam sectio arteriarum aliquando conuenit, est reuulsio sanguinis fluentis spirituosi ad cerebri ventriculos: propterea si quispiam hoc in casu relictis arteriis venas incideret, aut nihil prorsus, aut parum iuuabit, quippe quia morbus ipse non fit per venas, nec ab omni sanguine, sed solum ab arterioso, & per arterias fluente. Non dico alia ratione fieri non posse vertiginem, sed de illa sermo mihi est, in qua sola conuenire arteriomatiam profiteor. Nam ab inæquali intemperie cerebri siue calida (à qua tamen frequentius fieri docui alibi) siue frigida concitari solet, quo in casu perniciosam esse venæ sectionem putauerim, quod etiam Galenum sensisse puto, libro eodem tertio, de locis affectis. Statim enim postquam docuit vertiginosos omnes non iuuari ex arteriarum sectione, pone autem, hæc scribit verba: Sed constat non omnes huius auxilii beneficio fuisse curatos.

Etenim aliæ arteriæ iis maiores ad cerebrum ex ipsius basi per retiformem plexum ascendunt, per quas huiusmodi passionem fieri rationi consentaneum est, elato per ipsas vaporoso, calidoque spiritu, atque implente cerebrum. Atque fieri etiam potest, vt inæqualis cerebri intemperies huiusmodi spiritum producat.] Hæc ille. Quæ postrema verba addita sunt vt opinior, non alia de causa, nisi vt ostendat inutilẽ esse secare arterias, vbi ab inæquali intemperie cerebri ipsa proficiscatur vertigo. Ex iis deduco dupliciter aberrare quosdam nostri temporis Medicos: primum quod in omni vertigine missionem sanguinis consulunt: secundo, quod pro arteriomatia putant substituendam esse venæ sectionem, quorum vtrumque falsum est, vt ex Galeno proxime demonstratum fuit, atque multo apertius, vbi de particularium morborum curatione tractaui. Legant interim studiosi Paulum Æginetam libro tertio capite duodecimo, qui Galeni sententiam videtur mihi diligentissime assecutus. Satis de

vertigine. Quarto loco proponunt carum, de quo affectu duo potissimum dicenda sunt: ac primum quidem ex Græcis auctoribus neminem, quod sciam, in caro sanguinis missionem admisisse.

Deinde apud me non est ambiguum in caro incipiente interdum venæ sectionem non venire, quia certe, vt fit plerumque à pituita ipsa viscida, atque fortassis vitrea, fit etiam interdum à sanguinis copia, aut congesta in cerebro ex illius intemperie, aut à partibus inferioribus ad cerebrum transmissa, atque nunc omnino iudico necessariam esse venæ sectionem; quàm rem præ cæteris animaduertisse Auicennam eius verba testantur, quæ sic habent: In illo autem, qui factus est propter dominium sanguinis, oportet, vt incipiatur à phlebotomia cephalicæ, & ventosatione crurium, aut phlebotomia saphenæ.] De Lethargo dictũ fuit mihi c.8.lib.4. de missione sanguinis ac lib. 2. tractationis huius; nunc addo, quæ eleganter scribit Aetius lib. sexto c.3. ex auctoritate Possidonii. Quod si multitudo affuerit, & sanguis sit qui redundet, secundo die vena secanda est, & pro virium ratione sanguis detrahendus. Sin pituitosior, segniorque materia fuerit, quæ quidem fere in lethargicis abundare cõsueuit, adhibenda sunt, quæ attenuare possunt, & crassitiem incidere.] Cæterum in palpitatione cordis, quis est, qui nesciat sanguinis detractionem vtilissimam esse ratione præseruationis, ne ad viscus omnium calidissimum, & in quo feruentissimi sanguinis, & spirituum copia semper inest, iam notabili affectum imbecillitate, tam vehementer fluxio irruat statim hominem suffocet, ergo si Hippocrates, Galenus, & Auicenna in horum morborum curatione, & præseruatione sanguinem miserunt, id profecto non alia de causa effecerunt, quam vt multitudinem sanguinis vacuarent, & fluxionis impetum reuellerent. De cruditate nunc pauca. Ego ita sentio. Si vitiosi tantum succi, iiq; citra sanguinis copiam subsunt, purgationem petendam: interdum vero etiam simul mittendum sanguinem, si vel simul abundauerit sanguis, vel ab huius natura minimum distauerint plus, minus, parum distare nouerimus, vel à primo ortu, vel ex degeneratione sanguinis, vel admistione: quomodo vero contingant horum singula, hic non expono, vt puta quod alio in opere, & in his etiam disputationibus explanatum mihi fuit. Sanguis pituitosus parum distat à natura optimi, & sinceri sanguinis: ea pars alimenti, quæ in iecinore sanguificationem subterfugit, paulo minus discedit, quia proxima est dispositio ad gignendum sanguinem, quo cum semper continetur. Pituita dulcis adhuc paulo minus, cũ ex ea pituitosus generetur sanguis. Aliæ vero plus distant, vt pituita salsa, & acida, & quæ summe frigida, & viscida existens, eo quod vitrum fusum repræsentat à Praxagora vitreæ nomine fuit appellata. In priori differentia mittere interdũ sanguinem licebit: in aliis omnino abstinendũ q; vires non ferãt, illud remediũ nõ, ferũt autẽ, nõ quia nõ sunt validæ in relatione ad opus propriũ indicatũ à morbo, & causa morbi, sed quia cũ nõ adsit indicans, neque adesse potest remedium, q; si forte fiat, vires ferre non poterunt, ægrotiq; lædentur, vt in Aphorismis dicebat Hippocrates. Galenum in copia crudorum humorum, qui cum sanguinis copia erant permisti, misisse sanguinem per vices, explicuimus libro quarto de sanguinis missione cap. 14. ad quem locum lectorem ipsum remittamus. Atque hæc de cacochymia ab humoribus crudis, & à pituita dixisse sit satis.

Cap. XIII.

In cacochymia biliosa non conuenire missionem sanguinis.

DE biliosa cacochymia deinde agentes, multis etiam in hac ipsa rationibus demonstrare conantur, conuenire sanguinis missionem; quas, vt sigillatim referrem, sic sigillatim extricabo. Ac primum auctoritate argumentantur Auicennæ, qui libro quarto Fen. 3. trac. primo cap. nono & decimo, sic inquit de curatione prunæ, & ignis persicci, qui affectus à colera, vt ille vocat, citrina adurente fiunt.

Necessaria est phlebotomia, vt vacuetur sanguis cholericus, & quando ægritudo est timorosa, tunc necessarium est ipsam approximare syncopi.

Hęc verba non solum ostendunt in hac cacochymia sanguinis detractionem fore necessariam, sed etiam vsq; ad animi deliquium exercendam.

Respondeo, prunam, & ignem persicum Auicennæ, non esse alind, quam Galeni Carbunculum, quemadmodum patet ex iis, quæ capite nono dixerat. Porro Carbunculi generatio est, si Galeno credimus libro secundo ad Glauconem, & libro decimo quarto, de Methodo medendi, ex fluxione sanguinis omninm maxime efferuescentis, atque simul crassitudinem habentis pro quo sanando prima indicatio est pro natura omniū inflāmationum reuellere fluentem sanguinem, quin fluxio vrget multum, reuulsio subito fieri, & affatim debet, ac interdum vsque ad animi deliquium: siquidem adeo malignam habent naturam, vt statim soleant calorem naturalem corrumpere, idcirco viribus ipsis constantibus, copiosus detrahendus est sanguis, sin minus pro virium natura metiri debebit vacuatio. Iam equidem vident, quam lubrico fundamento innitantur primo loco: quod autem in hoc argumento non mediocrem facit apud me dubitationem, est quod illos ignorasse videtur, Auicennam eo nomine intellexisse Carbunculum.

Secundum illorum argumentum est de febre ardente, in qua etiam venæ sectionem conuenire restatur primo Aphoris. com. 23. cum ait, nullum sese inuenisse remedium magis accommodatum, quam mittere sanguinem vsque ad animi deliquium. Verum dico hunc locum intelligendum esse de synochis febribus biliosis, siquidem in synochis sanguis mittendus est vsque ad animi deliquinm, minime vero in aliis, vt ex nono de Methodo medendi colligitur. Duplex porro synochus est, quarum vna fit à sanguine, alia vero à bile, vt Galenus ait secundo libro de febrium differentiis capite secundo, & libro secundo de crisibus, sententia Galeni de synocho biliosa intelligi debet. sed animaduertendum, nomine bilis Galenum significare, tum biliosum sanguinem, tum excrementitiam bilem, ex quibus efferuescentibus, ac leuiter putrefactis, fit febris ardens exquisitissima, nuncupata synochus: quia putredo, & efferuescentia sanguinis huius fit in omnibus vasis, aut saltem maximis, quæ sunt inter alas, & inguina, propterea vnica accessio est à principio vsque ad finem haud secus quam alterius synochi. Legito Galenū libro secundo de feb. diff. capit. vltimo, & secundo: & quæ scripsimus ibi, & in libris nostris de febribus, ac libro quarto de missione sang. capit. duodecimo & 13. igitur quia in hac ardenti febre calor adest maxime adurens, qui proficiscitur ex plenitudine sanguinis biliosi efferscentis, venæ sectio cōuenit ꝓ illius vacuatione, cōuenit autē magna vacuatio, quia plenitudo magna est, feruori summo coniuncta: at non conuenit semper, vbi flaua bilis excrementitia ardentissimam hanc fecerit febrem: ideo Galenus in fine commentarii 23. ait adhibita distinctione & cæt. Quod illi dicunt tertianam continuam ardentem febrem dici, recte dicunt, imo vero omnis febris, quæ à bile ducit originem est secundum Galeni dogmata ardens, sed non est omnis exquisita ardens, sola synochus biliosa vtraq; exacte meretur hoc nomen, aliæ omnes periodos habent, cum fiant in venis determinatæ particulæ, cum

scilicet tempore æstiuo arefactæ calidas & acres ad sese traxerint humiditates, quemadmodum ait Hippocrates, seu auctor quarti acutorum contextu primo, & Galenus in commentario eleganter confirmat, equidem in tertianis siue sint continuæ, siue intermittentes, non auderem mittere sanguinem vsq; ad animi deliquium: quemadmodum neque etiam in synocho putrida à sanguinis multitudine intelligit Galenus libro vndecimo de Methodo medendi capit. decimoquarto. Obiter autem considerent studiosi contextum hunc fuisse male interpretatum à Leoniceno, & à Plantio, nã Græce ita legitur, ἐν τοῖς μάλιστα διακαέσι quod est in febribus maxime inflãmantib. ac parum infra explanans, quod supra dixerat, addit, ἐν γὰρ τοῖς θερμοτάτοις πυρετοῖς, hoc est in calidissimis febribus, θερμὸν enim significat calidum, & θερμότατος eius superlatiuum calidissimum notat: idcirco debebant interpretari, in calidissimis, non in ardentissimis febribus. Galenus quidem nono de Methodo medendi calidissimas febres vocauit synochos, at vero inter synochos, maxime omnium calidæ sunt quæ ex flaua bile fiunt. Adde quod Galenus febres ardentissimas solet vocare καυσώδεις, vt constat libro octauo de Placitis capite sexto. Sed esto locum interpretari debere de febribus ardentissimis, illud profiteor, de synochis biliosis intelligendum.

Confirmant deinde ex verbis Galeni in eodem commentario quæ sic habet: His statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, plurimis etiam cietur aluus, & sudores prorumpunt] etenim, addunt, si memoria repetas artem febris vtriusque tam continentis, siue cum putredine, siue citra putredinem, quam ardentis, facile intelligis isthæc non minus, imo forte etiam longe magis huic, quam illi conuenire. Sed certe mirum est, quod ita sentiant. Nam si non loquantur de febre ardente pro synocho biliosa, falsum iudico non differre inuicem generatione hasce febres: nam synochum facit sanguinis in omnibus venis, aut saltem maximis efferuescentia, aut putredo. Ardentem vero pro tertiana sumptam, quod venulæ arefactæ acres ad sese humiditates attrahant: distant igitur primo, humore, quia nõ fiunt à sanguine: at synochum efficit, & solus sanguis, & sola bilis, & vterque humor simul mixtus; Deinde loco, quia fiunt in particulæ determinatæ venis, vt Galenus ait quarto acut. com. primo, cuius rei hoc signum est, quod habent periodos, & illi etiam dicunt, asserentes esse tertianam continuam: ex quibus pariter constat etiam non mediocriter distare inter se, quod eadem curandi ratio non conueniat: cum illam necessario variari pro humoris, & loci affecti diuersitate oporteat. Videant igitur quomodo magis conuenire possit venæ sectio ad animi deliquium vsque instituta magis in ardente febre, quam in synocho. Verba Galeni quibus inhærere illi videntur, non indicãt causam, ob quam mittitur sanguis: docui enim in libro quarto de ratione curandi per sanguinis missionem, nunquam mitti sanguinem ratione refrigerationis: soleoq; deridere venæ sectionem euentatiuam, ac profiteri, neque Galenum, neque alium quempiam ex antiquis auctoribus illius vnquam meminisse. Sed illa verba solum significant effectum communem qui est refrigeratio facta ex vacuatione sanguinis calidissimi, & efferuescentis.

Præterea idem confirmant auctoritate Philothei Græci explanatoris in eo Aphorismo, qui docens causam ob quam sanguis mitti debeat vsque ad animi deliquium dicit, id fieri propter putredinem, & propter qualitatis malitiam, nam ait: Cur autem vsque lypothomiam in his vacuationem ducimus? quoniam ardentes febres ex humoribus putrefactis accenduntur: duo autem quædam putredo habet, materiam putrefactam, & qualitatis malitiam: vtrumque ad lypothomiam vsq; missus sanguis, ex quantitatem materiæ diminuit, & extinguit qualitatem acutam, & inflammantem, ex defectu animi corpus refrigeratur.] Hæc ille. Nescio ego perspicere, quid ex verbis Philothei consequantur, quod illis faueat. Etenim sanguis mittitur, ob multitudinem diminuendam primo, & per se, cum ab ea indicetur, vsque ad animi deliquium: ex accidenti

autem

autem obsummum calorem. Sunt autem consideranda hæc Philotei verba. Quantitatem materiæ diminuit] hæc enim indicant plenitudinem, quam Galenus affectum vocare consueuit in quantitate. At dicent, mitti sanguinem in febre putrida: omnis vero putredo est cacochymia. Respondeo cum quadam putredine sanguinis consistere plenitudinem, vt cum ea leuis existat admodum similis vino accrescenti, vt Galenus docuit libro 2. Aphor. com. 17. nec aliquando mihi ostendent humorem omnino putrefactum sanari venæ sectione de qua re multa dixi libro hunc præcedente, & in commentariis in vndecimum Methodi.

Amplius addunt. At non testantur Hippocrates, & Galenus, confirmatq; experientia, hanc ipsam febrem ardentem fluxione sanguinis ex naribus suapte natura interdum sanari. Postremo idem ex phrenetide ostendunt, quam ex bile fieri contendunt, ac maxime sanguinis missionem ex omnium consensu postulare.

Ego vero vtrumque facile admitto: vt puta quod tantum abest, vt aduersus meam opinionem faciat, vt certe profiteat nihil inueniri posse, quod magis confirmet. Ego enim sic insto: Interdum natura iudicat ardentem febrem fluore sanguinis ex naribus, interdum vero sola ipsius bilis vacuatione per aluum, vrinas, sudorem. (Nosti enim hæc esse dogmata Hippocratis, & Galeni) adhibenda igitur distinctio, an purgare, an mittere sanguinem oporteat in hac febre ad imitationem naturæ. Ergo liberatur febris ardens fluore sanguinis è naribus, quia cum à sanguinis biliosi oriatur multitudine, aut à flaua bile excremētitia plethoræ permista, ac in omnib. venis, aut saltem maximis efferuescente ac putrescente, valida natura, hunc sanguinē vacuando soluit morbum. Quod porro de phrenetide dicunt, id quidem libentissime recipimus, si quidem inflammatio est membranarum cerebri: omnis autem in flammatio à sanguinis fluxione concitatur, legenda sunt quæ de hoc argumento scripsimus lib. 4. de missione sanguinis cap. 7. 12. 13.

Cap. XIIII.

Cur in Cacochymia non conueniat sanguinis missio. Aliorum opinio reprobata.

SATIS de cacochymia in vniuersum, ac sigillatim diximus: nunc reliquum est, vt consideremus, quam ob causam cacochymia sanguinis missione curari non debeat, de qua te licet in principio disputationis huius dixerim quid sentiam, hic paulo plenius exponendum, atq; soluendę sunt dubitationes, quas Medici recentiores afferunt. Equidem ita illi putant: In omni cacochymia qualiscumque sit, sanguinis missionem conuenire, ac, si non sit, aliquando id contingere propter imbecillitatem virium. Ego autem sic aio: Cacochymiam per se numquam indicare sanguinis missionem, ideoque non exerceri etiam si virtus valida sit, quod non adsit natura indicans remedium sanguinis vacuandi. Antithesim hanc non persuadebo pluribus, quia videor abunde admodum in superioribus explicasse: solum respondeo illorum rationibus.

Finge inquiūt Socratem laborantem cacochymia, quæ omnibus modis talis sit, ac tanta, vt ille venæ sectionem nequeat sustinere, Quid (obsecro) potest excogitari, quamobrem Socrati non liceat venam incidere, nisi velimus referre hanc rem ad vires? Ideo illi aliam causam animo concipere, aut comprehendere non possunt. Suppositum (inquam) primo falsum est: Etenim arbitrantur in homine cacochymo venæ sectionem esse vtilem: hoc autem semper inficiatur Galenus, vt puta qui malum succum emendari sola purgatione scribat, quamuis vires sint validæ. Tu vero ita fingito. Socratem laborantem cacochymia extra venas, citra plenitudinis affectum, validas habentem vires, cur

hic non sustinebit venæ sectionem? respondebit Galenus, quia maxime periculosum est humorem malum attrahere ad venas, & ipsum coinquinare sanguinem; respondebit etiam non expedire, quod non adsit natura indicans vacuationem sanguinis. Purgatio igitur adhibenda, hæc vero validam supponit virtutem. Fingito præterea, Socratem laborare cacochymia, venarum permistione coinquinante sanguinem, qui sit robustis viribus, huic quam ob causam non mittetur sanguis? respondet Galenus hoc pacto. Quod humores vitiati sunt segregandi à sanguine, vt hic purus, atque sincerus reddatur, segregationem vero hanc fieri pharmaco purgante, minime autem missione sanguinis. Finge postremo, eundem tali ac tanta cacochymia laborare, vt vires imbecillæ sint. Huic neque etiam fortasse pharmacum purgans dabimus ob imbecillitatem virium. Diximus fortasse, quod imbecillæ vires latitudinem habent, nam si mediocris fuerit imbecillitas purgatione, vt Galenus præcipit lib. nono de Methodo medendi, per Epicrasim vtemur. Ex hoc apparet, quanto in errore versentur. Fuit autē duplex erroris causa, si bene iudico, vna, quod non distinxerint indicationes ipsas, sed in solis communitatibus Methodicorum more inhæserint. Alia, quod non videntur nouisse, simul cum cacochymia, & plenitudine virtutem consistere posse validam, & imbecillam. Concludo igitur in cacochymia non conuenire missionem sanguinis, quia non est materia remedii, indicantis vacuationem sanguinis.

Admirabile huius doctrinæ exemplum proponunt ex Galeno libro de cibo boni maliue succi: in quo statim in principio detestatur omnino sanguinis missionem in ea pestilentia, quam concitauit magna annonæ caritas, quod humores erant adeo mali, vt viribus existentibus imbecillis, venæ sectio non potuerit exerceri. Sunt hæc Galeni verba. Siquidem non iniuria huiusce remedii vsum formidabant propter virium iam tum antea imbecillitatem] hæc Galenus. Ego sane admirabile hoc exemplum considerans, magna admiratione afficior, viros alioquin doctos eiusmodi proferre dubitationem. Quis enim est, qui non videat, Carbunculos, phagedenas, febres pestilentes, exanthemata, ac alia eiusdem generis postulare missionem sanguinis? at non audebant accedere ad remedium ob virium imbecillitatem repugnantium, atque contra indicantium. Quid ex hoc quæso habent, quod nostris principiis repugnet? an dicent, Carbunculo, phagedenas, exanthemata, mala vlcera, non fieri à fluxione sanguinis? negabunt ne mihi, quin reuulsio per venæ sectionem indicetur à particula tentata eiusce modi fluxione? Atque si ita res ipsa habet, cur non semper mittitur sanguis? quia vires (inquiet Galenus) erant imbecillæ. Neque vero ita imbecillæ erant in omnibus, vt aliquando ad sanguinis missionem non accederent Medici, vt Galenus ibidem ait: nam perpaucis missum fuisse sanguinem dicit: in quibus sanguis non admodum probatæ bonitatis spectabatur, qualis ex salubri corpore mitti solet: sed vel igneus magis, vel acrior, vel ferocior erat, & acer.

Postremo, quod pertinet ad humorem cruditatem, ad corpora calida & sicca, & ad Galeni locum sexto Epidem. sec. 3. commentario quadragesimo quarto, quæ pro confirmatione afferre solent, sic statuito. Humores crudi simul cum plenitudine mixti non impedirent aliquando missionem sanguinis, viribus existentib. validis, non quod illi indicent id remedium (si quidem cōcoctio illis conuenit) sed quod non repugnet indicationi à copia sanguinis deriuante, modo per vices fiat, vt Galenus docuit libro de mis. sanguinis. Aliquando crudi humores prohibent, si valde crudi fuerint, valde frigidi, ac viscidi, vt pituita vitrea, & citra sanginis copiam: cuius rei signum illi euidens à Galeno affertur, quod pulsus fiant in iis in magnitudine & vehementia inæquales superantib. debilibus, & paruis. Corpora calida & sicca, quæ latas venas habent, neque laboribus dedita sunt, multo maiorem sanguinis copiam solēt accumulare, quam

crassa,

craſſa, ideoq; ferunt hoc remedium longe facilius. Gracilia vero, quorum tenues venæ ſunt, conſimili cœli ſtatu præcedente calido & ſicco, vires plerumque, habent imbecillas, ob diſſolutionem ſpirituum. Vtraque corpora vires habere poſſunt imbecillas, aut validas ſiue plenitudine, ſiue cacochymia, ſiue vtroque affectu laborauerint. Locus ille Galeni, quem tanti faciunt, nobis fauet apertiſſime. Hippocratis & Galeni ſententia eſt, non eſſe mittendum ſanguinem, ſi fuerit ſanguis ipſe mutatus à ſua natura: ſolum detrahendum, quibus copioſior is eſt, & nondum in alium ſuccum mutationem effecit. Addit Galenus in commentario hæc verba. Præeunte eo, qui à viribus eſt ſcopo: licet id omittatur aliquando in ſermonibus, in quib. eas, quæ ab affectibus ſolis prouenîunt indicationes recenſemus.] Putant enim in eo caſu non eſſe mittendum ſanguinem, quia vires ipſæ imbecillæ ſunt. Verum, quamuis virtus non poſſit ferre venæ ſectionem, vbi ſanguis omnino mutatus eſt in alienam naturam, tamen nõ eſt hæc vera cauſa, ob quam non mittitur ſanguis: deinde hæc explanatio non eſt ad propoſitum loci huius.

Etenim cum illa corruptione & putredine ſanguinis poſſunt adhuc vires cõſeruari validæ, ita, vt ferant purgationem idoneam excremento ex ſanguinis putredine genito, atque eiuſmodi vacuatio conferet, ac facile fertur. Contrà vero ad hoc opus valida exiſtens virtus, imbecilla fit ad opus non indicatum à morbo. Denique dico Galenum non dixiſſe in eo commentario, vires imbecillas exiſtere, ſanguine mutato in alienam naturam, ſed quod vult dicere, talem ſenſum habet. In omni vacuatione, præſertim vero ſanguinis, duos ſcopos conſiderandos eſſe, quorum vnus ab affectu ſumitur ſanando, alter vero à virtute, qui ſcopus in executione remedii vacuantis debet præcedere aliũ, qui à morbo ſumebatur: cuius contrarium accidit in ipſa remedii inuentione: in qua morbi indicatio præcedit. Ideo dicit. Præeunte eo qui a viribus eſt ſcopo] quando igitur mittendus eſt ſanguis, debemus contemplari virtutem, an ſit, ferendo eiuſcemodi vacuationem: hæc explanatio dilucida admodum eſt, & Galeni principiis maxime conſona. Illi vero exponunt hoc modo. Non eſt mittendus ſanguis, vbi iam ipſe mutatus eſt in alium humorem. Præeunte eo, qui à viribus ſumitur ſcopo] id eſt: Quia vires non poſſunt ferre. at certe non ſignificant hoc ipſum verba Galeni: hoc non eſt explanare, ſed peruertere contextum. Videant igitur, quã ſit friuolum, & inane hoc teſtimonium, quod ſua ſponte infirmatur, ac omnino ruit.

Cap. XV.

An rationibus contrarium persuadentibus rectè ab ipsis aduersariis satisfiat.

EX tribus, quæ in principio disputationis huius examinare proposuimus, duo videmur perfecisse, atque satis, nisi fallimur, diligenter. Nunc perpendere tertium oportet: an scilicet rectè satisfaciant illi rationibus quæ ostendunt, in cacochymia non conuenire sanguinis missionem. Circa singulas rationes, quas afferunt, insistam.

Prima ratio fuit huiusmodi, vt ab illis proponitur; Si missio sanguinis est vacuatio humorum omnium, si purgatio est vacuatio non omnium, sed vnius tantum aut alterius, facile colligendum illam plenitudini, in qua succi omnes augentur: hanc cacochymiæ, in qua duntaxat vnus redundat, esse accommodatam: hanc rationem communis propemodum omnium Medicorum consensus admittit. Respondent, pro comperto habendum, duas Indicationes alteram ex morbo, & illius causa, alteram ex magnitudine morbi esse inter se diuersas, & separatas. Quænam igitur propria est indicatio, quam humorum suggerit redundantia? id ex rerum natura facile cognoscitur, nempe si redundat sanguis, vt is vacuetur, si alii humores à sanguinis natura distincti, vt illi pariter expurgentur, iuxta regulam Galeni libro quarto de Methodo medendi cap. sexto fere ad finem. Ex quo loco generale præceptum sibi fecisse videntur Medici, plenitudinem postulare solum venæ sectionem, purgationem verò indicari à cacochymia. Verum quia præter istam indicationem petitam à morbo, & causis, adest etiam indicatio petita à magnitudine morbi, quæ dignitate superat omnes, fit hinc sæpenumero, vt in vehementi morbo nulla propemodum ratione habita aliarum indicationum, liceat ex vna parte venam secare, & redundantia, & in paucitate sanguinis, & ex altera purgationem instituere, non modo in bundantia vitiosi succi, verum etiam sine vllo humorum vitio. Hæc illi ad primum argumentum.

Ego autem ab humorum opinione longissime dissentio: atq; primum, quod attinet ad duplicem illam indicationem, dictum mihi fuit prorsus inanem esse illam, quam introducere conantur distinctionem, ita vt, si hoc ipsum fundamentum corruit, procul omni dubio corruunt etiam reliqua. Certe compertum est, aliud indicare morbum & causam morbi, aliud magnitudinem morbi, & magnitudinem causæ, sed istæ non sunt indicationes separatæ specie, ac genere, sed in eo duntaxat, quod magis ac minus; illud certo sciant tyrones, omnem indicationem proficisci à natura rei indicantis, exordiumq; fieri debere ab vno primo indicante, atque ab hoc ipso tamquam à genere summo progrediendum vsque ad immediatas, atomasque indicationes: iisq; inuentis, nihil aliud superesse, quam medicam inuenire materiã operi instituto accommodatam; qui hanc spernunt methodum, omnino quidem totam medicinam subuertunt, non ex iis duntaxat Galeni verbis, quæ dixit postremo capit. sexto libri quarti de Methodo medendi, sed ex locis, vt ita dicam, sexcentis, vniuersalis regula duxit originem, de purgatione in cacochymia, & de sanguinis missione in plenitudine, quam ita vniuersalem, ita certam pronuncio; vt nemo antea fuerit ausus, quod sciam, exceptis istis nouatoribus nostri seculi, suspectam habere, aut nouam addere: sit igitur stabilis regula. Cacochymiam, quæ leuioribus sanari non possit præsidiis, sola purgatione, Plenitudinem, quæ aliter sanari facilius nequeat, sola sanguinis missione emendari: sit tertia regula, vacuandum esse, eum duntaxat humorem à quo fit morb. ac perpetuo abstinendum ab alterius vacuatione, quantum tamen consequi artis beneficio possumus. Neq; admittendum videtur, quod illi dicunt, indicationem sumptam à magni-

tudine

tudine morbi dignitate ſuperare omnes alias indicationes. Dignitas enim indicationum ſumitur vel in relatione ad vitam, vel ad ſanitatem. At vero in vacuatiuis indicationibus, de iis enim ſermo inſtitutus eſt, nulla dignior, nulla præſtantior quam quæ exhauritur ab humore vacuando, quemadmodum inter indicationes vitales nulla præſtantior quã quæ ſumitur à virtute, de qua nullus omnino ſermo eſt. Quam enim quæſo præſtantiorem deſiderabimus in miſſione ſanguinis quam vehementem ſanguinis fluorem? quam ſummum eiuſdem incrementum? atqui indicationem ab iis petitam morbificæ cauſæ naturam proſequuntur: idem vero de cacochymia ſentiendum. Quod poſtremo dicunt admittantur, ſi mittendum eſſe ſanguinem volunt ſine plenitudinis affectu, aut purgandũ ſine cacochymia, ſi illi intelligunt ratione reuulſionis, at vero falſiſſimum eſſe, & humano corpori pernicioſum adeo, quàm quod maxime, profiteor in plenitudinis affectu, aut vehementi fluore prætermiſſa venæ ſectione, purgare: vel in cacochymia prætermiſſa venam ſecare.

Secundum argumentum ſumptum erat ab auctoritate Hippocratis, & Galeni, nam ille libro ſexto Aphor. 47. ait: Quibus ſanguinis miſſio, aut purgans medicamentum conuenit, iis vere ſanguinem detrahere, aut medicamenta adhibere oportet. Hunc locum Galenus interpretatur hiſce verbis: Hos oportet, vt anticipemus vacuare adueniente Vere, vel per venæ ſectionem, ſi plenitudinis paſſionibus ſubiiciantur, vel per purgationem, ſi eis, qui ex corruptione proueniunt,] atque ibi enumerat multos, quos anteuertendo vacuationem ſanauit, idemque dixit ſecundo Aphor. com. 8. & primo Aphor. c. 23.

Reſpondent eiuſcemodi Hippocratis, & Galeni teſtimonia ab omnibus æquo animo fore admittenda. Sed ita habendum eſſe, illos tunc ſibi ob oculos poſuiſſe vnam tantummodo indicationem, quæ ſumitur ab humoribus noxiis, eodemq́ modo alios omnes locos, maxime vero ſententiam eiuſdem Galeni quarto de Methodo medendi ca. 6. interpretatur.

Hanc ego egregiam explanationem recipere non poſſum, multis de cauſis. Ac primum de illis quæro, cum indicatio ſumpta à magnitudine morbi ſuperet omnes dignitate, quam ob cauſam Galenus eam prætermiſerit non hic modo, ſed alibi. Viderunt illi hanc dubitationem, ac ita de eryſipelatis curatione diſſerentes dicunt. Non fuiſſe neceſſarium de ea indicatione vbique verba facere, quia ſupponit eam alibi declaratam loco ſcilicet proprio, & opportuno, nempe quarto de medendi methodo capite ſexto. Quod attinet ad curationem Eryſipelatis diſputabo infra, nunc ſolum oſtendo abſurditatem reſponſionis huius. Atque ſuppono Hippocratem & Galenum nunquam ad miſſionem ſanguinis acceſſiſſe, niſi morbus magnus exiſteret, aut immineret, quamobrem cũ apud illos mentio fit de hoc remedio, ſemper ſupponitur morbi magnitudo, hic autem quoniam de præſeruatione tractabat Hippocrates, præſentem magnitudinem non intelligere illum, ſed ſolum imminentem, adeo verum eſt, quam quod veriſſimum: ergo ibi loquitur de venæ ſectione indicata à morbo magno imminente ratione plenitudinis, & de purgatione indicata à morbo magno futuro ratione cacochymiæ. Dici quidem non poteſt, indicationes illas non eſſe petitas a morbis, quia præter quam quod eſt manifeſtum, Galeni commentatio eos ipſos arguit, in qua horum remediorum ratione præſeruationis neceſſitatem in morbis nedum magnis, ſed etiam maximis indicat epilepſia, apoplexia melancholia, cancro, elephantiaſi, febribus. Imo vero etiam docet iis incipientibus ſeſe vſum eiſdem præſidiis, & ſanaſſe ægrotos quib. imminentib. vtendum præceperat. Si dixerint illos morbos paruos eſſe, (quod non credo dicturos) idem Galenus arguet, quem ſcripſiſſe Hippocratem in magnis morbis ſemper adhibuiſſe venæ ſectionem, ſupra explicui. Præterea in vehementiſſimis doloribus vacuationes conueniunt maximæ, quia maximus morbus eſt, alioquin tam magna vacuatio non conueniret, atqui in iis ipſis iubet Galenus in primo Aphoriſmorum adhibendam eſſe diſtinctionem

an purgare, an venam incidere oporteat: hic igitur indicationem sumit à magnitudine morbi, alioquin in paruo morbo magna hæc admittere remedia.

Ad alium accedo, quem explanauimus in quarta disputatione. dicebat Galenus quarto Methodi capite sexto, sanguinis missionem indicari à duobus, nempe à plenitudine, & à magnitudine morbi: sic purgationem indicari à cacochymia, & à magnitudine morbi, quibus verbis eorum hæresis omnino euertitur, qui contendunt solam morbi magnitudinem in abstracto, vt ita dicam, indicare sanguinis missionem. Huic loco ita eleganter occurrunt. Hic etiam Galeni locus videtur commodam veramq; interpretationem & responsionem recipere, licet reliquis videatur difficilior. Namque ibi Galenus voluit simul iungere duas indicationes alioquin separatas, alteram à magnitudine morbi, alteram à redundantia succorum, asserens ab vtraque indicari venæ sectionem, atq; si considerentur singulæ separatim, verissimum esse, & à nemine debere in controuersiam reuocari.

Addunt indicationem, quam suggerit humorem redundantia, in deliberatione mittendi sanguinis non infimum locum tenere, & numquam fore prætermittendam, vt saltem Medici possint de quantitate vacuationis salutarius consilium capere. Quod etiam exemplo illustrant duorum eiusdem ætatis, & roboris virium, qui morbos patiantur æque magnos, sed vnus à plenitudine, alter à cacochymia flauæ bilis aut atræ. vtriq;, inquiunt, mittetur sanguis, sed à cacochymo homini in minori, plethorico in maiori quantitate.] Hæc illi.

Ego autem aduersus hanc opinionem sic insto. Primum sequetur scopos præcipuos non esse tres, vt conati sunt demonstrare in tota disputatione, siquidem quatuor sunt, quorum duo vere indicant ex illorum sententia missionem sanguinis, plenitudo, & magnitudo morbi, quibus addendo vires, & ætatem, resultant quatuor. Aliquod habere nequeunt subterfugium, concedendo hosce duos scopos separatos esse inter se, & vtrumque indicare. Secundò plenitudo aut indicat missionem sanguinis, quatenus est plenitudo, aut quatenus talis plenitudo est, huius scilicet qualitatis, & quantitatis. Non indicat, vt plenitudo, propter Galeni rationes contra Menodotum Empiricum, cuius opinionem passim reprobat. Porro plenitudo certę quantitatis, vt puta magna & exquisita, vel in sano inest corpore, vel in ægroto: si in sano, iā aderit morb. magnus imminens; est autē idem exquisita & magna plenitudo, quod magnus morb. futurus si in ægroto sit, magnus morbus est incipiens, vel præsens, vt rectius dicam, ergo semper morbi adest magnitudo indicans sanguinis missionem, aut præsens, aut imminens, aut incipiens. & hoc dicebam ego in alio opere, non differre hæc inuicem. Magnus morbus à plenitudine, & plenitudo magna morbum efficiens, aut factura. Tertio, magnitudo morbi quam opponunt plenitudini aut indicat vt magnitudo est, aut vt determinata magnitudo. Si primum dederint, omnis magnitudo morbi indicabit, quod absurdissimum esse demonstratum in superioribus abunde fuit, ergo eiuscemodi indicatio tribuitur magnitudini determinatæ; hæc vero alia non est, quam magnitudo morbi aut incipientis, aut imminentis, aut præsentis à sanguinis plenitudine, vel motu. En quomodo & vnum est, quod vere indicat sanguinis missionem generatim; magnus morbus à sanguine. Duo vero speciatim; prout missio sanguinis est duplex; vna vacuatiua, alia reuulsiua, illam plenitudo, hanc autem vehemens sanguinis motus indicat. Quarto quod ab illis proponitur exemplum admitti non potest, vt puta quod contradicat communibus notionibus: audiant quæso summam absurditatem. Socrates validas vires habet, iuuenis incidat in morbum à multitudine sanguinis concitatum: Plato habeat validas etiam vires, sitque in eadem ætate constitutus, laboret morbo magno à flaua bile proficiscente. Ille si debet sanari, postulat vacuationem sanguinis, hic autem bilis flauæ: atqui bilis purgatione educitur, sanguis autem venæ sectione. Cur igitur quæso, si vacuanda est bilis, tu vis vacuare sanguinem? an dices quia in sangui-

ſanguine continetur bilis. Hæc abſurda reſponſio eſt, primum, quia conſtat etiam ſanguis ex pituita melancholia, & puro ſanguine, cur igitur vis haſce tres partes naturæ vtiles vacuare, vt vnam duntaxat inutilem vacues? Deinde posito bilem miſtam ſanguini, indicatio eſt ſegregare ipſam à ſanguine vt Galenus aliquando dicebat, at ſegregat eodem auctore pharmacum expurgãs. Tertio ſit extra venas eiuſcemodi cacochymia, quomodo ſanari poterit morbus ab ea factus inciſa vena? Mox quomodo audebimus ad partes præſtantes ex ignobilibus cum tanto periculo humores attrahere? Prætermiſſa igitur hac opinione adhęrendum eſt Hippocrati, qui in omnibus ſuis operibus, quando inuicem ſeruata proportione omnes augentur humores, miſſione ſanguinis auxiliatur, vbi vero aliquis ex ipſis ſuperabundat, illi purgatorium exhibet medicamentum, vt Galenus dicere conſueuit. Quamobrem firma quæ poſuimus principia ita manent, vt nullis ſophiſtarum machinis euerti poſſint.

Obüciebatur illis locus alter Galeni magni quidem momenti ex libro ſcillicet quarto de ſanitate tuenda, in quo vult non eſſe mittendum ſanguinem in illorum humorum abundantia, quia à ſanguine plurimum diſtant, ex quo loco euidenter concludimus in cacochymia nõ conuenire miſſionem ſanguinis, quia cacochymia à ſanguinis natura longiſſime diſtat. Porro quomodo huic auctoritati ſatisfacere nitantur, ipſi viderint. Ego certe in ſuperioribus diſputationib. manifeſtiſſimum arbitror me feciſſe, toto illos in explanatione huius loci aberraſſe cœlo, ita vt non oporteat amplius repetere. Hoc vnum deſidero, tyrones meos, hanc regulam Galeni in ſanguine mittendo, ſiue in ægrotis, ſiue in ſanis, ſiue in corporibus neutris, ob oculos habere tanquam vniuerſalem atque certiſſimam, quam ſi obſeruauerint, nunquam in artis operibus aberrabunt. ſolum addo, quod pertinet ad poſtremam explanationem huius loci, refugium illud ad vires protſus inane iudicari debere, ſiquidem purgatio numquam poteſt adhiberi niſi vires valeant; vt etiam non adhibetur, niſi morbus ſit magnus: atqui purgatio debetur humoribus à ſanguinis natura diſtinctis, ergo cum iſtis humorib. vires valent. Quod ẽt illi cognouerunt: nam in exemplo parum ſupra poſito dicebant, ſimul cum flauæ bilis copia vires exiſtere tam validas, quã cũ abundantia ſanguinis. At certe, quæ vires adeo validæ ſunt purgans pharmacum bene ferant, ſi hoc ipſum omittatur, ſubſtituaturque remedium non indicatum a morbo, eædem fient imbecillæ vires. Deinde vero quomodo cognoſci poſſint humores a ſanguinis natura diſtantes, qui cum ſanguine mixti ſunt, vnamque cacochymiam conſtituant, vt dicebat Galenus, ab eo fuit expoſitum libro de plenitudine, atque etiam adeo notum eſt omnibus, at fere nihil notius. Vltimo loco afferunt dubitationẽ de Eryſipelate, in quo Galenus damnat venæ ſectionem: medicamenta purgantia ſolum commendat. Ac tandem Auicennam derident, quod in mittendo ſanguine vereatur bilioſorum humorum efferueſcentiam, crudorumque humorum abundantiam, ac ſummã frigiditatem corporis. Igitur ꝙ attinet ad eryſipelatoſum effectũ dicunt non alium ſcopum ſibi ante oculos poſuiſſe, quam ſucci noxii redundantiam, quæ illius morbi eſt cauſa. Atque alteram indicationem a magnitudine morbi petitam, prætermiſiſſe, quia non fuerat neceſſe de ea verba facere, cum ſatis habuerit loco proprio, & opportuno de ea præcepiſſe. & ſpeciatim docuiſſe huiuſmodi indicationem eſſe generalem non ſolum in vno, aut duobus, ſed in omni plane morbo ſpectandam.

Cæterum hic locus non minus vrget, quam alii. Nam ad curationem ipſam neceſſaria non debent à Galeno prætermitti in iis locis in quibus ex inſtituto de eiuſcemodi curatione tractat. libro ſecundo ad Glauconem, agit de curatione eryſipelatis, ac libro decimoquarto de Methodo medendi cap. 3. et vbiq; purgationem maximopere admittit, cur ergo dices prætermittere venæ ſectionem debebat? imo vero non omittit illam, ſed manifeſtiſſimis verbis reprobauit? at ſi conuenit ob indicationem magnitudinis morbi, cur dixit non

conuenire? Inquient fortassis, quod causa fuit, quod proprio loco egit de hac re, nempe quarto methodi capite sexto. Verum hic aberrant à via non parum: primũ, quia locus accomodatissimus ad inuestigationem huius rei erat liber de ratione curandi per sanguinis missionem, at in eo ne verbum quidem inueniri potest de duplici hac indicationum distinctione, mox vero in Methodo medendi per magnitudinẽ morbi, non intelligit, nisi magnitudinem morbi materialis, quæ communis est ad purgationem, & ad venæ sectionem, non autem omnem magnitudinem, quæcumque sit, vt explanatum mihi supra fuit. Adde quod si quis Galeni verba considerat eo loco diligenter, facile cognoscet, inane prorsus existere eiuscemodi subterfugium, cum exactam ibi methodum tradat medendi hunc tumorem. Quod vero pertinet ad Auicennæ sententiam, ac ad humorum efferuescentiam & cruditatem, copiose diximus lib. quarto de missione sanguininis à ca. 18. vsq; ad vigesimum, quibus nihil hoc loco addi potest. Sed quia satis videor de hoc argumento dixisse, harum disputationum de sanguinis missione hic finis esto. Agam deinceps in studiosorum gratiam de purgandi ratione. Ad laudem, & gloriam B. Mariæ semper Virginis meæ, ac omnium protectricis. Die 28. Ianuarii 1593. Patauii.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM OMNIVM MEMORABILIVM QVÆ DVOBVS HISCE TOMIS CONTINENTVR.

Y y

Auerroes

Crudi

E

F

G

H

K

L

M

Morbus

S

Saluatel-

Scopus

T

Vena

Virium

FINIS.

Errata sic corrigito.

PAG. 2. lin. 51. *edemus* 3.38. *verba* 4.12. *scriptores illos.* 8.16. *de.* lege *ad.* 9.14 *ἀδήκτως.* 10.51, *quod unam.* 12.13. *indicatiuũ.* *ib.*52. *methodi.* 13,17. *contraindicantia atq;* ib.30. *atq; alij,* ib. *Explicaturus.* ib. dele *nostra.* 16.32. *excrementorũ.* 18.55. *tympanitẽ.* 25.9. *posse,* 27.41. *non ut putredo.* 33.3. *simplicis plenitudinis* 34.31. *obtensionem.* 35.41. *qualitate.* 36.47. *nemo inficiari.* 38.47. *vena, neue vehementius mota, quia similiter mota facit eundem tumorem.* restitua. *Vena. Dein. monet, ne sit vehementius mota, quia similiter mota &c.* 40.40. *hi nimium.* 42.1. *constitus.* 45.1. *& frigidum.* lege, *& humidum.* 48.20. *plethoram.* 50.45. *ex cacochymia.* lege, *& cacochymia.* 58.24. *reuolutione.* lege, *reuulsione.* 70.50. *qui non nisi.* 73.32. *debeant.* lege *debeamus.* 75.7. *substantia.* 75.42. dele *non* 78.29. *sinubus.* 79.55. *inducat.* 80.37. *diarrhea.* 81.36. *quartum* lege *quantum.* 82.50. *bile saturæ.* 85.36. *fere suffocatus.* 88.9. *audacius.* 89.19. *exordiens.* 89.26. *in æstate.* 108.44. *qua,* lege *quod.* 119. *&* 29. *potum.* 198.47. *confluxis.* 326.51. *&* 52. *pulicari.*

